Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
8 C
22

C H 4

D
8
19

R. 2
3
R. 4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Domus Prof. Rom. Soc. Jesu 3 Bibliot. communis

PROMONTORIVM MALÆ SPEI

IMPIIS PERICVLOSE NAVIGANTIBVS PROPOSITVM.


auctore P. Paulo Zehentner Soc: Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Domus Prof. Rom. Soc. Iesv Biblioth. communis.

Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis uehementibus. Ex. 15.



Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi: ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Iob. 21.

Acceſsit compendioſa ſynopsis, ſingulorum ad marginem paragraphorum: nec non ad calcem index, materiarum ac locorum moralium, digeſtus in ordinem alphabethi, bono Concionatorum.

Græcij. formis Widmanſtadianis ſumptib. Sebaſtiani Haupt, gratiâ et priuilegio S. C. Mtis. Anno 1.6.43.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

PRIVILEGIVM
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS.

FERDINANDVS Tertius, Divinâ favente clementiâ, Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Vngariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, &c. Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Notum facimus tenore præſentium Vniverſis. Quòd, cùm demiſſè Nobis expoſuerit, fidelis nobis dilectus *Sebaſtianus Haupt*, Civis & Bibliopola Græcenſis, ſe librum à P. Paulo Zehentner, Societatis IESV Theologo conſcriptum, cujus titulus eſt: PROMONTORIVM MALÆ SPEI, Impijs periculosè navigantibus propoſitum: ſive, Signum & Nota Reprobationis: PROCRASTINATIO POENITENTIÆ, ſcripta cautelæ hominum, emendationem vitæ cunctantium, ſpe ALIQVANDO reſipiſcendi; ſumptibus ſuis prælo ſubijcere, & in lucem edere decreviſſe; vereri autem, ne, quod ſubinde accidere ſolet, aliorum fraude ac dolo, ſperato impendij & laboris fructu defraudetur; Ideoque humillimè Nos rogarit, vt indemnitati ſuæ hac in parte Privilegio Noſtro clementer conſulere dignaremur; Nos hujuſmodi precibus (quòd librum illum paſſim vtilem futurum agnoſcamus)

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

benignè] annuendum duximus, prouti vigore præſentium benignè annuimus: Ac proinde omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, & alijs quibuſcunq́ue, librariam negotiationem exercentibus, ſeriò inhibemus ac vetamus, ne prædictum librum intrà decennium, à prima ejus editionis die computandum, intrà Sac: Rom: Imperij, Regnorumq́ue & Dominiorum Noſtrorum Hæreditariorum fines, ſimili, aut alio quovis typo vel forma, ſive in toto, ſive in parte recudere, aut aliò recudendum dare, vel alibi etiam impreſſum adducere, vendere, vel diſtrahere, clam vel palam, citrà voluntatem & conſenſum dicti *Sebaſtiani Haupt*, ejúſue hæredum præſumant. Si quis verò ſecus faciendo, Privilegium hoc Noſtrum ſpernere, negligere, aut tranſgredi ſibi temerè præſumpſerit, eum non ſolùm hujuſmodi libris, perperam quippe recuſis & adductis (quos quidem antedictus *Sebaſtianus Haupt*, ejuſúe hæredes, vbicunque deprehenſi fuerint, ſive propriâ, ſive Magiſtratûs ibidem authoritate, atque auxilio ſibi vindicare poterunt) privandum, ac inſuper pœnâ DECEM MARCARVM auri puri, cujus ſemis memorato *Sebaſtiano Haupt*, alter verò ſemis Fiſco Noſtro, fraudis vindici, toties, quoties contrafactum fuerit, pendatur; omni ſpe veniæ ſublatâ, mulctandum decernimus. Mandamus igitur vniverſis Noſtris, & Sac: Rom: Imperij, Regnorumq́ue & ditionum Noſtrarum hæreditariarum Subditis, cujuſcunq; ſtatûs, gradûs, Ordinis, conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ, exiſtant, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, præſertim verò ijs, qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio, vel Superiorum nomine & loco, jus & juſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quemquam Privilegium hoc Noſtrum temerè vel impunè tranſgredi,

aut

aut violare ſinant, quin potiùs contumaces, ſi quos fortè compererint, præſcriptâ pœnâ plecti, alijſque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam evitare voluerint. Harum teſtimonio litterarum, manu Noſtrâ ſubſcriptarum, & Sigilli Noſtri Cæſarei impreſſione munitarum. Datum in Civitate Noſtra Viennæ, die duodecima Junij; Anno Domini Milleſimo, Sexconteſimo, Quadrageſimo tertio, Regnorum Noſtrorum Romani Septimo, Vngarici Decimo octavo, & Bohemici Decimo ſexto.

FERDINANDVS.

Ad Mandatum Sac. Cæſ.
Majeſtatis proprium.

Joannes Matthias
Prikelmeyr.

G. Schidenitſch.

FA-

Digitized by Google

FACVLTAS
R. P.
PROVINCIALIS.

PRomontorium Malæ Spei, Impijs periculosè naviganti-bus propoſitum; ſive Signum & Notam reprobationis, Procrastinationem Poenitentiæ, cautelæ hominum, emendationem vitæ cunctantium, ſpe aliquando reſipiſcendi, per P. Pavlvm Zehentner, Societatis noſtræ Theologum, & ab ejuſdem Societatis aliquot Theologis cenſam, approbatamque; Ego Joannes Rvmer, Societatis Jesv per Auſtriam Præpoſitus Provincialis, factâ mihi poteſtate ab admodum R. P. N. Generali Mvtio Vitellesco, permitto typis vulgari, appoſitâ in fidei teſtimonium manu propriâ, & conſueto Officij Sigillo. Viennæ 4. Calend. Maij, Anno à Virginis partu 1643.

Joannes Rvmer.

Digitized by



Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO
Quinque Illuſtriſſimorum Generorum
SOCERO:
LEONHARDO HELFRIDO,
Sacri Romani Imperij Comiti
A MEGGAV,
Supremo Hæreditario Præfecto Superioris Auſtriæ, Aurei Velleris Equiti,
Sacræ Cæſareæ Majeſtati à Cubiculis, Intimiſq; Conſilijs &c.

ET

Quinque Illuſtriſſimis, ejuſdem Excellentiſſimi
SOCERI GENERIS:
NOBILISSIMÆ CORONÆ
SENARIO GRATIOSISSIMO
PATRONIS AMPLISSIMIS.

QVod militi eſt clypeus, contra hoſtiles adverſariorum inſultus; hoc ſcriptoribus & libris Patronus eſt, adverſus inimica malevolentiæ tela. Certe, dum ego infauſtum omen, nomenq́ produco, & PROMONTORIVM MALÆ SPEI *deſcribo; ſive (quod tantundem eſt) homini-*

Digitized by Google

bus obſtinatè ſceleratis, & nunquam ſine præſumptione ſperantibus de ſalute, probabilem Reprobationis ſuæ notam, ante oculos pono: habebo nimirum impugnatores non paucos, à quibus cum ſcriptionis meæ argumento, in longum mittar exilium. Vt adeò neceſſe ſit, propugnatores bonæ cauſæ quærere, & Patronos implorare defendendæ Veritati; quæ ſi vſquam exoſa eſt, in propoſita tam ſerij argumenti materia, graviſſimè flagellatur. Et ò factum bonum! quando in fronte libri mei, & prima velut acie, pulchro ordine, nobiliſsima ſtat corona Virorum maximorum, Heroum, Procerum. nempe cum vno Excellentiſsimo SOCERO, *quinq; Illuſtriſsimi* GENERI, *tot ſcutis pro me, & partu meo literario armati, quot gentilitijs ſuis inſignibus præſignes. Quorum omnium Nomini & Honori, vt inſcriberem hoc opuſculum meum, affectus ſuaſit, monuit obligatio, gratitudo imperavit. Neq; facere poſſum minùs, quàm obtemperare, & teſtimonium aliquod debiti mei relinquere; gratam ſaltem collatæ & mihi, &* Societati *noſtræ, non vnius gratiæ memoriam: eamq; chartæ, velut æternitati impreſſam, conſignare.*

Liceat hîc mihi Viri Excellentiſſimi, Illuſtriſſimiq;, *veſtra cum venia, ſingulos vos quaſi per theatrum Honoris circũducere, vt diſcat poſteritas, plurima in vobis admiranda ſuſpicere, & magna; imò paria aut facere, aut æmulari. Neq; mihi tamen animus eſt, modeſtiæ veſtræ rubricam inducere, aut purpurâ obtegere verecundam frontem. nolim eſſe nimis largus in encomio alieno; præſertim vbi Virtus ipſa, tacentibus omnibus ſe pretio ſuo commendabilem facit. Itaque Iliadem præclarè geſtorum, facinorumq; veſtrorum, ſive quæ alia in laudem venire poſſunt; cogam, ſi non in putamen nucis, ſaltem pagellarum aliquot anguſtias: contentus quædam perſtrinxiſſe, dum multa ſtudioſè tacitus prætereo.*

Et quidem ſi à IOVE *principium eſt faciendum, à te inquam, nobiliſsimi Senarij capite, magnorum* GENERORVM SOCERO, Excellentiſſimo Comite de Meggau; *omnia naturæ, fortu-*

tu-

tunæ, corporis, animiq́ bona, velut ex pleno cornu copiæ, in ſinũ tuum video profuſa. Nam ut ſileam ingenij acumen, intellectûs perſpicaciã, iudicij conſiliorumq́ maturitatem, peregrinarum linguarum, nationumq́ notitiam, ſuaviſſimam morum elegantiam, temperatam cum benevolentia gravitatem; ipſe etiam in ſenio, conſtantiſſimus faciei tuæ color, ſemperq́ ſibi ſimilis, nunquam non CANDIDVS ET RVBICVNDVS, *oſtendit quibus hactenus ſerviveris Dominis: nempe ex Sereniſſima Auſtriacorum familia, Archiducibus, Regibus, Cæſaribus. Quid ni & formam tuam dixero* IMPERIO *dignam? quando Majeſtatem* FERDINANDI II. *in te, ejuſdem Aulæ Supremo olim Præfecto, non pauci ſupplice genu, cernuoq́ corpore venerati ſunt; errore eò magis excuſabili, quòd ſimilitudine corporis, oris habitu, frontis oculorumq́ majeſtate, Imperatorem tuum præferres.*

Si quoque hodie ad laudem facit - - - longo
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus Juven. ſat. 8.
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios, naſumque minorem
Corvini, & Galbam auriculis, naſoq; carentem:

nemo inficias iverit, te nobiliſſime Heros, *longiſſimâ ſerie abavos & atavos repetere, antiquiſſimæ ſtirpis tuæ avitam gloriam. Neq́ tamen hîc ſtetiſti, contentus in alienis velut plumis, te magnificè circumſpicere: auxiſti de tuo, & propriâ virtute paterna decora; donec per quotidiana inſignis ſapientiæ, fidelitatis, induſtriæq́ argumenta, docuiſti te non indignum, qui ad Honoris templum, & prima Officiorum ſubſellia aſcenderes. Igitur* MATHIAS *Archidux, non tantum voluit te ſuum eſſe Camerarium, cæteriſq́ poſtea ejuſdem Officij, imò & univerſæ ſuæ Aulæ, cum poteſtate præeſſe; ſed etiam intima frequentare conſilia. Quæ officia quoque apud* FERDINANDVM II. *glorioſæ memoriæ Cæſarem, tam laudabiliter obiiſti, ut titulo Primi in Aula ejus* MINISTRI *gauderes. Subinde etiam* COMMISSARII & DIRECTORIS *nomine decoratus, ad maxima pro Imperio negotia conficienda.*

 Sa-

Sanè, anno à Chriſti nativitate milleſimo, ſexcenteſimo octavo, quo laboratum eſt ab Electoribus, vt fraternæ ſimultates inter RVDOLPHVM *II. Cæſarem, &* MATHIAM *Vngariæ Regem, jam jam in flammas, & publica Reipublicæ damna erupturæ, ſupprimerentur in prima ſcintilla; te Regia Majeſtas ſuum miſit Commiſſarium; hoc capite felicem, quòd tuis etiam conſilijs, diviſi inter ſe animi, ad votum coiverint. Cùm verò deinde Bethlehem Gabor, Regnum Vngariæ affectaret, potiſsimâq; jam ejus parte, in poteſtatem ſuam redactâ, Coronam* FERDINANDO *II. quaſi violenter excuſſam, ſtatueret ſolenni cum ritu, ſuo vertici imponere Poſſonij; tuâ dexteritate & potentiſsimâ ſuadâ, ne faceret, Vngariâq; excederet, effeciſti: poſtquam legationis Cæſareæ caput, te conſtituit Imperator. Hæc tua agendi felicitas, ſæpius ſæpiusq; probata, auxit laborioſas tibi quidem curas, non ſine imminutione ſomni ac quietis: ſed neque ſine incremento gloriæ & commendationis. Quando enim deinceps in Romano Imperio, coronandorum Regum Cæſarumq;, ſolennis inſtituta fuit inauguratio; quin etiam nuptialia feſta inter* FERDINANDVM *III. Auſtriacum, &* MARIAM *Hiſpaniæ Infantem celebrata, te dirigente fauſtum, optatumq; habuêre ſucceſſum. Vt mirum adeò non ſit, etiam in abſentia Auguſtiſsimi Imperatoris, ab eodem te, Viennæ* DIRECTOREM *cum Imperio præpoſitum fuiſſe.*

Neque verò Comitis & Patroni mei virtus, ſe continuit intra ſiparium; in ſcenam egreſſa eſt, & Germaniam prætergreſſa, Hiſpanis ſe ſpectandam dedit, plauſumq; tulit; tum maximè, cùm eorum Rex, te admiſit in numerum Equeſtris Ordinis, qui à Vellere aureo *nomen habet. Atq; vt gratiam gratia exciperet, ipſe* FERDINANDVS *II. Romanorum Cæſar, prædictum Illuſtriſsimorum Equitum monile, collo tuo, manibus ſuis clementiſsimè impoſuit, anno poſt Chriſtum natum milleſimo, ſexcenteſimo, viceſimo ſecundo; ipſo die illo, quo Viennæ in templo Patrum Cappucinorum, primus lapis cum cerimonia poſitus fuit. Sed au-*

ſim

Digitized by Google

ſim dicere: plus aliquid Vellere aureo, *dedit Auguſtiſſimus Imperator; quando medio inſignium tuorum ſpatio, velut cordi, pupillam Imperij, reginam volucrum Aquilam; ejusq́ pectori affixam literam ſuam, ſibiq́ unicè chariſſimam,* F *inſeruit. Quid verò tu* Excellentiſs^c: Comes? *nempe etiam Cæſaream voluiſti Aquilam honorare, gentisq́ tuæ ſigna, compendio in brevem clypeum incluſa, infernè ad ejus extremitatem appendere; quaſi venerabundi animi teſtimonium, & devotæ mentis erga* FERDINANDVM *Auguſtum, perenne monimentum. Profectò memorem te extitiſſe tam hujus, quàm aliarum Imperialium gratiarum: hoc ipſo luculentiſſimè demonſtraſti; quòd neq́ temporum iniquitas, neque periculorum gravitas, ex inteſtinis, externisque quotidie bellis, contra* FERDINANDVM *Cæſarem enaſcens, ab eo te ſeparare potuerit; ſola mors avulſerit. Sic enim animo tuo, fideliſſimo ſimul ac generoſiſſimo, decretum fuit,* FERDINANDVM II. *etiam per adverſam fortunam, & minimè ſecundam, conſtanter ſequi; neque ſervitio ante deſtituere, quàm fata interruperint ſerviendi occaſionem. tum demum, cùm non licuerit ampliùs, Imperatori è vivis ſublato, terrenum præſtare obſequium; illud te in cæleſte translaturum,* Regi ſæculorum, immortali, & inviſibili, ſoli Deo. *Ita propoſuiſti fortiter* Comes Excellentiſs^c: *ita feliciter executus es annuente etiam votis tuis* FERDINANDO III. *& poſtulatam miſſionem concedente; quando Imperij ſui initia, ſanè quàm difficillima, vel maximè deſiderabant Viros conſilij, & experientiæ plenos. Vicit tamen melior cauſa, ceſſitq́ terreſtris Aula cœleſti.* 1. ad Tim. 1. 17.

Jamq́ excuſſo negotiorum forenſium onere, & ſplendido Imperialium officiorum jugo, properâſti Comes *ad ſolitudinem, acceptâ velut ſimili juſſione cum Arſenio, dum in Theodoſij Cæſaris eſſet ſervitio:* fuge, tace, quieſce. *Sed quò te reciperes, fugiens Aulæ ſtrepitum? quo loco pedem figeres, pro beata & toties ſuſpirata animæ quiete? nempe viam monſtravit* DEVS *ipſe, ſedem ſignavit & terram, eamq́ ſanctam; ut ſine exaggeratione di-* Metaphraſtes in vita S. Arſenij.

Exod. 3. 5. *ne dicere poſsim:* locus in quo ſtas, terra ſancta eſt. *nam ſive contemplor arcem Greinburgum, ſive proximam illi civitatem Grein, utrumque domicilium tuum; habet Palæſtinæ devotionem; neque tantum ſtationes paſsionis Dominicæ, in quibus præcipua redemptionis noſtræ myſteria repræſentantur; ſed ædem quoque, ad ſimilitudinem Lauretanæ Domus, quæ* CHRISTUM DEI *Filium, quando dignatus eſt homo concipi à Virgine, & naſci, in Nazareth velut hoſpitio excepit. Quin etiam montem, Calvariæ æmulum continet, in quo humani generis Servator, fixus cruce, litrum redemptionis noſtræ, ſuo pependit ſanguine. Huic proximè locus adjacet, perfectam illius ſepulchri formam referens, in quod exanime* CHRISTI *corpus, ligno jam & clavis exemptum, cum veneratione collocatum eſt. Et quemadmodum Jeroſolymæ, hodieq́ ſacratiſsimi monumenti curam habent, è Sancti* FRANCISCI *familia alumni; ſic quoque eiſdem monaſterium è fundamentis exſtruxiſti* Comes, *ut præſentia religioſa plus pietatis aſpiraret, frequentantibus piiſsima, quæ dixi, loca.*

Tu verò Heros magnificentiſſime, *& velut alter mihi Salomon, qui juxta ſuam regiam templum* DEO *erexit, Orbis miraculum: Dic, quis tibi ſenſus fuit, quando juxta arcem tuam, abſolviſti illa ſanctiſsimæ devotionis ædificia, & divinorum myſteriorum receſſus? nunquid gratulabundo ſimilis, cantâſti cum pſalte:*
Pſal. 131. 14. hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam? *Igitur ferè tuus nunc potiſsimus labor eſt, quietem non otioſam, ſed piè negotioſam agere. jamq́ diſpoſitas ad radices arcis, obire ſtationes; jam reviſere ad Virginis ædem, & Matrem ſalutare cum Angelo, & cum Matre Filium venerari; jam clivum Golgothæi montis ſcandere, & curvato poplite revolvere Paſsionis arcana, Crucis beneficia meditari, amoris divini intrare profundum. paulò pòſt ad Sepulchrum Domini penetrare, cum eodem in limbum Patrum deſcendere, & cum redivivo reviviſcere. Nihil dico de fraternitate Roſarij, quæ ſub tuis auſpicijs, in præſentem excrevit ſplendorem. nihil de Corporis*

Chri-

Chriſti à te inſtituta Congregatione, auctâque novis privilegijs ac indulgentijs. Hoc oculatus teſtis fateor, tibi cor ſalyſſe, ad futuram hujus gratiæ promulgationem, & publicam Euchariſtici ferculi circumlationem; neque optabas aliud, præter ſerenum ejus feſtivitatis ſolem, quaſi alter David ſaltaturus coram Arca fœderis. 2. Reg. 6. 14.

Dum verò tam ſanctis exercitijs tua Comes, *inſiſteret pietas; nimirum etiam magnanimitas, & patientis animi robur, probanda fuerunt. Itaque neſcio, quo infelicitatis caſu acciderit, vt præterito anno, vrbem Grein, medio die flammæ interciperent, & pauculis omnino horis, in buſtum converterent; eâ credo Numinis diſpoſitione, vt tibi quoque applicari poſſet, quod olim de Tobia, hirundinum ſtercoribus excæcato, affirmavit ſacer textus:* hanc tentationem ideò permiſit Dominus evenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ ejus. *Vbi iterum vota tua pondus apud* DEVM *habuerunt; quippe qui hoc vnum rogaveras, ſacris ne locis incendium obeſſet. factumq́; eſt, vt non tantùm mons Calvariæ, cum Chriſti ſepulchro maneret intactus; ſed verò etiam Domus Lauretana, cùm flammam paſſa eſt, non ſentiret. neque enim delapſi è vicinia carbones ſuper telam, quicquam eam ambuſſerunt; neque illatus intro ignis, ſtatuas ex cera liquavit; vt Comes noſter, miracula aliunde petere non debeat, quando ea domi ſuæ habet. Quanquam & illud, ſi non inter prodigia & miracula, ſaltem miranda numero; te eo articulo, non ſolùm ſapientiæ Chriſtianæ verba locutum eſſe, & quæ demonſtrarent mentem ad omnem Dei nutum paratam: ſed etiam conſtantem inter aſſultus infortuniorum. more vicinæ tibi ad Danubium petræ, quæ ſuperincumbentes ſibi, perpetuoq́; obſtrepentes fluctus, ſemper immota, velut inanes ridet. Non multum ab hac ſaxoſa rupe, diſtat periculoſus gurges, & qui replicato in orbem ſæpius curſu, integras ſubinde naves haurit. Tu verò* Comes, *per varios infelicitatis Euripos, & innumera caſuum adverſorum diſcrimina, ſic ſemper tranſ-*

Tob. 2. 13

Germanicè: der Strudel oder Strum.

Germanicè: der Würbl / Werſt / Keſſel.

Vtriuſque

b 3

loci mentionem facit Camerarius in horis ſubſecivis, Centur. 2. c. 16. Latinè prior locus, dici poteſt Scylla, poſterior Charybdis.

tranſiiſti; vt cùm neceſſe eſſet quaſi in naufragio, jacturam aliquando facere rerum temporalium; integro tamen animo, appelleres ad portum tranquillitatis. nunquam DEO *propior, nunquam conjunctior, quàm inter tempeſtatum injurias. Adeò multum eſt, acum nauticam ſibi conſtituere, ſanctiſſimam divinæ providentiæ, voluntatisq; regulam: neq; inſolenter excutere, quæ supernè mittuntur ab amica Numinis dextera, tranſverſas Crucis trabes. Quod te credo, monet* Vir inclyte, *duplex illa Crucis figura, quam tua inſignia præferunt.*

Et mirum ſit Helfridum Comitem, *qui per omnem vitam, adeoq; à teneris, ſemper conſtantem oculum firmavit ad Dei* Pſal. 20. 4. *legem, ejusq; ſanctiſſima placita; reciprocum, gratioſumq; Numinis ſenſiſſe aſpectum? quin etiam præventum* benedictionibus Pſ. 127. v. 1. 2. 3. dulcedinis? *quando Regius Vates jam olim enunciavit:* Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs ejus. labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domûs tuæ. Filij tui ſicut novellæ Pſal. 143. 12. olivarum, in circuitu menſæ tuæ; filiæ compoſitæ, Pſ. 127. 4. circumornatæ, vt ſimilitudo templi. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. *Sanè* Eques nobiliſſime, *qui primam thori tui conſortem, Illuſtriſſimam conjugem, virtutis ſociam, pietatis ejuſdem individuam comitem, contemplatus fuit; Vitem quaſi per domum latè diffuſam aſpexit, feracem plurium filiarum; quæ in circuitu menſæ tuæ, non ſolùm naturâ, ſed etiam moribus compoſitæ (pugnantibus invicem & corporis formâ, & animæ elegantia) jucundum hominibus ſpectaculum* 2. ad Cor. 6. 16. *fecerunt. Quodque palmarium eſt, hodieq; ſe* templum Dei, *juxta Apoſtolum eſſe commonſtrant; dum paſſim facem prælucent alijs ad virtutem: miniſtræ pauperum, magiſtræ divitum, ſpeculum Nobilitatis, Gynæcei monile, exemplar Aularum, familiæ decus, parentis vtriusq; gloria, militantis Eccleſiæ delicium, deſiderium triumphantis.*

Sed

Digitized by Google

Sed quæſo te Glorioſiſſime Virorum, *ſuper quo ſolo & vnico, vniverſa nunc tua recumbit ſtirps:* vbi baculus ſenectutis, ſolatium vitæ, ſpes poſteritatis tuæ? vbi filij tui, ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ? *hanc enim maximam benedictionis partem eſſe, jam olim cum Abrahamo agnoverunt Patres antiqui. Et quis neget, quod olim Danieli dictum eſt,* Virum deſideriorum *te fuiſſe? maſculumq́ bonorum tuorum heredem, magnis à* DEO *votis oráſſe? exoráſti etiam. & filio quidem gemino, ſecunda te Illuſtriſſima vxor beavit. Sed proh dolor! gaudio brevi longum ſucceſſit cordolium; quia diu frui amoribus tuis, non licuit: quando ex altiori Numinis imperio, qui tibi hodie nati ſunt filij, cras iterum denati ſunt. Neque tamen repoſcenti* DEO*, quod ſuum erat, repoſuiſti aliud, præter illud Iobi:* Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt. ſit nomen Domini benedictum. *qua in re iterum te oſtendiſti, genuinum aquilæ pullum eſſe, ſemperq́ ad ſolis radium* (DEI *ſcilicet voluntatem*) *cordis oculum figere. Vnde occaſionem accepit divina bonitas, defectum vnius benedictionis, ſupplendi mille alijs, præſertim Nepotum frequentiâ.*

Tob. 10. 4. — Pſ. 127. 4. — Daniel 10. 11. — Iob 1. 21.

Hîc mihi in mentem venit interrogatio Davidis, jam deſponſati filiæ Saulis, Regis in Iſraël: num parum videtur vobis, Generum eſſe Regis? *Fateor, quem hucuſq́ commendavi,* Excellentiſſimus Comes, *infra Regem quidem eſt; fortaſſis tamen Regulis quibuſdam ſuppar. quales illi creduntur fuiſſe triginta duo, qui cum Benadad in ſocietatem belli venerunt adverſus Achabum, & nomen in ſcriptura acceperunt Regum; puta non magnorum, ſed vt Salianus appellat, Satraparum, & quaſi Regulorum: quod in terra non ampliſſima, multò tamen alijs opulentiores eſſent, & potentiores. Nunc ſi contemplari volumus poſſeſſiones, arces, pagos, oppida, dominia, quibus in Auſtria, Bohemiaq́ imperat,* Comes *mihi hodie laudatus; quis neget eum Regulum, & fortunæ charum, & hominibus pretioſum, &* DEO

1. Reg. 18. 23. — 3. Reg. 20. 1.

gratum? Parum igitur videbitur, Generum eſſe hujus Reguli? tanti Viri? & tantopere ex omni parte ſuſpiciendi? Contrarium docuerunt quinque Illuſtriſſimi Proceres, *quibus viſum eſt eſſe glorioſum, hunc ſibi adſciſcere* SOCERVM, *& per filiarum connubia, familias invicem nobiliſſimas, non tantùm vinculo arctiori colligare; ſed etiam alterno ſplendore facere illuſtriores. Nimirum* Excellentiſſimus *SOCER, tantos talesq́; nactus eſt GENEROS, vt de ſingulis illud dici poſſit poetæ verbum:* hunc optant GENERVM, Rex & Regina; *ſive Regulus (quem modò deſcripſi) cum ſelectiſſima conjuge, fœcundæ plurium filiarum matre.*

Perſius Sat. 2.

Et quidem, ſi placet ſingillatim quemvis penicillo meo obiter depictum, coram velut intueri; ſiſto primùm ex Generis SOCERO ſuo, Illuſtriſſimum Dominum Sigiſmundum Ludovicum, Comitem à Dietrichſtein; *quem, vt vetuſtiſſima nobiliſſimæ gentis ſuæ proſapia ornavit, ſic propria eundem merita ad titulos ſpecioſos, & honorifica evexerunt officia. Sed paulatim; more generoſi militis, qui per omnia militaris diſciplinæ rudimenta, ſenſim virtute ductrice, emergit ad dictaturam. Poſtquam igitur è peregrinis regionibus rediyt in Patriam; auſpicium futuri conatûs, præmiſit apud tribunalia, partim Græcij in Excelſo Regimine: partim Viennæ in Aulico Conſilio. Quibus locis ita probavit ſuam cum induſtria periciam, vt FERDINANDVS II. felicis memoriæ Cæſar, & clave eum cubiculi ſui aureâ donaverit, & varijs legationibus caput, quin & Præſidem Cameræ ſuæ Imperiali præfecerit. Sed nempe, quod viduæ apud Eliſæum paupertinæ contigit, vt tam diu flueret illi oleum, quamdiu ſuperabant vaſa; ſic quoque excreſcentia ſenſim* Dietrichſteiniana *merita, alijs alijsq́ gratijs excepit FERDINANDVS II. Et jam* Virum Illuſtriſſimum *cum prole ſua, omniq́ deinceps poſteritate, ex* Liberi Baronis *ſtatu, tranſtulit in* Sacri Romani Imperij Comitem. *Paulò poſt eundem, juſſit eſſe arcani ſui Conſilij intimum membrum. Quæ dignitas ſu-*

4. Reg. 4.

prema eſt apud Cæſarum Aulas, nec niſi principibus Miniſtris conceſſa; nimirum cum ſummis Capitibus, de ſumma rerum conſulere. Quò pertinet illud Alphonſi Regis dictum: Regum Conſiliarios aut Reges eſſe, aut Regum animos habere oportere. Nolim hîc ſpecie adulationis, palpum obtrudere, & GENERUM hunc tuum Comes Excellentiſſime, *laudare ſupra veritatem. eximius credo ab omni ſuſpicione fuero, ſi de illo dixero magnorum ſenſum Virorum; nempè ſua conſilio, non impetu facere: neque ſuadere, quæ ſunt jucundiſſima & utiliſſima; ſed quæ optima ſunt, & honeſtiſſima. quod Athenienſis olim populus, atque Ariſtides à Themiſtocle fieri deſiderabat; ibi enim peccatur maximè, ubi fide & conſcientiâ, ſanctior eſt utilitas. Quin & illud Scipionis Africani, turpe eſſe in re militari dicere,* non putabam; *etiam ad conſilia, quæ domi fiunt, ſic meritò extendenda arbitratur GENER tuus; ut ubique illud infame PUTABAM, & amputandum velit, & amputatum; paratis ad manum geminis cultris, quos ei ſua inſignia porrigunt. Deniq; ſeptem illis Conſiliarijs, quales Cathalauni Alphonſo Regi, adhuc adoleſcentulo, optabant in ſubſidium Regiminis:* qui Deum timerent, juſtitiam colerent, cupiditates tenerent ſub freno, neque donis, neque muneribus tangerentur: *judicavit ſimilem* Dietrichſteinianum Comitem *FERDINANDUS III. Cæſar, quando durantibus Ratisbonæ Comitijs imperialibus, anno milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo, eidem abſens, hæreditarias prrovincias credidit adminiſtrandas. Fortaſſis probè memor fidelitatis, quam in Majoribus ejuſdem, jam olim* Sereniſſima Domus Auſtriaca, *non tantùm experta eſt, ſed verò etiam publicis monimentis Orbi probavit. Locum quæris, & tempus, & tabulas teſtes? Neoſtadium adi, Urbem Auſtriæ; arcem illius intra, & arcis Sacellum, S. Georgio Equiti & Martyri ſacrum; parietes obi, muros luſtra, pavimentum inſpice: magnorumq; Virorum umbras, ſeu verius tumbas, & corpora reperies ſepulta. Alterum Imperatoris MAXIMILIANI I.*

Panormit. lib. 1. de rebus Alphonſi.

Plutarchus in Ariſtide.

Valer. Max. lib. 7. c. 2.

Panormit. lib. 2. de rebus Alphonſi.

Liberi Baronis *alterum*, Illuſtriſſimi *inquam*, D. Sigiſmundi à Dietrichſtein. *cujus ſimul, & familiæ ſuæ univerſæ, glorioſam commendationem loquitur candidum marmor, ad parietem dicti Sacelli affixum. Et quidem hanc inſcriptionem in fronte præfert.* Epitaphium D. Sigiſmundi à Dietrichſtein. *Vis ſcire, quis illud dictaverit, & quorum gratiâ meritorum? verba attende ſequentia.* Ad perpetuam memoriam, Invictiſſimus Princeps, *D. MAXIMILIANVS*, Cæſar Auguſtus, vivus (juxta locum hunc, quem pro monumento legit) Magnifico Domino Sigiſmundo à Dietrichſtein, Baroni Libero in Finckenſtein, Hollenburg & Thalberg: Archipincernæ Carinthiæ: quinque Provinciarum Archiducatus Auſtriæ inferiorum, Locumtenenti; & Majoribus ſuis, ob fidem ſingularem, & res Auſtriacas bene geſtas; & Poſteris eorum; poni mandavit. *Ne autem invidia, ſemper alienæ gloriæ comes, obſtrepere poſſet: quæ* Illuſtriſſimo Domino Sigiſmundo, *& familiæ* Dietrichſteinianæ *dedit elogia MAXIMILIANVS Cæſar; Nepotes ſui, CAROLVS V. & FERDINANDVS I. ipſi quoq; ambo poſtea Imperatores, auctoritatis ſuæ calculo confirmârunt. teſte marmore, cui poſt præmiſſa ſuperiùs verba, invenies quæ ſequuntur, ibidem inciſa.* Hæc deinde Principes Excellentiſſimi, *D. CAROLVS* Cæſar Auguſtus, & Hiſpaniarum Rex &c. & *D. FERDINANDVS* Princeps, & Infans Hiſpaniæ, Archidux Auſtriæ, Fratres: *D. PHILIPPI* Hiſpaniarum Regis, Filij: ejuſdem Cæſaris *MAXIMILIANI* Nepotes, rata habuêre, ac approbarunt. Salutis anno M. D XXIV. *ubi neſcio, utrum potiùs mirari debeam; locum quo humatus eſt*, Illuſtriſſimus D. Sigiſmundus à Dietrichſtein, *an Epitaphium ei appoſitum? nam quia plerumq; mortuis, inſcriptiones fiunt ſepulchrales à paribus, Conjugibus, liberis, fratribus, agnatis: ipſe glorioſiſſimus Romanorum Impera-*

pera-

Digitized by Google

perator MAXIMILIANVS, *non dedignatus eſt, velut ad manum dictare, quod Servo ſuo charo & fideli, adſcriberetur encomium vice Epitaphij: raro prorſus exemplo, honoraturus cum defuncto Majores ſimul, & ſecuturam Poſteritatem. Illud verò quantum eſt, ſepultum Baronem ſepulto Cæſari proximè adjacere? Apud S. Chryſoſtomum lego.* CONSTANTINVM M. Filius ita demum ingenti honore ſe affecturum exiſtimavit, ſi eum in PISCATORIS veſtibulo conderet. *Loquitur Orator aureus, de Eccleſia Conſtantinopoli erecta, honori SS. Apoſtolorum Petri & Pauli; in cujus aditu tumulatus* CONSTANTINVS M. *Cæſar, honeſtiſſimè ac digniſſimè collocari à filio ſuo credebatur; quòd depoſito ibi corpore,* PETRVM, *piſcatorem hominum, quaſi vicinior contingere poſſet. Ita omnino multum fuit, quando in eodem futuræ quietis Sacello, Imperator* MAXIMILIANVS, *propinquum ſibi poſt mortem habere voluit* Illuſtriſſimum D. Sigiſmundum à Dietrichſtein: *eum ſcilicet* Virum, *quem vivus ſibi ſemper conjunctiſſimum ſenſit, conſilijs, animo, voluntate, affectu. Denique &* MAIESTAS *Domini, &* FIDELITAS *Servi, uno velut loco ſepultorum, viſæ ſunt in novam quaſi ſocietatem coire voluiſſe, nunquam ampliùs ſeparandæ, ne quidem in Hæredibus. Hinc ſicut* Gens Dietrichſteiniana, *continuò Auſtriacæ Domui præſtat fidele ſervitium, obſequiumq́; ita ab eadem recipit quotidianas gratias, ampliſſimos favores: clementiſſimi affectûs argumenta, teſtimonia gratitudinis. Quæ ſingula, antequam ad calculum revocet, credo ſuccumbet priùs, quem hîc* Excellentiſſimo SOCERO *commendo,* Illuſtriſſimus D. Sigiſmundus Ludovicus à Dietrichſtein, *magnorum Avorum non minor Nepos.*

D. Chryſoſt. tom. 4. in epiſt. 2. ad Corint. hom. 26. in morali.

Nunc alium ſtatuo Comiti Helfrido, Illuſtriſſimum GENERVM, Dominum Fridericum, Comitem de Caurianis. *cujus omnis ætas, à prima quaſi juventute, adeò laudabiliter in Aula Imperiali exacta eſt, ut* FERDINAN-

DVS II. in teſtimonium fidelitatis, cum ſibi Camerarium fecerit; in ſignum verò prudentiæ ac dexteritatis, eundem per Italiam Germaniamq́, ad Principes diverſos, ipſoſq́ Imperij Septemviros, non ſemel expediverit Legatum. Denique (ut mortalia omnia ſuis clauduntur terminis) quo tempore FERDINANDVS II. FELIX, PIVS, Imperium cum vita depoſuit, & Cæſari ſuo morienti Comes Caurianus adſtitit: ſortem hanc ultimi ſui ſervitij, qualem dicam? nunquid triſtem, & atro notandam carbone? imò ſignandam cretâ, velut beatam. quia & piè hinc abeuntem Imperatorem, pijs lacrymis proſequi potuit; & expirantis inter brachia ſua, Auguſtam animam tranſmittere ad cælos. Jam autem, ut ſuper Eridis pomo, nata dicitur inter Deas olim contentio; ſic ſuper Comite prædicto, exorta eſt amica concertatio, inter Filium & Matrem, FERDINANDVM III. Cæſarem, & ELEONORAM Imperatricem, Viduam. Cùm enim utriq́ Majeſtati, ſpectata eſſet Viri Illuſtriſſimi ſive comis ſapientia, ſive ſapiens comitas; quod idoneis teſtibus accepi, tam FERDINANDVS III. quàm ELEONORA, ſervitijs ſuis eum expetijt. tandem ſuadente reverentiâ, Filius ceſſit Matri; ſuæq́ Aulæ ELEONORA Auguſta, Comitem de Caurianis, Supremum renunciavit Præfectum. Quo in munere, ita cum poteſtate hucusq́ ſociavit humanitatem, cum imperio facilitatem, cum profanis, & ſecularibus negotijs religioſam pietatem, ut exemplo ſuo evicerit, falſum eſſe illud Poetæ

Lucanus lib. 8.

exeat Aulâ
Qui volet eſſe pius. Virtus & ſumma poteſtas
Non coëunt. *Confirmavit ſimul & iſtud Martialis:*

Mart. Epig. lib. 9.

Nemo ſuos (hæc eſt Aulæ natura potentis)
Sed Domini mores, Cæſareanus habet.

Liceat hîc mutare maſculinum, cum fæmineo ſexu: dicamq́ Caurianum Comitem, Miniſtrum Cæſareanum, Dominæ ſuæ, Imperatricis inquam ELEONORÆ, laudatiſſimas conſuetudines tenere, & templis affixum, & precibus deditum, & Deo

ſuo

ſuo familiarem. Aſſertionis ultimæ certum judico argumentum, Numinis etiam aſperiora placita, ſine ſpiritu contradictionis admittere: imò cum humili oſculo venerari. Non nemo, cùm audiret me præſentem librum parare, cujus frons hunc titulum præferret: PROMONTORIUM MALÆ SPEI; *cenſuit ſcriptionem ſatis eſſe accomodatam tempori; quando jam in Imperio, neſcio quo fato, ſeu potiùs arcanâ* DEI *providentiâ, quibuſdam deſperata videntur omnia honeſtæ pacis conſilia, mediaq́. Sed cedro, atque immortalitate dignam, hoc ipſo tam afflicto rerum articulo, ſententiam audivi ex heroico; imò & religioſo prædicti* Comitis *ore profectam. Etiamſi inquiebat, hoſtili potentiâ, omnia ſusq́ deque vertantur, & neceſſe fuerit proprijs exui facultatibus, poſſeſſionibus ſpoliari; Ego tamen cum meis (opitulante Numinis gratiâ) & vivam Chriſtianè, & moriar Catholicè. Quis neget hunc* Heroem *DEO proximum eſſe, quando ejus ſupremæ voluntati, tam mordicus adhæret, etiam inter fortunæ nubila, tonitrua, naufragia? documenta tamen hujus conſtantiæ, jam olim quoque dedit; cùm brevibus intervallis, ſeptem omnino liberos, Matremq́ ipſam, primam Illuſtriſſimam thalami conſortem, ex mortis imperio amiſit. Quanquam eidem (quod ferè olim Jobo accidit) per ſecundam Illuſtriſſimam Conjugem,* Excellentiſſimi Comitis à Meggau, *primogenitam filiam, largè* DEUS *omnia refudit: ut jam non unam* Diem, Caſſiam, Cornuſtibij, *oculis ſuis conſpicere poſſit;* Iob 42.14. *ſed plures omnino filias, venuſtate, gratiâ, virtute commendabiles. Ut taceam de filijs, quorum ferè ſingulis accommodari poteſt ſine injuria, illud Davidi adhuc adoleſcentulo, datum elogium:* erat rufus, & pulcher aſpectu, decorâq; facie. 1. Reg. 16. 12. *Nec non & iſtud alterum, à Salomone ſibi ipſi ſcriptum;* puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. Sap. 8. 19. *Quandoquidem etiam* Cauriana *inſignia, continent geminum Unicornem, animal raritate ſuâ pretioſum; quis prohibebit cum pſalte Regio, de filiorum ſuorum unoquoque,* Comitem

paren-

Pſal. 28. 6. *parentem dicere:* dilectus, quemadmodum Filius Vnicornium. *Et ajunt hoc idem animal, quando contingit per ſylvarum avia & devia, à canibus agitari; in obviæ Virginis ſinu, & quærere ſuam ſecuritatem, & invenire. Sic planè chariſſimus filiorum* Ferdinandus, *nuper à crudeli morte quæſitus ad prædam: ipſe adhuc tener floſculus, ſive potiùs primi floris Virgo, aut deniq; Virgineus Vnicornis, in ſinu Virginis,* MARIÆ *inquam, Patronæ ſuæ; ſimul & gremio Beatitudinis, reperit tutum pro æternitate aſylum. vbi jam plus cœleſtium gratiarum, à* DEO *parentibus dulciſſimis impetrare poteſt; quàm deliciarum iiſdem dediſſet, ſi corpore diutius præſens, communi vtrinq; mortalitatis incoluiſſet exilium. Plura ſuppeterent memoratu digna, apud* Illuſtriſſimum Comitem Caurianum, *ſive de propria ſua, ſive ſuorum virtute. Sed ea lubens prætereo, & calamum ſubſtringo; ne ſuperare velle videar affectum, quo erga me ferebatur, dum Imperatrici* ELEONORÆ *Viduæ, ſupra quinque annos in Aula ſua, Eccleſiaſten egi.*

Et hem! alij duo GENERI, Heros Helfride, *quos jus ſangvinis conjunxit,* PAR NOBILE FRATRVM, *tuæ etiam gloriæ accedunt;* Illuſtriſſimus *inquam,* Henricus Gulielmus, & Caſparus; *ambo* Domini de Starhemberg; *ambò, quas à Majoribus acceperunt, paternarum virtutum non tam fuæmulatores ſtrenui, quàm poſſeſſores. Conſuetudo jam olim fuit, Nobilitatis inſignia ferre in clypeis, heroicorum facinorum picturas & argumenta. Evenit, quibus adhuc ſæculis, Occidens noſter in Orientem armatus ivit, recuperandæ à Saracenis Palæſtinæ; vt Principibus, & Regibus aciem ducentibus, ſocius iret quidam de gente* Starhembergiana, *præferens in candido Scuto, pantheram cerulei coloris, ſpirantem ex naribus, auribuſq; flammas. Et teſtatur Megiſerus, ex progenie Marchionum Styriæ (quorum conſuetum erat ſignum, panthera alba in viridi campo) fluxiſſe nobiliſſimas familias,* Dominorum à Loſenſtein, Starhemberg, Bernek, & Hohenberg; *quorum*

Megiſerus l. 7. Chrō. Carinth. cap. 53.

ſinguli

Digitized by Google

ſinguli originis ſuæ teſtem, pantheram in clypeo circumferunt, ſed diverſi coloris. Ceterùm, vt Starhembergianum *genus inſignia ſua nonnihil variaret, effecit Viri virtus; illius nempe Herois magnitudo, quem dixi ex familia eadem, zelo divini honoris, moviſſe in terram ſanctam. Nam, quia cum Turco congreſſus, adeò rem fortiter egit, vt inſidens equo, ejus pectori antependulum albi coloris ſtragulum, vel ſuo, vel hoſtili ſanguine, veriùs vtroq; totum hinc inde, velut in muricem converterit; factum eſt, vt ejus gens, pantheram ceruleam deinceps ferret in clypeo, non vndequaque ampliùs albo; ſed media ex parte interſtincto per purpuram; quaſi ſub ea, dimidio ſui corporis, panthera lateret. Fortaſſis ad imitationem Auſtriaci exempli; quando in ſimili contra Saracenos expeditione, anno milleſimo, centeſimo, nonageſimo, ſub auſpicijs* FRIDERICI *Imperatoris, Comitantibus Pataavienſi, Herbipolenſi, Monaſterienſi, Oſnaburgenſi, & Miſſnienſi Epiſcopis; pluribus etiam Cruce ſignatis Marchionibus & Principibus;* LEOPOLDVS *Auſtriæ Dux, adeò generosè cum hoſte Saraceno conflixit, vt veſtem, quâ indutus erat totam albam, & proprio, & alieno ſanguine infecerit; ſi excipias illud vmbilici ſpatium, quod balthei beneficio tectum, & à cruore intactum remanſit. Vnde conjectura eſt, ex eo tempore Duces Auſtriæ, à Cæſare ſcutum rubeum, candido interſectum campo, in rei geſtæ memoriam accepiſſe; exemplar virtutis apud poſteros accendendæ. Quam etiam non abſimili occaſione, à ſuis Majoribus traxerunt* Starhembergij; *quando ex eorum poſteritate vnus alteri, quaſi facem in manus tradidit, & continuâ ſerie, alij alijs ſucceſſerunt in ſervitio Imperatorum Auſtriacorum;* FRIDERICI IV. MAXIMILIANI I. CAROLI V. FERDINANDI I. MAXIMILIANI II. RVDOLPHI & MATTHIÆ *fratrum. Igitur ne extra Majorum ſuorum veſtigia, longè abirent* Illuſtriſſimi duo fratres *(quos nunc* SOCERO *ſuo ſpectandos offero) adierunt etiam ipſi Aulæ Imperialis miniſteria; ita vt* FERDINANDO II. *non tantùm vterque à Cubiculis conſtitueretur;*

Cuſpinianus in Auſtria, de Leopoldo VI. cui nomen Virtuoſus.

retur ; ſed inſuper Illuſtriſſimus Henricus Gulielmus, ſupremi quoque Mareſchalli officium adminiſtraret, apud FERDINANDVM III. neq; ſolùm pacis tempore, ſed etiam belli; quando Majeſtatis ſuæ, adhuc Regis, caſtra ſecutus eſt; ad Ratisbonenſem primùm obſidionem, tum deinde Nordlinganam victoriam, anno ſalutis 1634. Dum autem frater alter, rem foris juvat bene agere: alter domi pro Patriæ tranquillitate, operam ſuam paulò poſt collocavit; eo glorioſiùs, quò citiùs & feliciùs, inteſtinam ruſticanæ plebis ſeditionem oppreſſit; quo tempore in ſuperiori Auſtria ſine lege, Rege, capite, furijs armatus potiùs quàm ferro, ad mortem & vulnera currebat inſaniens popellus. Sed fortitudinis tuæ fuit Illuſtriſsime Domine Caſpare, nefarios furioſæ gentis auſus frangere, antequam vires acciperent; & periculoſo capitis ac corporis tui objectu, periculum commune avertere. Nunquam tamen de vllo hoſte pulchriùs triumphaſtis Illuſtriſsimi Fratres, quàm vbi alter Calvini, Lutheri alter hæreſin eiuravit: vterq; ad gremium Matris, ſinum Catholicæ Eccleſiæ acceſſit. Illius inquam Eccleſiæ, cujus fidei ſequens elogium dedit, illuminatiſſimus Patrum Auguſtinus: nullæ ſunt majores divitiæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla hujus mundi major ſubſtantia, quàm eſt Catholica fides. Illa vtiq; quam ipſe D. Auguſtinus tenuit, noſtræ Romanæ per omnia conformis. quemadmodum ex ejuſdem S. Patris doctrina, oſtendit Hieronymus Torrenſis, Religionis noſtræ præcipua capita percurrens, de cælibatu, votis Religioſis, ſacrificio Miſſæ, purgatorio, ſuffragijs pro vita functis, invocatione ſanctorum, veneratione Reliquiarum, libero arbitrio, fide non ſola ſanctificante, bonorum operum neceſſitate & meritis, numero ſeptenario Sacramentorum, numero Canonicorum in Scriptura librorum, & quæ alia ferè hoc tempore Sectarij controvertunt. Credo etiam ſtimulum ſenſerunt Illuſtriſsimi Heroes, vt eò faciliùs Religionem avitam amplecterentur, cùm viderent pluribus retrò ſeculis,

S. Auguſt. in appendice de diverſis. ſer. 59. to. 10.

Hieronymus Torrenſis, Soc: IESV, libris quatuor de Confeſſione Auguſtiniana.

lis,

liis, Majores ſuos in fide Romana, profuſâ erga DEVM *liberalitate, pios fuiſſe; & complura ejus honori Monaſteria, vel dotaſſe ex integro, vel ex parte largis eleemoſynis auxiſſe. Vnde in promptum hæc venire potuit ratiocinatio. Si fides illa vetus Majorum noſtrorum, à ſeculis tribus, quatuor, quinque, falſa fuit; & modò ad incudem Lutheri, ac Calvini emendata & reformata eſt, quod ajunt Novatores; ſi etiam juxta Apoſtolum, ſine fide vera, nemo* DEO *placere poteſt; ergo tam munificis noſtris in* DEVM *progenitoribus, aliiſq; ex ſtirpe noſtra olim Monachis, Canonicis, Salisburgi & Paſſavij Epiſcopis: per tot centenos annos, nihil profuit ad ſalutem, mors & ſanguis Chriſti; quod cogitare, inhumanum & impium eſt. Si autem ex majoribus familiæ noſtræ, prioribus illis ſeculis, aliqui ſaltem conſecuti ſunt beatitudinem; non niſi beneficio fidei ſuæ, quam tum Romano more profitebantur, adepti ſunt. Itaq; quia tum fides Catholica Romana illis profuit, nobis eadem nunc cur obſit? præſertim cùm veritas fidei mutari non poßit, per viciſſitudinem temporum & annorum; ſed eadem ſemper maneat ſibi ſimilis, conſtans, proficua. His, ſimilibuſq; argumentis, convicti* Illuſtriſſimi Domini, *manus dediſtis* DEO*, conſcientiæ, Religioni veræ. Et ne ſoli accederetis ad Orthodoxam, veteremq; Eccleſiam; ſubditos quoq; veſtro exemplo, quin & ſalubribus hortamentis, ad eandem vobiſcum fidem adduxiſtis. Utinam (quod unum vnicè deſideratis)* Viri Illuſtriſſimi, *tertius ille, qui ex iiſdem vobiſcum venis, eundem proſapiæ veſtræ nobiliſſimum ſanguinem traxit, divini luminis, & Numinis afflatu, ad eadem Catholicæ Eccleſiæ ſacra tranſeat: & hoc acceſſu,* Illuſtriſſimorum Fratrum *ternarium abſolvat; multorum gaudio, ſuo bono.*

Ad Hebr. 11.6.

Supereſt Excellentiſsimo *SOCERO* Comes *GENER*, Illuſtriſſimus Dominus, Ioachimus Vdalricus Slavata; *maximè hoc titulo commendabilis, quòd ſtudeat eſſe heres ex aſſe, virtutis paternæ. Neq; mirum adeò; ſiquidem Poëtâ teſte:*

Horat. 4. carm. 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis;
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum Vir-

Digitized by Google

Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Dabitur hic mihi, quod dudum M. Tullius conceſſit Encomiaſtæ, filium laudare poſſe ex patris ſui meritis. Quid ergo glorioſius, quàm te Comes Ioachime, *hodieq́ oculis tuis conſpicere* Excellentiſſimum Genitorem tuum Gulielmum, *ſeptuagenario majorem; apud quatuor continuâ ſucceſſione Cæſares, primarium Aulæ palatinum? Et quidem à* RVDOLPHO *II. ad Camerarij, Mareſchalli, ſupremi Cubicularij munus, fuit admotus; cum deinde juſſus eſt agere Burggravium in Carlſtain, coronamq́ Bohemici Regni, & cætera ejus ornamenta, in fidem ſuam, cuſtodiamq́ ſuſcipere.* RVDOLPHO *è vivis ſublato,* MATTHIAS *Imperator, non ſolùm Cameræ ſuæ eum præpoſuit: ſed etiam ſupremum Regni apud Bohemos Judicem, ſimul & alterum Locumtenentem conſtituit. Quo in officio, fidei ſuæ erga Cæſarem, & (quod caput eſt)* DEVM, *tantò luculentiora dedit argumenta, quantò fecit caſum ſpectabiliorem, anno milleſimo, ſexcenteſimo, decimo octavo; ab hæreticis ſeditioſa conſilia machinantibus, Pragæ è feneſtrâ Cancellariæ, in ſubjectam, eamq́ profundam vallem præcipitatus; non alio Viri conſtantis ſcelere, quàm quòd cum inſanis nollet inſanire, nollet cum lupis ululare, cum perfidis perfidus fieri. Et quis* magnanimum Heroëm, *non ſimilem dixerit Romano Curtio, quem fatalis ſaltus, pro urbis patriæq́ bono, fecit orbi famoſum.* (Livius decad. 1. l. 7.) *Ego verò parentem tuum* Comes Ioachime, *longè homini illi præfero: quia & cauſam ſaltandi habuit meliorem, & eventum feliciorem; ſervatus ab interitu, ex caſu planè ad ſtuporem miraculoſo.* MATTHIAM *ſecutus ordine* FERDINANDVS *II. fidelem binorum Cæſarum Miniſtrum, neq́ ſolâ virtute ſuâ probatum, verùm etiam prodigioſè manifeſto periculo exemptum, habuit nimirum in pretio. Quæ etiam cauſa fuit, cur eum Conſilio ſuo intimo adlegerit, & Regni Bohemici ſupremum Cancellarium nominaverit. Denique* FERDINANDVS *III. qui poſt Secundum faſces Imperij accepit; ut*

oſten-

Digitized by Google

oſtenderet, quanti faceret bene merentis, tam veterani Palatini ſervitia; apud Majeſtatem Regiam in Hiſpania egit, ut coronidis loco, poſt omnes ferè jam honorum gradus adeptos, Vellere aureo *inſigniretur. Quidni igitur* Illuſtriſſimus Comes Ioachimus, *glorietur in Parente ſuo,* Viro *tanto, & tantopere à Regibus ac Cæſaribus honorato? Juſſi olim, qui ſymposio aderant, edicere qua quiſq; in re, ſibi maximè complaceret: variè reſponderunt. Fuit, qui jactaret memoriam ſuam, cujus beneficio fideliſſimè totam Homeri Odyſſeam, & Iliadem tenebat. Alius in corporis ſui forma, multùm ſibi placebat; quòd crederet cum Narciſſo, & Helena ſe pro palma certare poſſe. Non nemo de opibus ſuis, magniſq; poſſeſſionibus (humanorum ferè deſideriorum centro) triumphabat. Quidam alius de penuria ſua, atq; egeſtate, compendioſo ſecuri & tranquilli animi bono, gloriabatur. Aſſederat iſtis etiam parens cum filio. jamq; his clarâ voce pronunciavit:* Ego glorior in patre meo. *& ille viciſſim:* Ego glorior in filio meo. *nempè erant utrinq; talia cognatæ virtutis decora, ut alter alteri de ſuo communicaret, ad proprium gloriæ honeſtamentum. Credo proinde etiam, non* Illuſtriſſimum *duntaxat* Comitem Ioachimum, gloriari in patre ſuo; *ſed* Excellentiſſimum *quoque* Comitem Gulielmum, gloriari in filio ſuo: *quando eum etiam videt paternis moribus inſiſtere, & per merita virtutis ſuæ, aſcendere paulatim ad dignitatum faſtigia. Ex hoc capite factum eſt, ut adſciſceretur in Judicem Feudorum Regni Bohemici, nec non & Camerarium* FERDINANDI III. *adeo fidum gratumq;, ut eum ſua Majeſtas etiam in bellicis expeditionibus, tam Ratisbonæ, quàm Nordlingæ, ſibi præſentem eſſe voluerit; atq; ex victorijs ſuis, quaſi aliquid de triumpho in eum transfundere. Sed palmarium Imperialis gratiæ teſtimonium fuit, cùm Cæſar ultimis comitijs Viennâ abeſſet; eidem Mareſchalli delatum eſſe officium; nec non Sereniſſimos Archiduces, filios & filiam, à parentibus Auguſtiſſimis creditos in fidem; chariſſima pignora, dimidiumq;*

Xenophon in Sympoſiacis.

 ſui.

ſui. Et quid tibi Comes Jlluſtriſſime *reſtat amplius, quàm futurorum præſagia, gentilitijs tuis ſignis impreſſa? Spes creſcendi in* Anchora; *Odor boni nominis in* Roſa; *pietatis virtutiſq; præmium, in* Serto & Corona.

Nunc redeo ad te Excellentiſſime Comes Helfride, *poſtquam tibi velut in theatrum produxi, filiarum tuarum maritos. proh quantos Viros! quantorum titulorum, officiorum, meritorum, apud Aulas, Principes, Reges, Cæſares! quidni & tu gloriari poſſis in his tuis GENERIS? quidni & illi in te, ſuo SOCERO,* Heroë *vndequaq; maximo? Quem etiam DEVS ſingularíſſimè beavit, vt tam devexâ ætate vegetus, intueri poſſet* Filias, Generoſque, *non modò ſuperſtites omnes, ſed & ſanos; atque inter ſe, arctiſſimo amabilis concordiæ nexu conjunctos. Creſcit cum fælicitate ſolatium, in tot Nepotibus ac Neptibus, à natura ſimul & Numinis gratia, factis ad omnem morum ſuavitatem, ad facilem pietatis ductum, ad vnum parentum optimorum nutũ, votumq;. Succeſſu temporis, Majorum ſuorũ veſtigijs inſiſtent, ituri ad eundem Virtutis, gloriæq; apicem:*

Virgil. 3. Æneid. Et Nati Natorum, & qui naſcentur ab illis.

Denique, quia Timor Domini, & vita piè exacta, proximus ad Cælum gradus eſt; neq; apud te Comes Excellentiſſime, *tuoſq; GENEROS, ac POSTEROS, aliud ferè ſtudium cernitur, quàm DEO placendi; hinc boni ominis conjecturam facturus, præter alia meritorum veſtrorum præmia, illud Poetæ gratulabundus tibi, & tuis accino:*

Virgil. Ecloga 4.

Diviſque videbis
Permixtos Heroas, & ipſe videberis illis.

Jta voveo. Græcij, anno à partu Virginis milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo tertio. Septimo Kalend. Novemb.

PAVLVS ZEHENTNER.

Digitized by Google

INDEX
IN PROMONTORIVM MALÆ SPEI.
LIBER I.

In quo oſtenditur, præſens Naufragij periculum illis mortalibus imminere, qui ſpe, faciendæ olim pœnitentiæ, genio ſuo, & vitijs protervè indulgent; IN CRASTINVM, SENIVM, MORBOS, MORTEM. *pag.* 1.

PROLOGVS ET PROTESTATIO AVCTORIS. 2.

Paragraphus I. De præſentis argumenti occcaſione, & numero Prædeſtinatorum. 10.

§. II. Mali dœmonis peſſimum conſilium, pœnitentiam, vitæque emendationem Procraſtinare, in dies, annoſque ſecuturos. 28.

§. III. Craſtinum, quàm incertum ſit, volentibus Cras pœnitere. 34.

§. IV. Improbi qui in Craſtinum protrahunt converſionem, illudentibus ſimiles, Deum naſo ſuſpendunt; ſed damno ſuo. 43.

§. V. Dilata in Senium pœnitentia, ſecuritatis parum, periculi multùm habet. 55.

§. VI. Adhortatio Salomonis, pulcherrimis plena ſymbolis, quâ monentur Juvenes, ne pietatis, virtutis, pœnitentiæ ſtudia, remittant in Senium. 61.

§. VII. Protracta in Morbum pœnitentia, quantum difficultatis habeat. 67.

§. VIII. Quæ hactenus dicta ſunt de pœnitentia non extrahenda in Craſtinum, Senium, Morbos, confirmantur ex S. Baſilio. 75.

§. IX. Pœnitentia in Mortem rejecta, oppidò dubia eſt, obliviſcentibus ſui non rarò impijs, ipſo eo articulo, quo memores eſſe ſui, vel maximè deberent. 79.

§. X. Mors terribilium terribiliſſimum, ſceleſtos homines, & moroſos pœnitentiæ dilatores, nonnunquam in obitu ſuo periculosè, graviterque perturbat. 87.

§. XI. Amiſſio ſuaviſſimarum rerum (acerba Mortis appendix) præſertim impios hinc migrantes turbat. 93.

§. XII. Horror imminentis Sepulturæ, magis terret improbos in Morte, quàm probos. 100.

§.XIII.

§. XIII. Timor imminentis Judicij, & tribunalis divini, non rarò ſceleratos jam moribundos exercet. 106.
§. XIV. Tentationes diabolicæ, præſertim cùm moriendum eſt, facinoroſos ferè homines, graviter infeſtant, & periculosè. 114.
§. XV. Horrificarum ſpecies imaginum, nova ſæpe cauſa ſunt perturbationum, apud eos moribundos, qui ſcelera ſimul & pœnitentiam, vſque ad vltima ſua fata protrahunt. 123.
§. XVI. Chriſti Judicis ſpecies, ſicut probis hominibus in Morte frequenter ſolatium præbet; ita diu ac pertinaciter impijs, non ſemel metûs, & terroris eſt occaſio. 129.

PROMONTORII MALÆ SPEI

LIBER II.

In quo declaratur; Quantum ſalutis periculum faciat improbis, pœnitentiam ſuam in mortem reijcientibus,

CONSVETVDO, ALTERA NATVRA. Procemium. 137.
Paragraphus I. Quantùm poſſit in genere Vitiorum apud mortales, Conſuetudo? 139.
§. II. Aſſueti negligenter tractare Res Sacras, & Verbum DEI, quàm difficulter ad frugem veniant, ſeriamq; pœnitentiam in Morte. 146.
§. III. Amplior ejuſdem argumenti proſecutio, de illorum mortalium dubia in Morte pœnitentia, qui negligenter Verbum Dei & res ſacras, vana & profana ſtudioſiſſimè tractare conſueverunt. 160.
§. IV. Aſſueti Baccho ac ebrietati, conijciunt ſe in magnum, maximum periculum infeliciter moriendi. 175.
§. V. Aſſueti Veneri ac Venereis, quàm difficulter in Morte reſipiſcant. 185.
§. VI. Aſſueti furtis, fraudibus, rapinis, fœnori, quàm periculoſâ ſe Morte involvant, propter difficultatem Reſtitutionis, eo articulo faciendæ. 198.
§. VII. Aſſueti inimicitijs & capitalibus odijs, quàm ægrè admittant reconciliationem, ex hac vita abeuntes. 207.
§. VIII. Mali Politici per omnem vitam aſſueti principijs Pſeudopoliticis, quantùm in ſua Morte de ſalute æterna periclitentur; oſtenditur ab exemplo Nicolai Machiavelli, Pſeudopoliticorum hoc ævo Coryphæi. 217.
§. IX. Principia Pſeudopolitica de hypocriſi, dominatu, eccleſiaſticorum invaſione bonorum, licentia vitæ, affluentia voluptatum; quàm pernicioſa ſint alijs, quàm ſub Mortem periculoſa ſuis aſſertoribus, ipſis Pſeudopoliticis, Machiavelli diſcipulis. 234.
§. X. Ratio ſtatûs conſervandi, præcipuum dogma Politicorum, ex Ma-

chiavello

chiavello hauſtum, quantis Eccleſiam malis, quantis animæ periculis involvat Pſeudopoliticos morientes. 245.

§. XI. Atheiſmus, ex Machiavelli doctrina fatalis ſurculus, quantum in Morte ſalutis faceſſat negotium, tum alijs, tum præſertim Pſeudopoliticis. 256.

§. XII. Securitas de ſalute, in quacunque fide ac Religione, Pſeudopoliticorum dogma, damnationis periculo, eoſdem cum aſſeclis ſuis exponit, quando hinc migrandum eſt. 268.

§. XIII. Genethliaci Aſtrologiæ Judiciariæ aſſueti, magnum in Morte ſalutis impedimentum obijciunt, tum ſibi ipſis, tum alijs ſuperſtitioſè credulis mortalibus. 299.

§. XIV. Idem argumentum proſequimur, de Genethliacis Judiciariæ Aſtrologiæ aſſuetis, quantùm ſuæ, aliorumque ſaluti; cùm moriendum eſt, incommodent. 311.

§. XV. Adverſus Aſtrologiæ judiciariæ defenſores, ac patronos, oſtenduntur inſuper varia ejus damna, tum temporalia, tum maximè ſpiritualia, quibus hominis ſalus fit impeditior in Morte. 323.

§. XVI. Aſſueti diu Magiæ homines, raro benè, plerumq; infeliciter moriuntur. 338.

§. XVII. Aſſueti diu, multumque Veneficijs mortales, difficillimè in Morte ad pœnitentiam veram, Deumque redeunt. 347.

PROMONTORII MALÆ SPEI LIBER III.

In quo evertuntur & ſubruuntur præcipua Capita, ſeu FVLCRA XIV. quibus ſpes ſuas Impij ſuffulciunt, & rejectam in Mortis articulum pœnitentiam. Procemium. 355.

Paragraphus I. Primum Impiorum Fulcrum; Libertas reſiliendi ſub Mortem, quantum roboris habere poſſit, apud pertinaciter ſceleſtos, oſtenditur. 359.

§. II. Alterum Impiorum Fulcrum; Gratiæ divinæ præſentia, efficaciaque; quantum fiduciæ ſubminiſtrare queat Improbis, pœnitentiæ ſuæ dilatoribus? 368.

§. III. Tertium Impiorum Fulcrum; Exempla eorum, qui poſt gravia ſcelera, tandem ad frugem redierunt, & meliorem mentem; quantas vires habeant, perſuadendæ facilis olim pœnitudinis? 383.

§. IV. Quartum Impiorum Fulcrum; Exempla illorum, quos propter opera quædam bona, etiam in ſtatu inimicitiæ facta; benigniſſimi Numinis miſericordia, & Orco eripuit, & cœlo inſeruit; quanti ſint roboris? 396.

§. V. Quintum Impiorum Fulcrum; Merita Chriſti IESV, & immenſum

pretium fuſi ab eo ſanguinis, in humani generis redemptionem; quantam fiduciam ſalutis facere poſſint peccatoribus, nolentibus à peccando ceſſare? 409.

§. VI. Sextum Impiorum Fulcrum; Dignitas atque efficacia Sacramentorum, præſertim Confeſſionis & Pœnitentiæ, quâ ſceleratiſſimi quique, ſe tandem in Morte communiunt; quantùm confidere jubeat de beatitudine, obſtinatos eò vſq; peccatores? 425.

§. VII. Septimum Impiorum Fulcrum; Auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium, ejuſque fructus eximij, vtrum animare poſſint ſceleratos mortales, ad producendam magis, magiſque vitæ ſuæ emendationem? 435.

§. VIII. Octavum Impiorum Fulcrum; Preces militantis in terra Eccleſiæ, ſeu piorum hominum ad Deum pro improbis interceſſio; poſſintné eorundem jure impietatem roborare, ac protrahere in ſerum? 445.

§. IX. Nonum Impiorum Fulcrum; Meritorum alienorum participatio, bonorumque communicatio operum, inter militantis Eccleſiæ membra; an debeant apud flagitioſos mortales, ſtabilire negligentiam ſalutis? 457.

§. X. Decimum Impiorum Fulcrum; Preces triumphantis in cœlo Eccleſiæ, Divorumq; merita; an ſint ratio ſufficiens trahendæ ſemper reſipiſcentiæ? 471.

§. XI. Vndecimum Impiorum Fulcrum; Angelorum tutela ac præſidium; poſſintné eſſe cauſa rationabilis, differendæ in tempus mortis reſipiſcentiæ? 487.

§. XII. Duodecimum Impiorum Fulcrum; Reginæ Angelorum pietas, Deiparæque Virginis patrocinium, an perſeverantibus in ſua improbitate, ſecuritatem promittat, pœnitentiæ ſub mortem agendæ? 501.

§. XIII. Decimum tertium Impiorum Fulcrum; promiſſio facta Scapulari B. Virginis de monte Carmelo, an certitudinem det ſalutis, & juſtam occaſionem emendationis ſemper prolongandæ? 517.

§. XIV. Decimum quartum Impiorum Fulcrum; Recitatio frequens Roſarij, Coronæ, Pſalterij, in obſequium Virginis Matris; queatné orantem de ſalute ſua certum, aut rationabiliter facere cunctatorem in negotio pœnitentiæ? 530

PROMONTORII MALÆ SPEI
LIBER IV.

In quo opponuntur JUDICIA SANA, eorum Improborum INSANIÆ, quibus decretum eſt, morum correctionem, vitæque emendationem, in longum protrahere, ipſaque moriendi tempora, Procemium. 549.

Para-

Paragraphus I. Judicium Jeſu Siracidis, ex libro Eccleſiaſtici; de ijs mortalibus, qui poſt multa ſcelera, ad agendam pœnitentiam ſunt Lentuli. 558.

§. II. Judicium Salomonis Regis, ex libro Proverbiorum; de ijs improbis, qui emendationem vitæ remittunt in mortem. 565.

§. III. Judicium Chriſti Servatoris, ex libro Evangeliorum; de illis ſceleratis, qui pœnitentiam ſuam, trahunt ad ipſam moriendi neceſſitatem. 579.

§. IV. Judicium Sanctorum Patrum, de procraſtinata ſceleſtorum hominum pœnitentia. 595.

§. V. Judicium Sanctorum quondam pœnitentium in terris, ſuper illis mortalibus, quibus nulla eſt ſeria voluntas, deſerendi lethalia peccata, ante mortis vicinæ ſuſpicionem. 610.

§. VI. Judicium Doctorum, Scholaſticorum & Theologorum; circa eos improbos, quibus conſuetudo eſt longas converſionis ſuæ moras nectere. 625.

§. VII. Judicium Auctoris Primum; Impijs reſipiſcentiam differentibus longius longiuſque, timendum eſt ingens malum: Excœcatio Mentis. 639.

§. VIII. Judicium Auctoris Secundum; Flagitioſis, ſuam emendationem quotidie procraſtinantibus; imminet alterum ingens malum: Obſurdeſcentia Animi. 654.

§. IX. Judicium Auctoris Tertium; Pœnitentiam ſemper in futurum reijcientibus improbis, metuendum eſt tertium ingens malum: Obſtinatio & Induratio Cordis. 671.

§. X. Judicium Auctoris Quartum; Hominibus ſceleratis, multumque tardantibus in opere ſeriæ pœnitudinis, jure ſuſpectum eſſe poteſt ac debet, quartum ingens malum: Impœnitentia Finalis. 692.

§. XI. Judicium Auctoris Quintum; Proterviam Impiorum, diu reſipiſcentiam ſuam trahentium, ſequitur non ſemel, quintum ingens malum: Peſſima vitæ clauſula, Deſperatio. 707

§. XII. Judicium Auctoris Sextum; Accelerandam eſſe Improbo pœnitentiam ad declinandum omne ſalutis periculum. 725

EPILOGUS ET PROTESTATIO AVCTORIS. 742

Digitized by Google

PROMONTORII MALAE SPEI

LIBER I.

IN QVO OSTENDITVR PRAESENS NAVFRAGII PERICVLVM ILLIS MORTALIBVS IMMINERE,

Qui ſub Spe

FACIENDAE OLIM POENITENTIAE, GENIO SVO, ET VITIIS PROTERVE INDVLGENT.

IN

CRASTINVM, SENIVM, MORBOS, MORTEM.

PROLOGVS, ET PROTESTATIO AVCTORIS.

I. CRedo nullam tot dentibus feram eſſe objectam, quot patiuntur cenſuras libri. Plurimum hîc ſemper examinis eſt, judiciorum ingens varietas, frequens etiam ater calculus. Sæpe enim pro plauſu, experitur Scriptor flagellum, tot ſcorpionibus armatum, quot Theonis morſibus. Hæc infelicitas eſt lucubrantium, citiùs invenire Ariſtarchos & Zoilos, quàm cenſores nanciſci æquos; puto humani id vitio ingenij, quod rarò ſimile eſt ſibi, in plures diviſo. Alijs, alijſque opinionibus trahimur ad diverſa mortales. Et jam vni calamus ſcribentis diſplicet, viſus vel barbariem olere, vel affectatam ſapere dictionem. Iam alteri, tractandi ratio non placet; quòd confuſum potiùs Chaos, molemq; indigeſtam, quàm methodum bene ordinatam, ſecum vehat. Aliquibus ipſum ſæpe ſcriptionis argumentum improbatur; tanquam aut loco, & tempori non conveniens, aut lectori inſuave: fortè etiam periculoſum.

Cenſores librorum multi.

II. Et quidem facilè ſuſpicor, hoc MALÆ SPEI PROMONTORIVM, non omnibus guſtum æqualiter facturum; quibuſdam enim videbitur, ſevera nimis, triſtiaq; continere: & pias etiam mentes non tantùm concutere poſſe, ſed in noxiam quoq; proſternere puſillanimitatem. Cæterùm ego, ſeparaturus *pretioſum à vili*, clarè proteſtor; nullum in hâc diſputatione mihi bellum fore, cum probis hominibus, ſed ſolùm cum improbè improbis. Vt rectiſſimè illud, olim ſæpiùs in theatro decantatum, hîc vſurpare poſſim:

Etiam Promontorium malæ Spei vapulabit. Ierem. 15. 19.

Martial. lib. 5. Epig. 25.

Non te peto, piſcem peto.

III. Vbi ſubmoneo; genus fuiſſe veterum apud Romanos gladiatorum, qui communi nomenclaturâ, appellati ſunt RETIARII. Nam pugnaturi, rete ferebant occultum manu alterâ, alterâ apertum tri-

dentem, Neptuni inſtrumentum; vt cùm repente involuiſſent retiaculo caput hoſtis, eum jam comprehenſum, tricuſpide ferro occiderent. Evenit igitur, vt Retiarius quidam gladiator, cum Myrmillone adverſario congreſſus, rete ſuum eijceret; hominem toto capite tracturus ad mortem. Sed cùm iſte & captivitatem, & tridentem declinaret fugiendo: clamabat inſecutor; *non te peto, piſcem peto.* Quia enim Myrmillo gladiator, ſupra galeam, piſcem fictitium pro inſigni geſtabat; eleganti joco Retiarius alluſit, ſe velut piſcatorem retibus inſtructum, non tam ipſi inſidiari, quàm piſci in ejus Caſſide prominenti. Factum eſt inde, ut quoties certamen inibant cum Myrmillonibus Retiarij, iſtud accineretur: *Non te peto, piſcem peto.*

Quaſi cum Retiarijs involuat quodvis hominum genus.

Raderus ad locum cit. Martialis.

IV.

Ita ego hodie illi acclamo Chriſtiano, *Non te peto: cujus*, vt loquitur S. Auguſtinus, *ſimplex & immaculata eſt anima, cujus conſcientia fidelis & pura eſt, cujus tota mens in* DEO *eſt, cujus omnis ſpes in* CHRISTO *eſt; qui cœleſtia potiùs, quàm terrena deſiderat; qui humana ſpernit, vt poſſit habere divina*; etiam affectibus ſuis ſtudet vim facere, frænum injicere effræni concupiſcentiæ, ſacramentorum frequentare myſteria, & inde arma parare, futuris cum dæmone prælijs. Deniq; cujus prima cura eſt, nunquam graui culpâ Numen offendere: altera, lapſum infirmitatis ſuæ, emendare celeri pœnitentiâ; &, vel cum Petro ſtatim lacrymis expiare admiſſum crimen; vel cum publicano ſaxeum pectus everberare ad meliora propoſita; diceréq; cum Davide, *nunc cæpi.* Huic inquam tali, verè Chriſtiano, acclamo hodie: *Non te peto*, nihil tibi ſuſpectum ſit MALÆ SPEI PROMONTORIVM, nullâ te ſui parte vulnerabit: neq: animo tuo conceptam ſalutis fiduciam eripiet; ſed acuet magis, firmabitq;, ſi diſcretam lectioni prudentiam adjunxeris, omnium cotem actionum. Itaq; ô bonæ mentis homo, *Non te peto, piſcem peto.* cum nempe mortalem improbum, qui in hoc vaſtiſſimo mundi pelago, piſcis inſtar, *bibit quaſi aquam iniquitatem.*

S. Auguſt. lib. de Vita Chriſt. cap. 14.

Promontorium malæ ſpei, bonos non petit.

Luca 22.

Luca 18.

Pſal. 76. 11.

Iob 15. 16.

V.

Verbo dico; Impietas & Impij, ſcriptionis meæ ſcopus ſunt. Hos petere, hos ferire animus eſt Chriſtianos & Catholicos, quorum cauſâ ſequentem movet quæſtionem D. Salvianus: *Vbi eſt Catholica lex, quam credunt? vbi ſunt pietatis & caſtitatis præcepta, quæ diſcunt? Evangelia legunt, & impudici ſunt; Apoſtolos audiunt, & inebriantur; Chriſtum ſequuntur, & rapiunt; vitam improbam agunt, & probam ſe habere legem dicunt.* Iterum aio, hos petere, hos ferire fideles ortho-

Sed malos, & improbè improbos.

S. Salvian. l. 4. de prov.

thodoxos volo, quibus tale cor eſt tam durum, & induratum, & obduratum in vitia, *quod* (vt S. Bernardus ait) *nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus; minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad judicia ſævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina; præteritorum obliviſcens, præſentium negligens, futura non providens.*

D. Bern. lib. 1. de conſid.

VI. Deniq;, contra eos potiſſimùm mortales ibo, qui vel ſolo, & nudo Fidelium nomine contenti, obviam quavis ex occaſione amplectuntur, non tam Religionem quàm ſuperſtitionem & hæreſin, eandem toties cum alia mutaturi, quoties ratio lucelli ſuaſerit, alteriuſq; temporalis commodi ſperata felicitas: Vel, ſi vera ipſis fides eſt integra, ſcelera tamen graviſſima accumulant: neq; communiter ex naturæ deficientis imbecillitate; ſed certâ & deſtinatâ voluntatis malitiâ, nullam peccati illecebram excutientis; imò etiam ne deſit, ſollicitè venantis. Ita docti experientiâ, videmus ſemper aliquos in Eccleſia DEI homines (quod ſanguineis meritò deplorandum eſt lacrymis) vivere pecudum more, excuſſo omni colore melioris pudoris, extincto etiam divini amoris igniculo; vt jam nihil vereantur vel ad plures annos, vel ad ipſam vſq; devexam ætatem, vniûs voluptatis gratiâ, vitæ ſuæ turpitudines producere.

Elenchus impiorum, quos pro ſcopo habet præſens ſcriptio.

VII. Nonnulli ita aſſueſcunt Baccho, vt niſi hoc Deo quotidie pleni ſint, ſobrietatem ſuam damnent, quaſi rerum divinarum, & cœleſtium inanem. Sunt, qui alienas poſſeſſiones, iniquis partas titulis, nolint ad ſuos dominos remittere; etiam quando morituri, omnia erunt amiſſuri. Sunt, qui per omnem ætatem, quam ſemel adverſùs alios, conceperunt flammam odiorum; velut ſub cinere fovent, non exſpiraturam niſi cum vitâ. Aliqui; etiam conjuges, etiam voto continentiæ adſtricti; adeò mordicus adhærent variæ libidini, vt priuſquàm morbi, ſenectus, fata, ejus intercipiant vſum, ſemper juratos ſe oſtendant caſtitatis hoſtes, amicos Veneris. Sunt alij, qui dum vivunt, impiam Machiauelli ſequuntur Politicam; modò aſtutiâ vulpeculæ, modò ferociâ leones, modò ſimulatione polypi; quibus VTILE eſt præ HONESTO; aut potiùs, qui honeſtatem omnem metiuntur ex vtilitate ſua, vel conficta neceſſitate. Nihil hîc dicam de Aſtrologia judiciaria, in qua nonnulli aſtra magis attendunt, quàm aſtrorum Dominum. Nihil etiam memorabo de ambitione, perfidia, ſacrilegijs, magia, veneficijs, alijs quoq; infandis

Ebrioſos. Injuſtos poſſeſſores.

Odiorum tenaces.

Venereos.

Pſeudopoliticos.

Alijs ſceleribus aſſuetos.

fandis

ſandis criminibus: hoc ſciò, quoſdam ſibi videri tantò glorioſiores, quantò poſt ſe graviorem traxerit ſarcinam impietatis, & quæ totius ſumma eſt malitiæ, moroſi ſemper emendandæ vitæ cunctatores, perpetui converſionis ſuæ procraſtinatores.

Præſertim pœnitentiæ dilatores.

VIII. Heliogabalus, illud Romanorum Cæſarum dedecus, & ingens laſciviæ portentum; præter cætera libidinis argumenta, ſæpe vultum ſuum figurabat ſchemate Veneris. Aliquando in regiam vectus eſt, canibus quaternis: ſubinde ad currum junxit totidem cervos, aut tigres. nonnunquam viſus eſt trahi à quatuor formoſiſſimis mulieribus; & (quod tunc oculi caſtiores indignati ſunt aſpicere, nunc aures honeſtæ averſantur audire) nudus à nudis. Cùm peregre iret, ad reliquum itineris apparatum, duxit ſexcenta vehicula, plena lenonibus, lenis, lupis, ſcortis, meretriculis, proſtibulis; vt conſtaret omnibus, ex hac velut pompæ appendice, Imperatorem genuinum eſſe Cypriæ matris filium: alterum, & germanum Cupidinis fratrem. Sed vnde acceſſurum ſibi populi plauſum ſperabat Heliogabalus, inde omnium adverſùs ſe odium concitavit. Iamq; milites, tanti ampliùs ſuſtinendi probri impatientes, hominem luxuriâ ſuâ infamem, & è medio violentâ morte ſublatum, in cloacam miſerunt; dignum impuritati ſepulchrum. Poſtea etiam in Tiberim præcipitàrunt, eraſo ejus nomine è ſenatu.

Ælius Lamprid. in Antonino Heliogabalo.

Heliogabalus Imperator ſecum vehere ſolitus eſt ſexcenta proſtibulorum vehicula.

IX. Cæterùm, videtur hic ſceleſtiſſimus Imperatorum Heliogabalus, aut revixiſſe iterum; aut (ſi quid veritatis habet Pythagoræ opinio) animo ſuo in alios immigraſſe mortales. Et quidem in eos hodie Chriſtianos, qui ad omnem vitæ licentiam effuſi, quocunq; iverint, poſt ſe relinquunt veſtigia palpandæ improbitatis; trahuntq; ingentia velut plauſtra, innumeris referta ſceleribus; nihil illam DEI comminationem veriti apud Iſaiam: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Quin etiam, vt diu liceat eſſe liberis, & ſolutis in obvias cupiditates, ſtabiliunt impietatem ſuam compluribus fulcris; inter quæ potiſſimum eſt, robuſta ſpes, ſecuturæ adhuc olim pœnitentiæ compendioſæ; quam fere homines facinoroſi, aſſueti jam illecebroſis vitijs, extrahunt in CRASTINVM, SENIVM, MORBOS, MORTEM. Interim autem obeunt quidem Religionis noſtræ exercitia; ſacro miſſæ interſunt, conciones frequentant, divinis vtuntur myſterijs; ſed languidè, obiter, perfunctoriè, ſine vero devotionis ſenſu, abſque pietatis affectu, fere ex ſoliùs conſuetudinis quadam cæremonia:

Chriſtiani aliqui poſt ſe trahunt plauſtra ſceleribus referta.

Iſaia 15. 18.

Quidam ſtabiliunt impietatē ſuam, ſpe ſecuturæ pœnitentiæ.

& ne

& ne omittant, quod omnes alij faciunt, notandi ob fœdam ſingularitatem.

X. Præſertim verò iſtorum hominum, quamplurimùm laborat confeſſio, cùm aut pro paſchate, aut aliàs per annum feſtivis temporibus, in ſecreto fit tribunali; deſtituta plerumq; & ſyncero ſuper admiſſis culpis dolore, & ſerio emendationis propoſito, ſuper cavendis deinceps. Cujus ſignum eſt, quòd (tametſi poſſint) nolint tamen proximas relapſûs occaſiones vitare, amoliri etiam ſalutis impedimenta: velut alteri Heliogabali, ſemper vecturi ſecum, ſi non propudioſa ſcorta (quod tamen aliquibus familiare eſt) ſaltem ſpurcos Veneris amores, ebrij Bacchi deſideria, capitales quoq; inimicitias, odia immortalia, magorum amuleta, veneficorum artes, mali dæmonis præſtigias; plauſtra deniq; ſexcentis criminibus plena; tum tandem abjecturi hæc omnia (vt ajunt) cùm ſeram, ſed ſeriam auſpicabuntur reſipiſcentiam; adjuti beneficâ miſericordiſſimi DEI gratiâ, nolentis perire impium, ſed volentis magis, *vt convertatur & vivat.*

Procraſtinatores emendationis ſuæ, plerumq; interea ſacramentis vtuntur ſine fructu.

Ezechiel. 33. 11.

XI. Atq; hoc demum eſt illud BONÆ SPEI PROMONTORIVM, quod magna pars improborum erigit ſuæ temeritati; fore ſcilicet, vt è mille ſcopulis, & ſyrtibus, & naufragandi periculis, aliquando nihilominus per tabulam pœnitentiæ, ad portum beatitudinis feliciter enavigent. Sed quam multis hoc BONÆ SPEI PROMONTORIVM, evadat in PROMONTORIVM MALÆ SPEI; quàm multos ſua hæc non fiducia, ſed præſumptio decipiat; quot quantiq. impij profundo hauriantur, experti ſub mortem pro ſperata animæ malacia, graviſſimas vndiq; tempeſtates; denique quantis ſubjecta ſit diſcriminibus, omnis reſipiſcentiæ procraſtinatio, & moroſa illa, ac cunctabunda dilatio, quando in futurum diſponitur incerta, & fortaſſis nunquam futura ſuper noxis pœnitudo, hac ſcriptione oſtendam. Illud candidè moneo, iterumq; proteſtor, contra ſceleratos, ſalutis ſuæ prodigos, Chriſtianæ obligationis immemores, exquiſitæ ac proteruæ homines malitiæ, eoſq; ſolos quaſi, hoſtem me in campum deſcendere. Et quidem facturus ſum vulnera, ſed ſalubria; quæ animos periculoſiſſimè ægros, poſſint ſanitati reſtituere. Dicam enim multa hoc opere ſeria, ſeuera, inſuavia, triſtia; quæ ſi excitaverint rationabilem, & ſacrum horrorem vobis ô mali! gaudebo nempe cum Apoſtolo, *non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Quæſo autem, quiſquis indiges medicinâ, quod

Fiducia ſuſcipiendæ olim pœnitentiæ, improbis eſt bonæ ſpei promontoriũ. Sed multoties evadit in promontoriũ malæ ſpei.

Impijs ſanandis hæc ſit ſcriptio.

2. ad Corinth. 7. 9.

Digitized by Google

quod ſoles cum tuo corpuſculo, idem cum anima facito. Scio enim

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes. *Ovid. 1. de remedio amoris.*

Ergo, vt pariter ab interitu ſerues, quem tibi nobiliſſimum donavit ſpiritum DEVS, admitte medicam manum. non armabitur illa ferro & igne, niſi adverſùs malè affectas partes, & purulentiæ ſaniem; ſive potiùs, mentem gravium peccatorum tabo diffluentem. Secabo igitur, ſed cultro & ferro diſcretionis; vſtulabo etiam, ſed igne & flammâ amoris; quia præter te, bonumq; tuum, idq; æternum, nihil quæro.

Sed meam iterum non nemo vellicat auriculam; ſollicitus, ne dum flagitioſos juſto timore compello ad meliora, accelerandæ pœnitentiæ, atq; emendationis feſtinandæ conſilia, ſimul eodem impetu, pios aliquos præcipitem in barathrum diffidentiæ; aut (quod ampliùs eſt) ipſius deſperationis voraginem. Sæpe enim vnius correctio, eſt alieni caſûs & ruinæ occaſio. Sicuti quod datur alicui antidotum, fit aliquando venenum alteri. Ego autem conſtanter nego, ex hujus libri perlectione, bonas mentes communiter puſillanimitati obijciendas: memor illius apud Iobum: *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo injuſtitia; tunc levare poteris faciem tuam abſq; macula, & eris ſtabilis, & non timebis.* Nimirum probus homo, quodam bonæ conſcientiæ priuilegio, non abjectè timet, tametſi audiat, legatq; tremenda, ſive ſint mortis imminentia omnibus ſpicula: ſive anteceſſura DEVM Iudicem, mixta fulminibus tonitrua: ſive æternanda ignis ſtygij incendia, tormentum damnatæ maſſæ, vt habet phraſis S. Auguſtini. XII.

Nihil ex hoc libro puſillanimitatis timendum bonis mentibus. *Iob 11. v. 14. & 15.* Privilegiũ bonæ conſcientiæ eſt, non timere immoderatè.

Imago eſt Quinquagenarius ille, quem, accepto ab Achab Rege mandato, vt ſibi captiuum Eliam ſiſteret; nihil terruit geminus cladis illius duplicis nuncius, quâ Vir DEI, ex ſupremo Carmeli vertice, flammas jaculatus, affecit binos alios, cum ſuis militibus quinquagenis Duces; à Rege eodem, vt ipſum comprehenderent, miſſos. Videbat etiam tertius jam Quinquagenarius, omnium iſtorum humi proſtrata ſine ordine cadavera: & cineſacta partim, partim adhuc fumantia miſerorum corpora: aſpiciebat Eliam, quo priùs erat ſitu, habituq: ſedentem in monte; conſiderabat, quotquot cœlo pendebant fulmina, ad vnam ejus vocem continuò ruitura; nec tamen animo concidit; quia bonâ nixus conſcientiâ, periculum nihil timuit. Non enim (quod fecerunt priores) venit XIII. *4. Reg. 1.*

Fiducia bonæ conſcientiæ, demonſtratur in Quinquagenario.

nit

nit cum hoſtili inſolentia, nec laceſſitum petulantiâ verborum, Prophetam, cum faſtu juſſit accipere Regis imperium; ſed illud propoſuit duntaxat: multum interim veneratus & deprecatus Eliam, ſibi ne ſuccenſeret ſimpliciter obedienti. Quæ omnia, magnam ei confidentiam præſtiterunt, pectuſq; obarmârunt adverſus periculi metum.

XIV. Ita ajo; verè pios mortales, non confeſtim terreri ad puſillanimitatis vitium, eſto legere contingat & audire, DEVM graui manu vindicaturum olim flagitioſos; & aliquando etiam nunc, in pœnam antecedentis malitiæ, ad certum numerum, menſuramq; peccatorum, aliquibus illud negare tempus, quod pœnitentiæ ſuæ fixerunt pro termino; alijs ſubtrahere gratiam copioſiorem, (quam Theologi congruam appellant & efficacem) cum infallibili ſalutis effectu conjunctam; excludere item nonnunquam Divorum Divarumq; preces, pro diu ſceleratis intercedentium, ante ſolium Divinitatis: permittere quoque ejus generis hominibus, crebriores infeſtantium aſſultus dœmonum, præſertim cum mortis larua, novæ perturbationis cauſa eſt; vt tandem aliqui ad ſpontaneam cordis obſtinationem, intellectûs cæcitatem, animi obſurdeſcentiam, voluntatis impœnitentiam finalem; deniq; & malorum peſſimum, deſperationem ipſam deſcendant. Iſthæc divinæ, juſtiſſimæq; ſeveritatis exempla, non proſternunt ſemper pios, ſed vel maximè ad probitatem excitant, efficiuntq; cautos & providos.

Boni, non abjectè terrentur exemplis, divinæ & ſpecialis in improbos vindictæ.

XV. Ponamus autem, meticuloſos aliquot (quorum vita inter ſcrupulorum anguſtias, ſeu inteſtina confligantis ſecum animi bella, miſerrimè conſumitur) ad hoc MALÆ SPEI PROMONTORIVM, velut ſcopulum impacturos; & inde ſumpturos materiam ſcandali, vnde colligere debebant argumenta, atq; incitamenta ſtabiliendæ pietatis; iſti tamen ipſi erunt pauculi, in comparatione eorum, qui poſtquam annis pluribus, aut totâ ætate, Numen enormibus piaculis continuò offenderunt, tamen confidentiſſimè ſperant, ſerò quidem, ſed tandem tamen, veniam ſe culparum omnium impetraturos; breviq; compendio per vltimam pœnitentiam DEO reconciliatos, hanc terram cum cœlis feliciter mutaturos. Quæ etiam cauſa eſt, cur plenam morum correctionem, abſolutam criminum deteſtationem, odiumque; perfectam, integramq; noxarum confeſſionem, cum adjuncto ſincero melioris vitæ propoſito, admodum periculosè remittant in futurum aliquod CRAS, morborum quoq;

In hac ſeriptione, non tam habenda ratio paucorum ſcrupuloſorum;

Digitized by Google

quoq; neceſſitatem, ſenectutis infirmitatem, demum extremis fatis vicinum articulum. Ne igitur tot, tantiq; homines impij, aut ignorantiâ ſuâ pereant, aut nimiâ ſperatæ ſalutis fiduciâ; neceſſarium eſt illis ob oculos ponere, procraſtinatæ & diu protractæ reſipiſcentiæ veriſſimum periculum: idq; ex Scripturæ & SS. Patrum doctrina, quæ ſemper Numinis miſericordiam temperat cum ſeveritate, & acrimonia juſtitiæ. Vt propterea, dum hos quaſi innumeros juvare, & ab inferis vendicare conamur; tanta ratio habenda non ſit, etſi fortaſſis pauci aliqui timidiores, incommodum ſcrupulorum, aut puſilli animi malum incurrant: præſertim cùm ſuppetant hujus etiam ægritudinis remedia, ſi adhibere velint.

Quàm multorum improborum, vt emendentur.

XVI.

Mecum ſentit religioſiſſimus Granata, quando diſputaturus contra eos, qui converſionem ſuam differunt in ſupremam vitæ horulam, vt eundem habeant & pœnitendi terminum, & moriendi; ſic loquitur. *Etenim, ſi periculoſum eſt, pœnitentiam in aliquot annos prorogare, quid erit quæſo, eandem periculoſiſſimo illi termino reſervare? verùm, quia error iſte nimis eſt familiaris, & in orbe terrarum frequens; ſed & cùm plurimæ ſint animæ, quæ errore illo miſerè deceptæ pereunt; omnino neceſſarium eſt, vt & de inani hominum hac opinione, nonnihil dicamus. Licet autem de hac materia dicere periculoſum ſit, (poſſet enim puſillanimis, & meticuloſis conſcientijs, diffidendi ſeu deſperandi occaſionem præbere) majus tamen erit periculum, quòd homines ignorant, in quod diſcrimen ſeſe conjiciunt, cùm pœnitentiam in illud tempus prorogant. Ita, vt vtrumq; periculum juſtâ lance trutinantes, manifeſtè videamus, hoc illo ſine vllâ comparatione, majus eſſe. Ipſa enim experientia nos docet, plures animas perire nimiâ confidentiâ, quàm nimio timore & puſillanimitate. Nos etiam conſtituti ſumus ſpeculatores, vt ait Ezechiel, vt cùm gladium venientem viderimus, populo annunciemus, ne, qui à nobis admoneri debeant, decipiantur, & ſanguis eorum, de manibus noſtris requiratur.* Hæc Granata.

Ludovicus Granata in Duce peccat. lib. 1. par. 3. cap. 26. initio.

Plures pereunt nimiâ ſalutis fiduciâ, quàm timore.

XVII.

Deniq; exiſtimo; ſi præſens hoc MALÆ SPEI PROMONTORIVM, quo oportet pietatis affectu, evolvatur, neutri mortalium generi, occaſionem daturum naufragij, vtriq; eximiè profuturum, vtriq; additurum calcar; pijs quidem boniſq; mentibus, vt cœptam virtutis ſemel viam, pergant conſtanter decurrere: improbis, vt incipiant quam primùm. Nam inchoare nolle hoc negotium, & velle differre in ſecuturos dies, annos, ætates; proximum habet exitio diſcrimen. Verè ſapiens: *dens putridus, & pes laſſus, qui ſperat ſuper infideli, in die anguſtiæ.* Perinde ſi dicat, qui fiduciam ſuam colloca-

Promontorium malæ Spei prudenter lectum, vtriſq; prodeſt, pijs, impijſq;. Prov. 25. 19. & 20.

eat in homine perfido, & nullam ſeruante fidem, ſimilis eſt confi-denti in dente, jam putredine ſuâ fracto: item in pede, multum ex itineribus laſſato. ſicut enim dens ejuſmodi comedentem deſtituit, pes autem ſtantem & ambulantem; ita pariter infidus fidentem in ſe, fallit tempore neceſſitatis, quò maximè amici ſperabat auxilium. Dicam hîc ego: qui hodie, qui cras, qui juvenis, ſanus & valens, peccati dulcedine ineſcatus, emendationem protrahit; certiſſimâ perſuaſione confiſus, ſe olim pœnitentiam acturum, ſaltem *in die anguſtiæ*, quo moriendum erit: næ ille confidit *ſuper infideli*; nihil enim infidum magis futuro tempore: quia dubium, incertum, fallax eſt. Et ſi illud vel maximè tibi fidem teneat, offeratq; ante obitum integras horas, ſolidoſq; dies converſioni auſpicandæ; certus tamen non es, an tu tibi tum defuturus non ſis; an etiam aptus proſequendæ eo articulo pœnitentiæ. Sed quia hæc omnia largiùs explicanda ſunt libris ſequentibus, veniamus in rem præſentem.

Securitas futuræ, & faciendæ quondam pœnitentiæ, quàm infirma & dubia?

PARAGRAPHVS I.

De præſentis argumenti occaſione, & NVMERO PRÆDESTINATORVM.

I. ERraſſe tibi videbor, Amice Lector, quando in prima fronte opuſculi mei, vice inſcriptionis hunc titulum præfixi: PROMONTORIVM MALÆ SPEI; præſertim cùm in toto Oceano, non ſit invenire alteriùs, quàm BONÆ SPEI PROMONTORIVM. Sed facilè emendabis cenſuram, ſi cogitaveris, in vaſtiſſimo illo mari, quod MVNDVS à SS. Patribus appellatur, temerarias hominum impiorum ſpes, & fallaces circa ſalutem fiducias, viam ſtraviſſe ad innumera jam dudum animarum naufragia.

Præter bonæ Spei Promontorium, eſt aliud malæ Spei Promontoriū.

II. Seriò Apoſtolus Timotheum hortatur, meminiſſet ſe, pro ſtipendio vitæ æternæ, ſuccenturiatum ſub Chriſti vexillo militem; eapropter (S. Pauli verba repeto) *hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, vt milites bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam*

1. ad Timoth. 1. 18.

arma-

Digitized by Google

arma omnino neceſſaria, adverſus principem tenebrarum; lumen inquam ſanorum dogmatum, vitamq; inculpatam, teſtem bonæ conſcientiæ: *quam quidam repellentes* (vox eſt Apoſtoli) *circa fidem naufragauerunt*. facti ſcilicet apoſtatæ, ſchiſmatici, hæretici, cum jactura irreparabili; quia æterna. Verè, atque ad propoſitum S. Chryſoſtomus ait: *videas plurimos in profundum malorum* (naufragantium more) *corruiſſe; ne enim futurorum metu, & expectatione crucientur, perſuadere ſibi omni ſtudio curant, falſa eſſe omnia, quæ noſtra Religio continet*. ſcilicet in doctrina de peccatis, reſurrectione, judicio futuro, & ſimilibus animæ terriculamentis.

Quidam defectu fidei faciunt naufragium.
S. Chryſoſt. ad cit. locum Apoſtoli.

III. Neq; ſolùm in fidei corruptela, contingit improbis naufragari, ſed etiam in vitio ſpei; vtrobique defectus aut exceſſus vitiabilis eſt. Hîc ego cuivis inculco, quod olim Seneca Lucilio, hortatus eum ad virtutem, verbis à militari juramento ſumptis: *promiſiſti virum bonum, ſacramento ligatus es*. Et nos, nunquid jam olim in ſacro fonte, auctorati fuimus, & Chriſto adſcripti milites? Si ergo, quam D. Paulus offert, contra juratos Imperatoris noſtri hoſtes, vti volumus panopliâ, *loricâ* inquam *fidei, & charitatis*, item *galeâ, ſpe ſalutis*; neceſſe eſt, vt hæc ſpiritualia arma, ſint planè integra, & nullâ ſui parte vitiata. quod quidem fit, cùm ſpes, & fiducia conſequendæ beatitudinis, degenerat in temerariam præſumptionem.

Aliqui exceſſu ſpei.
Seneca epiſt. 37. ad Lucil.

IV. Neſcio, mi Amice Lector, an incurrerit in oculos tuos, Vermis malę conſcientiæ, quem ante annos aliquot, ſuis coloribus conatus ſum adumbrare, & velut domeſticum impij hominis carnificem depingere. Illud ſcriptionis meæ argumentum, primis duobus libris, huc maximè collineabat, vt quiſquis hanc beſtiam, intra viſcera ſua tortorem experiretur, veris lacrymis in pœnitentię balneo ſubmergeret; nequaquam verò aut mulſo, aut melle voluptatum, divinâ lege vetitarum, ſopiret: vt ſolent alij ſubinde in humanis corporibus vermes, affusâ liquorum dulcedine, aliquantiſper ad quietem componi. Exulceratam flagitijs conſcientiam, nunquam ita tranquillat illecebroſa peccandi ſuavitas, quin paulò poſt reſurgat ad priorem cordis lanienam, & quaſi fortiùs dentes infigat ilijs.

Vermis malæ conſcientiæ, nec ſopiendus eſt melle prohibitarum voluptatũ.

V. Eſt verò apud plurimos jam mortales ſceleratos, nova quędam inventa ratio, pacandi inteſtinum carnificem ſuum; ſeu lactis affundendi beneficio, ſeu longæ lactationis ſtudio. qua de re in fine libri ſecundi, hæc olim attexui. *Poſſem hîc agere de Verme conſcientiæ non lactando, ſpe futuræ olim reſipiſcentiæ; ſeu, de non differenda pœnitentia, vi-*

Lib. 2. de Verme malæ conſcientia.

tæq; liberioris emendatione, in ſeros annos: ſed quia huic materiæ propria debetur diſputatio, nunc ſuperſedeo. Libero igitur fidem meam, & præſenti opuſculo demonſtrare conor, Vermiculum, improbæ mentis tyrannum, nequaquam lactandum eſſe, ſpe faciendæ tandem aliquando pœnitentiæ. quæ quidem fiducia multis oppidò, media inter flagitia, omnem perdendæ ſalutis eripit formidinem; ſimul & totam moleſti Vermis carnificinam tollit; velut conſpecto jam Promontorio bonę Spei, feliciſſimè ſint appulſuri ad littus beatæ æternitatis. Sed inverto ego nomenclaturam, & loco BONÆ, ſuppono MALÆ SPEI PROMONTORIUM. Valde enim metuo, ne plerique illi temerarij procraſtinatores, quò maximè remittunt meliorem vitam, in portu ſcilicet faciant naufragium; & ſuo numero, augeant infinitum alterum reproborum. Signum futuræ damnationis, ſuęq; reprobationis conjectura eſſe poteſt, ipſa in Dei injuriam ſemper protracta, & nunquam inchoata ſeriò pœnitentia.

Nec lactandus ſpe futuræ olim reſipiſcentiæ.

Procraſtinatores pœnitentię navigant periculoſè.

VI.

Et timere poſſunt, ne ſint in majore numero damnãdorum.

Oratione tertiâ ſecretâ, in miſſis Quadrageſimalibus.

Math. 7. 13.

Math. 20. 16.

Eſdra lib 4. cap. 8. v. 1.

Iuvat hîc, ſtimulandis ſalubriter impiorum mentibus, celebrem omnino, & maximi momenti quæſtionem, paſſim à doctis hoc ævo ventilatam, proponere; ſitne major numerus prædeſtinatorum, ſive electorum ad beatitudinem hominum: an reproborum, ſive olim ad inferos damnandorum? Et quanquam nemo mortalium in hac materia, certi aliquid definire poſſit, orante Eccleſiâ: *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum, in ſuperna felicitate locandus, &c.* nihilominus tamen, ſi ad calculum revocemus, omnes vniverſim hujus mundi & ſeculi homines, indubium eſt, majorem eorum partem ex reprobis conſtare. Quæ ſententia, & communis eſt apud Theologos, ſanctoſque Patres, & fundamentum habet in ſcriptura. Quid clariùs illo Chriſti, & divini Verbi verbo: *intrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam! & pauci ſunt, qui inveniunt eam.* Quò pertinet æternæ Veritatis ſententia: *multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Quam etiam olim Angelus Eſdræ, veteris legis Scribæ, confirmavit dicens: *hoc ſeculum fecit Altiſsimus propter multos, futurum autem propter paucos.* Atque vt hoc myſterium caperetur ab Eſdra, protinus ſimilitudinem adducit Angelus. *quoniam dabit terram multam magis, vnde fiat fictile; parvum autem pulverem, vnde aurum fiat. ſic & actus præſentis ſeculi: multi quidem vocati ſunt, pauci autem ſalvabuntur.* Tametſi verò ſcriptura hæc non ſit canonica, habet ta-

men

men non parvam auctoritatem. Ad eandem Electorum paucitatem, & damnandorum multitudinem, ſpectando totum humanum genus promiſcuè, applicant nonnulli ex doctis, illud Iſaiæ: *hæc erunt in medio terra, in medio populorum; quomodo ſi paucæ olivæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea: & racemi, cum fuerit finita vindemia.* Iſa. 24. 13.

VII. Nam majorem eſſe numerum reproborum, quàm prædeſtinatorum, patet ex diviſione orbis. In Americam. Africam. Aſiam.

Sed age, & veritatem hujus ſententiæ, ſtabiliamus per inductionem quandam, certaſque veluti hominum claſſes. Hem! coſmographicam tibi exhibeo tabulam, & compendioſo artificio, in charta non magna, ſpatioſum tibi mundum cum incolis ſuis, vniverſis inquam mortalibus, objicio. Digitum meum oculo tuo ſequare, & videbis hac parte Americam, ſinu ſuo Braſiliam, Perù, totiuſque Indiæ, quæ Occidenti ſoli obvertitur, vaſtiſſimas provincias complecti. Hinc autem te abduco ad Africam, maximis terris potentem; Mauritaniâ, Numidiâ, Libyâ, Æthiopiâ, Ægypto; è quibus olim plurimi Reges, & gentes quaſi infinitæ prodierunt. Superatur tamen hæc ipſa mundi pars ab Aſia, quæ (vt nihil dicam de famoſioribus ejus, hinc inde pelago adjacentibus inſulis, Tenedo, Lesbo, Chio, Samo, Patmo, Claro, Cypro, Rhodo) etiam ſequentes numerat, eaſque ampliſſimas regiones, quas tibi nunc indice digito propono: Pontum, Bythiniam, Lyciam, Galatiam, Pamphiliam, Cappadociam, Ciliciam, Armeniam, Natoliam; verbo Græciam omnem. Palæſtinam inſuper, Phæniciam, Samariam, Iudæam, Idumæam, Gallilæam, & quicquid nunc Turcico ſubeſt imperio. nec non Moſcoviam, Tartariam, Scythiam, Arabiam, Meſopotamiam, Babyloniam, Perſiam, Mediam, Aſſyriam, Hircaniam, Parthiam, Bactrianam; denique totam Indiam, quæ ſolem Orientem ſpectat: cum florentiſsimis Iaponum provincijs, & patentiſsimo Chinenſium regno, an potiùs dicam regnis potentiſsimis? Si porrò vlteriùs velis excurrere, & convertere oculum ad Europam, quam ipſi inhabitamus; minimam quidem inter quatuor Orbis plagas, ſed nobiliſſimam portionem; dividitur ea in populoſiſsimos populos, regiones, regna. Italiam dico, Siciliam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Daniam, Norvegiam, Succiam, Poloniam, Lituaniam, Podoliam, Vngariam, Transſylvaniam, Bohemiam, Germaniam ſuperiorem & inferiorem, vtramque multis ac vaſtis terris divitem. Europam.

VIII.

Facto hoc calculo, & diſtributo in partes ſuas mundo, ipſiſq;

 partibus

Salianus in Annalibus Vet. teſtam. ſtatuit annū 4053.

Quatuor millibus annorum, ante Chriſti adventum, totus fere mundus in maligno ſtetit, atq; idololatria.

Virg. lib. 1. Æneid.

partibus in alias & alias portiones regionum diviſis; quæſo te, quis ſtatus fuit totius in commune humani generis, diſperſi in omnem, quàm latè patet, orbem? quæ vivendi ratio vſurpata, quatuor adeo millibus annorum, & vltra? donec Chriſtus Dei filius, in humana carne aſpectabilis, dignatus eſt nos in terris mortales viſitare, Redemptor, Magiſter, Medicus? profectò, tanto illo temporum ſpatio, rara fuit, & apud paucos veri Dei cognitio; vita vt plurimùm impia ac ſcelesta; nec naturæ, nec rationi conformis. jacebant tunc pleriq; omnes, tenebris ſuperſtitionum & infidelitatis ſepulti, vitiorum mancipia, idolorum ſervi; poſt corruptam ſemel per peccatum originis concupiſcentiam, impetu quodam currentes ad illicita. Et tempeſtate cum Diogenis lucerna, veros homines quærere, erat quaſi oleum & operam perdere. ita erant pauculi *nantes in gurgite vaſto*, qui duce humanâ ratione, ad littus ſalutis appellerent, quia pauci ex omni hominum numero, *in medio nationis pravæ, lumen Dei ſignatum ſuper ſe*, pio affectu ſequebantur. Vnus inter Chaldæos Abraham, vnus inter Ægyptios Ioſeph, vnus inter Idumæos Iob, vnus inter Ninivitas Ionas, vnus Daniel cum tribus ſocijs inter Babylonios, vna Eſther cum Mardochæo inter Perſas, hoc internum rationis lumen admiſerunt, & cum vera Numinis cognitione, vitam ſanctam ac homine dignam conjunxerunt; pleriſque alijs, aut radium cœleſtem excutientibus, aut per morum peſsimorum corruptelam, divino lumini obicem opponentibus. Quod ſi etiam nonnulli indicio rationis, DEVM eſſe, & cauſam aliquam primam, per effectus, reſque creatas intellexerunt; fuerunt tamen fere omnes ex eorum ſorte, de quibus Apoſtolus queritur: *cùm cognoviſſent Dominum, non ſicut* DEVM *glorificaverunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: & mutaverunt gloriam incorruptibilis* DEI, *in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. propterea tradidit illos* DEVS *in deſideria cordis eorum, in immunditiam; qui commutaverunt veritatem* DEI *in mendacium, & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula.* Quis ergo negare velit, ante gratioſum Chriſti adventum, pleroſque mortales per orbem vniverſum diſperſos, æternùm perijſſe? tum ſcelere idololatriæ, tum culpâ naturæ, per peccatum vitiatæ, ſequentis brutum concupiſcentiæ effrenis ductum. Quo ſenſu ſcriptura dixit de hominibus terram incolentibus, circa annum mundi milleſimum, ſexcenteſimum, ante Diluvij inundationem: *omnis caro*

Ad Philipp. 2. 15.

Pſal. 47.

1. ad Rom. 21.

Vide Salianum in annalibus Vet. teſtamenti, ad annum mundi 2537.

corru-

Digitized by Googl

corruperat viam ſuam. Et poſteriùs de hac re David, in cithara & fidibus ſuis, fidem nobis facturus, ait: *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirens* DEVM. *omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*. Gen. 6. 12. Pſal. 13. v. 2. & 3.

IX. Quanquam autem ſexcentis circiter pòſt annis, Abraham primus credentium pater, ſingulari Numinis beneficio ac privilegio, fidelem populum ex ſemine ſuo propagaverit; quem poſtea DEVS Ægypto eductum, anno poſt orbem conditum bis milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo quarto, per Moyſen lege ſuâ, ceremonijs ac ſacrificijs inſtruxit, vt David ex familia Abrahæ natus, Judæorum poſtea Rex, glorianti ſimilis diceret: *notus in Judæa* DEVS, *& in Iſraël magnum nomen ejus*; nihilominus tamen eodem teſte, nocuit Hebræis contagioſa vicinarum gentium ſuperſtitio. ſiquidem, *commixti inter gentes* (aut gentiles) *didicerunt opera eorum, & ſervierunt ſculptilibus eorum, & immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmonijs, & effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaan*. neque ſcelus hoc ſolum fuit; ſed veluti magnes ferrum, ſic idololatria alia poſt ſe traxit flagitia; donec omnium pene Iudæorum vita, vnum quaſi crimen eſſet. & quemadmodum Propheta luget, ambularet *vnuſquiſq; poſt pravitatem cordis ſui*. Præſertim verò poſtquam Ieroboam Rex, *peccare fecit Iſraël*, propoſitis ad apoſtaſiam illicijs, Vitulis aureis; & conceſſâ quaſi ad omnem idolorum cultum libertate. Itaque quod lolio familiare eſt, adeo apud Iudæorum poſteros, Reges, populumque, ſacrilega excrevit ſuperſtitio falſorum Deorum, vt verus DEVS per Prophetas ſuos, continuò hoc genus ſceleris inſectaretur. Cui acceſſit tamen poſtea longè pejus, imò omnium criminum peſſimum, omnium facinorum facinoroſiſſimum, Deicidium inquam; cùm gens perfida Hebræorum, Meſſiam DEI filium, in terras bono noſtro miſſum, *Jeſum Nazarenum, virum approbatum à* DEO *in virtutibus, prodigijs & ſignis, quæ fecit* DEVS *per illum, per manus iniquorum interemit*. Conijcio proinde; quandoquidem major pars Iudæorum ante Chriſti adventum, patriam, atque à DEO dictatam Religionem, ſimul cum vitæ integritate excuſſit; majorem quoq; eorũ partem, reprobis adnumerandam eſſe. præſertim, cùm etiam, quæ ſuperſunt Hebrææ gentis reliquiæ, quam olim majores

Pſal. 75. 2.

Pſal. 105. 35.

Poſteritas Abrahæ, DEI populus, non diu perſeveravit in avita religione & pietate.

Ierem. 16. 12.

3. Reg. 12. 33.

Act. 2. 22.

jores ſui deſeruerunt Religionem, nunc ſuperſtitionem, mordicus fere vbique tenent.

X. Sed lubet tandem illam mundi faciem contemplari, quam habuit, habetque poſt Chriſtum in terris natum, hucuſque ſeculis jam ſedecim. Et quidem diffiteri non poſſumus, Apoſtolorum ſonum

Pſal. 18. 5. ac prædicationem, *in omnem terram exiviſſe*; atque invexiſſe chriſtianæ fidei myſteria, ad vltimas quoque orbis provincias; paulatim tamen totâ quaſi Americâ, multiſq; Aſiæ & Africæ regionibus, Chriſti nomen cultumque, incolæ cum veteri majorum ſuorum ſuperſtitione mutârunt, redieruntque in antiquam gentilitiæ impietatis ſilvam. Quæ res, hodieque multos accendit Viros Apoſtolicos, qui zelo animarum impulſi, poſthabitis vitæ hujus commodis, per

Iſa. 18. 2. infinita itinerum pericula, oceanum transmittunt *ad gentem convulſam, & dilaceratam, ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius*; vt lumen fidei chriſtianæ, quibus partibus jam pridem extinctum eſt, poſt tanta temporum intervalla reponant. Tametſi autem non paucæ regiones Aſiæ atque Africæ, imò omnis quaſi Europa, quam ſemel didicerunt ab Apoſtolis, Apoſtoliciſque Viris chriſtianam religionem conſtantiſſimè retinerent; factum eſt tamen mali dæmonis nequitiâ, & Hæreſiarcharum improbitate, vt tranſirent ad errores veræ fidei contrarios, adeoq; ad beatitudinis diſcrimen; quando fides vera, vnica eſt, omnibuſque ſuis articulis ſana, ac velut partibus integra. Quantas ergo animas per devia falſorum dogmatum, traxerit in gehennam Arius? qui Eccleſiam Chriſti adhuc naſcentem, ita hæreſis ſuæ toxico infecit, vt teſte Divo Hieronymo, ingemiſcens orbis terrarum, ſe Arianum eſſe, miratus ſit.

Poſt Chriſti adventum, Chriſtianæ & Catholicæ fidei, vulnus fecerunt Hæreſiarchæ veteres, potiſſimùm in Aſia & Africa.

XI. Taceo alias quoque ſectas, primis in Eccleſia ſeculis, per alios diſſeminatas Pſeudomagiſtros, Montanum, Donatum, Pelagium, Neſtorium, &c. De Mahumetis impuriſſimi apoſtatæ inſania quid dicam? Arabs hic gente, religione Chriſtianus, officio miles, meruit ſtipendia aliquamdiu ſub Heraclio Imperatore Chriſtiano; tum deinde ipſum ſe novæ factionis caput erexit, conjuratorum potentiâ, & propriæ audaciâ fortunæ, non parum alijs formidabile. Denique capitalis Chriſtiani nominis inimicus, aſſeclis ſuis, Saracenis inquam, jam moriturus, immortale odium contra Chriſtum, eiuſque fideles, tranſcripſit velut hęreditarium; & quod cum dolore ſentimus, nondum ſupra annos mille ſopitum eſt. Sicut autem hoc orbis portentum, Chriſti Eccleſiam, vbi vbi potuit, eliminatum

Eidem ibidem poſtea nocuit, hodieq; nocet, orbis monſtrum, Mahumet.

tum ivit: ita perfidiâ ſuâ, & ſacrilegâ ſuperſtitione, plurimas omnino provincias, magnamq; mundi partem corrupit. Atq. vt certiùs perirent animæ, ſub incude Luciferi, fabris duobus Judæis, & binis Sacerdotibus hæreticis (ſocietate peſſimè concinnatâ, & in communem ſtragem graſſaturâ) Alcoranum ſuum excudit; vnde erroris venenum, latiſſimè in mortalium animos hodieq; illabitur.

P. Scherer concione 14 contra Machomet.

XII.

Quanquam verò minimam Europæ portionem, Mahometana afflaverit peſtilentia: miſit tamen orcus priore ſeculo, Novatores impios, & Doctores falſos, qui damnatas jam olim ab Eccleſia ſectas, in lucem revocarunt; totamque velut Europam, ex quo ad Chriſtianas leges tranſijt, in ijſdem Catholicæ fidei articulis, multis retro ſeculis feliciſſimè concordem (ne vnâ ſolùm viâ ad interitum ambularet) in varias poſtea hæreſes abduxerunt. Quàm - - - - *facilis deſcenſus averni!* Ad vnius Lutheri, votifragi Apoſtatæ impetum, omnis pene Germania: ad impulſum ſceleratiſſimi Calvini, Anglia propè corruit vniverſa. Quæ nobiliſſima duo Regna, ipsâ ſui exempli mole, plurima alia Europæ Regna, ac regiones, ſecum ad caſum pertraxerunt; vt minimus nunc, in hac quarta mundi parte, ſit eorum numerus, qui cum ſyncera atq; orthodoxa fide, Chriſti ſponſæ Eccleſiæ adhærent: maximus eorum, qui vel cum pertinaci animo, vel cum affectata ignorantia errores tenent. Quod verum eſſe apud noſtri temporis hæreticos, Catholicis paſſim in ſocietate vivendi permixtos, manifeſtè demonſtrat libro, quem peritiſſimè ſcripſit de Ignorantia, Reverendiſſimus Dominus, Dominus David Cornerus, celeberrimi Gôttvvicenſis Cœnobij, meritiſſimus Abbas; Vir ſcientiâ non tantùm humanâ, divinâq; inſigniter excultus; ſed etiam (quod caput eſt) ob ſingularem in actione prudentiam, in moribus ſuavitatem, in conſilijs robur, nervum in verbis, pondus in calamo, in vita omni religioſam virtutem; ſummis, medijs, infimis, apprimè amabilis & pretioſus. Denique ex eorum ſorte, qui caſtra Calvini & Lutheri ſequuntur, ſeù (vt vocant) placita reformatæ Religionis; multi, quibus occaſio eſt, apud orthodoxos veritatem audire, volunt cum affectata inſcitia mori, & perire; eò damnoſiùs, quòd ſæpe etiam erroribus jungant impietatem, vitamq; vivant beſtijs quàm ſimillimam.

Virgil. 6. AEneid.

Maximam verò cladem Europæ intulerunt circa Religioné, Calvinus & Lutherus ſæculo priore.

Certè ex perverſa vtriuſq; doctrina, multi moriuntur cũ pertinacia erroris, vel affectata fidei ignorantia; teſte Reverendiſs. D. D. Davide Cornero, Abbate Göttvvic. *lib. 1. de Ignorantia c. 13.*

XIII.

Apparet igitur hucuſq; ex diſtributione, ſive quatuor Orbis partium, ſive claſſiũ diverſarum inter homines, juxta verum arithmeticæ calculum, multò plures damnari, defectu fidei & exceſſu vitiorum,

Digitized by Google

tiorum, quàm ſalvari: ſi nempe vniverſim de humano genere loquamur. Quo etiam ſenſu explico, quaſdam olim revelationes, aut viſiones diverſis factas. Cujuſmodi vnam accepit S. Simeon, Anachoreta ille, cujus meminit Baronius in vita Nili Abbatis; nimirum ex decem millibus, vix vnam pervenire animam, ad manus Sanctorum Angelorum. Quâ die S. Bernardus, hanc mortalitatis ſtationem deſeruit, ſocius itineris ejus, quidam Eremicola, jam vitâ defunctus, Lingonienſi Epiſcopo, ſibi in vivis noto ſic ſe ſe ſtitit, vt aſſeveraret inter triginta millia hominum, qui hinc eâdem horâ ſecum tranſierunt ad æternitatem, omnes infernalibus tormentis addictos fuiſſe; tres duntaxat ex toto illo numero, ad flammas piaculares miſſos; ſe vnicum, S. Bernardo comite, rectâ viâ cœlos adijſſe. Bertholdus Franciſcanæ familiæ nobilis Eccleſiaſtes, quâ pollebat potentiâ ſpiritûs, & vi dicendi: præſentem in concione mulierculam adeò ad contritionem ſuper ſceleribus ſuis permovit, vt præ vehementia doloris, & velut corde rupto, exanimis conciderit. Sed efficaciâ deprecantis populi, vbi vitam recepit, palam faſſa eſt, id ſibi ex Dei indulgentia conceſſum, vt peccatum quodpiam, nondum eò vſq; clavibus Eccleſiæ ſubjectum, ſacrâ exhomologeſi expiaret. Narrabat porrò, ſexaginta animarum millia, ſecum ad divinum tribunal ambulaſſe; ſed exceptis tribus, ad purgantem ignem condemnatis, reliquas omnes in ſtygem merſas fuiſſe. Huic affine eſt, quod Philippus quidam Pariſijs Cancellarius, poſt mortem ſuam affirmavit Gulielmo, civitatis Pariſienſis Antiſtiti. Exorſus eſt autem à lamentabili propriæ calamitatis tragœdia, & quas ob cauſas per juſtiſſimam Numinis ſententiam, non tam trabalibus, quàm æternis clavis, infernali rogo affixus eſſet, hominem edocuit. Mox verò, vt miſer curioſitatem ſuam paſceret, intelligere petijt; an mundus hic aſpectabilis homines adhuc incolas numeraret? Cùm annueret Epiſcopus; ne mirare inquit, interrogationem meam; *quia nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia apud inferos.* Cæterùm ſcias, dum me orcus habet, tantâ copiâ mortales huc præcipitatos, quantâ nunquam crediidiſſem has terras inhabitari.

Baronius ad annum Christi 976

Trithemius in Chron. Hirſchang. ad annum 1160.

Plures vniniverſim hõines damnari, quã ſalvari etiam viſiones docent.

Platus lib. 1. *de bono ſtatûs religioſi, c.* 5.

Cantiprat. lib. 1. *apum cap.* 10. *Anno Chriſti* 1236.

Eccleſ. 9. 10.

XIV. Hîc aliquibus pilus in horrorem ſurget. quid mirùm? quando tanta audiuntur fulmina, & de multorum capitibus, vno eodemq; velut momento, jactam eſſe infelicem aleam, pro miſerrima eorundem æternitate! igitur etiam hodie volant indignan-

tium

tium verba, ijs ſimilia, quæ olim Primates quidam Calabriæ viri literatiſſimi, regeſſerunt Nilo Abbati, aſſerenti ſalvandorum paucitatem. *Nos igitur*, inquiunt, *fruſtra baptizati ſumus, & Crucem adoramus, & communicamus, & Chriſtiani dicimur?* Sed ne plus æquo, deijciantur in puſillanimitatem animi, inde ituri in barathrum deſperationis, ajo; tametſi revelationes & viſiones ſupra allegatæ, veræ ſint: nequaquam tamen numerum illum, de tot millibus animabus perditis, reſtringendum eſſe ad ſolos Chriſti fideles atque Catholicos, qui comparatione aliorum hominum, quaſi pauculi ſunt; ſed extendendum maximè ad totam illam colluviem, quæ vniverſo orbe ex gentilibus, Saracenis, Hebræis & hæreticis conflatur; fieri adeò facilè poteſt, vt ſi ſimul, eodemque die, ex his multa millia tollantur, ſive naufragio, ſive prælio, ſive peſtilitate, aut etiam naturali morte, ſimili damnationis neceſſitate involvantur. quia ſcilicet ſimul ſunt extra veram Catholicæ Eccleſiæ religionem, non tantùm infidelitatis, ſuperſtitionis, hæreſeos, verùm etiam multorum inſuper facinorum rei, quibus ſi comparentur Catholici, qui eodem tempore fatis concedunt, exiguum planè facient numerum.

Baronius ad annum Chriſti 976

Quando ex 30000. aut 60000. ſimul mortuis, dicuntur ſimul fere omnes damnati, accipiendus eſt numerus iſte de infidelibus, Turcis, Hebræis, & hæreticis; non Catholicis.

XV. Sed nunc arctiùs ſtringamus quæſtionem, illudque velut in ſtatera examinemus, inter genuinos & orthodoxos Chriſti fideles, qui vixerunt ab initio Chriſtianæ Eccleſiæ hucuſque, & victuri ſunt deinceps; majorne & potior pars ſit reproborum, an electorum? Hic dubio procul, expectabis à me lector bona verba, & reſponſum conſolationis. Vereor, vt ad ſalivam tuam non ſit, quod dicam: ignoſces tamen Veritati, quæ neſcit palpare, & fumum vendere. Sentio igitur cum pluribus alijs Theologis, inter verè Catholicos fideles, minorem eſſe numerum beandorum, majorem damnandorum. Excludo autem hîc parvulos, quorum plerique ſervantur, baptiſmi beneficio. circa adultos ſolùm vertitur cardo interrogationis. Et habeo imprimis pro mea opinione, clariſſimam illam Chriſti affirmationem: *multi ſunt vocati, pauci verò electi*; quæ verba maximè de fidelibus Chriſtianis, ad fidem religionemque Catholicam vocatis, non tamen continuò electis, cum gloſſa intelligunt docti. Tum deinde luculenta graviſſimorum Patrum ſuffragantur teſtimonia quæſo eorum aliqua, profundiùs in aures, animumq; admitte.

Etiam inter Catholicos orthodoxos, probabile eſt minorē eſſe numerum electorum.

Matth. 20. 16.

Declaratur Patrum auctoritate.

XVI. Origenes inter vetuſtiſſimos Eccleſiæ Scriptores, ita de præſen-

Orig. hom. 10. in Matth. ti materia loquitur. *Si quis conſiderat multitudinem hominum, quæ in Eccleſijs congregatur, & diſcuſſerit quanti ſint, qui converſantur diſciplinatè, & reformantur novitate ſenſûs ſui; quanti autem negligentiſſimè converſantes, configurantur huic ſeculo; videbit quod verus eſt Domini ſermo: multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Annecto Origeni S. Auguſtinum, cujus ſunt iſta. *Electi nunc multi dicuntur, nunc pauci; quia ijdem ipſi boni, verique Chriſtiani, qui per ſe ipſos multi ſunt, in comparatione malorum & falſorum, itidem pauci ſunt ſicut multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* Et quid apertiùs eſſe poteſt oraculo Sancti Gregorij, Magni Doctoris, Maximi Pontificis? *Ad fidem*, ait, *plures veniunt, & ad cæleſte Regnum pauci perducuntur.* Ne verò videatur ſermonem ſuum largè extendere ad omne hominum genus, ſtatim reſtringit ad ſui temporis fideles, his verbis. *Etenim hodiernam feſtivitatem* (Septuageſimam notat) *quàm multi convenimus? Eccleſiæ parietes implemus, ſed tamen quis ſciat, quàm pauci ſunt, qui in illo electorum grege numerantur? ecce enim vox omnium, Chriſtum clamat, ſed vita omnium non clamat; plerique Deum vocibus ſequuntur, moribus fugiunt.* Cauſam hujus fugæ aſſignat Divus Hieronymus, præſentium blanditias voluptatum, quibus facilè abſtrahuntur ad devia mortales. *latam viam non quærimus* (ipſum audis) *nec intentione opus eſt, ſponte ſe offert, & errantium via eſt. Anguſtam verò viam, nec omnes invenient, nec qui invenerint, ſtatim ingrediuntur per eam; ſiquidem multi inventâ veritatis viâ, capti ſeculi voluptatibus, de medio itinere revertuntur.*

S. Auguſt. lib. 3. contra Creſconium, c. 66.

S. Greg. M. hom. 19. in Evang.

S. Hieron. ſuper Math. 7.

XVII.

Docetur & Ratione.

Sumpta ex obvijs fidelium, ac conſuetis ſceleribus.

Creſcit etiam probabilitas conjecturæ meæ, ex Ratione. Quia enim potiſſima pars fidelium adultorum, fere continuò ſequitur impetum paſſionum, ac concupiſcentiæ inordinatæ torrentem, vivitque adeò in ſtatu peccati, in eodem hinc diſcedit; juxta regulam illam S. Auguſtini: ſicut quis vivit, ita moritur, vt rarò, qui malè vixit, benè moriatur; & vice versâ. Intremus ergo ſi placet, Principum Regumq; aulas; adeamus tribunalia; diſpiciamus militiam; luſtremus officinas, domos, fora; nunquid pleno velut agmine, obvia occurrent perjuria, vſuræ, fraudes, rapinæ, furta, ebrietates, vis, injuſtitia, perfidia, immortalia odia, obſcæni amores, & trecenta alia ſcelera, ſalutis impedimenta? Quid dicam de Juventute? quæ paſſim ita deflectit in turpitudinis vitium, vt neceſſitatem ponat in Veneris commercio; nec velit ætatem ſuam augeri, citra incrementum libidinis. tranſeunte tandem adoleſcentiæ

Juventutis laſcivia.

tiæ delicto, in continuum ſecuturæ ætatis flagitium. Venefici autem, & ſagæ, & magi, quanto vbique conſurgunt numero? nolim credas ijs tantùm in terris eſſe & vrbibus, vbi luculenti fiunt, per flammas & ignes; latent etiam alibi poſt carecta, caminoſque, tametſi illis nullus dies, nullum jus dicatur, nullus rogus ſtruatur. Quod eò fit veriſimilius, cùm hoc ſeductionis malum, ut cancer ſerpat; inſuper ſit vbiq; idem hominum tentator Sathanas, eadem ad obſequium, homagiumq; præſtandum incitamenta, Curioſitas, Voluptas, Lucellum, & Cupido nocendi. Taceo de novo illo hominum choro, qui poſt baptiſmum, ſolum præferunt nomen Chriſtianorum & Catholicorum; re ipsâ ſunt Athei. neque tacitè duntaxat ac furtivè, ad morem ejus, de quo David increpanti ſimilis ait: *dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt DEVS.* proh dolor! reperiuntur hodie, qui palam ſine fronte, divinam providentiam negant, DEVMq; ipſum mundo exturbant. Nec abſque horrore meminiſſe poſſum, quod non ita pridem magni viri teſtimonio audivi. vrbis cujuſdam inter Chriſtianos famoſæ (cujus honori parco) frequentes incolas, ad capitum aliquot millia, certis temporibus convenire extra mænia, & ludificantibus (dicam potiùs blaſphemantibus) ſimiles, provocare ſi quis vſpiam DEVS, ſcelerum vltor, aut terris aut cœlis continetur, Majeſtatem ſuam, potentiamq; demonſtret, jacto in temerarias linguas fulmine. Sanè quod lacrymis ſanguineis deplorandum eſt, ſenſim Chriſtianum orbem pervadit Atheiſmus, cum luculenta Scripturæ, fidei, Eccleſiæ injuria: deniq; manifeſta clade animarum. Adjungo generi hominum atheo, aliquos velut ejuſdem vteri fratres, vulgus Politicos vocat, ego Pſeudopoliticos appellaverim; qui de religione Chriſtiana ac Catholica, ejuſq; dogmatibus ſentiunt, addunt, demunt, mutant, vt volunt; imbuti inſuper vitioſis manent principijs, quibuſcum adoleſcunt & conſeneſcunt quaſi ſcilicet injuria quævis, talione ſit vindicanda; duellum omnino nullum detrectandum; conſulendum ſtatui, proli, familiæ, honori, bonis temporalibus, etiam cum proximi damno, & diſpendio legis divinæ. Quis de iſtorum, ſimiliumq, ſalute, ſpes magnas concipiat? præſertim ſi diuturna vitiorum conſuetudo voluntatem, longus falſorum principiorum habitus, intellectum corrùperit? Vt nihil dicam, de magno illorum hominum numero, quos toto orbe Antichriſtus, filius perditionis, quâ muneribus, quâ tormentis, ſub mundi finem à veritate fidei, ad damnabiles hęreſum errores abducet, & hinc ad tartarum.

Copia Veneficorum ac magorum.

Pſal. 13. 1.

Atheizantium.

Pſeudo politicorum.

Antichriſtianorum.

At

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

XVIII. At enim opponet non nemo; ex Catholicis adultis, quàntumvis diu ſceleratiſſimis, fere omnes converti ad DEVM, in mortis articulo. Hanc certè ſententiam tenet magni nominis & luminis Theologus; arbitratus, licet major pars fidelium, ſępius in vita mortaliter peccet, tamen ſæpius etiam reſurgere, alternâ quaſi viciſſitudine. tandem verò in obitu ſuo, per vſurpationem ſacramentorum, aut efficacem gratiam, à DEO ad juſtificationem perduci. nec dubitari poſſe de hac Numinis miſericordia, in lege gratiæ. Sed huic doctiſſimo viro reſponderi poteſt. I. plurimos abſque ſacramentis & pœnitentia, repentino ſcilicet caſu, naufragio, incendio, vulnere, apoplexiâ, alijſq; modis hinc exire. II. non omnes, qui ante mortem ſuſcipiunt Sacramenta, id facere legitimè; tum ex ignorantia craſſa articulorum fidei, vel eorum, quæ requiruntur ad dignum ſacrorum myſteriorũ vſum; puta debiti doloris ſuper ſceleribus, & efficacis propoſiti, de non repetendis ijſdem; tum ex difficultate iſtorum operũ, quibus antea nunquam ſedulò aſſueverunt: ſtante omni eorum conatu in ſuperficie, quando aut in paſchate, aut alijs temporibus, pœnitentiæ ſacramentum frequentarunt. III. multi ſub id tempus, adhuc pravâ conſuetudine, habitibus vitioſis, affectibus antiquis, illicitiſque ſunt implexi; vt nolint injurias condonare, inveterata extinguere odia, bona malè parta, pejus detenta, reddere; pellices, & amaſias, & veneres à ſe dimittere. IV. Pſeudopolitici plerumq; ſuis principijs (contrarijs doctrinæ, & diſciplinæ Chriſtianæ regulis) ſic mordicus adhærent, vt nec morituriente ſeriò deponant. interrogati de reſipiſcentia & pœnitudine erroris, pulchra dabunt dolentis animi verba; ſed ſub ſimulatione & larva, obicem poſuiſſe tum oſtendunt, quando vix morbi, mortiſq; limen egreſſi, priora illa contagioſa Politices dictamina, obvijs iterum vlnis amplectuntur. V. pauci ex ijs, qui debito modo ſuſcipiunt ante obitum ſacramenta, ſi contingat eoſdem pluribus diebus decumbere, continuò perſeverant reconciliati; ſed objiciente eis dœmone veterum memoriam cupiditatum, & deguſtatas millies voluptatum inhoneſtarum illecebras, facilè in pravum moroſæ delectationis conſenſum abripiuntur. VI. eſto, deficiente ſacramentorum copiâ apud morientem, nunc in lege gratiæ (quam contraria pars maximè urget) gratia DEI impium prævenire ſoleat, atque ad ſurgendum excitare; tamen illa ſe perinde habet in peccatore ſæpius recidivo, ac medicina in homine infirmo & proſtrato, vt illum vix erigere queat; aut ſi erigit, facilè qui erectus

Suarez tom. de Deo trino & vno. lib. 6. c. 3. in fine.

Sententiæ mitiori de pluribus ſalvandis Catholicis in lege gratiæ, quæ rationabiliter opponi poſſint.

Cornel. in epiſt. S. Iacobi cap. 2. 13.

erectus eſt, iterum collabatur; quæ eſt mens Cornelij. Veriſſimè D. Iuſtinus aſſeverat: *anima ad ea bona, quibus excidit, agrè revocari poteſt; ac rurſus ab ijs, quibus aſſuevit malis, non facilè extrahi poteſt.* Quæ omnia perſuadent, generatim loquendo plures inter orthodoxos fideles, venire in numerum reproborum, quàm electorum.

S. Iuſtinus apud Damaſc. lib. 2. paral. c. 78.

XIX. *Etſi generatim pauciores Catholici ſalventur, quàm damnentur, nihilominus ingens eſt etiam numerus beatorum Catholicorum.*

Quanquam autem, ſi ad propoſitum duplicem modum, inſtituatur calculus, nempe per comparationem eorum, qui aut olim fuerunt intra & extra ſynagogam, aut nunc ſunt intra, & extra Chriſti ovile; maxima pars hominum veniat ad claſſem damnatorum, ad prædeſtinatorum minima, tamen ipſi etiam electi & ſalvandi; conſiderati in ſe, & abſolutè, faciunt ingentem, & quaſi innumerabilem numerum. Colligo id ex ſacra pagina, & S. Ioanne Evangeliſta, qui poſt duodecim millia ſignatorum, ſeu prædeſtinatorum (numero certo pro incerto) ex ſingulis tribubus filiorum Iſraël recenſita, ſubjungit. *poſt hæc, vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Hanc verò immenſam beatorum multitudinem, ex ijs conſurgere, qui Chriſtianorum nomine cenſi, in Eccleſia Catholica dignè DEO ambularunt, patet ex copioſiſſima glorioſorum Martyrum copia. Et quidem ſub Diocletiano Cæſare, ſingulis menſibus pro Chriſto, ejuſq; confeſsione, ſeptendecim millia fidelium, ſanguinem cum vita dediſſe, memorant annales; ut neceſſe ſit, decem annis, quos tenuit Diocletiana perſecutio, vicies centenis millibus, ſive duobus Martyrum millionibus, auctum eſſe cœlum. Sed & Franciſcus Arias, dum mille ſexcenta percurrit ſecula; & diverſas mundi provincias, in quibus gloria Chriſto accrevit, ex heroico Martyrum ſuorum agone, cruentiſq; victorijs; aſſerere non dubitat, facilè quolibet anni die, eorum triginta millia coli poſſe. adeo vt ſi hic numerus à Chriſto nato, vſque ad iſta tempora multiplicetur, vndecim milliones Martyrum conficiat. Et quoniam probabiliſsimum eſt, majorem adhuc copiam in Eccleſia DEI, aliorum fore Confeſſorum, ex omni genere, ordine, ſtatu, ſexu & conditione electorum, rectè S. Auguſtinus illam promiſsionem Abrahæ à DEO factam: *ſuſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum;* in hunc modum explicat. *illâ comparatione cæleſtium ſtellarum, mihi magis promiſſa videtur, poſteritas cæleſti felicitate ſublimis.* Concludit ex dictis Cornelius, beatorum, qui quovis mundi ſeculo, vbivis terrarum & gentium vixerunt,

Apoc. 7. 9.

Et demonſtratur ex calculo SS. Martyrum.

Arias lib. 2 de imit. Chriſti, ca. 35.

Gen. 15. 5. S. Auguſt. lib. 16. de civit. c. 23.

Cornelius in Apoc. 7. 9.

runt, numerum facilè aſcenſurum, ad aliquot centenos milliones. cùm interim milleni milliones, vix ſufficiant reprobis ac damnandis.

XX. Sed vt ijs quoque nunc frigidam affundamus, qui in orthodoxa Eccleſia conſtituti, timidè nihilominus ſubverentur, ne inter *multos* quidem ſint vocati ad veram fidem, non autem futuri tandem ſint inter *paucos* ad gloriam *electos*, ſic ajo. Suppoſitâ DEI gratiâ, ſalutem Chriſtiani hominis in communi pendere à proba vita; hanc autem in ſpecie, & plerumque à bona liberorum educatione, & recta magiſtratûs vtriuſque, civilis atque Eccleſiaſtici, gubernatione. hinc fieri omnino poteſt, & ſolet, vt licet generatim inter fideles Catholicos (ob dictas ſupra rationes) major ſit numerus reproborum, tamen etiam quibuſdam in locis, familijs, domibus, aulis, pagis, oppidis, vrbibus, provincijs, major pars ſit prædeſtinatorum; in quibus ſcilicet, & iuventutis viget pia ac laudabilis inſtitutio, & paſtorum vigilans cura, & politici regiminis, ſecundùm rectæ conſcientiæ ordinem, adminiſtratio. Verbo: vbi divina ſunt in pretio, templa & conciones frequentantur, Sacramenta reverenter vſurpantur, ſcandala eliminantur publica. Denique, vbi vitium mittitur ſub jugum, & honeſtas virtutis triumphat. Nam quibus in partibus negligentiâ paſtorum, nec parvulis, nec adultis frangitur panis doctrinæ neceſſariæ, vbi nullum viget devotionis exercitium, faſtidiuntur templa, verbum DEI, ſacra myſteria; permittuntur lupi ad gregem; pro bonis exemplis ponuntur ſcandala, foveæ, laquei; nec impij venatores, aucupeſq; animarum, gladio juſtitiæ vindicantur, tacentibus ad omnia tribunalibus, connivente ad ſingula judice, dormiente in vtramq; aurem Magiſtratu; indulgentibus etiam ad omnia filiorum errata parentibus; quid denique mirum, potiori ex parte ejus loci incolas, in ſyllabum ſcribi reproborum? Atque hoc ſenſu accipio dictum illud S. Chryſoſtomi, de populoſiſſima civitate Antiochena, cùm directè pro pulpito, hoc fulmen in præſentem concionem torſit. *Quot eſſe putatis in civitate noſtra, qui ſalvi fiant? infeſtum quidem eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen. non poſſunt in tot millibus, centum inveniri, qui ſalventur; quin de his dubito. quanta enim in juvenibus quaſo malitia? quantus in ſenibus torpor? filij curam gerit nemo, nemo Zelum habet, vt ſenem reſpiciens imitetur; exemplaria deleta ſunt, propterea neq; juvenes evadunt laudabiles.*

Non obſtante, quòd vniverſim plures Catholici pereãt, fieri nihilominus poteſt, vt in certis familijs, domibus, vrbibus, provincijs, plures ſalventur; ſi in ijs viget bona liberorum educatio, & vtriuſque magiſtratûs recta gubernatio.

Probatur ex contrario apud *S. Chryſoſt. hom. 40. ad pop. Antioch.*

XXI. Quemadmodum autem D. Chryſoſtomus, reos facit parentes Antio-

Antiochiæ, de copioſo ſuorum liberorum interitu; quòd boni exempli facem non præluxerint, quòd nulla virtutis præfixerint veſtigia, quòd graues filiorum, filiarumq; culpas pulchrè, imò ſtultè diſſimulaverint; ſic planè, qui cum imperio alijs præſunt, quando nullâ divini honoris ratione habitâ, omnia impunè flagitia permittunt; imò ad ea viam ſternunt, proprio magiſterio, quid aliud faciunt, quàm ſuos perdere? vt mirum non ſit, tales cum pereuntibus perire, & parentes cum liberis, & Magiſtratus cum ſubditis.

Habemus prototypon apud eos, qui cum olim diſſimili quidem ſtatu, ætate, fortunâ, conditione, inter ſe eſſent, ſimili tamen mortis genere extincti, communique orbis cataclyſmo hauſti ſunt; quia ſcilicet eâdem ſcelerum abominabilium catenâ implicati, eandem pœnam luerunt. *Erant comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes*, ait Veritas. quæ quidem tolerabiliora videri poſſent, niſi aliunde conſtaret, infami libidine, omnique turpitudine, tunc omne hominum genus corruptum fuiſſe. Nemo parens eo articulo ſobolem ſuam, nemo Magiſtratus ſubjectos ſibi, in officio divini timoris continuit; nemo vnus fuit, qui alios à vitijs dehortaretur verbo, adhortaretur ad virtutem exemplo. ergo rei omnes de eadem malitia, eodem fato ſunt involuti, dicente Chriſto: *venit diluvium, & tulit omnes.* Si excipias Noë, qui *vir juſtus atq; perfectus, gratiam coram Domino invenit*; ſeruatus ab excidio illo communi, cum familia ſua paucula; quam vtiq; ſic docuit Deum habere in oculis atq; corde, vt appareat privilegium Noëmo, & ſuis conceſſum, præmium fuiſſe pietatis.

Item ex communi orbis diluvio.

Matth. 24. 38.

Gen. 6. 8.

XXII.

Gen. 3. 13.

Ex conflagratione quoq; Pentapoleos.

Gen. 19. 4.

Non imparem fortunã expertus eſt Loth, quo tempore *homines peſſimi, & peccatores coram DEO nimis*, igne cœleſti cum Sodoma, & vicinis vrbibus conflagrârunt; poſtquã nemine eorum (qui ex officio & poterant, & debebant) prohibente, libidinoſiſſimi incolæ, neſcio quæ dedecora patraturi cum angelis hoſpitibus apud Loth, *vallaverunt domum à puero vſque ad ſenem, omnis populus ſimul*; & conniuente filijs patre, & civibus ſenatu, fortaſſis etiam chorum ducente. Sed ne ſulphurei ignes, corriperent Lothum cum familia ſua, ab ipſo, ſine dubio bene ad divinæ legis regulam inſtituta, effecit peregrinorum Angelorum pia induſtria; eorum enim manibus extra vrbem, ſimul & periculum poſiti fuerunt. Itaque ajo, fieri hodieque poſſe; imò & ſolere; vt tametſi major fidelium pars, ex reprobis conſtet, tamen nihil impediat in communitate aliqua, populo, regione, vrbe, familia, domo, plures ſaluari, vel omnes

etiam iræ divinæ cataclyſmo eximi, vel incendio infernali: ſi nimirum & parentes bonam adoleſcentiæ promoverint educationem, & Magiſtratus vterque cauſam Dei, religionis & conſcientiæ ſuſceperit, in ſubditis legitimè regendis. Dabunt etiam plures cœlis incolas Aulæ illæ, quarum ſuprema capita, non niſi optimos quoſq;, & lateri ſuo, & officijs admittunt; exemplo Regis Davidis, qui de ſe ipſo teſtatur: *perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domûs meæ. non proponebam ante oculos meos rem injuſtam, facientes prævaricationes odivi. non adhæſit mihi cor pravum, declinantem à me malignum non cognoſcebam. detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. ſuperbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam. oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum; ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat; non habitabit in medio domûs meæ, qui facit ſuperbiam.* Quis non videat in ejuſmodi aulis, vbi & ſelectus eſt piorum, vbi etiam aulici ac palatini, ſequuntur ſuorum virtutem Principum, Regum, Cæſarumque; plures ab æterno ſeruari interitu, & beatis adſcribi? quod multò certiùs affirmaverim de illis ſacris cœtibus, quos faciunt perſonæ vtriuſq; ſexûs, Deo per religionis vota obſtrictæ. Quis negare velit, harum ſi non omnes, ſaltem pleraſq; ibi ſalvari, vbi inſtituti, ordinis ac regularum, viget viretq; obſervantia. *Itaq;* (vt cum Apoſtolo loquar ad pias, ſed timidas mentes) *conſolamini invicem in verbis iſtis.*

Aulæ piæ, Davidicæ ſimiles, cœlum augent. *Pſal.* 100.

Multò magis bene inſtituti cœtus Religioſarum perſonarum.

1. *ad Theſſal.* 4. 18.

XXIII. Poſt hæc ita diſputata, de numero prædeſtinatorum & reproborum, ſive vniverſim comparatione totius humanæ gentis, ſive ſpeciatim intuitu adultorum maximè fidelium, in Eccleſia Chriſti orthodoxa; fruſtra omnino, quæſtio illa cujuſdam in Evangelio, proponitur: *Domine ſi pauci ſunt, qui ſalvantur?* Attendenda eſt potiùs Salvatoris reſponſio, & millies ruminandum hoc verbum: *contendite intrare per anguſtam portam.* Profectò vijs aut portis centum non aditur cœlum, ſicut Thebana olim civitas. vna quaſi, & vnica ad beatitudinem via eſt, eaq; *arcta;* vna porta, eaq; *anguſta*, adeò, vt difficilis ſit ingreſſus. Ea propter æterna Veritas, tam ſeriò hortatur ſingulos: *contendite intrare per anguſtam portam.* Neq; terminum ponit huic conatui diem craſtinum, ægritudinis tempus, ſenium capulo propinquum, ipſamq; mortis viciniam; vult potiùs, vt omnium noſtrum vita, ſit vnum, continuumq; contendere, adlaborare, conniti ad ſtudium virtutis; quam neceſſitate quadam ſequitur, æternandæ ſemper apud ſuperos beatitudinis poſſeſſio. Et quemadmodum ea, quæ magnetis tactum ſemel admiſerunt, tam

Luca 13. 24. Quæſtio illa, num pauci ſalventur, non debet moveri ſolicitè. *Matth.* 7. 13. Sed illud potiùs inculcari: *contendite intrare per anguſtam portam.*

tam diu ſunt in perpetuo motu, donec ſideri ſeptemtrionali opponantur quaſi ad aſpectum: ſic quorum corda Deus, ſpeciali beneficio tangit, excluſâ omni velut quiete, ſemper quaſi in motu, oculum vultumq; firmant ad pietatis incrementum; euntq; magna cum diligentia, & diligenti ſolicitudine, *de virtute in virtutem.* *Pſal. 83. 8.* Qui ipſe conatus tam ſerius, merito ſuo à quibuſdam ſacris Doctoribus, ſtatuitur inter ſigna prædeſtinationis.

XXIV.

Procraſtinatio pœnitentiæ, ſignum eſt reprobationis: prædeſtinationis autem ejuſdem acceleratio.

Ergo, quia contrariorum eadem eſt ratio; ſignum reprobationis illi habebunt, qui nullam ſuæ conſcientiæ ſuſcipiunt curam, quorum omnis vita vnum eſt flagitium, quibus decretum eſt ſuas cupiditates proſequi, dum datur; incurij futurorum, improvidi ſecuturæ æviternitatis. Imò verò, vt eam præ oculis ferre videantur, & frui velle aliquando feliciter; jam deſtinant conſilia ſua, & diſponunt propoſita ad pœnitentiam: ſed tardam illam & ſeram, fortaſſis nunquam ſeriam. Ego autem cautelæ impiorum, ſuam emendationem cunctantium, ſpe olim aliquando reſipiſcendi, hac ſcriptione exhortatoriâ oſtendam, inter varia alia reprobationis indicia, non vltimum, ſed quaſi primũ, cenſendam eſſe PROCRASTINATIONEM POENITENTIÆ. quod argumentum ideò libentiùs ſuſcipio, quia hactenus à nullo memini calamo fuſiore pertractatum. Quiſquis ſapit, infelicem notam mutabit cum fauſta, ſignumq; reprobationis transferet in prædeſtinationis teſſeram. Id verò tunc eveniet, ſi dilata pœnitentia, tranſeat in celerem ac velocem. Nam juxta mentem D. Chryſoſtomi: *ex dilatione periculum ac metus naſcitur. ex eo autem, quòd quis moram omnem, ac cunctationem fugiat, perſpicua ac certa ſalus.*

S. Chryſoſt. 2. ad Cor. cap. 10. hom. 22. in moral.

Digitized by Google

PARAGRAPHVS II.

MALI DOEMONIS PESSIMVM CONSILIVM,

Pœnitentiam, vitæq; emendationem,

PROCRASTINARE,

in dies, annoſq; ſecuturos.

I. QVi vermium inteſtinorum laborant morbo, lac identidem hauriunt, vt domeſtica peſtis, hoc liquore quaſi ebria, ferociam diſcat ponere, & noxios dentes cohibere. Imitantur hanc artem mali, atq; (vt ſunt ingenioſi ad nequitiam) cùm afflictæ conſcientiæ petuntur aculeis, morſuq; improbi Vermis, in hoc vnum ſtrenuè conſpirant, quomodo ſpe futuræ aliquando reſipiſcentiæ, lactent carnificem ſuum, & componant in manſuetudinem. Hinc illæ voces; needum dierum omnium ſol occidit: nondum effluxerunt omnes guttulæ, arenulæ omnes: nondum elapſæ ſunt è clepſydra: ſeruatur quadrans pœnitudini: momentum quodvis ſatis eſt cœlo lucrando, & diluendis noxis: vnico ſuſpirio poſſumus neglecta redimere, breviq; compendio mercari beatam æternitatem. Et quid trepidamus? in cujuſvis poteſtate, arbitrio cujuſuis ſtat ſua ſalus. Itaq; nunc dormi Conſcientia, quieſce Vermis, maturè ſatis Cras evigilaturus, aut cùm ad canos venerimus, & ſeros annos; ſive, quando lethalis morbus ad Charontis Cymbam nos juſſerit ambulare. tum enimverò conuaſabimus volentes, atq; cum propitiato per exomologeſin DEO, migrabimus in alium orbem, ad cœleſtia Tempe.

Cantilena impiorum, ſeipſos animantium ad procraſtinandam pœnitentiam.

II. Pulchra hæc eſt ſuaſio, & lacte plena; ſed periculoſa oppidò: quia in ore ſtygij veteratoris nata eſt. Id me pulchrè docet D. Fulgentius, his apertiſſimis verbis. *Bicipiti laqueo frequenter diabolus captivat incautos, vt aut ſpe vanâ futuræ remiſſionis obtuſi, nolint juſtitiæ timore converti; aut remiſſionem omnimodis deſperantes, converſionem negligant, & habenas iniquitatibus relaxantes, dum deſperant indulgentiam,*

Eſt laqueus mali dæmonis.

S. Fulgent. lib. 1. de remiſſ. peccat.

currant

Digitized by Google

currant præcipites in gehennam. ac ſic ille callidus humani generis inimicus, alios deſperationis temeritate præcipitat, alios autem fallacis ſpei deceptione ſupplantat. Sed placet hanc dœmonis ſtropham, diligentiùs examinare, vt poſſimus exire illas ejus tendiculas, quas ponit illaqueandis quamplurimis, ſuo emolumento, alieno damno.

Lyſander (ipſiſſimus aſtutiæ pullus) dicere nonnunquam ſolebat; vbi quod vellet, non aſſequeretur leonis exuviũ, ibi vulpinum applicandum eſſe; ſignificans, quod honeſtis rationibus ſuaderi non poſſet: fraude, doliſq; perficiendum. Sed nemo præ Sathana, hanc regulam ſtrenuè obſervat; hic vbi mortales non poteſt apertâ vi ſubruere, fallaciâ ſolet circumvenire; ſatis benè armatus, quando pulchris ad ſpeciem argumentis, perſuadet nocitura. Quale eſt, cùm deniq; ab hominibus flagitioſis id impetrat, vt converſionis ſuæ initia, reijciant in finem vivendi: aut ſaltem in ſequentes dies, annoſq; ſolis velut illis obfuturos, à quibus, cùm advenerint, comes Pœnitentia fuerit excuſſa. III.

Plut. in Lacon.

Et ſtropha Sathanæ:

Nec pauculi mortalium, hoc tam ſpecioſo Cacodæmonis verbo, in fraudem ducti ſunt; imò in ſuam perniciem, eamq; nullo ævo reparabilem. quodq; indignius eſt, etiam illi deceptionis laqueum induerunt, quos melioribus ingenij donis, Natura liberaliùs excoluit. Iamque illud Comici, non ſemel verum fuit: IV.

Ex qua cuditur homini cataſtrophe.

Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cùm etiam cavet;
Etiam cùm caviſſe ratus eſt, ſæpe is cautor captus eſt.

Plau. Capt.

Igitur quiſquis ſtygiæ vulpis fraudulentiam, in materia præſenti vult evadere, meliùs non poteſt, quàm ſilentio, & aurium obſtructione. nec attendere oportet loquenti, nec reſpondere. omnis hìc congreſſus, periculum habet; ſalus ſtat in fuga, aut miſſione peſtiferi veteratoris.

Qua in re nobis luculentam admodum facem, exemplo ſuo præluxit S. Vincentius Ferrarius. Hic fœliciſſimus quondam per omnem Galliam, Hiſpaniamq; Eccleſiaſtes, poſtquam in S. Dñici leges juravit, viridi adhuc ætate adoleſcens, concubiâ nocte, ante DEIparæ ſtatuam, pro impetranda à filio ſuo, virtute perſeverantiæ ſupplicabundus, vidit inſperatò ad latus ſtare venerandâ ſpecie ſenem, & longi volumine barbitij ſpectabilem Archimandritam. Cacodæmon erat, larvatus mentito religioſi viri ſchemate. qui vbi vitrum duplex gibboſo fortè impoſuit naſo, & demulſam longè ac latè, in omnem partem explicavit barbam, tuſſiq; atq; excreatione proluſit: hæc fallendo Vincentio auditus eſt, quaſi ex pulpito Ma- V.

In Vita S. Vincentij Ferrarij l. 1. cap. 9. apud Suriũ 5. Aprilis.

Et ideo fuit eluſa à S. Vincentio Ferrario.

giſter dicere. velim noſcas me Vincenti; vnus ſum ex veteranis illis Patribus, qui quondam ſeveri Eremicolæ, extra hominum cœtus, Ægypti ſolitudinem incoluêre. Sed ne fallaris, hoc genus vitæ cum canis modò amplexatus ſum; nam floridæ juventuti primos annos donavi, & cùm annis juvenilia gaudia, amores, veneres, & omne laſciuientis licentiæ conſectarium. Poſtea vbi vaniſſimarum ſatur fui voluptatum, & ipſa me ſenectus docuit æſtum adoleſcentiæ dediſcere, jam prope incuruum ſilicernium; optimo conſilio, cœpi vltimos dies DEO transſcribere, atq; in horrido deſerto, vniverſa prioris vitæ delicta, vno quaſi ſpongiæ ductu obliterare. Sequere ergo præeuntem, & annis tuis (dum in flore ſunt) concede aliquid. noli tibi ipſe carnifex fieri, tuumq; corpuſculum per tot jejuniorum, flagellorum, vigiliarum tormenta, enecare ante tempus. Serva te ſenio, futuroq; tempori; poteris poſtremis diebus, vnâ fideliâ duos parietes dealbare, vnâ pœnitudine vniverſa eluere peccata, & fœlicitatem æternaturam compendio lucrari; longæ patientiæ DEUS eſt. *& miſerationes ejus, ſuper omnia opera ejus.* *Pſal. 144. 9.*

VI. Advertit facilè Vincentius ex cantilena hac, quòd è ſtyge corvus, ſuum illud *cras* occineret, atq; invitaret ad caſum, vnde nullis fortè ſæculis exſurgeret; itaq; in malam crucem juſſit avolare: ipſe in arrepto piæ vitæ propoſito, pertinaciter ſtetit. memor haud dubiè ejus, quod D. Anſelmus olim ſaniſsimè ſcripſit: *qui differt in futuram, & forſitan non futuram ætatem, ſuam vitam corrigere; certum bonum dimittit pro dubio, & contemnendo quod perdit, probat ſe non amare, quod expectat, & meretur non accipere.* Ergo ex Anſelmi mente, velle inſolentem conſcientiæ Vermem lactare, ſpe certâ reſipiſcendi, cùm dies craſtini, vel futuri advenerint anni; aut cùm moleſta ſenectus, & ſenectutis pediſſequa ægritudo obrepſerit, fatui eſt hominis conſilium. nunquàm nocentius fit ſilentium, quam cùm malus intra viſcera Vermis obmuteſcit, impletus tam inanibus ſpebus. pollicitatio capeſſendi olim melioris animi, tantum habet vanitatis, quantum incertitudinis promiſſio futuri; quod quidem in propoſita materia, extra noſtram eſt poteſtatẽ. Eam ob cauſam quiſquis es,

D. Anſelm. Epiſt. 1.

Spei capeſſendæ olim pœnitentiæ, tantùm habet vanitatis, quantùm promiſsio futuri temporis.

Rumpe moras, ſemper nocuit differre paratis. *Lucan. 11. Pharſal.*

Quæ poëtæ ſententia, ſi vſquam valet, in negotio ſalutis debet pondus habere. nullæ hîc longæ dilationes, nullæ procraſtinationes tolerandæ; faciendum eſt citò, quod faciendum ſemel eſt pro æternitate. rari hîc ſunt Fabij, qui ſibi cunctando reſtituant rem: plures tergiverſando perdunt,

Hos

VII.

Cæſarius lib 4. mirac. cap. 17.

Hos inter, quondam fuit juvenis ille, qui poſtquam ſe Ordini ſacro transſcripſiſſet, vano turpiter augurio deceptus, religioſæ vitæ jugum turpiùs abjecit; non ſine lamentabili tandem exitu. Nam, vt ad veris initium, Cantantem aliquando cuculū audivit; ſecundùm viginti duas interruptiones, quas fecerat avis (ex recepta etiam tum anicularum perſuaſione) credidit ſe totidem annos ſupervicturum. Ea propter homo nimis ſuperſtitioſè credulus, & pertæſus prioris in clauſtro aſperitatis, ſtatuit Religioni vale facere, ſeq; ad mundi illecebras propediem recipere; certus, viginti annis, per delicias malè abſumptis, reliquos duos ſeriæ pœnitudini conſecrare; honeſtam coronidem morti adjecturus. Sed falſus eſt miſer ſpe ſuâ, quam ex cuculi vaticinio hauſerat: vix enim infamis apoſtata, guſtare cœpit adeò calidè amatas ſæculi cupedias, & prohibitus eſt proſequi cœptas: ſtatimq; poſt alterum tam fœdæ migrationis annum, miſerabiliter extinctus fuit; juſtiſſimâ Numinis vindictâ, vt neq; quos ſibi promiſerat, viginti in voluptatibus annos exigeret; neq; poſtremos duos, quos pro reſipiſcentia ſomniavit, inveniret. Rem hanc omnem, & miſelli juvenis ſtultitiam, aptiſſimis verſibus ante oculos ponit Chriſtianus Poeta in hunc modum.

Iuvenis, inani vaticinio cuculi deceptus, nec cucullum, quem exuit, nec pœnitentiam, recepit.

Alphab. diabol. V. Zoiph:

Metro deſcribitur decepti Iuvenis hiſtoria.

Turpis ab excelſa ructabat cuculus orno,
Dulciſonas inter cantor ineptus aves.
Bis decies fractum jam riſerat aura ſonorem,
Addiderat pauſas vox repetita duas.
Audijt hoc Juvenis; quid do virtutibus, inquit,
Et florem tanto tempore perdo meum?
Augurium accepto potiùs; me Cuculus annos
Viginti cantat vivere poſſe duos.
Ergo vale Virtus, viginti ſcilicet annis
Quos genio vivam, delicijsq;: vale.
Qui reſtant, tibi dono duos, quod ſufficit. Eheu!
Quàm fati Juvenis prodigus iſte ſui eſt!
Credit avi: & geminum nondum compleverat annum,
Cùm jam calua levis, jam brevis vmbra fuit.
Vigintiq; vbi ſunt, cecinit quos Cuculus annos?
Næ dignus famulo eſt, iſte propheta ſuo.

Ita nimirum cum hoc infelici homine, fiunt vtriuſq; orbis fabula non rarò illi, qui longam vitam, ſeroſq; annos ſibi per ſomnium ſpondent, vt perſuaſi de facilitate olim pœnitendi, pergant audaciùs interim peccare. Stultum nimis eſt, ſana conſilia in eam ætatem

tem velle tranſmittere, ad quam aut pauculi vitam ſuam perducunt,aut non niſi ægram, & morbis & ſenio fatiſcentem.

IX.

1. ad Timoth.1.15.

Maldonatus ad Luca 9.52. Luca 9.54.

Loca ſcripturæ, & dextri latronis exemplum, videntur animare impios ad ſpem ſecuturæ olim pœnitentiæ. Luca.23. 43. S. Chryſoſt. lib. de reparat. lapſ.

D. Arnoldus tract. de 7. Verb. Chriſti in cruce.

Sed enim objiciet aliquis (ſcilicet ex Satanæ dictatu, peſſimi Doctoris)iſtud Apoſtoli plenum ſolatio dogma. *fidelis ſermo,& omni acceptione dignus,quòd Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum, peccatores ſalvos facere.* Et illud alterum Veritatis æternæ verbum, quando excluſus DEI filius vrbe Samariâ,diſcipulos è cœlo fulmina evocaturos,ſuper inurbanos cives, graviſſimâ hac increpatione caſtigavit:*neſcitis cujus Spiritûs eſtis, filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Neq; verò ſalvandis animabus videtur DEVS certum tempus,certam ætatem,annum, diem præfigere; quodvis momentum ſufficit. Expertus hoc eſt,& quidem ingenti bono ſuo ille latro,qui in Golgothæo monte, Chriſti crucifixi latus cinxit, & ipſe infami ſtipite pendulus. Nam tametſi vitam omnem per mille ſcelera exegerit, nihilominus horulâ unâ, alterâve, priuſquàm efflaret animam,illud omni ſaccaro ſuavius verbum audivit,*hodie mecum eris in paradiſo.* Hujus liberaliſſimæ promiſſionis memor D.Chryſoſtomus ſic ait: *Latro ille,qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis,vt ingreſſum paradiſi mereretur; ſed tantùm ei ſpatij ſuffecit, donec vnum poſſet proferre ſermonem: ita vt intra vnum momentum temporis,totius vitæ ſceleribus abſolutus,præcedere ad paradiſum etiam Apoſtolos mereretur.* Neq; minùs & DEI bonitatem commendat,& fiduciam impiorum roborat D. Arnoldus, occaſione latronis à Chriſto tam velociter in gratiam recepti. Ejus hæc eſt pronunciatio. *Cum jam anima egreſſum accelerans, in primis labris eſſet,& hora vltima adventaret; æquo animo ibat, nec vrgebat formido pœnarum conſcientiam,quæ ſe ſanguine Chriſti præterfluente, ſentiebat ablutam.* Et non multò poſt: *conſiderare inquit, neceſſe eſt, quid poſſit pœnitentia; quando bonus Dominus,tribulato corde clamantem ad ſe ſervum ſuum, etiam in vltimo peccati puncto, non negligit.* Deniq; ut breve Compendium proponat, & divinæ miſericordiæ, & humanæ reſipiſcentiæ; *Latro* ait, *nobis occurrit, pœnitentiæ regula,confeſſionis forma, indulgentiæ præco, ſpei exemplum.*

X.

Argumentum pœnitentiæ futuræ, petitum ex perſona Latronis dextri:

Atque hinc aliqui (vt putant) puſillanimitati malagma confecturi,ſpem ſibi indubiam faciunt, etiam cùm inopes virtutum,divites vitiorum, ad extrema venerint; facilem apud DEVM veniam ſuorum erratorum ſe conſecuturos. Nullam eſſe tam extremam vitæ periodum, cui negetur condonatio ſcelerum. nunquam defuturam Numinis clementiam, ſi pœnitudo ſubeat peccati. quod vnus obtinuit latro, quotquot cum eo ingemuerint ſeriò, idem impetraturos.

petraturos. latronis veniam, Spem eſſe improborum mortalium.
Neq; diffitetur S. Auguſtinus, cùm dicit: *Dum DEVS tantò debitori, refundit immanis debiti cautionem, humano generi conſcripſit ſecuritatem, vt conſolatio ac ſpes fieret totius populi, abſolutio vnius deſperati; & privatum bonum, in publicum creſceret beneficium.* S. Auguſt. ſerm. 120. de temp.

Sed his non obſtantibus; nego eandem ſceleratis omnibus fortunam in morte riſuram, quam nactus eſt hic latro; dandum eſt aliquid diei, quâ DEI filius in mortali carne, clavis ferreis è trabe ſuſpenſus, fœcundâ ſanguinis ſui pluviâ, terram irrigavit: tum enim ſimul & cataractas divinæ miſericordiæ juſſit fluere, omnem pietatis ſuæ abyſſum, vniverſum charitatis theſaurum patere; vt mirum adeò non ſit, eo tam felici die, latronem Chriſto proximum, ſingulari ex beneficio audijſſe promittentis vocem, *hodie mecum eris in paradiſo.* Itaq; homo omnibus vitæ ſuæ annis facinoroſus, vltimam quam vidit lucem, felici clauſulâ ſignavit; eâdemque horâ & veniam criminum à DEO obtinuit, & paradiſum ingreſſus eſt; raro exemplo, atq; in nullam ſequelam trahendo; etiam D. Bernardo conſentiente, & iſtud affirmante: *Si benè memini, in vniverſo Canone Scripturarum, vnum latronem invenies ſic ſalvatum.* Ejuſdem mentis S. Auguſtinus fuit, cujus iſta circumfertur ſententia: *non invenitur in ſacra Scriptura niſi vnus, ſcilicet latro: qui in fine vitæ, verè pœnituit. ille, vt nullus deſperet; ſolus, vt nullus præſumat.* Et alibi ſic ait: *licet latro veniam meruerit in fine, de omni ſuo crimine, non tamen dedit baptizatis, peccandi & perſeverandi authoritatem.* XI. Non concludit æqualiter pro omnibus ſceleratis diu hominibus, & cur? D. Bernardus ſerm. 38. inter parvos. S. Auguſt. lib. de vera & falſa pœniten. cap. 17.

Hallucinantur igitur turpiter, qui dum optimam ætatis partem in flagitijs comburunt, ipſi ſibi liberaliter ſpondent, certiſſimam olim pœnitentiam, ſalutemque indubitatam. Sed heu! non ſemel conſilia iſtorum funeſtum habent exitum; quia quem conantur evadere interitum, in fuga ſua quandoq; inveniunt, pari cum Ægyptijs infortunio. Hi (vt in Pentateucho meminit Moyſes) cùm fugitiuos è terra ſua Judæos, vſq; ad maris rubri initia, hoſtilibus copijs premerent, novoque ac planè inſolenti miraculo, aquæ in diverſa abeuntes, viam Iſraëli patefacerent; ſtatuerunt concordi ſententiâ, elapſos per idem maris vadum perſequi: rati non ſibi minùs, quàm illis fluctus propitios fore, atque in ſtatione fideliter perſeveraturos, donec erupiſſent. Sed decepit ſpes ſua Ægyptios: quod Hebræis ſingulari beneficio à Numine conceſſum fuit, ipſis negatum eſt. Itaque tum demum ſe perperam concluſiſſe ſenſerunt, quando aquis involuti vndique, ani- XII. Exod. 14. Ægyptij intercepti fluctibus in mari rubro:

 mam

mam diris execrationibus plenam, cum bile tota in pelagus expuerunt.

XV. Cave ſis mi bone, ne cum infortunatis Ægyptijs te ipſum perdas, atq; in ſtygem præcipites, & rubrum ab ignibus mare; cùm vel maximè illud declinare cogitas. Peſſima eſt hæc conſecutio, & magiſtro Dœmone profecta; latro per omnem vitam ſceleſtus, reſipuit vltimâ ante mortem horâ, flammas inferorum evaſit, inter paradiſi incolas aſſertus eſt. igitur pari facilitate, fortunâ non diſſimili, potero cras, potero olim in ſenio, ægritudine, poſtremâ ætate, vltimâ horulâ, momento uno, ad mentem redire, redire ad offenſum Deum, impetrare ſcelerum veniam, cocytum effugere, ad cœlum tranſire; juvat interim bonarum eſſe rerum, & perpetua Saturnalia celebrare, curiſque ſolutis, in omnes delicias laxare animum. Et profectò, quantùm fallaciæ contineat hæc vaniſſima perſuaſio, nata ſub ſtygij Vulcani malleo, jam aggredior enucleatiùs demonſtrare.

Imago ſunt impœnitentium inter pœnitentes, Chriſtianorum.

PARAGRAPHVS III.

Craſtinum quám incertum ſit, volentibus CRAS pœnitere.

I. PRimùm enim, nemo tibi juratam ſponſionem fecit de Craſtino, quò tu reijcis omnem tuæ reſipiſcentiæ neceſſarium apparatum; dolorem verum de peccatis, perfectam exhomologeſin ſcelerum, propoſitum adamantinum non iterandi toties frequentata. S. Auguſtinus nectentes moram improbos, in ſalutis cauſa, ſic periculi ſui admonet. *Incipiunt dicere in cordibus ſuis: Si quacunq; die converſus fuero à via mea peſſima, Deus miſericors (ſicut veraciter per Prophetam promiſit) omnes iniquitates meas oblivîſcitur. quare hodie convertor, & non* CRAS*? quare hodie & non* CRAS*? Eat hodiernus dies, ſicut heſternus, ſit in nequiſſima voluptate, ſit in flagitiorum gurgite, volutetur in mortifera delectatione.* CRAS *convertar, & finis eſt. Reſpondetur tibi, cujus rei finis? dicis, iniquitatum mearum. Bene, gaude, quia craſtino iniquitatum tuarum erit finis. Quid, ſi ante* CRASTINVM *tuus erit finis? Ergo bene quidem gaudes, quia propter iniquitates tuas converſo tibi, indulgentiam Deus promiſit; ſed craſtinum diem tibi nemo promi-*

S. Auguſt. ſerm. 59. de Verbis Domini.

Senſus impiorum CRAS volentium reſipiſcere.

promiſit. Aut, ſi fortè promiſit Mathematicus, longè aliud eſt. Quàm ò Deus! multi Mathematici fefellerunt, quia ſibi plerumq; lucra promiſerunt, & damna invenerunt.

II.

Præſumptionem temperat CRASTINI incertitudo.

Idem inſtitutum prolixiore calamo proſequitur citatus jam Auctor, ſaluberrimâ mixturâ temperans ſpem veniæ, cum incertitudine futuri craſtini; ex occaſione paganorum, Chriſtianos accuſantium, tanquam nimis confidentes de impunitate ſcelerum, propter facilitatem pœnitendi. Ejus hîc tibi verba adnumero, digniſſima, quæ in trutina rectæ rationis expendantur ad pondus veritatis. *Hodie paganorum*, ait, *opprobrium, quale in nos eſt? Quid putatis fratres, quid eos putatis dicere nobis? Vos corrumpitis diſciplinam, moreſq; generis humani pervertitis. Quid inveheris? dic quam ob rem? quid fecimus? Dando inquit, hominibus pœnitentiæ locum, promittendo impunitatem omnium delictorum; ideò homines mala faciunt ſecuri, quòd eis cùm converſi fuerint, omnia dimittantur. Hinc ergo opprobrium.* Sed reſpondet friuolo oppugnatori Hipponenſis Antiſtes totidem verbis. *Quid agis miſer, ſi non erit portus impunitatis? ſi ſola fuit peccandi licentia, & nulla peccatorum eſt indulgentia, vbi eris? quò ibis? Sed tamen inquis, augent homines peccata, ſpe veniæ. Imò augerent peccata deſperatione veniæ. Nónne attendis quàm licentioſâ crudelitate vivant gladiatores? Vnde hoc, niſi jam tanquam ad ferrum & victimam deſtinati? explere volunt libidinem, antequam fundant ſanguinem. Nónne hoc & tu tibi diceres; jam peccator ſum, jam iniquus, jam damnandus, nulla veniæ ſpes eſt. Cur jam non faciam, quidquid libet, etſi non licet? Cur non impleam, quantum poſſum deſideria, ſi poſt hæc non reſtant niſi ſola tormenta? nónne hoc tibi diceres; & deſperatione ipſâ pejor fieres. potiùs ergo te corrigit, qui indulgentiam promittit & dicit: redite prævaricatores ad cor. nolo mortem impij, tantùm vt revertatur & vivat. hoc procul dubio, portu propoſito, deponis vela iniquitatis, convertis proram, velificas ad juſtitiam; & ſperans vitam, non negligis medicinam. Nec in hoc tibi diſpliceat Deus, tanquam per iſtam indulgentiæ promiſſionem ſecuros feceris peccatores. Etenim ne deſperatione homines pejus viverent, promiſit indulgentiæ portum: Rurſus ne de ſpe veniæ pejus viverent, fecit diem mortis incertam; providentiſſimè vtrumq; conſtituens, & revertentes quò recipiantur, & differentes vnde terreantur. Noli deſperare, promiſſa eſt indulgentia tibi. Deo gratias, quia promiſſa eſt; teneo promiſſum Dei. Ergo jam bene vive. Cras, inquis, bene vivam. Indulgentiam tibi Deus promiſit; Craſtinum diem tibi nemo promiſit.*

S. Auguſt. in Pſal. 101 poſt mediũ.

Iſaia 46.

III.

Quã docet experiẽtia.

Et experientia multiplex loquitur, ſubitò inſperatis caſibus, homines ex hac vita abripi, neq; videre ſemper alterius diei ſolem.

Digitized by Google

In rem preſentem egregiè Seneca Tragœdus ait.

Seneca in Thyeſte.

Nemo tam Divos habuit fauentes,
Craſtinum vt poſſit ſibi polliceri:
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

Petita ex hiſtoria ſacra.

Iudic. 3. 19.

Iudic. 9. 53.

2. Reg. 3.

2. Reg. 18. 14.

Iob. 2. 18. & ſeq.

Sunt etiam obvia paſſim exempla. Eglon Rex Moabitarum, quo die aures peregrino dedit, audientiam ſecretam poſtulanti, capulo tenus gladium in viſcera recepit, vixq; ſenſit vulnus ante mortem. Abimelech fortiſſimum heroëm, cùm turri expugnandæ ſubijt, muliercula lapidis jactu ita proſtravit, vt poſt illam impreſſionem, lucem amplius nullam aſpexerit. Quid, quòd Amaſa inter amplexus & oſcula, nihil hoſtile metuens, infido Ioabi pugione confoſſus eſt, repenteque mortuis adnumeratus? Et Abſalon, magnis paſſibus ad patris coronam gradiens, eo die, quem ſibi victoriosum maximè credebat, ex quercu pependit; infelicis haſtiludij ſcopus. Eſt & illud triſte, quòd Iobi, Sanctiſſimi parentis liberi, inter conviuales delicias, inopinatâ domus ruinâ, & die eodem oppreſſi, & eodem ſepulchro ſunt tumulati.

IV.

Profana.

Quod ſi extra ſacram paginam lubet expatiari, ad profana monumenta; Anacreon Poëta, quâ voluit horâ vinum guſtare, miſerrimè jugulatus eſt: nullo alio vim inferente, præterquam vuæ acino, qui in gula hærens, nondum ebriam eliſit animam bibenti. C. Pebius Pamphilus prætor, ex puero ſuo ſciſcitatus de hora diei, ante reſponſum expiravit infelix, quia nec proximam mortis ſuæ horam, de qua quæſijt, intelligere potuit. Cæſar prætor, dum mane calceum induit, extinctus eſt. tantum non habuit temporis ſpatium, vt honeſtè veſtitus mortem ſequeretur, ad æternitatis iter ducturam. Æſchilus, Poëta calvaſter, loco aprico inſederat; & aquila ſublimè prætervolans, ac teſtudinem vnguibus ferens, cùm ſplendore caluæ decepta, rupem crederet, prædam capiti perinde, ac lapidi illiſit: fecitq; adeò vno caſu, & alterum, ſed fatalem Æſchilo; nam eo ictu mortuus eſt. Fuit & illud, neſcio admirabilius an miſerabilius, alterius Poëtæ ſpectaculum. Philæmon is erat, qui cùm vidiſſet aſinum, inter cætera menſę bellaria, ficus paratas vorantem, tanto diffluxit riſu, vti mox expiraret. & adhuc ridens, haud dubiè etiam ridiculus, hinc ad inferos migraret. Zeuxin quoq; picturæ facilè principẽ, riſus perdidit. id ita eveniſſe produnt. Vetulam hic homo depinxerat, edentulam, vietam, annis & viribus defectiſſimam; vno verbo, fœmineum monſtrum.

P. Carolus Muſſart in ſpeculo mortalitatis. ſ. 3.

Dum

Dum re abſolutâ, vt fit, ad opus recognoſcendum ſe accingit, contemplaturq; in tabella aniculam illam ſuffarcinatam, breviculam, aridam, exſuccam, exanguem, bucculentam, recedentibus oculis, pendentibus genis, exſtante deorſum mento, depreſſo introrſum ore, ſuperſtante naſo, neq; integro, neque ſicco; enimverò ſuborto affatim riſu, ac ſplene ſaliente, mox intercluſo ſpiritu ſuffocatus, expiranſque, comœdiam hanc omnem, ſimulq; vitam, tragico exitu concluſit.

Ita deniq; leviſſima quævis occaſio, homini vitam adimit, etiam cùm longum ſibi CRAS ſpondet corrigendis moribus. Vt proinde rectiſſimè exclamet veriſſimus Chriſti imitator Thomas Kempenſis: *ah! ſtulte, quid cogitas te diu victurum, cùm nullum diē habeas hîc ſecurum. quàm multi decepti ſunt, & inſperatè de corpore extracti? quoties audiſti à dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille ſubmerſus eſt, ille ab alto ruens, cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit: alius igne, alius ferro, alius peſte, alius latrocinio interÿt.* Idem hoc argumentum de morte repentina, Craſtinum non opinantibus eripiente, D. Ephrem latiùs ita proſequitur. *Multi dum multa ſecum ſtatuerunt, ad craſtinum non pervenerunt; at ſubitò rapti ſunt, ſicut paſſerculi ab accipitre, & velut agni à lupo; & quaſi captivus à latrone, nec loqui prorſus valentes, nec teſtamentum condere, neq; vocem vllam edere. Alÿ enim veſpere cubitum ſani concedentes, ad mane non pervenerunt: alÿ ad menſam accumbentes expirârunt: alÿ inter ambulandum & ludendum, repente ſunt mortui; alÿ in balneo morientes, idem lavacrum pro epitaphio ac ſepultura imbuerunt; alÿ dum nuptias celebrarent, in ipſo thalamo nuptiali, ſubitò atq; inopinatò abrepti ſunt: & eadem ſibi veſtimenta pro nuptÿs parârunt, atq; pro funere; ſucceſſeruntq; in locum tibicinum lamentantes, & in locum ſaltantium atq; tripudiantium, lugentes atq; plorantes.*

V. Teſtimonio ſanctorum. *Thom de Kempis lib. 1. de Imit. cap. 23.*

D. Ephrem Orat. in eos, qui in Chriſto dormierunt.

Nemo igitur ſibi ſecuturam poteſt diem ſine temeritate polliceri; nedum longos annos, faciendæ totius vitæ emendationi, aut ſeriæ pœnitentiæ. mors quotidie in inſidÿs latet, quotidie incautos opprimit, neq; vadimonium expectat. Hujus rei gratiâ, credo in cautelam olim Neophytos monuit, Iacobus Domini Apoſtolus: *dicitis, hodie aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & morabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis, quid erit in craſtino. quæ eſt enim vita noſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Eſt hæc tacita increpatio, eorum ſcripta ſtoliditati, qui toti lucris, mundiq negotÿs addicti, ita futura pro arbitratu ordinant, quaſi vitæ ſuæ, ac temporis domini; cum tamen

VI. *Iacobi 4. à V. 13.*

vniverſorum hominum flatus, ex ſolius DEI nutu pendeat, mortiſq; ſubitò imperio.

VII. Egregiè in hanc rem, oculus ſapientiæ Romanæ Seneca, poſtquam narravit inſperatum ſenecionis Cornelij obitum, in procurrentis jam opulentiæ impetum merſi heluonis: *Quàm ſtultum eſt* inquit, *ætatem diſponere? ne craſtino quidem dominamur. O quanta dementia eſt, ſpes longas inchoantium. Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram; tum demum laſſam & plenam ſenectutem in otium referam. Omnia mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt. nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere; id quoq; quod tenetur, per manus exit; & ipſam quam premimus horam, caſus incidit. Voluitur tempus ratâ quidem lege, ſed per obſcurum. Quid autem ad me, an naturæ certum ſit, quod mihi incertum eſt? navigationes longas, & pererratis littoribus alienis, ſeros in patriam reditus proponimus; militiam, & caſtrenſium laborum tardâ manu pretia, procurationes, officiorumq; per officia proceſſus; cùm interim ad latus mors eſt.* Vtique nos fortunatiùs occupatura, ſi inter alia, quæ in futurum reijcimus, vitam eximamus meliorem; hodie eam auſpicaturi, quando nobis incertum eſt Craſtinum. Nam vt cum Venuſino poëta loquar,

Romani ſapientia.

Seneca lib. 17. epiſt. 102.

Quis ſcit, an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ,
Tempora Dij ſuperi?

Horat. l. 4. oda 7.

VIII. Atq; hinc nata eſt illa ſapientis cautio: *ne glorieris in craſtinum, ignorans, quid superventura pariat dies.* Nam ſi neſcis, etiam tempus ſuos partus habet. præſertim caſum & fortunam; quæ ſicut aliquibus eveniunt ad vota, ita multis ſiniſtrè accidunt, fiuntque longa ſuſpiriorum materia. Sed quoniam inter triſtes eventus, cenſetur acerbiſsima eſſe neceſſitas moriendi; hæc verò non rarò appendix eſt craſtini; hinc Salomon ſubmonet, ponendam ab vnoquoq; nimiam futuri ſecuritatem, & craſtini confidentiam; neq; illuc remittenda ſalutis opera, ſed quam primùm executioni danda; quandoquidem incertum eſt, quid proxima dies paritura ſit expectanti, vitam an mortem. Quiſquis ſapit, hodie ſibi vivit & DEO, cras forſitan moriturus; fortaſſis & hodie. nam ſicut nihil incertius eſt apud hominem certitudine longioris vitæ; ita nihil certius eſt, mortales dum hîc vivunt, quotidianis vndiq; moriendi periculis eſſe expoſitos. Veriſſimè iterum ſapiens: *neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur; ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſupervenerit.*

Prov. 27. 1. Partus temporis, eſt caſus & Fortuna.

Eccl. 9. 12.

Quàm jucundum, tam miſerabile quoq; eſt, aſpicere piſciculum

Digitized by Google

lum piſcatori, aviculam aucupi ceſſiſſe in ſpolium. Inſidet areæ concinnatæ volucris, & vel eſcam quærit, vel gaudiũ: allicientibus hinc inde ad conſortium Sodalibus, ſed in perniciem hoſpitis. nam vix benè peregrina circumſpicit, vix applaudit cantillanti choro, & jam laqueum induta, pollicem violentum patitur. Similis infelicitas piſcium eſt; quando enim pinnarum remigio adjuti, properant ad prędam, ipſi præda fiunt: captiq; ab hamo latente, trahuntur ad cultrũ, flammam, mortem. miſeri! quia improvidi & incauti periculum non proſpexerunt, cùm poterant declinare. Ad hunc modum, inquit Sapiens, cõtingit frequenter mortalibus; vt cùm minimè arbitrantur, cùm nihil ſuſpicantur, dũ etiam adhuc moliũtur multa, diſponũtq; circa futuras voluptatum illecebras, eos extemplò, eos hodie occupet mors inopinata. Et tamen Craſtini eſſe volumus, & in Craſtinum ſeria reijcere: ſimiles Archiæ Thebanorum Tyranno.

Piſcibus, avibus, homini, idem fere interitus, hoc eſt, repentinus.

X.

Plutarchus de Socratis dæmon.

Cum Archia rege cunctatore, pereunt non pauci, qui inCRASTINVM reijciunt ſuam pœnitentiam.

Huic cœnanti epiſtola lata eſt, quæ conjurationem exulum adversùs eum detegebat, & domum, ad quam ſe conjurati recepiſſent; is tamen jam vino merſus, & mulieris amatæ exſpectatione geſtiens, epiſtolam quidem accepit, ſed non legit. & cùm diceret tabellàrius, de re ſeria ſcriptam eſſe, reſpondit; *Ergo ſeria in* CRASTINVM. ita litteras pulvino ſubjecit, eademq; nocte, à conjuratis occiſus fuit. Pari exitu, plurimi hominum plectimur. conſpirat in caput noſtrum omnis inferorum grex, agitq; hoc vnum, vt ad ſcelus primùm, tum dein ad ſtygem præcipitet. Monet interim fideliter DEVS de conjuratione, monet bonus Angelus, monet Eccleſiaſtes. Singuli imminens periculum obijciunt oculis, jubent nos in excubijs ſtare, veternum excutere, reſcindere malos auſus, ad Numinis clementiam recurrere, palinodiam dœmoni canere; agi de ſalute, de interitu, & quidem æterno, re maximè ſeria: periculum in mora eſſe. Sed nos pigri in ſalutem noſtram, celeres in perniciem, hæc ſeria in Craſtinum cum Archia reijcimus; neq; tamen videmus ſemper, quod promittimus Craſtinum; pridie à conjuratis perdimur. pridie ex hac vita imparati imus, & heu! perimus non ſemel: imò ſemel, & æternùm. Quiſquis in negotio omniũ graviſſimo, quale eſt æternitas ſecutura, vult cautè circumſpecteq; ſe gerere, ne ille in futuros annos, diemq; ſequentem remittat virtutis exercitium, & mores probos. quod corrupit hodierna lux, non ſemper emendat craſtina; quia incerta eſt.

XI.

Seneca ad Paulinum de breVitate Vita c. 9.

Chriſtianè omnino gentilis Sapiens: *maximum benè vivendi impedimentum, eſt expectatio, quæ ex craſtino pendet. perdis hodiernum quod habes, & quod in manu eſt fortunæ, diſponis: quod verò in tua*

eſt,

Diligentiores ad mala temporalia averrũcanda, quàm æterna,

eſt dimittis. quid expectas? quo tendis? omnia quæ ventura ſunt, in incerto jacent. Et vide quàm ſtudioſi ſimus ſervandi corporis, quàm animarum noſtrarum negligentes. Hæſit tranſverſa piſciculi ſpina in gutture, pleuritis latus occupavit, catharrus caput, febricula pectus, phthiſis pulmones inſedit; & ſtatim medicum conſulimus, neq; reſpuimus venarum ſectiones, amaros ex pharmacopæo hauſtus, & mille carnificinas: quin etiam properamus ad hæc ſubeunda mala, ſanando celeriter corpuſculo; Craſtinum non expectamus. Interea dum animæ ſalus in diſcrimine laborat, tardigradæ ſumus cochleæ, & alias ex alijs cauſas nectimus, differendæ medicinæ; reijciendæ in Craſtinum virtuti, pietati, pœnitentiæ.

XII. *Florimund. Ramund. lib. 4. de ortu Hæreſeon.*

Sigiſmundus II. Poloniæ Rex, cognõine CRASTINVS.

Qua in re ſimillimi evadimus Sigiſmundo II. Polonorum Regi, quem ſui CRASTINVM Regem vocârunt. Monebant eum fortè, quos ab intimis conſilijs habuit, hoſtem meditari hoſtilia, cogere exercitus, proximè nocituras acies in campo explicaturum. ea propter in ſenatum eſſe ambulandum, deliberandum de bono publico; de provincijs, patria, ſubditis tuendis. Sed aliud nihil repoſuit Rex, quàm verbum illud frigidum, CRAS, CRAS id agemus, hodie enim non vacat. Vice aliâ, cùm iterum ſui fortè vellicarent Sigiſmundo auriculam, dicerentq; opportunè intercipi poſſe inimicas phalanges; exiret modò Rex cum copijs ſuis, neq; tam commodi temporis occaſionem negligeret; fortunam ſtare in velocitate; victorem fore qui præoccupaverit. Iterum Sigiſmundus, ne ad ſana conſilia omnino mutus eſſet, repetijt ſolenne illud ſuũ CRAS, CRAS; perpetuus cunctator, etiam in rebus vel maximè ſerijs. hæcque ei cauſa peperit Regis Craſtini nomenclaturam; parum honeſtam, quia cum nota venit.

XIII.

Aemulos habet impios, pœnitentiæ & emendationis ſuæ procraſtinatores.

Et quid putamus? quàm multi Chriſtianorum in ſalutis negotio, imitantur hunc Regem Craſtinum? ſubmonet conſcientia, arcanus & fidiſſimus animi conſultor; hem! mi bone, ad calculum revoca annos, quibus hucuſque inteſtina adversùs inimicum odia foviſti, eruptura in clades & funera, niſi occaſio deſtituiſſet conatum. nunc, & quidem HODIE, neceſſe eſt ponere hoſtiles affectus, ac juxta Chriſti præcepta, in mutuam redire gratiam. Quin etiam memineris, quàm gravibus te difficultatibus non ſemel implicueris? quoties ad tribunal ambulaveris? quot te litibus involveris? quàm multa nunc etiam ſub dubia Iuris ac Iudicis cenſura tibi pendeant? quæſo igitur inſpice mentem tuam, & vel hac reſte, ſi quid deprehenderis tibi acceſſiſſe titulo non bono, ſed vi, fraude, alio-

de, aliorum injuriâ; jam, & vel HODIE, jube ad dominos ſuos redire; periturus ſi ſervaveris aliena. Deniq;, quia nemo te meliùs novit, vniverſa illa ſcelera, quibus per omnem retrò vitam, optimum Numen peſſimus homo turpiſſimè offendiſti; nunc, & HODIE, converſionem ſynceram auſpicare, dignam ſatisfactionem para, plenam inſtitue exhomologeſin: & quod ſupereſt temporis, emendationi, pœnitudini, virtuti, Deo transſcribe. Poteris HODIE compendifacere, quicquid ſuperioribus annis in ſalutis cauſa, per ſummum ignaviæ ſcelus neglexiſti.

Sed nempe; verbum illud HODIE, vulnerat multorum aures, nolunt eſſe Hodierni, malunt cum Sigiſmundo Rege, eſſe *Craſtini*; quando mentiò incidit, aut cogitatio de reſipiſcentia, morum caſtigatione, pœnitentia ſuper peccatis facienda. Hîc multi ſolent cunctari, rectéq; vivendi conſilium, non rectè in craſtinas horas remittere: Poëtâ Judice, cùm ait: XIV.

Improbi malunt eſſe pœnitentes Craſtini quàm Hodierni.

Vivendi rectè fatuus procraſtinat horam.

Et iterum;

Sera nimis vita eſt Craſtina; vive Hodie.

Martial. lib. I. Epig. 16.

Concludo præſentem diſputationem cum magno Auguſtino, quo neſcio ſeveriùs, an potentiùs quiſquam eliminaverit moroſum illud *Craſtinum*, in quod improbi complures, plangenda atq; expianda ſua facinora reijciunt. Ejus doctrina, auro gemmiſq; digniſſima, talis eſt. *Miſericors & miſerator Dominus, qui fecit omnia gratis. Longanimis; Quantos enim ſuſtinet peccatores miſericors & miſerator Dominus, in his quibus veniam dedit? in his quibus non dedit adhuc, longanimis, non damnans ſed expectans, & ipſa expectatione clamans: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Et nimiâ longanimitate, nolo inquit mortem impij, ſed vt revertatur & vivat. Dedit ſpem veniæ, ne deſperando ampliùs peccet: & deſperatio timenda eſt in peccatis. Videte vocem deſperantis ad augenda peccata; & videte vocem ſperantis ad augenda peccata; & quomodo vtriq; voci occurrit providentia & miſericordia Dei. Audi vocem deſperantis. Jam, inquit, damnandus ſum; quare non facio quicquid volo? Audi & vocem ſperantis. Miſericordia Domini magna eſt; quando me converto, dimittet mihi omnia; quare non facio quicquid volo? Deſperat ille, vt peccet; Sperat ille, vt peccet. Vtrumq; metuendum eſt, vtrumq; periculoſum. Væ à deſperatione; væ à perverſa ſpe. Vtriq; huic periculo, & vtriq; malo quomodo occurrit miſericordia Dei? quid dicis tu, qui deſperando volebas peccare? Jam damnandus ſum, quare non facio quicquid volo? Audi Scripturam, nolo mortem impij, ſed tantùm vt revertatur* XV.

S. Auguſt. in Pſal. 144

Zachar. 1. Ezech. 18.

Deſperatio & præſumptio, periculoſa apud flagitioſos homines extrema.

& vivat. Hac voce Dei, reducitur iſte in ſpem. Sed timendus eſt alius laqueus, ne ipſe ſpe ampliùs peccet. Quid ergo & tu dicebas, qui ſpe magis peccas? quando me convertero, omnia mihi Deus dimittet, faciam quicquid volo. Eccleſ. 5. *Audi & tu Scripturam. Non tardes converti ad Dominum, neq; differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Noli ergo dicere, Cras me convertam, Cras Deo placebo, & omnia hodierna & heſterna peccata dimittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus converſioni tuæ indulgentiam promiſit: ſed dilationi tuæ diem Craſtinum non promiſit.*

XVI. Et alibi idem Eccleſiæ Doctor Auguſtinus, breviter nervoſeque ſic ratiocinatur. *Longè eſt quidem dies judicij, ſed vnuſquiſq; hominis dies vltimus, longè eſſe non poteſt, quia brevis eſt vita. Et quia ipſa brevitas ſemper incerta eſt, quando ſit dies tuus vltimus, neſcis. Corrige te hodie, propter* CRAS. nam præterquam incertum eſt, an craſtinum viſurus ſis; etiam cùm videris, dubium erit, facturuſne ſis omnia, ex pœnitentiæ legibus præmittenda chriſtianæ morti, caſu quo, ad diem perendinum venturus non es? Qua in re, ſicut Deus juſtiſſimo judicio nonnunquam impijs ſubtrahit favores non debitos, & ſpecialia gratiæ ſuæ auxilia; ita ſi pereunt, culpâ ſuâ pereunt: & præcipuè vitio moroſiſſimæ ad reſipiſcendum cunctationis.

S. Auguſt. ſerm. 16. de Verbis Domini.

Cujuſvis hominis dies vltimus, prope eſt.

XVII. Lucem adfero ex Riberæ commentationibus, ſuper illâ vaſtandæ Ninive, futurâ ſolitudine, ſic à Sophonia Vate ante oculos poſitâ: *accubabunt in medio ejus greges, omnes beſtiæ gentium. & onocrotalus, & ericius in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis in feneſtra, corvus in ſuperliminari.* Itaq; Ninive, vrbium magnificentiſſima, multiſq; palatijs, turribus ac mœnibus ſuperba, adeò à Chaldæis, vltoribus læſi per peccata Numinis, attrita eſt, vt deniq; facta ſit luſtrum ferarum, receptaculum beſtiarum. Sed ex corvo, feralis carminis funeſto cantore, atq; inter rudera, civitatis ſpecioſæ ruinam deploraturo, Ribera moralem hunc ſenſum, felici ingenio excogitavit. Corvus inquit, nigra eſt volucris, & tum libertate ſua abuſa, quando ex arca Noë emiſſa eſt, juxta columbam. neq; alia ejus vox vnquam auditur præter CRAS CRAS; certè verbum HODIE nunquam auditus eſt Corvus crocitare. Per hunc igitur rectè intelligi poteſt homo improbus, & peccatis fœdiſſimè denigratus, & libertate indignè contra Deum abuſus; quiq; de converſione ſua, nunquam hodiernæ diei ſpem facit, ſed ſolùm illud Corvinum perpetuò ingeminat, CRAS CRAS.

Sophon. 2. 14.

Et tamen denigrati ſceleribus impij, naturam & vocem Corvi induunt.

XVIII. S. Hieronymus in Hebræo, pro corvo ponit dictionem, quæ gla-

gladium ſignificat & ſiccitatem; pulchrum ſceleſtis mortalibus documentum. nam tametſi Deus optimus, miſericordias ſuas è cœlis depluat ſuper vniverſum genus humanum; tamen vbi quiſpiam in nigrum corvum degeneravit, & expectanti divinæ pietati converſionem, occinit tardantis animi voculam CRAS, CRAS, in ſiccitatem deſinit pluvia; denique cum ſupplicio quoque ac vindicta permutatur; velut ſi gladio Deus abſcinderet impio ſperatum tempus. neque enim meretur Craſtinum pro pœnitentia, qui hodiernum abſumpſit per flagitia. Demus autem, etiam eum CRAS habiturum ad reſipiſcendum, qui HODIE turpiter neglexit; hîc tamen videtur vel maximè locum habere illud:

Sed in cauſa pœnitentiæ, ſemper periculoſius eſt CRAS, quàm HODIE.

Qui non eſt hodie, CRAS minus aptus erit.

Ovidius.

Vt fatuæ mentis brutum ſit conſilium, emendationem vitæ ſuæ procraſtinare. Sapientiſſimè agit, qui non contentus eſt, hodie bene vivere, ſed & heri piè vixiſſe ſtuduit. Atque huc iſtud Martialis applico:

Cras vives? Hodie jam vivere, Poſthume, ſerum eſt.
Ille ſapit, quiſquis Poſthume, vixit HERI.

Mart. lib. 1. epigr. 59.

PARAGRAPHVS IV.

Improbi, qui in CRASTINVM protrahunt converſionem, illudentibus ſimiles, Deum naſo ſuſpendunt; ſed damno ſuo.

VSque adeò omnia humanæ malitiæ ludibrijs ſunt obnoxia, vt neq; æterna ipſa, æterni patris Sapientia, Chriſtus inquam Dei filius, amarulentis ſe malevolorum cachinnis potuerit expedire, quamdiu has terras incoluit, & morum Cenſor, & Magiſter. Evenit, vt caſtigaturus inſanã habendi cupiditatem, hæc aliquando pro concione diceret: *non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ.* Quæſo autem, quis animorũ inde motus apud auditores conſecutus eſt? clarè enũciat D. Lucas in hunc modũ: *audiebãt autẽ hæc oĩa Phariſæi, qui erãt*

I.

Chriſtus Dei Sapientia, ludibrium Judæorum fuit.

Luca 16. v. 13. & 14.

avari, & deridebant eum. Igitur totus applauſus, in felleum riſum, & virulentum ſplenem abivit. Cùm verò ijdem Phariſæi, innocentiam Servatoris ſuâ cœpiſſent invidiâ flagellare, & variorum judicum indignis calculis ſubijcere; contigit vt ante Herodem, Galilææ Regem, Chriſtus ſtaret, eâ vultus placidiſſimi amabilitate, eâ totius corporis modeſtiſſimâ compoſitione, eâ oculorum ſerenitate, totiuſq; frontis conſtantiſſimo colore, qui fiduciam cauſæ oſtenderet, etiam apud iniquum tribunal. Et quanquam innocentem non damnavit Herodes, neq; tamen abſolvit; ſed, quemadmodum ſacer hiſtoricus teſtatur: *ſprevit illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum.*

Luca 22. 63.

II. Fortaſſis etiam (ſicut plurima diſſimulantur in purpuris & ſceptris) ita levior poterat videri regia ludificatio; niſi viliſſimum hominum genus, & apparitores, & lictores, & ſatellites, alijq; ex infima plebe, Dei filium, ſibi quoq; feciſſent ludum, & probroſæ fabulæ materiam. ſic enim lego: *& viri, qui tenebant illum, illudebant ei, cadentes. & velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes, prophetiza, quis eſt, qui te percuſſit?* Sed illud longè acerbiſſimum fuit, quo tempore Chriſtus homo, inter ſummos corporis dolores, fatali è crucis ſtipite ſuſpenſus, pro vniverſis mortalium noxis, patri offenſo ingens ſanguinis ſui pretium exolvit; ab ijſdem nihil accepiſſe præter cachinnos & cavillos; heu! qualem pro inæſtimabili beneficio compenſationem!

Et quidem viliſſimorum.

Luca 22. 63.

III. Fatetur hanc ingrati notam animi D. Lucas, cùm ait: *& ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum principes cum eis dicentes; alios ſalvos fecit, ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus, Dei electus. Illudebant autem ei & milites, accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Judæorum, ſalvum te fac.* Quanquam, neq; iſtud quidem adeò mirum eſt, nonnullos ſive magnates, ſive plebejos ex hebræa gente, tam turpiter illuſiſſe Chriſto, cùm ſe pro alienis hominum culpis victimam fecit Juſtitiæ; quia credere vix poterant, ſub tam ignominioſo ſchemate Deum pati, & mori immortalem. Illud potiùs obſtupeſcendum eſt, ſupereſſe Chriſtianos hodie, qui audeant non tantùm exſibilare Numen, & infami ſannâ, riſuq; excipere Deum, ſed etiam naſo ſuſpendere, ac velut cereus eſſet, trahere pro libitu.

Luca 23. à v. 35.

Sed & Chriſtianorum eſt, fuitq;.

IV. In Germania ad lacum Acronianũ, prope Conſtantiam vrbem, à conſtantia ſua, inter hoſtiles non ita pridem Succi aſſultus famoſam, res olim contigit admiratione digniſſima. Nam in vicini ibidē templi

templi

templi cujuſdã cœmeterio, ludicra ſua exercuerũt ludibundi pueri. Cùm ecce tibi, audaculus aliqs, ad proximã Chriſti è cruce penduli imaginem accelerat, & apprehenſo per geminos digitos naſo, hem inquit, neceſſe eſt, hunc aliquando emungere. Hæc, vt ſubridens illuſor dixit, ſocijſq; placuiſſe viſus eſt, jam jam reverſurus ad interruptos luſus, manum ab icone avellere non valuit. Adhærebat ei mordicus velut agglutinata; monſtrabatq; leviculum adoleſcentem, & temeritatis reum, & Numinis ſui captivum eſſe. Interea, vt ſolet, fama in omni vicinia percrebuit; & indicavit ſacer Conſtantiæ Clerus, iratum DEUM communi prece mitigandum eſſe. Itaq; longus ſupplicantium ordo exit, & permixti ſenibus juvenes, pro puero deprecantur. neq;, fuit inexorabilis divina bonitas; exaudivit calidè flagitantium poſtulata; atq; in ſignum condonatæ puerilis inſolentiæ, affixos imagini ſuæ digitos ſoluit, ipſumq; puerum manu miſit. Cujus rei veritatem, hodieq; loquitur, conſtans prioris ſæculi memoria, fidelibus tabulis ſignata, & certis hiſtoriæ veſtigijs munita.

Crucifixi imago, à puero chriſtiano illuſa.

V.

Sed heu! miſerrima ævi noſtri tempora. nam tametſi nulli ſint ampliùs pueri, qui blaſphemâ illuſione, in venerabilem ſuffixi Chriſti ſtatuam, naſumq; involant; non deeſt tamen maturior ætas fœminarum virorumque, ipſum in cœlis DEUM, aut leviter irridentium, aut naſo ignominioſè ſuſpendentium. Cùm enim latinis, illud ſit naſo aliquem ſuſpẽdere, quandò ejuſdem ſpes longas, varijs lactamus promiſſionibus, & perpetuâ cunctatione prægnãtium deſideriorum ſufflaminamus impetum: profectò quiſquis impiorum, faſtidioſas in pœnitentia nectit moras, DEUMq; ſuum fruſtra expectantem, trahit in Craſtinum aliud & aliud; naſum ei facit tantò longiorem, quantò ampliùs melioris vitæ differt exordia. Sed placet hoc irriſionis genus, vberiore calamo deſcribere, atq; ex Ephraimitis, magnis DEI ſubſannatoribus, oſtendere rationem modumque, quo etiamnum profuſi in ſcelera mortales, diviniſſimo Numini illudunt.

Hodieq; DEUS à procraſtinatoribus pœnitentiæ, velut naſo ſuſpenditur.

VI.

Et quidem ſi ſacram conſulimus paginam, frequentiſſimè legemus, præcepta DEI quaſi id vnum vrſiſſe, vt gens ſua, populuſq; Iſraëliticus, à petulantia peccandi abſtineret; hoc illum avidè cupere, velle, expectare; & ſi fraudaretur expectatione, minitari ſecutura poſt paulo ingentia mala, pœnas ſcilicet, contra armatos obſtinatè in divinam pietatem animos. Hinc illa expoſtulatio apud Iſaiam: *quid eſt, quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci ei?*

Iſaiæ 5. v. 4. & 7.

SpemDEI, expectantis converſionem fruſtrari, quoddā irriſionis genus eſt. *Iſa.10.25.*

an quod expectavi, vt faceret vuas, & fecit labruſcas? Vinea enim Domini exercituum Domus Iſraël eſt, & vir Juda, germen ejus delectabile: & expectavi vt faceret judicium, & ecce iniquitas: & juſtitiam, & ecce clamor. Atque iterum apud eundem Vatem; *adhuc paululum modicumq́, & conſummabitur indignatio, & furor meus ſuper ſcelus eorum.*

VII.

Iſa.28.v.1. & 3.

Vt videamus etiam exoſa eſſe DEO illa peccata, quæ nos velut ex vſu quotidiano contemnimus, excidium Ephraim, hoc eſt, Samariæ & decem tribuum, vaticinatur Iſaias, niſi faſtum ponerent cum ebrietate, familiaria humano generi vitia: *Væ* (inquit) *corona ſuperbiæ, ebrijs Ephraim; pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim:* Advertit in deſcriptione Samariæ Adrichomius, eam metropolim, quondam Iſraelitarum, in decem tribus diviſorum, extructam fuiſſe ab Amri Rege, in vertice montis Somer: cinctamq; admirabili ædificiorum ſtructurâ, ad modum formamq; coronæ, quoquoverſus proſpectum exhibuiſſe amœniſſimum. quæ, quoniam inſuper omni rerum copiâ abundavit, occaſionem dedit incolis, & ſuperbiendi, & helluandi; obſtrepente continuò prophetâ, & proferente divina imperia, minis ſemper (infauſto ſanè fœtu) gravida.

Olim Ephraimitis vſitatum.

Quia igitur moleſtiſſimè, & fere ſemper, ingerebantur hæc & ſimilia; Dominus mandat, cavere jam dudum ſuis cauta legibus; Dominus expectat ſine protelatione reſipiſcentiam; Dominus interminatur ſua proterviæ ſupplicia; hinc factum eſt, vt maximè inter patinas & pocula madidi Ephraimitæ, fronte in rugas contractâ, ore retorto in convitia, naſo in amaram irriſionem caperato, repeterent iſta: *manda remanda, manda remanda; expecta reexpecta, expecta, reexpecta; modicum ibi, modicum ibi.* quaſi dicerent; fruſtra nobis obtundunt auriculas prophetæ, toties Numinis inculcando juſſa, & neſcio quas ejus ſpes de noſtra pœnitentia conceptas; aut fulmina nūc hîc, nūc ibi, brevibus intervallis ruitura in moroſos diſſimulatores. nos interim, quia non ferimur, nihil mali timemus; & quanquā non excludimus craſtinos emendandæ vitæ dies, hodie tamē, & pulchrè in faſtu perſeveramus, & media in Iudæa, egregiè pergræcamur.

Iſa.28.10.

VIII.

Iſa.28.8. Cicer.orat. proDeiotaro. Philo in legatione ad Caium. Suetonius in Vita Vitellij.

Dederunt etiam præclara vinolentiæ ſuæ ſpecimina, & palpanda turpis intemperantiæ argumenta, affirmante ſcripturâ: *omnes menſæ repletæ ſunt vomitu, ſordiumq́, ita vt non eſſet vltra locus.* Quæ porcina ingluvies, eò fœdior fuit, quòd veterum inter gentiles bibonum, gulonumq; tranſcenderit dedecora; puta Iulij Cæſaris, Caij Caligulæ, & Vitellij. nam (vt idonei teſtes ſunt) vomitoria, aliaque vaſcula menſis ſuis habuerunt ſuppoſita, in quę ſupernè cibos, infernè vi-

nè vinum effunderent, naturâ ſic poſtulante, & ingemiſcente ſuper nimia gravantis oneris mole. Ephraimitæ autem, nullâ munditiei, honeſtatis, modeſtiæ habitâ ratione, ita inter convivia Sympoſiaq; pavimentum omne, cœnaculorum angulos, ipſaſq; menſas ſpurciſſimo vomitu contaminârunt, vt vix ſupereſſet locus à ſordibus immunis. Et audiebantur interim ebriorum confuſæ inter ſe voces, & volabant fracta temulentiæ verba, & inſultantis linguæ ſarcaſmi, in cœlum ibant ad DEUM: *manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* Nunquid verò, hoc fuit poſticâ Numini illudere, ſannâ, & naſo turpiter ſuſpendere DEUM; fruſtrari nempe longas ejus expectationes, & ſpes melioris vitæ, perpetuò remittere in futurum aliquod Craſtinum? Irridentibus DEUM inter pocula & patinas.

IX. Sed nimirum, magnum continuando ſceleri ſtimulum addidit apud Ephraimitas, ſperata ſecuritas, imò & promiſſa. ſic enim ſe mutuò animabant: *percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum; flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos.* Quibus verbis enervare conabantur factas ſibi à prophetis minitationes, de terra ſua per Chaldæos Aſſyrioſque vaſtanda, in vindictam obſtinantis malitiæ. Itaq; ſic Ephraimitæ erant ſine metu, quaſi cum hoſtibus, morte & ſepulchro pepigiſſent ſuper indemnitate. Cæterùm, quàm vana hæc fuerit confidentia, & certæ ſecuritatis quàm incerta perſuaſio, totidem DEUS verbis indociles ſuos diſcipulos docuit: *& delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit: flagellum inundans cum tranſierit, eritis ei in conculcationem.* Fortaſſis poſt hoc fulgur, animum collegerunt, quos ſemel Numen deſtinavit ad ictum, jamque paraturi remedia futuris malis, cogitabant de precibus & ſacrificijs, quæ olim irato cœlo opponerent, velut clypeum: perſuaſi experientiâ, deprecationibus mortalium, accenſos DEI furores multoties placatos fuiſſe, ijſdemque armis facilè poſſe hoſtes alienis finibus arceri. Sed nihil hos eorum conatus, in rebus velut deſperatis valituros, planè edixit Dominus in hanc ſententiam: *& erit eis verbum Domini, manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi, vt vadant & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur. propter hoc audite viri illuſores.* Iſa. 28. 15. Falſa & vana Ephraimitarum cum morte & inferno fœdera. Iſa 28. 18. Iſa. 28. 13.

X. Pulchrè hic plectit DEUS petulantiam Ephraimitarum, dum lege talionis, ſannas in ſanniones retorquet. quia enim illi prophetarum verba, cum deriſu in auctores ſuos remiſerunt, repetendo frequenter, *manda remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum*

Eiſdem DEVS plectit lege talionis.

modicum ibi: viciſſim profitetur Dominus, cùm extrema eos vrſerit calamitas, & hoſtile ferrum ac flamma, longè lateq; cladem fecerit, ipſique & propitium numen imploraverint, & ſupplicabundi magnis deſiderijs expectaverint opem, nihil tamen aliud accepturos, quàm aculeos illos, quibus olim fixerunt DEVM, tunc in ſuum pectus ituros: *manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* donec ſcilicet, aut jugulo feralem gladium induerint, aut collo laqueum, manibus catenas, pedibus cataſtas, ſervilia adeundæ captivitatis inſtrumenta. Itaque ſicut non rarò aſtus aſtu, & *ars deluditur arte*; ſic etiam Ephraimitis, illuſoribus ſuis, pulcherrimè DEVS illuſit, quando eos vltimâ neceſſitate, & præſentibus vndiq; periculis conſtrictos, inter ſpes ſuas deſeruit.

XI. Atq; vtinam alieno docti exitio mortales, non ampliùs ad riſus traherent pium Numen, & indignam petulantibus ſcenis darent fabulam. Sed proh dolor! hodieq; ſunt, qui cum Ephraimitis moniti, vt Veneres ſuas ponant, ac cupidines; ventris quoque ingluviem, & gulæ crapulam, aliaq; exoſa Superis flagitiorum probra, irritamenta vindictæ: ſic DEVM velle, jubere; præſtolari etiam quotidiana melioris vitæ auſpicia; nihilominus tamen proſequuntur, quam ſemel orſi ſunt impietatis telam. Ac ne videantur ſurdi fuiſſe ad divinas voces, Angeli clamores, Conſcientiæ latratus, oracula concionantium, illud quoq; cum ludibrio & cachinnis reponunt: *manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi* quaſi dicerent: nondum hora advenit corrigendis moribus decreta; ſupereſt aliquod *Cras*, cui tam ſerias mutationes reſervamus: interim lubet eſſe vinolentos, petulcos, prolectarios, voluptarios, ſecuros malorum. Neque credimus tam iniqua nobis fata fore, tam mortem inſidam, vt imparatis indictura ſit migrationem: dabit denique tantilli ſpatium temporis, vt poſſimus ad vitæ noſtræ occaſum, & legitimo dolore, & delinificâ oratione, DEVM nobis facere ex offenſo placatum, gratioſumque Itaque dicamus licet confidenter; *percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Hoc verò, nunquid eſt totum, cum incolis ſuis cœlum ſuſpendere? longumque DEO naſum facere? toties ſcilicet ejus vota, deſideriaque fruſtrari, & repetitis ſemper in Craſtinum dilationibus, non tam promittere pulchrè meliora, quàm turpiter mentiri?

Quin etiã Chriſtianos, Ephraimitarum ſimios.

XII. Sed profectò, quemadmodum ſylvæ monteſque, eundem ferè ſonum remittunt, quem ſibi illapſum à tubis, lituiſque acceperunt:

Digitized by Google

perunt: ita reciprocâ inſultatione ferientur, quotquot auſi ſint divinæ Majeſtati illudere. Ac ne dubitare poſſint, verba Scripturæ allego, & ipſius quo animatur, diviniſſimi Spiritûs ſententiam, ſic per Iſaiam proteſtantis: *& erit eis verbum Domini: manda remanda; expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi, vt vadant & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur.* Et paulò infra ſubnectit hanc infelicis auctarij appendicem: *& delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit; flagellum inundans cùm tranſierit, eritis ei in conculcationem.*

Impiorum voces excipiuntur divino tonitru.

Iſa. 28. 9. 13. & 14.

Iſa. 28. 18.

XIII.

In his ego verbis, duas conſidero pœnas, quibus illuſores ſuos, & ridiculos pœnitentiæ procraſtinatores, Deus ſolet caſtigare. Altera eſt, quòd eos jam fatis ſuis propinquos, cùm maximè inducias reſipiſcendi opportunas, aut rogant, aut deſiderant, ſurdâ quaſi aure prætereat, citiùsq; ſuccidat vitæ filum, quàm Craſtinum illuxerit pœnitentiæ deſtinatum. Siſto hîc faciendæ fidei viros principes, Pandulphum Capuanum, & Joannem, Magiſtrum militum Neapoli; hoc ſolo deplorandos, quòd illis æternæ fraudi fuerit, diſtuliſſe emendationes ſuas, in dies ſecuturos; neq; obſervâſſe illud piè adhortantis monitum: *hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Seriem totius hiſtoriæ lectori dabo, totidem verbis, quibus eam S. Petrus Damiani conſignavit. Vtinam omnes hinc diſcant periculoſas abrumpere moras, nihilq; incerto confidere Craſtino; quod ſæpiùs ſpem pœnitendi intercîdit, quàm promovit. Sic ille memorat.

Pœna vna procraſtinantium pœnitentiam, eſt CRASTINUM non videre.

Pſal. 94. 8.

XIV.

Servus Dei, Neapolitanæ regionis, in prærupta rupe, juxta viam publicam ſolitarius habitabat. qui nimirum dum nocturno tempore pſalleret, & feneſtram cellulæ horarum explorator aperiret; ecce videt multos nigros homines, tanquam Æthiopes, iter carpere, & longo tractu onuſtos fæno ſagmarios, comminare. Cumq; eos curioſus inquireret, qui eſſent, cujuſve rei gratiâ, hæc jumentorum pabula devectarent; maligni inquiunt, ſpiritus ſumus, & præparamus non pabula pecoribus alendis, ſed fomenta potiùs ignium hominibus comburendis. Præſtolamur enim in proximo principem Capuæ Pandulphum, qui jam decumbit: & Joannem, Magiſtrum militum Neapolitanæ civitatis, qui adhuc incolumis vivit. Illico vir Dei, præfatum Joannem impiger adijt, quæ viderat, quæq; audierat, fideliter cuncta narravit. Per idem tempus, Imperator Otto II. adverſus Saracenos præliaturus, Calabriam feſtinabat. His igitur auditis, Joannes ait: modò nos neceſſe eſt Imperatori reverenter occurrere, & cum eo ſimul de hujus terræ ſtatu, providâ conſideratione tractare. porrò poſt Imperatoris abſceſſum ſpondeo, quoniam & ſæ-

B. Petrus Damiani epiſtolar. lib. 1. *ad ſummos Pontif. epiſt.* 9.

Ioannes Magiſter militiæ, quam ſpopondit cōverſionem, non fecit, morte præventus.

cullum deſeram, & monaſtici ordinis habitum ſumam. Vt autem probaret, vtrum verum eſſet, quod ille narrabat; nuncium protinus ad mœnia Capuana direxit, qui veniens, Pandulphum jam mortuum reperit. Ipſe quoq; Magiſter militum Joannes, antequam illas partes Imperator attingeret, vix diebus quindecim ſupervixit. Quo mortuo mons Veſuvius, vnde videlicet gehenna frequenter eructat, in flammas erupit; vt liquidè probaretur, quia fœnum, quod à dæmonibus parabatur, nil aliud fuit, niſi ignis trucis incendij, qui pravis ac reprobis hominibus debebatur. Nam quandocunq; in illis partibus, reprobus dives moritur, ignis erumpere de prædicto monte videtur; tantaq; ſulphurea reſina congeries ex Veſuvio protinus fluit, vt torrentem faciat, atq; decurrente impetu, in mare deſcendat. Vbi ſcilicet corporaliter videri poteſt, quod in Apocalypſi Joannis, de reprobis dicitur: quia pars illorum, erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure; quod eſt mors ſecunda.

Veſuvij eruptio, indicium divitis malè mortui.

Apocal. 19. 20.

XV. Hîc ego nihil magis miror, quàm cunctatorem, militiæ Magiſtrum Joannem. nam poſtquam audierat, jam ſceleribus ſuis pyram in Veſuvio ſtrui, & mortem Pandulphi, haberet teſtificationem vaticinij; auſus eſt tamen pœnitentiam ſuam reijcere in cucullum, & ſoles craſtinos, quos antequam videret monachus orientes, occubuit. dum comis eſſe voluit, & inter palatinos, ad obſequia Ottonis mortalis ſtare Imperatoris, vitâ debuit excedere, atque ad immortalis Dei ambulare tribunal. vbi causâ ſuâ ideò cecidit, qui eam per moroſas reſipiſcentiæ prorogationes, malam fecit & perditam. Ita raro homines perſuaſum ſibi habent periculum Craſtini, etiam cùm ad limen imminet; quodque ſtultitiam inſigniter arguit, ferè alijs malè ominamur, nobis ſecuritatem promittimus; turpi fraude, & pernicioſo in rem noſtram mendacio. Adduco iterum teſtem, B. Petrum Damiani, qui miſerabilem Salernitani Principis exitum, ad deſcripta jam duorum infeliciſſima Principum funera, ſic adnectit.

Propria pericula, aliena putant impij.

XVI. *Enimverò & Salernitanus Princeps, illius videlicet Guaimarij, æquè principis, qui ante non plurimos annos, pro multis violentijs, atque tyrannicis oppreſſionibus, ſuorum gladijs interemptus eſt, avus; cùm procul aſpexiſſet quadam die, de prædicto monte Veſuvio, piceas atque ſulphureas repente flammas erumpere, protinus ait: procul dubio, ſceleratus aliquis dives, in proximo moriturus eſt, atque ad inferos deſcenſurus. Sed ò cæca mens reprobi hominis! immò terribile ſuper nos judi-*

B. Petrus Dam: loco ſupracit.

cium

cium Conditoris! (exclamat vir Sanctus) *ſuperveniente ſiquidem proximâ nocte, dum ſecurus cum meretrice concumberet, expiravit.* Et quæſo, an alia major hominis iſtius dementia fuit, quàm, cùm ſe ſciret eſſe ſceleſtum, neque eludere poſſet graviſſimam conſcientiæ ſuæ aſſeverationem; nihilominùs impendens & mortis, & ſtygis periculum, derivare ad alios? Nimirum hæc eſt mortalium non minima inſania, vt quibus Libitina promit feralia apparatus ſui inſtrumenta; & cacodœmon, velut jam jam ingreſſuris orcum, diſponit inter tartareos ignes flammarum applauſus; putent alios peti, ſeque in tuto ſtare; alijs cudi tragœdias, ſibi comœdias parari. Hinc illæ tam prolixæ ſpes, tam largæ promiſſiones, opportuni aliquando ad pœnitentiam CRASTINI; pulchra ſemper continuandæ ignaviæ occaſio, quando ſibi ipſis occinunt improbi:

Sceleſti Principis, verum & fatale de ſe vaticiniũ.

Jam Cras heſternum conſumpſimus: ecce aliud Cras. *Perſius ſat. 5.*

XVII.

Sed dum aliud, aliudque CRAS, ſemper ſperant atque expectant, auſpicandæ ſemel, quam millies diſtulerunt, vitæ emendandæ; & Deum naſo trahunt, & trahuntur. nam toties fruſtrata, tandemque everberata expectantis diu patientia Numinis, non raro id agit, vt denique impiorum quoque moroſa illa confidentia, ſuperventuri pœnitentiæ ſuæ, olim commodè alicujus Craſtini, intercidat inanis; nihilque præter acerbam illam Dei ſannam nanciſcantur, *manda remanda; expecta reexpecta; modicum ibi, modicum ibi.* Difficulter omnino cogitur Deus ad hominis imperium, præſertim capitalis inimici, & qui inducias petit in concedentis injuriam. Fit igitur, vt CRAS illud, quod multi reſipiſcentiæ ſuæ ſpondent, & velut breve ſalutis compendium perpetuò expectant, nunquam videant; hodie juſſi terras deſerere, & res humanas; quicquid antea cum morte pepigerint, cujus nec fœdera reciproca eſſe poſſunt, nec quidquam habere ſtabilitatis.

Pœna, emendationem vitæ procraſtinantium eſt, CRAS ſperatum non videre

XVIII.

Altera pœna, quâ plectere ſolet DEVS non ſemel tardigrados ad meliora conſilia peccatores, continetur illâ, ſupra allegati prophetæ ſententiâ: *vt vadant, & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur.* Sanè enim, quotquot iſtorũ malè procraſtinantiũ obruuntur ab inopina morte, hincq; abeunt nondum emendati, per ſinceram dolentis animi pœnitudinem, aut per

Alia, & frequens pœna, procraſtinãtiũ cõverſionem, eſt cadere in æternos diaboli laqueos,

Digitized by Google

Eccleſiæ divinissima Sacramenta in plagas Sathanæ incidunt, planè miſera pars, ex eorum infelici numero, de quibus pſaltes David olim enunciavit: *cadent in retiaculum ejus peccatores.* Neque meliorem fortunam, quam aliæ experiuntur volucres, cùm ſe ipſas præcipitantiùs in diſpoſita clam retia, implicârunt. vbi enim inter immites digitos vitam amiſerunt, mox etiam plumis ſuis ſpoliantur; jamq; poſt ignominiam, eunt ad tormenta ignium; vt parva carnis particula, humanos ventres irritet veriùs, quàm impleat.

Pſal. 140. 10.

XIX. Non aliter, quem ſtygius auceps tandem in laqueos ſuos induxit hominem (corvum volui dicere, perpetuò illud ſuum CRAS, CRAS occinentem, quoties de pœnitentia fit mentio) pulchrè deplumat, exuendo eum fortunâ priore, libertate, opibus, delicijs, quas illi & terra olim dedit, & cœlum promiſit, ſi ſciuiſſet lucrari. Neq; inter hæc plumarum ſpolia, ſtat totum malum; parum eſt ſtrinxiſſe ſummam cutem, etiam ad cruciatus ibit corvus, eoſq; proliximos; nam ſuffixus in longo æternitatis veru, aſſabitur ad flammas nunquam morituras, futurus ſemper Cacodœmoni infelix bolus. Tum enimverò & cantabit miſer, quam priùs nunquam didicit cantilenam; ſed in accuſationem ſuæ ſtultitiæ, qualem in ſeipſo quoq;, ſerò olim deploravit Rex Cræſus, per fortunæ iniquitatem comprehenſus in rogo.

Hominis improbi, mali corvi, conditio in vita altera.

Cruciatus.

Cantilena.

XX. Hic inter ampliſſimas quondam opes tumidus, neminem alterum, ſe beatiorem in hoc orbe credidit; quidquid prudentiſſimus Solon contradiceret, negaretq; tam anguſtis terræ ſpatijs, veram beatitudinem contineri. fidem rerum humanarum, nec firmam eſſe, neq; æternam; habere ſemper, quem timeant mortalia caſum; fortunam ſtare lubricam, ac velut in glacie, nunc vni, nunc alteri benignam; cum omnibus inſolenter ludere, nullum eâdem ſemper aſpicere ſerenitate. tranſmutare pro libidine honores & imperia; ex ſervis etiam liberos facere, ex liberis mancipia. Deniq; (ſi quæ homini eſt domeſtica felicitas) conſiſtere eam in honeſta morte, æquitate animi, & mente ad triſtes eventus bene compoſitâ. Diſplicuit Crœſo injecta de variante fortuna mentio; cujus ſe adeò putabat amatum pullum, vt è ſinu matris excidere nunquam poſſet. Sed didicit tandem fortunam ſibi etiam factam eſſe novercam, quando prælio victus, à Cyro Perſarum Rege, atq; ſuper ardentem pyram ſtatutus, ter Solonem ingeminavit; cui nuper per ſummum errorem, fidem abrogaverat, affirmanti ex viventibus beatum eſſe neminem.

Herodot. Halicarnaſſ. lib. 1. hiſt.

Similis deplorationi, quâ Rex Crœſus, fortunam ſuam in rogo accuſavit.

In

In pari delicto, paria erunt illorum lamenta hominum, qui vt ſaluti ſuæ conſulerent, per rectioris vitæ maturationem, nunquam ſatis admoneri potuerunt; donec tandem inferorum ſe rogo impoſitos videbunt, antequam credant. Et ô! quoties iſti DEVM compellabunt, & tutelarem genium, & conſcientiam, & quotquot ſinceri morum Magiſtri, ſine fructu ſuaſerunt accelerandas converſiones! Itaq; etiam omnes tunc eorum gemitus ac querimoniæ, ſine fructu abibunt. Et quidem, cùm dolentis ſpecie, Crœſus Solonem inclamaret, quòd Cyrus meminiſſet ſe hominem, juſſit victum Regem quam primùm flammis eripi. Sed diverſa erit eorum conditio impiorum, quos adhuc moroſos, ac in ſalutis cauſa cunctabundos, ſemel excepturi ſunt inferi. Auſim dicere; etiamſi efflebunt vtrumq; oculum, & vel lacrymis ſuis implebunt orcum; quin etiam ex coruis in luſcinias verſi, pro crocitatione veteri, dabunt ſuaviſſimum melos; nihil flectentur Superi, & rigidum jus Aſtreæ. Neque aliud accipient ad querelas ſuas reſponſum, quàm illud provocati ad illuſionem Numinis, amarum verbum: *manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* Deniq;, hoc eſt ſannam, alia ſannâ retundere, & quo ſuſpenſus eſt DEVS naſo, irriſoribus ſuis eundem affingere; trahendis per omnes futurorum circuitus ſæculorum ignominiâ, nunquam terminandâ. XXI.

Crœſus tamen flammis ereptus eſt.

Illuſor Numinis, poſt acceptam damnationis ſententiam, nunquam infernum exibit.

Nihil impotentius eſt mortalium ſuperbiâ; etiam Divos petit & cœlum, ad contumelioſos deriſus. Exemplum talis inſolentiæ præbuit Sennacherib, Aſſyriorum Rex, quando admotis Ieroſolymæ copijs ſuis, & regem ejus Ezechiam, & Numen Regis, jam ab eodem in vota piè vocatum, ex æquo ſubſannavit. contra vtrumq; & linguâ petulanter exertâ, & ore turpiter diſtorto, & naſo ridiculè ſuſpenſo. Neq; potuit tantum hominis faſtum, magnus DEVS ſuſtinere; atq, vt illudenti ſibi, illuſionem alteram pro pœna infligeret, hæc repoſuit ſuperbo capiti; *cùm fureres adverſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas; ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti.* Deſumpta eſt ſimilitudo à bubalis, qui inſerto in nares annulo, trahuntur ad libitum magiſtri. Itaque quo peccavit membro, caſtigatus fuit Sennacherib. & velut naſo reductus illuc eſt inglorius, vnde venerat, ſpe futuræ expugnationis tumidus. Certè ingenti ſuorum ſtrage, per Angelum factâ, ipſe vix ignominioſâ fugâ evaſit. neq; etiam evaſit, quia DEVM à tergo vltorem habuit ſequentem; inter cujus manus, ſuorumq; iras filiorum, vitam reliquit; miſerabili obitu, XXII.

Plectetur ſimili pœna cum Rege Sennacherib. *Iſa. 37. 20.*

Digitized by Google

ſimul & memorabili exemplo, nunquam riſu peti ſuperos poſſe, ſine funeſto ſubſannantium exitu.

XXIII. Sentient hoc illi imprimis homines, quos ſemel perdidit, ſemper in Craſtinum rejeciſſe emendandæ vitæ exordia. Et quoniam hoc nihil aliud fuit, quàm per ludibrium traxiſſe DEVM ſuum naſo; etiam ab eodem ſinguli, triſte illud olim accipient: *ponam circulum in naribus tuis.* Circulus hic, longa eſt Æternitas, ſemper in ſe ipſam rediens Æternitas, nullâ temporum circumſcriptione finienda Æternitas: ſemper novum captura ſui incrementum Æternitas. Itaque quos tandem improbos damnavit propria cunctatio, & cum Numinis injuria ſannaq; , dilatum continuò reſipiſcendi in melius ſtudium; experientur quàm ſalſis, quàm amaris lacrymis dederint materiam, quando eos DEVS, quaſi naſo apprehenſos, injecto æternitatis annulo, apud inferos circumducet inter dolores, ignominias, flammas, ignes, circuitu vno, & nunquam deſituro; quando etiam inter cachinnos Dœmonum audient: *& pactum veſtrum cum inferno non ſtabit.* inſani! credidiſtis nihil vobis nocituram ſtygem, & eo fine, firmaſtis nobiſcum fœdera; nimis temerarij in veſtram fraudem, & propriâ ſimplicitate decepti. hem! circulus in naribus veſtris, & nunquam abſolvenda æternitas pœnarum, clamat vos orci captivos eſſe.

Per circulum in naribus: ſive æternitatis annulum.

XXIV. Ego verò vniverſos mortales, quos hodiernus Sol videt gravibus adhuc noxis immerſos, tam ſeriò hortor, quàm fideliter monuit Apoſtolus: *nolite errare, DEVS non irridetur.* In græco textu leges μυκτηρίζεται; quaſi dicas, DEVS non ſuſpenditur naſo, nõ ſinit ſibi illudi, & vanis craſtinæ pœnitentiæ injectis ſpebus, fucum fieri. Quiſquis inani pollicitatione hîc DEVM lactat, ſibi plerumq; ſuo mendacio nocet. Deniq; etiam illud acclamo verbum, quod Vdonem quondam Magdeburgi Epiſcopum debebat ad ſaniorem animum compellere; quia enim turpem cum moniali conſuetudinem habuit, aut immemor continentię ſervandę, aut temerarius diſſimulator; nocte vnâ, quâ eam ſibi eodem lecto adjunxit, impurus concubitor, clarè (neſcius vnde) monentis vocem ter audivit: *ceſſa de ludo, ſatis luſiſti Vdo.* Sed quia tẽperare ſibi à fœminæ complexibus non potuit (veriùs non voluit) contemptor divinæ Majeſtatis, & illuſor Vdo; à latere infamis amaſiæ, inter venereos tandem luſus, ad tremendum Iudicis DEI abſtractus eſt tribunal; ac quemadmodum non nemo, ſibi videre viſus eſt; poſtquam cauſâ cecidit, etiam caput amiſit: certè altero mane corpus ejus in lecto truncum eſt repertum.

Ad Gal. 6. 7.

Nauclerus generat. 34 Trithemius in Chronico Hirſaug. monaſt. Spinellus in Maria throno Dei, tract. de miraculis Deiparæ. num. 36. & alij.

Cum Deo ludendum non eſſe, docet Vdo Epiſcopus.

Quiſquis

Quiſquis hactenus in ſerijs rebus feciſti jocos, DEVMq; ludibundus, ſemper in aliud aliudque traxiſti *Craſtinum*, ſcilicet corrigendæ vitæ opportunum; quæſo te per quidquid tibi charum eſt, ceſſa de ludo, ſatis luſiſti. hodie reſipiſce, ne *Cras* præter ſpem tuam interceptus à morte, de latere Veneris, Bacchi, Mammonæ, aliorumque ſcelerum, & ſceleratorum ſocietate, rapiaris ad fatalem Iudicis ſententiam, & ejus triſte conſectarium, inferos. Sanè non paucis impijs, quod pœnitentiæ diſpoſuerunt multiplex *Craſtinum*, vnum *hodie* ſemel, & æternùm abſtulit; cauſamq; dedit Lucifero, vt peccatori per cunctationes ſuas perdito, inter acerbos riſus, illud poëtæ aculeatum obtruderet carmen: XXV.

Craſtinum Promiſſæ pœnitentiæ, ſæpe vnum HODIE impijs abſtulit.

CRAS te victurum, CRAS dicis Poſthume ſemper.
Neſcio CRAS illud Poſthume, quando venit?

Martial. lib. 6. epigr. 56.

PARAGRAPHVS V.

Dilata in SENIVM pœnitentia, parũ ſecuritatis, multum periculi habet.

QVàm parum futuris in craſtinum horis confidere poſſimus, paulò ſupra præclarè docuit D. Auguſtinus. Idem ne ſperatæ ſenectuti credamus, egregiè admonet, in materia affini neruoſiſſimus exhortator. Ejus hoc eſt ſalubre documentum. *De miſericordia DEI ne tantum ſecuri exiſtamus, vt peccatis augeamus peccata; nec dicamus, donec viget ætas noſtræ carnis, concupiſcentias noſtras exerceamus, & poſtremò in ſenectute malorum noſtrorum pœnitentiam agamus; pius eſt enim dominus ac miſericors, nec vltra facinorum noſtrorum recordabitur. Summa ſtultitia eſt hæc cogitare, cùm & impium ſit, talem licentiam à DEO poſtulare quempiam velle, cujus initium eſt, nos à DEO ſeparare. Præterea ne id cogitemus, cùm neſciamus, quâ die morituri ſimus, non omnes in ſenectute moriuntur; ſed in diverſis ætatibus de hoc mundo migrant.* P.

S. Auguſt. lib. de ſalutaribus documentis. cap. 39.

Senectus eſt dubia & incerta.

Ita ſanè, non rarò eodem die, quo viola naſcitur, iterum occumbit; ſæpè etiam roſa, antequam lucem videat alteram, in purpura, ſua cogitur expalleſcere, ac mori ſub inclementi vngue. Neq; infrequenter infantuli, pueruli, adoleſcentuli, tenelli inter maturos homines M.

Quàm floſculis, tam hominibus. mines floſculi; antequam ad juſtam ætatis menſuram veniant, ne dum ſeniles annos, crudeli mortis falce ſucciduntur; & quam vix hauſerunt vitæ hujus ſpirabilem auram, rurſus expirant. vt nemo prudens committere poſſit ſalutē ſuam, futuramq; reſipiſcentiam incertæ ſenectuti. Demus autem liberaliter, certum eſſe, quod omninò dubium eſt, te ſupervicturum; neque craſtinam duntaxat lucem, ſed etiam vltimam mortalium ætatem, ipſoſq; longævi Neſtoris annos viſurum; nunquam tamen mihi perſuaſeris, tunc te productam eo vſq; pœnitentiam, continuò aggreſſurum, & perrupturum in ſenio omnia illa ſalutis obſtacula, quibus ſubmovendis adoleſcens ſuccubuiſti. impar quaſi eſt, tam arduis laboribus ſenilis infirmitas. Magnis laboribus minus apta. Sic Entellus, nobilis quondam & veteranus pugil, cùm à Dareta juvene, ad congreſſum invitaretur, virtutiſque ſuæ theatrum vterque haberet Æneam, & ſocios ſpectatores, detrectabat luctam, iſtud ingemiſcens:

Virg. 5. Æneid.

---------- gelidus tardante ſenectâ
Sanguis hebet, frigentq; effetæ in corpore vires.

III. Et ſanè monſtro per quàm ſimile eſt, militem annis gravem, cui æger eſt anhelitus, & genua titubant, & manus tremunt, lanceam quaſſare velle, gladio punctim, cæſim vulnerare hoſtes, ſaltu foſſas tranſmittere, tela in ſubeuntes jacere, pilis obuios ſubmovere, muros & propugnacula conſcendere, inter primos impreſſionem, impetumq; adverſus inimicas acies facere. Sive qui militiam ſpectant. Sed longè monſtroſius fuerit, hæc talia tentare exhauſtum ſenem, qui juveniles annos exegit inter Bacchi pocula, pigritiæ puluillos, otij ferias: neque vlla vnquam rudimenta poſuit in militari diſciplina. Ita planè portento affine eſt, poſtquam maximam ætatis partem, inter ſcelera peſſimè triviſti, & quotidianas voluptates; cùm languida ſenectus apud te hoſpitium rogaverit, tum bellum vitijs omnibus indicere velle, tum demum bene de DEO mereri, & magnum bonorum operum theſaurum comportare.

IV. *Eccl. 25. 5.* Accommodatè ſapiens; *quæ in juventute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua invenies?* Stulti ſanè animi indicium eſt, ſpem opum, lucrique faciendi, remittere in eos annos, quos frigidum flagellat ſenium. Sive qui lucrum. præterquam enim, quòd hi ipſi dubij ſint; nihil admodum poſſeſſionibus augendis proficiet Silicernium, quantumcunque ſudet. dum juvenilis vigor ſedet in membris, & ſuum corpori ſtat robur, vtendum eſt tempore: ac velut cum formicis per æſtatem laborandum. Secus agentibus, ſtultitiam exprobat

Sapiens;

Digitized by Google

Sapiens; præſertim vero ijs, qui ſeipſos lactant, ſpe lucri olim compendioſè faciendi in neglecta pœnitentia, quando cum ipſa ſenectute erit confligendum.

V. Quiſquis talia cogitas, quiſquis talia ſomnias; cave, ne vana, ne mera ſint iſthæc ſomnia: non ſemper finis melior eſt principio ſuo; & quemadmodum

Dimidium facti qui bene cœpit, habet;

Sic qui malè cœpit, aut nihil aut parum habet, quod ſperet, difficile eſt, curſorem illum alijs palmam præripere, curſuque ſuo omnes poſt ſe relinquere, qui ſæpius in ſtadio pedem offendit, & continuò labitur. Ita rarum omninò eſt cum hominem, qui maximâ ætatis parte, præcipitatus in omnem levitatem fuit; cum veſper ſerus ad mortem vocat, ſeram, ſeriamq; amplecti pœnitudinem. malum exordium optato epilogo claudere, operoſum eſt impio negotium, & plenum periculi; præſertim cum ſenecta (quæ juxta Ciceronem, occaſus vitæ eſt) ad confinia mortis iturum, atque æterna cogitaturum, plus impediat, quàm promoveat. moleſtiæ ſenilium annorum frangunt hominem, non erigunt.

Horat. lib. 1. epiſt. 2.

Præſertim verò molitionibus pœnitentiæ nunquam aſſuetæ.

Cicero in Topicis.

VI. Eſt & aliud grande ſenectutis malum, dementatio hominis; vt vel nondum credat ſe conſenuiſſe, etiam canis per omnem barbam, ac caput reclamantibus; vel ſaltem ſperet ætatem ſuam longiùs protractum iri. quo ſenſu S. Hieronymus dixit: *nemo tam fractis viribus, & decrepitæ ſenectutis eſt, vt non ſe putet vnum adhuc annum eſſe ſupervicturum.* Et hanc ipſam cauſam arbitror, cur non pauci Seneciones differant vlteriùs, quam procraſtinaverunt converſionem; rati, ſuũ adhuc ſenium moras pati: fortaſſis etiam ferax eſſe novæ adoleſcentiæ. Qualem accepit capularis olim Æſon, quando Medeæ ſive beneficio, ſive veneficio, inter coctos flores, herbas & ſuccos, cœpit iuveneſcere; ſi fides eſt ſequentibus Poëtæ verſibus:

D. Hieron. in quad. epiſt.

Senectus dementat homines, volendo renaſci.

--- --- --- barba, comaq;
Canitie poſitâ, nigrum rapuere colorem.
Pulſa fugit macies; abeunt palloraq; ſituſq;:
Adjectoq; cavæ ſupplentur corpore rugæ,
Membraq; luxuriant. Æſon miratur, & olim
Ante quater denos hunc ſe reminiſcitur annos.

Ovid Metamorph. lib. 7. fab. 2.

VII. Verius illud eſt, quod certis auctoribus memoratur. Hagnod Acugna, vir ex Bengala, Indiæ provincia oriundus; atq; inde in noſtrum orbem, anno poſt Chriſtum natum milleſimo, quingenteſimo, triceſimo ſexto illatus, non vno nomine prodigium fuit. Nam

Hiſt. trag. parte 1. Delrio diſſ. lib. 2. q. 23.

H tametſi

Digitized by Google

Senex 340. annorum, quater puer & adoleſcens.

tamen ætatis tum annos compleverat trecentos & quadraginta, tamen capite niger capillus ſtabat: ſed jam quater alternans cum canitie (toties enim ex ſenecta ad juventutem redierat) maritus ſeptingentarum vxorum. Ita teſtatur Hernandus Lopez contigiſſe, antequam Prorex Indiæ conſtitutus eſſet. Nolo hîc diſputare, viribus naturæ, an malis artibus, aut potiùs miraculo, homo iſte ſeniles quater annos, cum juvenilibus mutaverit. Vltimum crediderim etiam illis eveniſſe, qui efferendo S. Iuliano Martyri, feretrum ſubierunt, omnes tincti venerandâ canitie Viri. ſed à funere redierunt omnes, reducti quaſi ad viridem adoleſcentiam, non tam ridiculâ, quàm gratâ metamorphoſi. Hoc certum eſt, plures ex vetulis partim ambire, partim ſperare, ſi non tam longam aliquam certè ſenectutis ſuæ prorogationem. nolunt ſtatim mundo denaſci, naſci æternitati. malunt aſſuetis porrò voluptatibus frui: & hinc inducias optant, ſuſpirant comperendinationem. Fatui profectò, atq; inter illos adnumerandi, quos divina Sapientia proteſtatur ſibi exoſiſſimos eſſe, cùm ait: *tres ſpecies odivit anima mea, & aggravor valde animæ illorum. pauperem ſuperbum, divitem mendacem, ſenem fatuum & inſenſatum.*

Senes qui efferebant S. Iulianũ Martyrem, poſitâ canitie ad juventutem redierunt. *Surius in vita S. Iuliani Martyris, ad 28. Auguſt.*

Eccl. 25. 3.

VIII. *Ezech. 8. 18.*

Qualis ille neceſſariò eſt, qui vbi ad vitæ acceſſit veſperam, jamq; mortis limen ſalutat, non tantùm canis ſuis indigna committit, ſed etiam luenda; imitatus grandævos illos, quos olim Ezechiel vidit, niveos mento, mente turpiter denigratos, medio in templo dorſum altari obvertere. Hoc enimverò graviſſimum eſt piaculum, & ſtulti animi manifeſtum argumentum: tum ſcilicet velle pietati ac virtuti, grave tergum opponere, frontem facere ſerenam vitijs, pœnitentiæ longum vale, voluptatibus ſcelerum, delicijſq; ave dicere, quando jam ſenex à morte, à ſepulchro, ab æternitate, diſtas paſſu vno, tribus momentis.

Senectus fatua quæ?

IX. Nempe iſtud eſt illam fabulam ludere, quam ingenioſè nonnemo de Amore & Morte confinxit. Ajunt in eadem aliquando caupona, par hoc diverſiſſimum conveniſſe, ſeq; invicem multis poculis primùm ad liberalem hauſtum, tum etiam ad ſtudia amicitiæ mutua invitaſſe; quæ breviſſimo temporis ſpatio adeò coaluit, vt jam arma vtrinq; ſua, pharetram & arcum, in teſtimonium recentis benevolentiæ, commutarent. Mox diſceſſum eſt inde; & Amor, cùm in via haberet obvios juvenes, aptos qui in Venerem accenderentur, pharetram arcumq; expedit. Iamque credebat veteres ſe illas Cupidinis ſagittas jaculaturum, facturas ſuave amantibus

Alciatus in Emblem.

bus

bus vulnus; ſed doli ignarus, fatales alteras torſit; totq; funera fecit, quot pulcherrimos Hylas, Narciſſoſq; percuſſit. Et hinc magnum Amori natum eſt cordolium; diſplicuit tantùm exerraſſe, atq; egiſſe hoſtiliter, non amanter. Interim & Mors, ingenti paſſu obambulans compita, conſpexit quos feriret. Senes erant anheli, jamq; ad Charontis cymbam deſtinati. Itaq; & ipſa immemor, permutati cum Amore arcûs, dum in ſingulos telum excuteret, nemo vnus occubuit; ſed juveneſcere omnes, revireſcere, inſoleſcere, ineptire, laſcivire viſi ſunt. tantum potuit vnum Amoris jaculum; etiam frigidam ignire ſenectam, eamque in primum quaſi adoleſcentiæ vigorem reſtituere; ad illius ætatis effrœnes impetus, laſcivias, veneres, hilaritates animare. Senectus delirè amans.

Et quis neget, hodieq; confectos ſenio mortales, paſſim vitulari? paſſim velut juvenes ſuis trahi affectibus, atq; ad illicita abripi? videas non rarò vetulos, annis graves, moribus leves, nihil aliud ſapere, quàm quod ſenſibus, carni, corpuſculo gratum eſt. Si fides audiunt & chelyn, jam pedes choreis & numeris aptant; ſolumq; illud dolet, quòd ad tripudia Vulcani ſint, & claudi, ſenectutis vitio potiùs, quàm voluntatis. Jam vbi convivialibus delicijs applicantur, quotus quiſq; eſt, qui eum decrepitum ſequatur, cujus mentionem facit Satyricus: X. Senectus juveniliter vitulans.

Ipſe ad conſpectum cœnæ, diducere rictum
Suetus, hiat tantùm; ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno, mater jejuna. Iuvenal. Sat. 10.

Noſtratium alij mores ſunt ſenum. nunc glorioſum putant heluari poſſe, & bibendo alios vincere. etiam honeſtum, inter ſcyphos mortualem pallorẽ mutare cum vultus purpura, linguæ infantiam cum eloquentia, frontis rugas cũ amœnitate: nunquam pulchriùs riſuri, quàm vbi merũ pulmones calefecerit. Sed illud quale eſt? vix è Gynecæo melioris formæ tranſit fœmina, & jam luſcus ſenecio acutùm videt; & jam illi vterq; ſalit oculus; & jam amari vult, atq; amare,

Dicere & in cano blanditias capite. Tibull. lib. 1 Eleg. 1.

Quis crederet de Venere ſcintillam gliſcere in ſilicernio? & tamen alios quoq; poteſt vrere. Sæpe illi nutus, verbum, geſtus, aſpectus, pro flamma eſt. DEVM immortalem! hoccine eſt in ſenectute, in affecta ætate, ſe ad chriſtianam mortem diſponere? imò hoc eſt, vltimo abuti tempore, ad grande ſalutis opus conceſſo. qui præpoſterus vſus, maximè notabilis eſt, perſtrictus olim à S. Cypriano martyre, dum inter duodenos mundi abuſus, hunc ſecũdo loco po- XI.

 ſuit:

Digitized by Google

S. Cyprian. lib de 12. abuſibus.

ſuit: *Senex abſq; religione & ſanctimonia.* quaſi diceret, eum graviſſimam tempori injuriam facere, qui proximus tumbæ, oblitus æternorum, in perituras mox præſentium bonorum illecebras, ſe effundit. Hic juvat obſervare ſapientiſſimum Berzellai, quem Rex David, cùm victo Abſolone filio, reciperet ſolium, ad aulæ ſuæ divitias, lautitiaſq; fruſtra invitavit. Sacra pagina ſic memorat hiſtoriam. *Dixit Rex ad Berzellai; veni mecum, vt requieſcas ſecurus mecum in Ieruſalem. Et ait Berzellai ad Regem: quot ſunt dies annorum vitæ meæ, vt aſcendam cum Rege in Jeruſalem? octogenarius ſum hodie; numquid vident ſenſus mei, ad diſcernendum ſuave aut amarum? aut delectare poteſt ſervum tuum cibus & potus? vel audire poſſum vltra vocem cantorum atq; cantatricum? obſecro vt revertar ſervus tuus, & moriar in civitate mea, & ſepeliar juxta ſepulchrum Patris mei, ac Matris meæ.*

2. Reg. 19. àv. 33. & ſeq.

Berzellai ſenex Hebræus, Magiſter Chriſtianæ ſenectutis.

XII.

Habent hîc ſenes, quod imitentur; nempe in adulta, graviq; ætate, nolle amplius indulgere voluptati, nolle tranſituras momento oblectatiunculas venari: quæ ſicut adoleſcentiam non decent, ita probro ſunt canitiei: potiùs tumulum & mortem aſſiduâ cogitatione verſare, quæque neceſſaria ſunt lucrandæ beatitudini, eo articulo legitimè, atque ex Chriſtiano majorum ritu præparare. Niſi hæc fiant, actum eſt; quam per ſcelera prodigimus in juventute ſalutem, nunquam ſenectus dabit. Omninò inquies; & hic meus aries eſt, quo vbi ad ſeniles annos venero, everberabo mali dœmonis machinas, & meipſum. Serius ibi ero; ſi quid animus roboris habebit, ibi expromam, ad plangenda prioris vitæ flagitia. Si quis gemitus, ſi quod ſuſpirium inter pulmones hæſerit, inde evocabitur ad propitiandum Numen. Si quæ lachryma oculo innataverit, inde fluet eluendis noxis balneum. denique ſi quis pius affectus, ſi quis ſincerus amor cordi meo inſederit, vt me amantiſſimo DEO æternùm adſtringat, quàm maximè laborabit.

Propoſita agendæ pœnitentiæ in ſenio.

XIII.

Sed hîc ego iterum ſubmoneo, quod ſupra inculcavi; quæſo non fallamus nos ipſos tam plauſibilibus ad ſpeciē perſuaſionibus. Senectus elanguida, & mille incommodis ſepta, ad tam arduos voluntatis niſus vix ſufficit. habet quod ſecum luctetur ſenile corpus; animum quantùm juvare poſſit, pugnaturum pro beata æternitate, nō video. Quin etiam neque ipſe ſagaciſſimus Salomon perſpexit; cujus indiciū eſt, quia hortatur mortales vniverſos, dum ſunt in virore adhuc juventutis, nihil vt differant ad extremum ſenectæ occaſum, quod continuo obligantur DEO præſtare: puta divinū cultum,

Emervantur ab ipſa ſenectute, ejuſq; incommodis.

Pineda ad Ecclеſ. 12. 1

tum,

tum, mandatorum obſervantiam, pro criminibus ſatisfactionem, & ſi quæ alia ſunt hominis erga Numen debita obſequia; cauſam aſſignat, quòd devexa ætas, & corpuſculum ſenio fractum, parum roboris ſint habitura ad tantas molitiones, multum impedimenti. Graviſſima in hanc rem Salomonis adhortatio, continetur verbis quæ ſequuntur.

PARAGRAPHVS VI.

Adhortatio Salomonis, pulcherrimis plena Symbolis, quâ monentur Juvenes, ne pietatis, virtutis, pœnitentiæ ſtudia, remittant in SENIVM.

Memento Creatoris tui, in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent. antequam tenebreſcat ſol, & luna, & ſtellæ, & revertantur nubes poſt pluviam; quando commovebuntur cuſtodes domûs, & nutabunt viri fortiſſimi, & otioſæ erunt molentes in minuto numero; & tenebreſcent videntes per foramina, & claudent oſtia in platea; & conſurgent ad vocem volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ carminis: Excelſa quoq; timebunt & formidabunt in via; florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur capparis: antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam. His tot ſymbolorum involucris, deſcribit Sapiens potiſſimas illas difficultates, quæ hominem, ad ſeriam promovendæ ſalutis cauſam, aut impediunt, aut minùs aptum faciunt in ſenectute: præſertim illa, capulari, devexa, incurva, jamq; ruente, & vmbris vicina: de qua veriſſimè dixero; metue ſenectam, non enim ſola advenit. & cur, putas, eam *tempus afflictionis, atq; annos non placentes*, appellavit Eccleſiaſtes? Sed nunc lubet ejus evolvere ænigmata, & penitius conſequentia ſenium incommoda perſcrutari. I.

Eccleſ. 12. v. 1. & ſeq.

Senectutis incommoda, ſymbolicè deſcripta à Sapiente.

II. Ac primùm quidem eſto; tenebreſcere ſolem, lumen,
Franciſc. Valeſius in ſacra Philoſoph. c. 66. lunam, ſtellas; quod Franciſcus Valeſius applicat oculis ſenum, plerumque caligantibus, neque potentibus lucem ſuſtinere, aut diurni, aut nocturni ſideris; ita enim vſuvenire ſolet, vt tandem videndi facultas in homine, longâ ætate hebeſcat, nec
Senectus cæcutiens. ampliùs radiorum cœleſtium ſit patiens oculus. quæ ipſa non rarò, compluribus decrepitis impatientiæ materia eſt, dolentibus ſpiſsâ ſe nocte, & tenebris involvi. nam illud inſolens omnino
Deut. 34. 7. fuit, ac prodigio non abſimile, quod de Moyſe refertur: etiam cùm centum viginti annos vixiſſet, *non caligavit oculus ejus.*

III. Alterum Senij incommodum; *revertentur nubes poſt pluviam.*
Senectus tuſsiens. Quibus verbis deſcribi videtur hyems turbida, imbrifera, in qua nubilum ſemper cœlum triſtia minatur, nullus Favonius ſerenitatem aſpirat. Et hæc ipſa eſt viva imago Senij, quod in perpetui mœroris nubem immergitur, continuis imbribus, importunis pluvijs aggravatum, nempe augeſcentibus quotidie catarrhis, & conſpirante in vetuli interitum pituitâ. hinc naſus jugiter madidus, os pectuſque mucoſum, oculi lachrymantes. magna moleſtia, eoq; turpior, quia ſenes ad infantiam remittit.

IV. Tertium Senij incommodum; *commotio cuſtodum domûs.* Notum eſt humani corporis ſtructuram, & maximè quâ parte ſtat venter atque inteſtina, compingi ex coſtis. Hinc D. Hie-
Senectus anhelans. ronymus ad hunc locum ait: *cuſtodes domûs, coſtas ſignificari putant, quòd ab ipſis inteſtina vallentur, & tota ventris mollitudo ſervetur.* Has coſtas addit Lemnius, ſenibus ſubſidere, vt propter anguſtias pectoris, efficiantur anheli, & ſpiritu difficiles. Alij per domûs cuſtodes, interpretantur muſculos cum nervis, quibus non tantùm veſtiuntur, ſed quaſi etiam cuſtodiuntur oſſa. & quoniam illi graveſcunt in grandævis, ac tremunt, dicuntur cuſtodes domûs commoveri; ſanè tam diu ſenilis corporis titubat fabrica, donec ruinâ ſuâ oſtendat, ſemper ſe ad caſum ſtetiſſe. interim tremor & membra exercet, & virtutem.

V. Quartum Senij incommodum; *nutantes viri fortiſſimi.* Ho-

rum

rum verò nomine, intelligo crura & tibias; quibus totum humani corpuſculi onus incumbit. & quoniam huic ſenectus non eſt par ſuſtinendo; ideò crura, tibiæque neceſſariò nutant: atque vt ille ait, Senectus vacillans.

Genua labant, gelidus concreuit frigore ſanguis. Virg. 12. Aeneid.

Quæ cauſa eſt, vt ſenes nonnunquam laſſo popliti fulcrum ſupponant, & tripedes ac quadrupedes incedant; eò monſtroſiùs, quò terreſtria magis animalia imitantur gradiendo. Itaq;

Membra leuant baculis, tardiq; ſenilibus annis, Ouid. lib. 8. Metam.
Nituntur longo veſtigia ponere cliuo:

neq; aliter, quàm cum frequentatis ſuſpirijs; anhelitu ſcandentis conatum deſtituente.

Quintum Senij incommodum: *otioſæ erunt molentes in minuto numero.* Rarum eſt, quod S. Hieronymus ſcribit de Paulo Concordienſi: ei centenario dentes candidos ſtetiſſe. Rarius illud; Moyſi poſt viceſimum ſupra centeſimum annum, nec vacillaſſe quidem dentem vnum. cùm pleriſq; alijs mortalibus, ſenectutis vitio, molares ſoleant partim laxari, partim corroſi, aut carioſi decidere; quorum defectu, propter imperfectam eſcarum commolitionem, neceſſariò per cruditatem ſtomachus affligitur. Duplex igitur malum patitur ſenex edentulus: & quia VI. Senectus edentula.

Frangendus miſero gingiuâ panis inermi; Iuuenal. ſat. 10.

& quia exarmatus maſticandi inſtrumentis, ex indigeſto ſemper cibo, materiam infirmitati ſubminiſtrat.

Quod ſexto loco, apud Sapientem incommodum ſubjungitur, affinitatem habet cum primo, *tenebreſcere videntes per foramina.* Vbi videntium nomine, Pineda accipit nervos opticos, qui per cranij foramina, hauſtos à cerebro ſpiritus, ad oculorum pupillam transmittunt; deficiente autem cerebro ac ſpiritibus, tenebreſcunt nervi, lucemq; videndo neceſſariam, aut nullam, aut tenuem valde in pupillas refundunt. quod languidæ in ſenio virtutis, vitium eſt, occaſio mille querelarum. VII. In Eccleſ. 12. 7. Senectus languida.

Septimum incommodum Senij: *claudi oſtia in platea.* quorum verborum etſi variæ ſint explicationes, iſta tamen videtur veriſimilior; per plateam ſymbolicè jecur ſignificari; quod eſt ſive forum, ſive vniverſi ſanguinis officina, vnde VIII. Senectus exſanguis.

ſuum

ſuum corpus alimentum accipit. Oſtia verò clauſa, venas eſſe, quæ propter inopiam liquoris ſanguinei, in grandævis flacceſcunt, & quaſi ſucco ſuo deſtitutæ, complicantur. miſeros canales! qui nihil ex fonte accipiunt, quod aliò derivent.

IX. Octavum Senij incommodum: *conſurgere ad vocem volucris.* Nunquam Senes magis negotioſi ſunt, quàm nocturno tempore, cùm apud cæteros mortales otium eſt à laboribus, & quies. minimos illos ſtrepitus à ſomno excitat; etiam gallicinium, & quævis matutinarum cantilenæ aviculatum. hinc autem plumas quoque pertæſi, è lecto prorepunt ad nova faſtidia. Pulchrè D. Hieronymus de ſeniculo: *frigeſcente jam ſanguine, & humore ſiccato, quibus materijs ſopor alitur, ad levem ſonitum evigilat: noctiſq́; medio, cùm gallus cecinerit, feſtinus exurgit, nequaquam valens ſtrato ſæpius membra convertere.*

Senectus inſomnis. *S. Hieron. hic.*

X. Nonum Senij incommodum: *obſurdeſcere omnes filias carminis.* Alludit Salomon probabili conjecturâ, ad cantatrices puellas, illaſq́; fœminas, quæ ſuavitate vocis, aut muſicorum amœnitate inſtrumentorum, auditoribus delicias, ſibi quæſtum faciunt. Sed quia gravis multoties auditus eſt ſenibus, hinc neq; ſciunt diſcernere vocum diſcrimina, nec fidium delectari varietate; tantumq́; eſt illis quempiam ſcitè canere, aut doctiore digito pulſare chelyn, quantum ſi ſurdo narretur fabula, aut mortuo verba fiant.

Senectus ſurda.

XI. Decimum Senij incommodum: *excelſa timebunt, & formidabunt in via.* Ita ſanè vſuvenire ſolet, vt vetuli alta quæq́; extimeſcant, ne ſcandendo aut offendant, aut labantur; ſibi dolorem, alijs riſum facturi. Exhauſta viribus ſenecta, ſemper pavida eſt, nunquam non imminentis casûs ſuſpicioſa; neq; adeò mirum; quia prona eſt in nativam humum ac ſepulchrum.

Senectus timida.

XII. Vndecimum Senij incommodum: *floreſcens amygdalus.* quo verbo pulchrè decrepitorum hominum canities deſcibitur. Quemadmodum enim prima omnium arborum floret amygdalus, & ſubitò albis plena comis ſtat: ſic ſenibus repente accedunt cani; ſed plerumq́; intempeſtivi, triſtes, ingrati. Egregiè Plinius de amygdalæ, aliarumq́; flore arborum ſcribit: *Flos, eſt pleni veris indicium, & anni renaſcentis; gaudium arborum; tum ſe novant, aliaſq́; quàm ſunt, oſtendunt.* At verò in homine, effloreſcens canities, hyemis indicium eſt, & morientis vitæ. tunc etiam ſenex, ſe longè alium ac diverſum exhibet ab eo, qui olim fuerat; & depingitur genuinè à Lyrico;

Senectus cana. *Plin. lib. 16*

Difficilis

Difficilis, querulus, laudator temporis acti Horat. de
Se puero, cenſor, caſtigatorq́ minorum. arte.35.

Duodecimum Senij incommodum *impinguatio locuſtæ.* Quâ XIII.
ratione cum ſenibus locuſta habeat affinitatem, docet Rupertus to- Senectus
tidem verſibus: *qui nunc viridis & rectus incedit, caneſcet, & curvus vix* incurva.
incedere incipiet; habenſq́ crura tumentia, nequaquam vt nunc, levis & ge-
ſticuloſus in ſaltum ſe ſe excutiet: locuſta namq́ impinguatur, dum tranſactâ Rupertus in cap.9.
levi juventute, crura tumeſcunt, vt fieri ſolet ſenibus. Itaq, in ætate vl- Apoc.
timâ, plerumq; pedibus malè affecti vetuli, ferè ſunt ſedentarij; ſibi
graves, alijs moleſti, vtriſque non leve pondus.

Decimum tertium Senij incommodum; *diſſipatio capparis*; ſi- XIV.
ve faſtidium ciborum. nam quia capparis, vel irritamentum, vel
condimentum eſt menſarum; poſtquam illa deſipuerit ſenibus, ni- Senectus
hil ampliùs ſupereſt, quod poſſit appetentiam facere, atque orexin; faſtidioſa.
præſertim magis ac magis languente nativo calore. Eſt propterea
magnum hoc malum ſenectuti, ibi cruciatum ſentire, vbi reliqui
mortales voluptatem experiuntur; inde mortem haurire, vnde
alij vitam accipiunt. Certè non pauci è grandævis, etiam in juſcu-
lo & ſorbitiunculis, grave tormentum ſubeunt; maluntque brevi
mori, quàm diu comedere.

Decimum quartum Senij incommodum: *diſruptio funiculi* XV.
aurei. Per hunc intelligit Hugo cartilaginem, quæ continet me-
dullam ſpinalem albi coloris, & nervis ſuis, quibuſdam quaſi funi- Senectus
culis alligatam. Igitur, cùm ad incuruationem dorſi ſenilis, hi nervi morbida.
laxantur, & quaſi diſrumpuntur, ſequitur paralyſis, familiare gran-
dævis malum; & eò miſerabilius, quia ſe nullâ ſui corporis parte ju-
vare poſſunt, omnibus jam membris frigore emortuis.

Decimum quintum Senij incommodum: *recurret vita aurea.* XVI.
Vatablus, diffluet; quod aliqui ad cerebrum referunt, ſeu menin-
gem, quæ & propter rubedinem, ad aureum colorem accedit, & ve-
lut vitta caput hominis ambit. Alij; quoniã vitta inſtar rotundi cir- Senectus
culi recurrit, putant ſignificari rotundam aliquam, ac pretioſam frigida.
partem, quæ ſenilibus annis à ſuo ſtatu dimoveatur; cujuſmodi eſt
cor, cujus rubentes, ſanguinei, ac velut aurei ſpiritus, ab ipſo vitæ
fonte fluentes, quaſi retrorſum acti recurrant: hoc eſt, non jam am-
pliùs ex corde fundantur, niſi parcè admodum & ſegniter, propter
ſenectæ frigeſcentis languorem.

Decimum ſextum Senij incommodum: *contritio hydriæ ſuper* XVII.
fontem. Symbolum hoc aptè poteſt explicari de vitio renum, mor-

bo veſicæ, vrinæ difficultate, malis apud ſenes frequentibus. Itaq; cùm renes (qui velut hydria, aquoſum hauriunt ex ſanguine humorem) ſiccis adjuti incrementis, calculos generant, interdum etiam teſtacea quaſi fragmenta, confractos in veſicam lapillos proijciunt, non abſurdè comparari poſſunt hydriæ, quæ ſuper fontem paulatim in fruſta conteritur. Et profectò quantum vetulis negotium faceſſere debeat, ſive arena, ſive calculus, renum vitio adnatus hinc colligo; quòd ipſe ego olim religioſum, conſtantis animi virum, dum hoc malo correptus eſſet, inter acerrimos dolores, audierim, non tantùm graviter ingemiſcentem; ſed etiam rogantem calidè, vt chyrurgus quam primùm vocaretur, qui ſecto poſt tergũ corpore, & arenam ſolveret, & calculos eximeret. nempe minus illi malum, ac tolerabilius videbatur, vulnera excipere, & cultros pati, quam arenulis, & calculis vexari.

Senectus calculoſa.

XVIII. Decimum ſeptimum Senij incommodum: *confractio rotæ ſuper ciſternam:* quo nomine denique intelligo ſenilis corporis attritum; quia dum vaneſcentia bona ex hoc mundo velut è ciſterna hauriunt mortales, tandem poſt exactos omnis ætatis gradus, more celeris rotæ, per ſenectam decurrunt ad plurimas ægritudines, quibus corpuſculum (malè materiata compago) velut atteritur, donec tandem præter ſicca oſſa, & longum cadaver, vivi hominis veſtigium, ſuperſit nihil.

Senectus fatiſcens.

XIX. Et hæc ſunt illa, ſive malæ grandia, ſive ſenectutis incommoda, quæ ſapientiſſimus Salomon, lubricæ juventuti ideo poſuit ob oculos, vt ſciret, petulantiam annorum ſuorum coërcere, dominari malis affectibus, modum irritamentis ponere; neque omne virtutis ac probitatis ſtudium, differre in ætatem devexam, & ſecum conflicturam. Repeto igitur cum eodem Eccleſiaſte: *Memento Creatoris tui, in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas non mihi placent.* Quiſquis es tenellus adhuc adoleſcentiæ floſculus, memor eſto Creatoris tui colendi, Servatoris tui amandi, Legiſlatoris tui metuendi, Judicis ac vindicis tui placandi. Ne tu velis in Senium differre, quæ puer, quæ adoleſcens, quæ juvenis facere debueras. Nimis dubia eſt promiſſio, velle annis vltimis efficere, quæ primis non potuiſti. Dolere ex animo de aſſuetis ſceleribus, damnare ſeriò amatas ſemper illecebras, laudabiles virtutum affectus tunc induere, cùm te jam ſenecta viribus exuit, cùm jam te ſenecionem, mors ad ſepulchrum vocat, res admodum eſt ardua, & plena periculi.

Mille ſenectutis incommoda, plurimùm incommodant, pœnitentiæ illuc rejectæ.

Digitized by Google

tuli. S. Ambroſius jam olim interrogavit: *quid poteſt habere laudis, ſi effœtum corpus voluptatibus, & jam ſenectutis gelu frigidum, ad ſera devotionis officia, depoſito jam ſerio vigore convertas?* quin & Seneca aliam adoleſcentibus quæſtionem movet: *non pudet te* inquit, *reliquias vitæ tibi reſervare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit.* quàm ſerum eſt tunc vivere, cùm deſinendum eſt. *S. Ambroſ.* *Seneca lib. de brevit. Vita.*

Audeo dicere, prodigio ſimile eſſe, impium in ſenili ætate (qui illuc vitæ ſuæ totius emendationem, pœnitentiamq; rejecit) inter graviſſima poſtremæ ætatis incommoda, moleſtias, infirmitates, dolores, faſtidia, videre legitimè pœnitentem. Senectus morbida, vt ſe aliquâ parte levet, omnes corporis, animæq; facultates occupat; ſerijs de æternitate cogitationibus, præter fractas vires nihil relinquit. Rectè ad propoſitum D Chryſoſtomus ſic ſcribit; *habet ſenectus vitia quædam propria, & morbos, quibus juventus caret, & ipſa quidem ſenectus morbus eſt; ineſt illi tamen præterea ſegnities quædam, ac tarditas, oblivio profunda, & obtuſio ſenſuum.* Nos ſi ſapimus, cùm integro ſumus robore, & annis vegeti, ea præſtabimus debita Numini obſequia, quæ in ſenio non niſi ægrè poterimus. periculum hîc exijſſe, eſt, non ſe commiſiſſe periculo, nec in ſenectutem diſtuliſſe pœnitentiam. XX. *Rarò impius juvenis, fit pius ſenex.* *S. Chryſoſt. hom. 4. in cap. 2. ad Titum.*

PARAGRAPHVS VII.

Protracta in MORBVM pœnitentia, quantùm difficultatis habeat?

PErſuaſus fortaſſis non nemo ex hactenus dictis, jam ſecum decrevit, nequaquam inſolentioris vitæ emendationem remittere in ſenectutem, vtpote nimis frigidam ad poſtrema reſipiſcentis animi molimina. Illud tamen nondum à ſe impetrare poteſt, vt ſincerâ pœnitentiâ morbos præveniat; ratus tum ſe commodiſſimè dicturum vale noxijs voluptatibus, quando inter ægritudinis moleſtias, I.

Digitized by Google

[illegible] titillaverit illecebra. neque aliud fere [illegible] dolendum, de commiſſis præteritæ vitæ erro-[illegible] perpetratis, quàm cùm dolores, facto quaſi agmi-[illegible] ægrumq; vrſerint ad ingemiſcendum. tum e-[illegible] ſive mali, ſive occaſionis, mortalibus quaſi [illegible] vt ægri (non ægrè tamen) redeant in gratiam [illegible] ſani aut parum, aut nihil meminerunt; ſanè modi-[illegible] habuerunt.

II [illegible] ego occlamo; parciùs iſta quæſo, nec tam liberaliter [illegible] morbos promittamus, fatorum noſtrorum prodromos: noli-[illegible] morti ponere. jam dudum exlex eſſe cœpit, neq; jus didi-[illegible] mortalibus accipere, ſed ijſdem dare: & illud quidem rigidum. Hinc fit, vt multi expiraverint, nullam corporis infirmitatem paſſi: abeundum illis fuit ad vnum mortis nutum, nulliûs etiam vel minimâ morbi ſuſpicione præmonitis.

[illegible]

Hos bella, hos æquora poſcunt;
His amor exitio, furor his, & ſæva cupido;
Illos in placido lethali Syrius igni,
Hos manet imbrifero pallens autumnus hiatu.

Ita paſſim multi à vita ſaltârunt ad fata, citra omnis ægritudinis malum. plurimos obruit nondum ſuſpecta moriendi neceſſitas, fecitq; cadavera, antequam ſenſerunt ictum. mors jam dudum aſſuevit laneis pedibus incedere; vt proinde nulla ſit certitudo, laboraturum te aliquando cum morbo, futuro adproperantis lethi nuncio: potes interire, priuſquam iſte te mortis anteambulo conveniat. Et puto huc alluſit D. Auguſtinus, quando petulco adoleſcenti; iſtud obijcienti: *Homo juvenis ſum, facio quod me delectat, & poſtea pœnitentiam ago;* ſic reſpondet. *Hoc eſt dicere; percutio me gladio crudeli, & poſtea ad medicum vado: & neſcit quòd in vniùs horæ puncto vulnus accipitur, & vix longo tempore ad ſanitatem priſtinam revocatur. Qui enim adulterans dicit, ſe poſtea pœnitentiam acturum, quare non timet, ne eum ſubitum periculum ſuperveniens rapiat, & pereat illi delectatio, & ſuccedat illi damnatio?*

S. Auguſt. Serm 150. de tempore.

III. Si tamen ægritudo occupat impium, multum turbat eius pœnitentiam.

Sed etiam hoc concedamus tibi beneficium obtingere, vt infirmitas præveniat tanquam Vates, faciendę mox ad alterum orbem migrationis. profectò nunquam mihi perſuaſeris, multum hinc te adjutum iri, promovendo beatæ æternitatis negotio; quin potiùs confidenter ajo, plurimum inde ſenties difficultatis. Sic enim naturâ comparata eſt omnis ægritudo corporis, animum quoque

triſtitiâ

triſtitiâ inficit, ac velut vigorem ejus conſtringit; vt multa moliturus, multa acturus, parum aut nihil faciat; morbo ad ſingulos conatus obijciente moroſitatem pro obſtaculo.

Sophiſtæ veteris dictum eſt: *rem moroſam eſſe ægrotationem. nam ægrotis vxor moleſta eſt; & medicum incuſant; & lectulum moleſtè ferunt; ex amicis etiamſi quis accedit, gravis eſt; & qui diſcedit, moleſtus.* Si igitur & conjux officioſa, & ſolers medicus, & mollis culcitra, & amici ad obſequia ſtantes, cùm ſolatium eſſe debebant, faſtidium decumbenti fiunt, vi moroſæ ægritudinis: obſecro quid tandem futurum putamus, quando mens impij, illo ſe articulo volet occupare cum triſtiſſimis cogitationibus, & maximè ſerijs; de æternitate, quæ tota quanta, ex vltimo pendet halitu; de flammis in ſtyge ſemper arſuris; de igne piaculari, accenſoque purgatorij rogo; de Numine millies graviſſimè offenſo; de ante actis per omnem licentiam annis; de perfecta peccatorum omnium exhomologeſi, ſimulq; fixo animi faciendo decreto, nunquam deinceps ampliùs frequentandi flagitia toties frequentata; denique de colendo, amandoque impoſterum Deo, hactenus nunquam verè culto, nunquam candidè amato. quantum tunc quæſo morbus addet alacritatis ægro? quantum adjumenti? nunquid flacceſcentem animum ſtimulabit ad tam ardua, ad tam inſueta? an non potiùs magis elumbabit, & moroſitate ſuâ abſtrahet à ſalubri cogitatu & auſu? IV.

Plutarchus lib. de animi tranquill.

Res moroſa eſt morbus.

Maximè ſi accedunt cogitationes ſeriæ de æternitate, & pœnitentia agenda.

Multorum querimonia malè habentium, iſtius modi auditur: tantus meus languor & dolor eſt, vt orare non poſſim. Itane verò? orare non poterit æger impius, & poterit ad calculum revocare ſua flagitia? & poterit ſeriâ voluntate admiſſos damnare errores? & poterit cum novo, ingenuoque propoſito, veterem retractare vitam? Deoque ſe fidelem tranſcribere ſervum, ex longo dœmonis mancipio? Memini, cùm ante annos aliquot, Virum Eccleſiaſticum, in poteſtate conſtitutum viſitavi, quo tempore cum calculo graviſſimè luctabatur; mihi hæc inter gemitus ac ſuſpiria dixiſſe. O! nemo, preces ſuas ac devotionis affectus, differat ad invaletudinis malum; ita tunc omnia languent, & velut obſtupeſcunt ad pietatis exercitium, membra, ſenſus, potentiæ. V.

Ægrotatio vna, non ſinit hominem orare.

Quod ſi vna infirmitas, ægritudo vna, tantùm laboris faceſſit homini ad lectulum proſtrato; quantùm poterunt plures, ſi contra eundem conſpiraverint? Si dolores vndique & vndique, velut vallo quodam ægrotantem circumcinxerint? ita enim fieri amat, vix ſolus venit morbus, trahit vnus alterum, & excreſcunt in cate- VI.

Quid facient plures?

Digitized by Google

nam. Teſtem etiam Galenum habeo; ſæpe non vni mortali advenisſe ſimul, *ſpirandi difficultates, vrinæ ſtillicidia, articulorum dolores, renum paſſiones, vertigines, apoplexiam, pruritus totius corporis, coxendicum dolores, aſthmata, gravedines, nephritidem, podagram.* Et quis cætera memoret genera morborum? paralyſin, verminationem, lepram, hydropem, anginam, pleuritidem, febrim, phtiſin, calculum, colicam, hæmorrhoides, ac ſexcenta alia, fœcundam ſobolem infelicis Adami; quia ex ejus prævaricatione nata eſt, in poſterorum exercitium; vtrorumq; pœnam, parentis ac liberorum. Itaq; cùm ex hoc tam infeſto multiplicis ægritudinis exercitu, aut vna, aut plures hominem occupaverint, quid aliud naſci poteſt, quàm ingens domi turbatio? Socrates planè, interrogatus quid morbus eſſet? reſpondit; *perturbatio corporis.* addo ego; *& animi.* Nam quamprimùm languet caro, jam ſpiritus quoq; infirmitatem trahit. ea vis eſt mutuæ vtrinq; ſocietatis, vt neutri ſine altero bene ſit, neutri ſine altero ægrè: vterque ſimul aut gaudeat, aut triſtetur.

Galen. Aphor. Com. 3. 31. & Com. 2. 39.

Cùm ſinguli ſint perturbatio corporis; imò & animi.

Stob. ſerm. 98.

VII. Declarari res poteſt, ex membrorum in corpore, mutua inter ſe neceſſitudine ac ſympathia; de quibus ita loquitur D. Auguſtinus. *Conſiderate & videte, quid fiat in vobis carnaliter. quando ſanum eſt caput, quomodo congaudent omnia membra, & placent ſibi de ſingulis illis, membra cætera. è contrario, quando patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Ecce ſpinam calcat pes: quid tam longè ab oculis, quàm pes? longè eſt loco, proximus charitatis affectu. Modicum pungit ſpina, vide quomodo illuc convertuntur omnia membra. primò ipſa ſpina dorſi incurvat ſe, & deponunt ſe omnia membra: nunquid oculi ceſſant quærere? nunquid aures ceſſant audire? fortè alij, qui vident vbi ſit, dicunt, ecce ibi eſt: ſtatim hoc audiunt aures, & ſequuntur conſilium; ibi & oculi quærunt, & manus operantur, vt dixi; totum corpus incurvatur, & nihil vacat in homine ad ſubveniendum. & ſolùm in pede factum eſt vulnus, & totum quod eſt in homine, operatur. Sana ſunt omnia membra; pes dolet, & omnia membra.*

S. Auguſt. hom. 15. de 50. popular.

Membri vnius afflicti ſympathia, cum ſano:

VIII. Eadem ratio eſt animæ, cum corpuſculo ſuo. hoc enim ſi morbo tentatur, jam illa tota abripitur ad condolendum; & quaſi oblita ſui, ſolius meminit ſocij: cujus acerba fata ſic deplorat, velut propria eſſent. omnis tunc animæ querimonia eſt de amato, & dimidio ſui, aut corpore ægro, aut aliquo ejus membro. Narrant ſacri Regum faſti, puerum olim quendam, ipſo meſſis tempore, quo ſol calidiſſimè fervet; ejus (vt veriſimile eſt) radijs inclemen-

Arguit ſympathiã animæ cum ægroto corpore.

tiùs

Digitized by Google

tiùs percuſſum, contraxiſſe fatalem morbum; jamque vt immenſum capite æſtum ſenſit, ad patrem inter meſſores occupatum, cucurriſſe cum hac perpetua ingeminatione, ac miſerantis animi ſignificatione; *caput meum doleo, caput meum doleo.* Hæc poſtquam inter multa ſuſpiria identidem exclamaſſet, expiravit denique; eò majoris materia luctûs, quòd vnicus eſſet filius, & miraculo impetratus per Eliſæum à Deo. 4. Reg. 4. 19.

IX. Valetudinaria ſuſpirijs & querimonijs plena.

Et quæſo, ſi nos etiam intrare velimus valetudinaria, humanæ miſeriæ luculentos teſtes: Si mens eſt convenire ægros, eorumque excipere verba; quid aliud audiemus, quàm illa millies repetita, millies repetenda: eheu! caput meum doleo; eheu! oculos meos doleo: eheu! ſtomachum meum doleo: eheu! hepar meum, ſplenem meum, renes meos, veſicam meam, pedes meos, latus meum, cor meum doleo. Hic eſt decumbentium prope vniverſorum, miſerabilis cantus; quando inter graves ægritudinum dolores, vident ſe ad occaſum ire; & membra ſua jam morientia, ſecum quoque ad ruinam trahere corpuſculum. Quanquam invenio etiam hominem, qui in morbo ſuo fatali, meliùs cecinit, ſuaviùſque.

X. Specul. Exempl. diſtinct. 9. exemplo 138. Cantilena leproſi hominis, ante mortem ſuam, inſolita.

Contigit fortè, vt nobilis Venator ſecutus feram, audiret in nemore gratiſſimam cantantis vocem. Perplexus igitur, quis tandem inter ſylvas novus Orpheus, tam pulchrè modularetur; reperit hominem pauperculum, & leprâ vndiq; ita infectum, vt caro inter ſaniem, putidumq; tabum diffflueret. Hunc ergo admirabundus rogavit, quomodo tandem tot doloribus, tam fœdi morbi obſeptus, potiùs caneret, quàm ingemiſceret? cui alter hæc memoranda regeſſit: *inter Dominum Deum & me, non mediat niſi paries de luto, hoc eſt, corpus meum; quo confracto, atque interſtitio diſſipato, ad ipſum perveniam. videns igitur quotidie diſſolvi, ac debilitari corpus meum, gaudeo, & canto præ lætitia cordis, expectans diſſolutionem corporis ipſius, vt ſine impedimento ad Deum, fontem vivum, valeam pervenire.* Superi! qualis hæc cantilena eſt? & qualis avicula, quæ ſic cecinit moritura? nempe cygno ſimillima eſt, qui etiam funeri ſuo didicit præcinere. Fabulæ poëtarum ajunt, cùm olim cygnus fatis ſuis proximus eſſet, præluſiſſe ſuaviſſimo carmine. Audiebat illud vicina ciconia; & miranti, quomodo eo, tam miſeræ neceſſitatis articulo luberet cantare? reſpondit olor, hoc fieri ſpe bonâ melioris vitæ, & animi quodam præſagio ſecuturæ felicitatis, in quam ex hac vita ſe migrare intelligeret.

nempe

nempe quòd ibi, neque victûs quærendi ſolicitudine excruciandus eſſet, neque inſidiarum vllo ampliùs metu afficiendus.

XI. Hunc ergo cygnum, æmulatus noſter, quem dixi leproſus; cùm jam videret, magis magiſque ſe ad mortem feſtinare, ejuſque beneficio non tantùm moleſtâ, turpique ægritudine expediendum; ſed inſuper etiam evolaturum ad Deum, centrum, ſcopumque deſideriorum ſuorum; præ affluxu liquidiſſimi ſolatij, & quaſi jam præciperet, quæ animus ſuſpirabat, cœpit arroſam putore linguam, vocemque velut emortuam, ad cantus animare. Sed ô! quàm pauci hunc imitantur ægroti! plerumque omnibus, qui cum morbis luctantur, alius non eſt ſermo quàm de gravitate dolorum, de affectis membris, de ſanando corpore, de malo aliquatenus levando. hæc tota eorum cantilena eſt, aut lamentantium fata ſua, aut medicinam quærentium. Et auſim dicere; prima paſſim apud infirmos eſt cogitatio, de carnis valetudine, poſtrema de animæ ſalute, de æternitate, de pœnitentia, alijſque ad veram beatitudinem neceſſarijs medijs. Quæ, etiamſi nonnunquam hominem tempore morborum afficiant, ita tamen fieri amat, vt mens quaſi perturbata corporeis doloribus, præter frigidam voluntatem, & lentos conatus, nihil admodum à ſeipſa impetrare poſſit.

Pauci mortales ante obitum ſuum fiunt cygni.

XII. Doctè, atq; eleganter Romanus Orator olim ſcripſit: *quemadmodum oculus turbatus, non eſt probè affectus, ad ſuum munus fungendum; reliquumq; corpus, cùm à ſtatu motum, officio ſuo ac muneri deeſt. Sic conturbatus animus, non eſt aptus ad exequendum munus ſuum.* At verò vt plurimum animus hominis perturbatur, quando in morbido corporis hoſpitio debet habitare: itaque tum minus aptus eſt ad ſuas functiones, puta, meditationem æternorum, deteſtationem criminum, noxarum confeſſionem, totius vitæ in melius reparandæ conſilium. Accedit, nonnullos dum ægritudinibus premuntur, nec quidem ſuſcipere ſalubria de ſalute propoſita; rati ad tam ſevera, ſibi vires non ſufficere. Atque ea cauſa eſt, cur pœnitentiam, exhomologeſin, ſimiliaque pietatis ſtudia, de vno in alium morbum reijciant: ſemper confiſi, cùm valetudinem denique receperint, tum ſe officium pij chriſtiani facturos. Ita nonnunquam & ludunt cum ſpe, & luduntur; neque ante deſinunt tempus trahere, quàm animam. E ſexcentis vnum tibi adduco in teſtem, cujus meminit D. Antoninus, quondam Florentinus Pontifex.

Cicero lib. 3. Tuſcul. quæſt.

Animus ægroti, minus eſt aptus, negotioſiſſimo ſalutis negotio promovendo.

XIII. Adoleſcens olim & genere nobilis, & copioſus divitijs, & vitijs famoſus, præſertim laſciviâ, familiari juventutis malo: hoc tamen

men quotidie DEVM rogavit, vt eum mori non ſineret, niſi præmonitum de fatis appropinquantibus. Nempe arbitrabatur, tunc ſe ex chriſtianæ legis diſciplina, neceſſaria paraturum, pro felici ad æternitatem itinere. Neq; vanæ fuerunt preces; nam bonus Angelus, homini ſemel inter orandum adſtans, ſignificavit apud Numen ratas eſſe; nec moriturum ſine mortis prænuncio: diligenter modò animum illi venturo adverteret. Sed hinc miſellus Adoleſcens, cum ſecuritate audaciam hauſit, factuſque eſt protervus divinarum legum transgreſſor, amator voluptatum, & primus inter Veneris troſſulos amaſius. Contigit, vt non diu poſt, dolor caput occuparet, tum deinde corpuſculum febris. jamque conſanguinei de periculo docti, ſuadent ægro confeſſionem peccatorum: quibus ille repoſuit iſtud breve, *infirmitas hæc, non eſt ad mortem*. Sed quia invaluit morbus, iterum illi ſuggerunt pœnitentiæ Sacramentum. neq; æger omnino abnuit, expectare tamen vult convaleſcentiam, vt reſumptis viribus rectiùs, & pro dignitate, tam divinum opus poſſit perficere. Interim, quoniam recruduit malum, tertiùm & amici, & ſacerdos hominem admonent, rogantque, vt chriſtiani piè morituri, officium faceret, animumq; tandem ſalubri confeſſione expiaret. Sed ille cauſatus ægritudinis vim, molemq; ingentium dolorum, quibus vndique vrgebatur, nihil egit. Dum ſic moram trahit miſerabilis adoleſcens, & ſpe valetudinis recuperandæ, ſe ipſum, alioſque lactat, qui ſupra eum convenit bonus genius, iterum adeſt, ſed ingratus oppidò; quia diem illi, imò horam dicit: ſcilicet jam jam migrandum eſſe, mortem ad limen domûs ſuccinctam ſtare, vt eum æternitati ſiſtat, & Numinis tribunali. Attonitus homo ad iſtud fulmen, queri cœpit fidem nuper datam, & pacta violata eſſe. à nullo hactenus ſe præmonitum, de hac tam ſubita, tam inſperata migratione. Quin imò, ait Angelus; nam cùm acceſſit infirmitas, mortis fuit prænuncia; quoties deinde agnati inſtabant propter exhomologeſin, quoties ſacerdos, toties vt te componeres ad felicem hinc abitum, monitus fuiſti. nunc abeundum eſt, nihil tibi induciarum conceditur, vitæ tuæ clepſydra effluxit; vix tres guttulæ, tria granula ſuperſunt. Deſijt Genius dicere, & ſimul vivere infelix adoleſcens: futurus ſanè beatus, ſi non traxiſſet tempus in pœnitentia.

D. Antoninus p. 2. ſummæ. tit. 9 cap. 13. §. 5.

Joan. 11. 4.

Expertus eſt malo ſuo, infelix juvenis.

XIV. Et tu, qui hæc legis, qui hæc audis, adhuc cogitas in morbum tuam differre reſipiſcentiam? ſalutaria melioris vitæ propoſita?

poſita? virtutis amorem? odium ſceleris? delitiarum fugam? integram cum Deo amicitiam? O! vt vereor, ne te ipſum ſplendidè decipias.

Impius æger, ægrè convertitur.

Potes mori, antequam vlla te comprehendat ægritudo. neq; inſolens id eſt, multis hæc neceſſitas accidit. Potes in ipſo morbo alia omnia agere, quàm nunc deſtinas. ipſa ſpes convaleſcentiæ facit, vt homo ſæpe æger, differat in ſanitatem redituram, proficua obtinendæ beatitudini media. nec pauci, dum valetudinis recuperationem ſperant, expirant.

Scelerati hominis & infirmi, infirma eſt pœnitentia.

Quod ſi verò, in ipſa quoq; ægrotatione facturus es, quæ nunc decernis pro eo articulo facere; iterum metuo, ne vi dolorum abſtracta ad corpus anima, illi juvando potiùs laboret, quàm ſibi: & cùm multum pro beata æternitate agere volet, vel in deflendis criminibus, vel in ſui accuſatione, vel in Deo exorando, ſibique per amorem devinciendo, præter infirmos conatus, parum poſſit.

D. Auguſt. ſerm. 67. de temp.

Sancti Auguſtini hoc eſt oraculum: *pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. & ideò dilectiſſimi, quicunq; invenire vult miſericordiam Dei, ſanus agat pœnitentiam, ut ſanus eſſe valeat in futuro.* In eundem ſenſum luculentiſſima eſt Siracidis hæc exhortatio.

Eccleſ. 17. à v. 26.

Non demoreris in errore impiorum; ante mortem confitere, confiteberis vivus, vivus & ſanus confiteberis, & laudabis Deum, & glorificaberis in miſerationibus illius. Quàm magna miſericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad ſe? Quæ verba docti accipiunt de tempeſtiva impiorum cum Deo reconciliatione, dum viribus adhuc integris ſunt, & nullâ morborum gravitate impediti.

PARA-

PARAGRAPHVS VIII.

Quæ hactenus dicta, doctaq́; ſunt, de pœnitentia non remittenda in CRASTINVM, SENIVM, MORBOS, confirmantur ex S. Baſilio.

QVod ego vniverſim, cum omnibus graviter impijs efficere conor, vt maturè reſipiſcant, & quam vixerunt malè vitam, caſtigent ad melioris leges; hoc olim magnus cauſæ meæ patronus, D. Baſilius, cum illo egit homine, quem fœdè in adulterij crimen prolapſum, hortatus eſt, vt quamprimùm ſibi turpem, alijs ignominioſam maculam, per pœnitentiam elueret, ſeq; continuò ad frugem reciperet. Et quoniam ſubdola eſt humana malitia, ac facilis ad effugia cunctationum, ſive in dies craſtinos, ſive in annos ſeniles, ſive in ſecuturas ægritudines, quaſi accommodatiſſima reſipiſcendi tempora: vir tamen ſanctus viam omnem obſtruit; oſtenditque præſens longè futuro ante ferendum eſſe. Sed proderit multum, ipſa ejus audire verba, quibus in negotio pœnitentiæ, dilationem, moraſq; omnes facundiſſimè diſſuadet. Itaque orbi palam facturus, quanto procraſtinationem odio haberet, ſic cunctabundum à lapſu ſuo, quem ſupra dixi, hominem alloquitur. *Cunctaris, deliberas, atq; moram trahis. Superiori anno præſens tempus expectabas, nunc rurſus futurum præſtolaris. Vide, amabo te, ne longiorem tibi vitam promittas; neſcis enim quid ſequens dies pariet. noli tibi ea promittere, quæ in tua manu non ſunt. Ad vitam te vocamus ô homo, cur igitur fugis vocationem? ad bonorum participationem te accerſimus, cur negligis donum? regnum cælorum patet.*

I.

Adulterũ hortatur D. Baſilius ad celerem pœnitentiam, bonum maximum.

D. Baſilius oratione 4. de pœnitentia.

Et quoniam animos mortalium ſuaviter afficiunt ſimilitudines, ternas adfert D. Baſilius, vt impio, quem formandum in melius ſuſcepit, demonſtret hodie reſipiſcendum eſſe, & nullatenus in Craſtinũ remittendam, ſive vitæ emendationem, ſive de ſceleribus pœnitudinem. Ejus ita ſonant verba. *Si aurum in pauperes eroga-* II.

Quia neque in muneribus captandis:

rem, non ſanè diceres mihi, Cras veniam, Cras dabis; ſed jam jam expoſceres, largitionemq; vrgeres, atq; iniquo animo ferres procraſtinationem. Cùm verò, non materiæ illuſtrem colorem, verùm animæ puritatem, magnorum ille donorum largitor offerat, excuſationes prætendis, cauſasq; enumeras. Si ſervus hominis eſſes, & propoſita eſſet ſervis libertas, nonne ad ſtatum diem accurreres, patronos conduceres, & judicum auxilium implorares, omni deniq; conatu, atq; omnibus viribus id vnum enitens, vt in libertatem vindiceris? cùm autem te, qui es mancipium non hominum, ſed peccati, præco ad libertatem vocat, quò te civem æqualem Angelis faciat, filiumq; te Dei, *per gratiam adoptatum, atq; heredem bonorum Chriſti declaret; nondum tamen tempus eſſe dicis, vt ea quæ dantur, ſuſcipias. O prava impedimenta! quouſq; tandem voluptates iſtæ tuæ, quouſq; deliciæ durabunt? Cedo, ſi quis medicus tibi reciperet, ſe arte quadam, atq; induſtriâ, juvenem te ex ſene eſſe facturum, nonne deſiderares illam illuceſcere diem, in qua te priſtino vigori reſtitutum conſpicere poſſes? At nunc, cùm pœnitentia promittat animæ tuæ, velut novi germinis renovationem, quam tu veterem effeciſti, & pravitate rugoſam, ac maculatam reddidiſti, contemnis benefactorem, & promiſſionem non excipis, nec deſideras videre magnum illud promiſſionis miraculum? nimirum quomodo ſine matre, renaſci ſoleat homo; quomodoq; ſenio confectus, & fraude cupiditatis depravatus, rurſum juveneſcat ac repueraſcat, ad verumq; juvenis florem redeat. Tot, ac tantis bonis ô miſer, antiquiorem voluptatem judicas? intelligo enim procraſtinationem tuam, etiamſi verbis eam occultes; ipſa res clamat, quamvis verbum nullum facias.*

Neq; in libertate adeunda:

Neque in ſanitate recuperanda, quiſquam tardus eſt.

III. Expugnaſſe videri poterat Baſilius Pontifex, obſtinati hominis animum, ne pœnitentiam in Craſtinum lentâ tergiverſatione remitteret. Cùm ecce tibi, amplius ille aliquid ſperat; & jam de ſenectute neſcio quid ſomniat; quaſi decrepitus temperare ſibi velit, poſſitq; à flagitijs, quando vix ea deinceps ętas permittit eſſe impium. Sic igitur loquentem producit Magnus Baſilius[*]. *Sine me quæſo, vtar carne ad perfruendas res turpes, voluter in cœno voluptatum, ſanguine imbuam manus, diripiam aliena, peierabo, mentiar; & tunc pœnitentiam, vbi abſtinuero à malis, agam.* Quibus ad calcem verbis, apertè ſatis innuit, ſe Deo pro noxis vitę prioris, ſatisfacturum in ſenio, cùm ejus ętatis cõditione, peccare ampliùs aut nihil, aut parũ poterit. Sed audiamus, quid Baſilius divino ſpiritu pleniſſimus, reponat, & vanę, & putidę objectioni. Itaq; reſponſionẽ ſuã, cũ exclamatione ſic orditur. *Quid facis ô homo! cũ multũ valeas in agendo, juventutem tuam in peccatis traducis; vbi verò labore fracta fuerint inſtrumenta,*

Vix laudem habet converſio impij in ſenectute, jam ad vitia impotente.

tune

Digitized by Google

tunc ipſa ad Deum adducis, cùm jam illorum nullus ſit vſus, ſed neceſſariò labant ac torpent, ob longi temporis tabem, firmitate ac robore eorum diſſoluto. Temperantia in ſenecta non eſt temperantia, ſed potiùs incontinentia quædam impotentia. Dum vires ac robur ſuppetit, ratione dominare peccato; nam virtus eſt declinare à malo, & facere bonum. At verò otium agere à pravitate, neq; laude, neq; pœnâ dignum judicatur, ſi vitio ætatis ceſſas à peccatis; imbecillitati hoc eſt acceptum ferendum. nos enim eos in cælum ferimus, qui ex induſtria boni ſunt: non ab aliqua neceſſitate, ne mala perpetrent, prohibentur. Quis verò tibi terminum ſenectutis conſtituit? quis adeò fide dignus apud te, futurorum vas ac ſponſor eſt? non vides pueros, & ætate florentes abripi? nullum profectò tempus præſtitutum vita habet.

Quis non cognoſcat iterum à S. Baſilio, graviſſimo Eccleſiæ Doctore, inter anguſtias conſtrictum eſſe peſſimum diſcipulum? & tamen iterum conatur evadere lubrica anguilla, atque ſe à ſenectute ad Morbum recipere, aliud quaſi improborum aſylum. Nam illorum permulti, tametſi reſipiſcentiam ſuam, futuramq; cum læſo Numine reconciliationem, nolint incerto ſenio committere, volunt tamen eam morbo credere; vtpote, quem fere ſemper mors ſolet præmittere, velut adventûs ſui prænuncium. Sed quàm malè in ſecuturam ægritudinem deſtinentur, quæ ad ſeriam pœnitentiam ſpectant, docet rurſus noſter Baſilius, illum hominem, quem è gravi lapſu conatur in pedes erigere. *Quid expectas, vt te febris ad pænitentiam vocet? cùm neq; ſalutaria verba ampliùs proloqui, neq; quidquam auribus accipere poteris, cùm in ipſo capite morbus inhabitet. non manus ad cælum ampliùs tollere, non in pedes erigi, non genu flectere, cùm precatio erit habenda; non commodè doceri, non certò confiteri, non redire in gratiam cum Deo, non renunciare inimicitijs; & fortaſſis etiam neq; intelligentiâ, neq; animo comprehendere myſteria divina poteris; ſiquidem præſentes ambigant, an aliquem ſenſum eorum, quæ fiunt, habeas.* IV.

Pœnitentia inter morbos, non vnam patitur difficultatem.

Vna adhuc ſupererat excuſatio, quam miſerabilis homo, palliandæ ignaviæ ſuæ prætexeret; nempe quia morbi omnes nequaquam lethales ſunt, ideò vlterius differri poſſe pœnitentiam, ad ipſum ſcilicet illum duræ neceſſitatis articulum, quo deniq; moriendum ſibi eſſe intelliget, vltimis jam fatis accelerantibus. Atque vt concedamus, mortem ei non fore ſubitaneam; quàm nihilominus pro eo tempore, magis magiſq; ad occaſum inclinante, difficilis, operoſa, dubiaq; futura ſit, ad meliorem mentem converſio, demonſtrat qui ſupra D. Baſilius, totidem verbis. *Quis tum te pænitentiæ, ex perturbatione mente captum, ac ſtupidum commonefaciet? tui mæro-* V.

In mortem temiſſa ab improbo pœnitẽtia, periculis expoſita eſt.

re conficiuntur, alieni ſpernunt; amicus etiam ad commonefaciendum tardus eſt, timens ne te magis perturbet. quod ſi medicus ſanitatem tibi promittendo decipiat, tu de ſanitate non deſperas, eò quod naturâ vitæ ſis cupidus. Mors impendet, & qui te abducunt, vrgent; quis te amabo eximet? ac ex tantis malis eripiet? Deusne ille, quem contempſiſti? Nemo te inanibus verbis circumveniat, imminebit enim tibi ſubita pernicies, & mors procellæ inſtar aderit. Veniet Angelus mæſtus & horridus, violenter abducens, & trahens animam tuam, peccatorum vinculis conſtrictam, ac frequenter ſe convertentem ad ea, quæ hic ſunt. O quàm te ipſum cruciabis? O quantum ingemiſces? fruſtra jam pænitentiam ob mala conſilia agens, quando conſpexeris hilaritatem juſtorum, & triſtitiam peccatorum. Heu mihi! inquies, quòd non abjecerim hoc grave peccati onus, tum, cùm ſe mihi facilis deponendi occaſio daret. nunc ſanè eſſem cum Angelis, nunc in cæleſtibus bonis delitias agerem. O perditum meum conſilium! propter brevem peccati voluptatem, perpetuùm in omni genere cruciatûs, atq; ſupplicij torquebor; propter carnis illecebras, in ignem æternum tradar.

VI. Et iſtud ſcilicet omne emolumentum eſt, dilatæ ſemper pœnitentiæ, de hodierno in craſtinum, de craſtino in ſenium, de ſenio in morbum, de morbo in mortem. Rectiſſimè propterea toties mihi nominatus Pontifex S. Baſilius, ſeriò admonet vniverſos mortales, vt in hoc negotio, obvias Sathanæ fraudes, quàm ſolertiſſimè caveant. *Dæmon* (inquit) *ô fratres, callidus eſt ad mala perpetranda; videt nos homines in diem vivere, videt omnem actionem noſtram, juxta id quod inſtat, peragi; ideò hodiernum diem per fraudem nobis abripiens, ſpem craſtini relinquit. Dein vbi craſtinus dies illuxerit, rurſum accedit iniquus ille partium diviſor, & hodiernum diem ſibi ipſi cedere expetit, craſtinum verò Domino vt tribuamus, concedit. Atq; hac ratione ſanè nos, præſens nimirum tempus per voluptatem ſubtrahendo, futurum verò ſpei noſtræ relinquendo, ne ſentientes quidem è vita expellit.* Illuſtrat porrò rem pulchrâ ſimilitudine, deſumptâ ex aviculæ aſtutia, cujus ipſe olim vir ſanctus, ſpectator admirabundus fuit: ſic enim loquitur. *Ejuſcemodi ego aliquando vidi aſtum volucris valdè vafræ; quæ ſe ipſam venatoribus, cùm ejus pulli facilè ob teneritudinem capi poſſent, quaſi prædam quandam paratam objiciebat; & ante manus eorum aſſiduè verſando, neq; ſe capi permittebat, neq; tamen prædæ ſpem venatoribus adimebat; ſed ipſos vanâ ſpe variè lactans, dum circa ipſam occupantur, pullis fugæ copiam ac ſecuritatem præſtitit: deinde ad extremum etiam ipſa ſimul avolavit.*

Fraus diaboli, lactantis impios ſpe futuræ olim reſipiſcentiæ.

VII. Denique hanc ſalutarem dictis clauſulam ſubjungit. *Cave obſecro, ne etiam & tu ſimilia perpetrâris, qui ſpe incertorum, ea quæ certa*

ſunt

Digitized by Google

ſunt, dimittis. Vide ne ex anno in annum, ex menſe in menſem, ex die in diem pœnitentiam producendo, incur. as aliquando in diem, quam non expectabas; nimirum, quando te deficiet vita, & conſilij inopi t, omni ex parte circumdabit. Et quoniam major impiorum pars, ad vltimum vitæ diem, ſeu mortis extremæ horulam, ſuam reijcit pœnitentiam; quantum illa eo tempore difficultatis ac periculi habitura ſit, ex aliquot capitibus faciã planũ. non tam deijciendis ad puſillanimitatem probis, quàm ſtimulandis ad maturandã reſipiſcentiã improbis.

Cautela S. Baſilij, data cunctantibus in negotio converſionis.

PARAGRAPHVS IX.

Pœnitentia in MORTEM rejecta, oppidò dubia eſt, obliviſcentibus ſui non rarò Impijs, ipſo eo articulo, quo memores eſſe ſui, vel maximè deberent.

I.

NArrat antiquitas, Grammaticum quendam aſino excuſſum, accepto inde in cerebro vulnere, omnis ſuæ diſciplinæ oblitum fuiſſe. Et Hermogeni Rhetori, doctiſſimo ætatis ſuæ adoleſcenti, cùm ad ſenium veniſſet, omnem artem ſuam excidiſſe. Et philoſophum alium ſapientiſſimum, alliſo ad lapidem capite, ita omnis literaturæ oblivionem incurriſſe, vt neq; legere ampliùs ſciverit. Novi etiam ego ſimile quid accidiſſe homini religioſo ex caſu; vt ad primam quaſi infantiam redierit, iterumq; neceſſe habuerit diſcere, quod loqueretur, & legeret. Cavete mali, qui in ſupremum mortis tempus, omnia quæ nunc pro ſalute agenda ſunt, ignaviſſimè remittitis; quaſi tum demum expaſſis velis, remiſque concitatis, ad portum feliciter navigaturi: cavete inquam, ne veſtra vos confidentia fallat. poteſt is eâ tempeſtate, illo ipſo articulo, adeò gravi veterno obrui, vt veſtræ ſalutis obliti, naufragium patiamini. Hîc ego produco magnum Auguſtinum; ejuſq; horribile, ac tremendum in hac materia pronunciatum, quod ejuſmodi eſt: *percutitur hac animadverſione peccator, vt moriens obliviſcatur ſui, qui cùm viveret, oblitus eſt Dei.* Quanquã verò de vniverſis impijs, hæc ſententia accipi non debeat, tamen in quibuſdam verum habet.

Oblivio memoriæ, magnum malum.

Oblivio ſalutis omnium periculoſiſſima, & damnoſiſſima.

S. Auguſt. de Innocentibus homil. 3.

Et vi-

Digitized by Google

II. Et videamus, an non ita ſui oblitus fuerit olim latro, qui ad ſiniſtrum Servatoris cornu in Cruce pependit. Hunc communi Eccleſiæ opinione, damnatis adnumeramus; alterũ, qui latus dextrum ſtipavit, ſalvatis. Sed quę cauſa tanti diſcriminis in pari conditione? vtrique omnis vita in continuo fluxit latrocinio; vterque ſcelus ſuum luit infami ligno; vterque pendulus Deum ſibi medium habuit; vtrique fontibus quinque, idem cucurrit Chriſti ſangvis; vtrique eadem ejuſdem brachia expaſſa fuerunt ad amplexum; vtrique eadem patuerunt vulnera, idem pectoris oſtium adeundo paradiſo; potuêre ambo applicare ſibi purpureum Redemptoris balneum; ambo in complexus crucifixi JESV ire, & per apertum amantis latus, velut per januam patulam aſtra ingredi: & tamen qui à læva pependit, intravit tartarum, ſed culpâ ſuâ: quia ſui turpiſſimè oblitus fuit, dum jam morti proximus, alia omnia fecit, quàm cogitare de æternitate, ſalute, pœnitentia, Meſſia; quibus medijs ſibi viam ad cœlum debebat ſternere. O temerarij! & ſalutis animæque prodigi! qui lactando Vermi veſtro, continuò crepatis latronem, poſt impiam vitam à probroſa trabe, & Chriſti dextera, evolantem in campos Elyſios. hem! conſiderate & alterum, qui à lævo Servatoris latere, & cruce ſua, ad æternas flammas, & non moritura incendia deſcendit. quantam ille ſpem miſericordiæ conſequendæ facit, tantum iſte metum incutit amittendæ, facinoroſis illis, qui animum in ſcelus diu obfirmârunt.

Siniſter latro in morte, ſuæ ſalutis oblitus fuit.

III. Neque verò ſolus hic prædo, vltimo articulo immemor ſui, tranſmiſit orco infelicem animam; ſimili cataſtrophe plures finiverunt vitæ ſuæ fabulam. Talem è multis alijs produxit olim D. Gregorius teſtem Criſorium, de quo ſanctiſſimus Pontifex ſcribit ſequentia. *Criſorius (ſicut Probus, propinquus illius narrare conſuevit) vir in hoc mundo valde idoneus fuit; ſed tantum plenus vitijs, quantum rebus. Superbiâ tumidus, carnis ſuæ voluptatibus ſubditus, avaritiæ facibus accenſus. Sed cùm tot malis Dominus finem ponere decreviſſet, corporali hunc moleſtiâ percuſſit: qui ad extremum veniens, eâdem horâ, quâ jam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit teterrimos viros, & nigerrimos ſpiritus coram ſe aſſiſtere, & vehementer imminere, vt ad inferni clauſtra eum raperent. Cœpit tremere, palleſcere, ſudare, & magnis vocibus inducias petere; filiumq́ ſuum, nomine Maximum (quem ipſe jam Monachus Monachum vidi) nimijs, & turbatis vocibus vocare; Maxime curre, in fide tua me ſuſcipe. Turbatus mox Maximus adfuit, lugens ac perſtrepens familia convenit. Eos autem quos ille inſiſtentes ſibi graviter tolerabat, ipſi malignos*

D. Gregor. M. lib. 4. Dialog. cap. 38.

Sed & Criſorius, homo divitijs & vitijs copioſus.

gnos

Digitized by Google

gnos ſpiritus videre non poterant. Sed eorum præſentiam in confeſſione, & pallore, & tremore illius, qui trahebatur, videbant. Pavore autem tetræ eorum imaginis, huc illucq́ vertebatur in lectulo; jacebat in ſiniſtro latere, aſpectum eorum ferre non poterat; vertebatur ad parietem, ibiq́ aderant. Cùmq́ conſtrictus, minùs relaxari ſe jam poſſe deſperaret, cœpit magnis vocibus clamare, inducias vel vſq́ mane. Sed cùm hæc clamaret, in ipſis vocibus, de habitaculo ſuæ carnis evulſus eſt.

Nunquam hæc lego, nunquam tacitus meditor, quin admiratio ſubeat animum, ſuper ſtultitiâ Criſorij. Diſtulerat temerarius homo, melioris vitæ mores in viciniam mortis; cúmq; eum jam ſua fata comprehendiſſent, & vltimus dies; inducias ad alterum vſque mane cœpit flagitare, exhibendæ DEO in craſtinum ſatisfactioni de noxis; more ejus, qui mutuum ab altero petit, & *donec accipiat, oſculatur manus, & in promiſſionibus humiliat vocem ſuam: at in tempore redditionis poſtulabit tempus, & loquetur verba tadij, & murmurationum, & tempus cauſabitur.* Sanè etiam Criſorius, multis ſe DEO adſtrinxerat debitis, per crimen avaritiæ, libidinis, faſtûs: poſtulavit ſolutionem differri in proxima morti tempora. Vbi iſta tandem nimis (vt videbatur) propero pede ſe ſtiterunt; non modò nihil eorum egit, quæ agenda ſunt, piè atq; chriſtianè hinc exceſſuris; ſed etiam novas inducias in perendinum diem exegit. neq; tamen impetravit; priùs efflavit halitũ, quàm orientem ſolem aſpiceret. Hem! non vnâ tantùm die conflictatus eſt miſer cum infirmitatibus, & nullâ illarum accerſivit ſacerdotem, apud quem ſuas fateretur culpas. quodq́; deterius eſt, nec ſemel quidem ſuper peccatis ſuis ingemuit, aut Superos in opem vocavit, cùm ab infernalibus ſpectris, horâ ſibi vltimâ raptabatur. Ita pulcherrimam occaſionem placando DEO, è manibus ſuis elabi paſſus fuit. Cur verò non vſus eſt tempore, fortunâq; ſuâ Criſorius? nempe oblitus fuit ſui & ſalutis, eâ neceſſitate; cumq́; meminiſſe vellet die craſtino, & hodiernum amiſit, & craſtinum non vidit. IV.

Eccl. 29. 5.

Stultiſſimus pœnitentiæ ſuæ diſſimulator.

S. Agnetis jam inter immortales collocatæ, ad D. Brigitam mortalitati adhuc ſubjectam, hęc quondam fuit inſtructio, ſeu potiùs lamentabilis querimonia. *Talium cogitationum viri inveniuntur hodie multi, qui cogitantes taliter ſecum; oneroſum eſt inquiunt, ire per arctam viam; durum eſt relinquere voluntatem propriam; propterea ponunt ſibi ſpem falſam & periculoſam. longa inquiunt eſt vita noſtra, miſericordia DEI eſt maxima, delectabilis eſt mundus iſte, & ad delectationem creatus; ideo nil obeſt ſi ad tempus vtar mundo, ſecundum velle meum, quia in fine vitæ, ſequi volo DEUM.* V.

In Revelat. S. Birgitæ lib. 3. c. 12.

Axiomata impiorum, obliviſcentium ſui in morte.

lo DEVM. *Eſt enim compendium quoddam viæ levius, contritio & confeſſio; hanc ſi obtinnero, ſalvus ero. Talis cogitatio, velle ſcilicet peccare vſq; in finem, & tunc confiteri, eſt valde debilis ſpes, quia neſciunt, antequam cadunt. quibus & in extremis quandoq; inſpiratur tantus dolor* (corporis) *& ſubitus finis, quòd nullo modo fructuoſam invenire poterunt contritionem. Et meritò, noluerunt enim prævidere futura mala, cùm potuerunt, ſed in arbitrio ſuo poſuerunt tempus miſericordiæ* DEI. O mortales! futuræ & ſeræ pœnitudini ne fidite, ex D. Auguſtini regula: *percutitur hac animadverſione peccator, vt moriens obliviſcatur ſui, qui cùm viveret, oblitus eſt* DEI. Et quantumvis tribus voculis, poſſit homo, extremis illis temporum ſpatijs, ſe Numini reconciliare; timendum eſt, ne trium etiam vocularum, tum peſſimus quiſq, non meminerit.

VI. Hunc grandem memoriæ lapſum, nullâ æternitate corrigendũ, incurrit olim quidam, ſolâ impietate præſignis. Rogabant amici amicè hominem, vt maturaret ad meliorem mentem redire; ſed reſponſum aliud non tulerunt quàm plenum illud vaniſſimâ præſumptione: cùm migrandũ hinc fuerit, tribus ſe verbulis DEVM ad clementiam expugnaturum, & cœlũ exoraturum. Verùm res aliter cecidit cùm enim poſtea equitando tranſiret in ponte fluvium, & improvidum pedem equus impingeret ſaxo, vnà ſecum ſeſſorem herũ, in ſubjectã aquam effudit. Iam miſerando caſu præcipitabat eques; cùm ſubitò, vbi periculum animadvertit, ſenſitq; intra fluctus non ſiccâ ſe morte occubiturũ, contentiſſimo niſu, clamavit tria noviſſima verba. Et quæ illa? vtiq; quibus ſalutem & aſtra, momento vno apud DEVM impetraret, quemadmodum jactaverat non ſemel, facturum ſe in vltimo vitæ diſcrimine. Dixerit itaq; cum regio Vate, *miſerere mei* DEVS; aut illud; *tibi ſoli peccavi*; vel cum Publicano; DEVS *propitius eſto*. Sed heu! de ſceleribus ſuis, de cœlo, de DEO, altũ ſervavit ſilentium: illud vnum ingeminavit; *rapiat omnia Dæmon*. Ita miſerum ſua memoria deſtituit, & cùm deberet in eo caſu, tria ſalutis verba dicere, tria deſperationis protulit; tractus inter vortices ad eum, quem vocibus vltimis compellavit. Iterum repeto D. Auguſtini ſententiam: *percutitur hac animadverſione peccator, vt moriens obliviſcatur ſui, qui cum viveret, oblitus eſt* DEI.

In Vita Thomæ Mori, cap. 32.

Sceleſtus quidam, tria pœnitentiæ verba, oblitus eſt dicere in morte ſua.

VII. Hîc mihi certum perſuaſumq; eſt, mortalium plurimos, & ferè impiorum, ſimile votum habere, quale olim vovit Baalam Vates, quando ex monte proſpiciens tota Iudaici populi caſtra, cum profundo gemitu exclamavit: *moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea, horum ſimilia.* Vbi advertendum, à Baalam caſtra Iſraël vocari

Num. 23. 10.

vocari caſtra juſtorum; nam tametſi in ijs ſcelerati, multùm numero ſuperaverint pios;à digniori tamen parte, hoc eſt, paucioribus vitæ probatæ hominibus,appellationem Iuſtorum acceperunt: eâ ratione,quâ Eccleſia dicitur ſancta, tametſi minor ejus pars,ſanctitatis titulũ mereatur. Votum ergo Baalam ejuſmodi eſt: vtinam mihi contingat tali morte vitam hanc finire,qualem fideles,ac juſti Iſraëlitæ habituri ſunt,quando hinc ex humanis ad beatam immortalitatem tranſibunt,feliciſſimâ viciſſitudine.

Votum malorum hominum. BENE MORI.

VIII. Et quoniam magna vis eſt veritatis; quoties flagitioſorum aliquis,ſincerè præſentem vitæ ſtatũ confert cum illo futuro, æterno, atq; immutabili:toties vovet tacitè,*moriatur anima mea morte juſtorũ, & fiant noviſſima mea,horum ſimilia.* Pulcherrima res! mali omnes cupiunt impiè vivere,piè mori. quaſi bene mori poſſit, qui malè vixerit. mors & vita communiter ſunt vniuſmodi; aut vtraq; mala, aut vtraque bona; & quemadmodum frequens docet experientia, ferè ſemper qualis hominum vita,talia ſunt & fata.Intellexit hoc quondam ex Societate noſtra virgineus Juvenis,JoannesBerchmannus, qui Romæ anno poſt Chriſtum natum milleſimo,ſexcenteſimo,vigeſimo primo,diem ſuum vltimum,non tantùm feliciter,ſed etiam cum ingenti ſanctitatis fama clauſit.Is cùm ex occaſione,à quodam ordinis noſtri ſacerdote monitus eſſet: *ora frater, vt anima mea moriatur morte iuſtorum;* ſuaviter ſubridens,bene quidem ait:*ſed neceſſe eſt priùs curemus,vt anima noſtra vivat vitâ juſtorum.* Itaq; minimè ſufficit, cùm videmus aliquos aut in religione, aut in ſæculo, pulchrâ coronide vitam ſuam obſignaſſe, pieq; extra hunc orbem migraſſe, his eos votis ad ſepulchrum proſequi: *moriatur anima mea morte juſtorum,& fiant noviſſima mea horum ſimilia.*

Cepariuſ in vitâ ejus,parte 2 ad finem.

Moriuntur morte juſtorum,qui vivunt vitâ juſtorum.

IX. Nempe,ſicut ex verbo antiquitus vſitato,non quidvis contingit, quid optâris; ita in præſenti negotio,ſola bonæ mortis vota,nihil proficiunt;oportet vivere vitâ juſtorum (ſive, quod tantundem eſt) inculpatis moribus aſſueſcere, nullâ lethali noxâ mentem inquinare,conſcientiæ puritati ſtudere, ſacramenta (gratiæ ampliſſimos fontes) ſæpius accedere. denique cavere quàm diligentiſſimè,Numinis graviorem offenſam; aut, ſi quæ (humanæ lubricitatis vitio) admiſſa eſt, continuò per humilem reconciliationem tollere. Ita ſi vivimus vitâ juſtorum, etiam moriemur morte juſtorum, tametſi nos ſubita quoque fata opprimant. Id jam dudum ſapiens docuit, cùm dixit: *Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Sed hoc ipſum explicatiùs tradit

Neq; talibus officit mors repentina. *Sap.4.7.*

 Bloſius,

Digitized by Google

Bloſius in Can. vitæ ſpirit. c. 38.

Bloſius, Lætienſis Abbas, quando pium ſic animat contra puſillanimitatem & diffidentiam, DEO inviſas ſorores: *fieri non poteſt, vt malè moriatur, qui bene vixerit; ſive igne, ſive aquis, ſive ferro, ſive tormentis, ſive beſtiarum incurſibus, ſive elementorum tempeſtatibus, ſive apoplexiâ, ſive peſte, ſive multis adſtantibus, ſive nullo præſente, ſive ſubitò, ſive non ſubitò, vitam finiat.*

X.

Raulinus parte 1. ſerm. quadrag.

Sunt in refrigerio.

Sap. 4. 7.

Sicut alij in tormento.

Memorabilis caſus eſt, quem deſcribit Raulinus, contigiſſe viro religioſiſſimæ vitæ. Hic enim præter omnem expectationem in muſæo ſuo, ſine vita, animaq; repertus eſt. turbaverat pleroſq; tam præcipitata mors; multi etiam (vt ſunt ſuſpiciones ſemper in deterius pronæ) malè de exitu ejus cœperant ominari. Sed abſterſus eſt omnis cum ſolicitudine metus, quando curioſiùs mortuum exploraturi, adverterunt digitum ejus ſacris Biblijs intentum; & quidem illi Sapientis verbo: *Juſtus, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*: quaſi ſignificaret, ſe vixiſſe vitâ juſtorum, & morte juſtorum mortuum eſſe; neq; ſubitanea quidquam fata obfuiſſe. Sicut non rarò ijs ſolent plurimum officere, qui vivunt vitâ impiorum. occupati enim tum aſſuetis curis, deſiderijs, conſilijs, circa res caducas, & magnas mortalitatis hujus nugas, obliviſcuntur ſui, cùm maximè eſſe memores deberent; & vel nihil, vel parum agunt pro æternanda ſalute. Arbor annoſa, illac deniq; cum tota ſua mole ruit, quà ſemper propendebat. Sic planè ſceleratus homo, illuc etiam moriens inflectit cogitationes, affectus, conatus, quò per omnem vitam magis inclinabat. ea naturæ quædam eſt neceſſitas, æqualiter in vita ac morte, ferri ad amata. ac quemadmodum

Claud. l. 3.

Venator defeſſa toro cùm membra reponit,
Mens tamen ad ſylvas, & ſua luſtra redit:

Ita quando flagitioſi, jam jam ad diuturnum lethi ſomnum volunt concedere, ſuumque ſive corpus, ſive cadaver intra tumulum recondere, nihilominus vetus illis animus redit ad fraudes, furta, adulteria, pauperum expilationes, aliaſque malas artes, peſſimè olim exercitas. Heu miſeros venatores! quia denique ſuo capiuntur laqueo.

XI.

-ngelius Labyrinthi -idibus

Præteritis annis, cùm exercitus noſter, per inferiorem Saxoniam iter faceret, adverſùs Regem Danum conflicturus; contigit vt eques Polonus comitem ſibi canem haberet. Hic, vt è fruteto conſurgentem vidit lepuſculum, ſpe prædæ pellectus, inſequi cœpit; ſed & herus; ſpectabant interim milites cum riſu ternarium in perniciſsimo curſu, leporem, canem, equitem. Sed neque diu ſpectârunt,

riſuſq;

riſuſque omnis in gemitum condolentiæ migravit. Nam ecce tibi, non lepus, ſed venator captus fuit; ſeu potiùs in medio campo, eoque paludoſo, evanuit: dum in foveam molli ceſpite tectam, ita profundè extemplò ſubſidit, vt nihil ampliùs de equo, nihil de viro compareret, præter pileum, ipſo lapſu è capite excuſſum. Hic adeó lamentabilis caſus, imago eſt triſtioris alterius, quem frequenter illi mortales incurrunt, qui permuſtos vitæ annos, poſt ſcelera, velut optabilem prædam currunt, & venantur jam fulvas in auro alieno vulpeculas; jam Bacchum in dolio, calice, vitro; jam Cupidinem in foro, platea, cubili; iam Circen & Medeam, in magorum ac præſtigiatorum ſchola; jam alibi alias, aliaſq; humanæ cupiditatis catas illecebras. Spectat interim Deus, hoc genus venationis è cœlo, theatro altiſſimo, & indignatur. Quandoq; etiam juſtiſſimâ providentiâ, rem ita diſponit, vt cùm facinoroſus homuncio, ipſo actu, affectuq; inſequitur ſibi prohibita, mors eum ſubitanea obruat, atq; in foveam, tumulumque detrudat. Nempe iſte funeſtus eſt multorum exitus; qui dum ſaginant ſe perituris hujus ſæculi delicijs, continuò crepant pœnitentiam, jurantque ſe hanc in morte certiſſimè acturos. Sed miſeri, quia illa ſæpè inſperata, & velox advenit, etiam cùm poſſunt ſuſpirijs brevibus, pauculis verbis, ſibi, noxiſque ſuis propitium Numen facere; tamen rebus alijs intenti, hîc nihil agunt; quia ſui quaſi, ac ſalutis ſuæ turpiter obliviſcuntur. Veriſſimè iterum D. Auguſtinus: *percutitur hac animadverſione peccator, vt moriens obliviſcatur ſui, qui dum viveret, oblitus eſt Dei.*

Quos ſcilicet mors, ſui oblitos, ſubitò opprimit, dū adhuc venantur illicita.

XII.

At enim, paucos inquies, mors abripit repentina; magno numero ex ijs, qui inveterârunt in improbitate, cùm ad extremum vitæ decurrunt ſpatium, etiam ſui quàm maximè ſunt memores, eduntque manifeſta, eaque multiplicia, pœnitentis animi ſigna. Videas pleroſque pugno contra ſe armari, pectuſque ſuum figere pia crucis imagini oſcula; roſario manus implicare; inter ſingultus & crebra ſuſpiria, culpas recenſere ſacerdoti; munire ſe ſacro viatico ad æternitatis iter; relinquere largam pauperibus ſtipem, pulcherrimum atque immortale ſibi monimentum. denique plura alia exhibere, ſanctè morientium argumenta. Audio hæc. nego tamen cum iſtis omnibus indicijs, rem ſtatim confectam eſſe, nihilque periculi timendum apud eos, qui viridem adoleſcentiam protervè exegerunt in ſcelerum licentia, omnemque reſipiſcendi voluntatem, in diem vltimum, vltimam vitæ horulam, leviſſimè diſtulerunt.

Aliqui diu ſcelerati, videntur in morte meminiſſe ſui & ſalutis, per manifeſta pœnitentiæ ſigna.

XIII. Planè atque dilucidè D. Ambroſius ait: *qui poſitus in vltima neceſſitate ægritudinis ſuæ, acceperit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit, id eſt, exit de corpore: fateor vobis, non illi negamus, quod petit; ſed non præſumo dicere, quia bene hinc exit. non præſumo, non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto.* Deum bonum! quot proteſtationes hîc interſerit vir ſanctus, ne videatur velle in fraudem inducere, præſumendo, affirmando, pollicendo, promittendo, ijs omnibus ſpem ſalutis indubitatam, qui dilatam in fata reſipiſcentiam, cùm ea jam imminent, exequuntur. Et poſt intervallum, hæc ſubnectit. *Agens pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, ſi exierit, an ſecurus hinc exeat, ego non ſum ſecurus. pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Quod dico attendite, ego illud planiùs expono, ne quis malè intelligat. Nunquid dico damnabitur? non dico: ſed nec liberabitur dico. Vis te frater è dubio liberare? vis quod incertum eſt evadere? age pœnitentiam, dum ſanus es. Si enim agis veram pœnitentiam, dum ſanus es, & invenerit te noviſſimus dies, ſecurus es. Ergo curre, & reconcilieris. Si ſic agis, ſecurus es. quare ſecurus? vis dicam tibi? quia egiſti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuiſti. Ecce dixi, quare ſecurus es. Si autem tunc agere vis ipſam pœnitentiam, quando peccare jam non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Et iterum paulò infra. *Duæ res ſunt, aut ignoſcetur tibi, aut non ignoſcetur. quid horum tibi futurum ſit, neſcio; ſed do conſilium: dimitte incertum, & tene certum, & dum vivis, age pœnitentiam veram, vt cùm veneris in judicium Dei, non à Deo confundaris, ſed ab eo in regnum inducaris.*

S. Ambroſ. in exhortatione ad pœnitentiã agendam, ſive lib. 2. de pœnit. in fine.

Sed iſtiuſmodi pœnitentiæ, ſecuritatẽ negat S. Ambroſius.

XIV. Itaq; ex S. Ambroſij mente, aliorumque Patrum, dubia admodum eſt eorum hominum ſalus, qui tum modo Chriſtiani hominis officium volunt facere, cùm moriendum eſt; tum modò rectè vivere, quando deſinendum eſt, quando per mortis imperium vivere ampliùs non licet; tum modò rectiſſimè ſapere, poſtquam cum Phrygibus deſipuerunt nimis. plerumque iſtorum hominum voluntas, cùm vrgent Parcæ, oppidò eſt frigida; ſeramq; pœnitentiam, non continuò ſeriam facit; quicquid mentitæ pietatis aliquando ſigna promittant. Elegãns eſt D. Auguſtini paremia:

pœnitentia, quæ à moriente tantùm editur, timeo ne ipſa moriatur.

Timendũ, ne à moriente modò ſuſcepta pœnitentia, & ipſa moriatur.

S. Auguſt. ſerm. 67. de Temp.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS X.

MORS terribilium terribiliſsimum, ſceleſtos homines, & moroſos pœnitentiæ dilatores, nonnunquam in obitu ſuo, periculosè graviterque perturbat.

PErturbatio mentis, magnum in rebus humanis malum, officit præſertim ſalutis negotio, cùm faciles in longam audaciam mortales, extremam vitæ ſuæ vmbram attingunt. Et quid magnoperè mirandum ſit, ſi mors inter terribilia terribiliſſimum, mortalium animos hinc migraturos, timoribus, & quod conſequitur, perturbationibus obruat? Verè Poëta: I.

Rigidum jus eſt, & inevitabile mortis. *Ovid. ad Liv.*

Nempe ipſi nobis moriendi neceſſitatem fecimus, quando in protoplaſti Adami lingua, vetitam gulam admiſimus, delicati pueri; jamq; omnes morte amarâ luimus, quod voluptas momento facinus commiſit. nemo à fatis eximius eſt, nemo vnus. *Mors hominibus ex pomo nata.*

Certo veniunt ordine Parcæ, *Sen. Herc. Fur. Act. 1.*
Nulli juſſo ceſſare licet,
Nulli ſcriptam proferre diem;
Recipit populos vrna citatos.

Eſt etiam pulchrum atq; ingenioſum illud Magni Auguſtini oraculum, cùm ait: *Nemo eſt, qui non morti poſt annum ſit, quàm ante annum fuit; & cras quàm hodie; & hodie quàm heri; & paulò poſt, quàm nunc; & nunc quàm paulò ante, propinquior; quoniam quidquid temporis vivitur, de ſpatio vivendi demitur; & quotidie fit minus, minuſq; quod reſtat; vt omnino nihil ſit aliud tempus vitæ hujus, quàm curſus ad mortem; in quo nemo vel paululum ſtare, vel aliquantò tardiùs ire permittitur; ſed omnes vrgentur pari motu, nec diverſo impelluntur acceſſu.* *S. Auguſt. lib. 13. de civit. c. 10.*

Conſcius

Digitized by Google

II. Conſcius iſtorum omnium probè Patriarcha Noë, dicitur olim oſſa primi parentis, ſecum in ligneam illam domum intuliſſe, quam Numinis imperio ſibi, ſuiſque ſtruxit, tutum receptaculum adverſùs fatalis diluvij procellas. Cúmque cœlum furore poſito, deſijſſet pluere, & hauſtis mortalium cæteris, ſolus Noë cum familia ſua ſuperſtes eſſet cladi; Adami oſſa, eò vſq; ſervata, cœpit inter liberos ſuos diſtribuere, prout caſus obtulerat; niſi quòd primogenitum calvariâ donaverit: prudenter ſingulos mortalitatis ſuæ admonens, quam exemplo Majorum aliquando ſubituri eſſent, tametſi nunc procelloſæ tempeſtati erepti fuiſſent. aſpicerent albam protoplaſti calvam, tibias, coxas, coſtas; etiam muta oſſa loqui, atque omnibus clarè edicere, ſingulos homines in mortis tandem ceſſuros ſpolium.

Andreas Maſius in Sic. cap. Ioſue.

Neceſſitatem moriendi, familiam ſuam docet Noë, ex oſſibus Adami.

III. Et hac ipsâ, quotidianâ impendentis fati formidine, cruciamur oppidò; ſed nunquam magis trepidamus, quàm cùm præſens adeſt malum, & pallida mors pulſat longo pede oſtiolum. Egregiè in hanc ſententiam Romanus ſapiens. *Nemo* (inquit) *tam imperitus eſt, vt neſciat ſibi quandoq; moriendum: tamen cùm prope acceſſerit, tergiverſatur, tremit & plorat. quid fles miſer? quid trepidas? omnes hac neceſſitate ducuntur; eò ibis, quò omnia eunt. ad hanc legem natus es; hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus.* Et iſta quidem ſcimus; intelligimus communi nos mortis lege involvendos; audemus inſuper non raò magnis votis mortem advocare, vt inter timidos animoſi eſſe videamur; aut potiùs, vt hoc vno compendio, celeriter infinitis humanæ vitæ malis defungamur. Sed vbi illa greſſum accelerat, cauſari multa ſolemus, cum pavido ſene.

Sen. epiſt. 78.

Scimus omnes ſuperventuram nobis mortem.

IV. Nam vt fabulæ memorant; ceciderat ligna in ſylvis ſenex, quorũ faſce ſublato, domũ redire cœpit. progreſſus autẽ multũ ſanè viæ, cùm defatigatus eſſet, & onere, & itinere; depoſitâ ex humeris ſarcinâ acquieſcens, ipſe ſecum conſiderare ætatis, inopiæ, laboris, ſolitudinis miſerias; claraque voce mortem invocare, cujus auxilio facilè liberari, ſe moleſtijs omnibus poſſe crederet. Tum mors exauditâ tam frequenti imploratione, coram aſſiſtens, quid velit, percontatur. At ſenex territus mortuali ſpectro, & quem jam mortis pigeret: nihil enim inquit, ſed requiro aliquem, qui onus paulùlum allevet, dum ego rurſus ſubeo. Ita ſilicernia æquè vt juvenes, cùm fata propinquant vltima, pallemus, pavemus, tergiverſamur: ſimiles aviculis, quæ vt in area omnis folij ſtrepitũm habent ſuſpectum, ita nunquam magis formidant, quàm cùm incau-

Omnes timemus appropinquantem.

Ejus jam laqueis comprehenſi, omnes trepidamus.

tæ,

tæ, ſe ipſas caſſibus induerunt;eſtq; vnus tum labor,iterum ſe expedire & laqueo,& letho; quod grande malum, neſcio quomodo volucri, tam parvus præſagit animus.

V. Petimur & nos in aucupio mortales; homo,animal bipes, implume,deſtinatur ad plagas.& quod mirandum eſt, pertinaciſſimus auceps,totius nobis vitæ curriculo inſidiatur. Aucupem iſtum in icone ante oculos ponit, ſuaviſſimus hujus ævi poëta, hoc ferè ſchemate. Sedet inter frutcta,arboreſq; nuda hominis,ex vno oſſe ſtatua; jamque concinnatâ probè areâ,& offuſis humanorum deſideriorũ illicijs, Baccho, auro, Venere; accinentibus etiam circumquaque mille voluptatum præconibus, operitur humanam ſtrenuè prædam;& hem! imprudens anima, præcipite impetu lapſa in objectas delicias,comprehenditur,fruſtra inter accurrentes ex orco furias,illud ingeminans Davidis:*præoccupaverunt me laquei mortis*.nempè veretur infelix,quod avicula retibus intercepta,ne immitis pollex elidat vitam.O homines!dum nobis Mors auceps ponit tendiculas,evadet nemo; ſeriùs aut citiùs omnes implicabimur. eſtq; etiam multorum non rarò iſta nunc querimonia dicentiũ:*præoccupaverunt me laquei Mortis*.citiùs votis ſuis aliqui obruuntur,& jubentur extra hanc mortalitatem tranſire,ad ævum illud ęternum,celeriori quàm velint paſſu.

Hermannus Hugo lib. 1. piorum deſideriorum Emblem. 9.

Pſal. 17. 6.

VI. Ita cum magno DEI amico,Iſraelitici populi laudatiſſimo Rege Ezechia,actum olim fuiſſe ſacra prodidit hiſtoria.Eliminatis hic vaniſsimis idolorum ſimulacris,perq; omne regnum ſuum proſcriptâ ſuperſtitione;debellato inſuper Aſſyriorum Monarchâ Sennacherib,&quidem angelicis manibus cœſo;florere jam velle videbatur,longoſq; in annos jus dicere ſubditis: cùm ecce tibi alia omnia cogitantem, irretit Mors,infeſtus mortalibus auceps,mandatq; coronam auream ponere, & ſolium cum ſandapila mutare.Scripturæ verba ſunt:*in diebus illis ægrotavit Ezechias vſq; ad mortem*. Et ne dubitaret ſibi migrandũ eſſe,vertendumq; ſolum,Iſaias Propheta diſertis eum verbis monuit; *hæc dicit Dominus,diſpone domui tuæ,quia morieris tu, & non vives.* Tam inſperato,graviq; nuntio fulguritus Rex,à DEO cœpit inducias poſtulare; *& convertit Ezechias faciem ſuam ad parietem*(templi Solymitani)*& oravit ad dominum,& dixit; obſecro domine,memento quæſo,quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto,& quod bonum eſt, in oculis tuis fecerim.* En,in paucis Judæorũ regibus optimus Ezechias,turbari animo cœpit,cùm ei dictus eſt fatalis dies. ſolent etiam ſanctiores viri conſternari, quando eis mor-

Etiam ſancti, cum Ezechia Rege.

4. Reg. 20. v. 1.

Iſa. 38. 1.

Sanctius 4. reg. 20. 2.

tis larva occurrit, & ſuum jubet capere imperium; ita natura noſtra eſt comparata, quæ ſibi continuò apud omnes conſtat, vix virtute emendabilis.

VII. At enim; *ſi hoc in viridi ligno, in arido quid fiet?* ſi inquam probatæ vitæ mortales,&chriſtianâ pietate conſpicui,turbantur tamen & pavent, cùm deniq; moriendum eſt, atq; deſerenda hæc tam ſuavis vitæ vſura: quantùm putamus trepidabunt,quantùm turbabuntur illi, qui ſolis vitijs copioſi, virtutum inopes,omnem melioris vitæ cogitatum,pœnitentiam omnem,rejecerunt in vltima mortis venturæ tempora? ſanè ſola hujus monſtri ſubita vmbra, ſola ejus imago,fortiùs impreſſa animo; ſolum etiam nomen,adeò quoſdam hominum illo articulo, ſui terrore occupavit, vt neque ad chriſtianum ex iſta vita abitum,potuerint ſe rite diſponere.

Luca 23. v. 31.

Multo verò magis graviter impij.

VIII. Ipſe ego quondam in caſtris præſens ſpectavi, cùm gregarius è Germanico exercitu miles, de concitata rebellione non tam reus, quàm ſuſpectus,à militari quopiam magiſtratu,adſtante ad latus ſacerdote,audiret fatale illud verbũ;*diſpone domui tuæ*(animæ&cõſciẽtiæ tuæ)*quia morieris tu,& nõ vives:*poſt horã neq; ſtabis ampliùs,neq; ambulabis,ſed è trabe inter terram,cœlumq; eris pendulus; mors te in laqueo faciet longũ jota;adeò tum ſolũ mortis nomen perturbavit hominem, vt evulſo vtraq; manu ceſpite (humi enim collocatus,catenâ ferreâ adſtrictos pedes habuit)hoc vnum iterũ, iterumq; repeteret; & quid pater meus, quid mater mea, vterq; ſuperſtes parens dicet,vbi audierint me, reſq; meas ad reſtim veniſſe? Hortabatur interim,qui aderat ſacerdos,cogitaret etiam atque etiam,ne vltimos; eoſq; pauculos horæ quadrantes, infructuosè ſibi elabi fineret; Siracidis monitum eſſe,*ante obitum tuum operare juſtitiam, quoniam non eſt apud inferos invenire cibum; non defrauderis à die bono, & particula boni doni,non te prætereat:* ſingula jam momenta temporis,in DEI beneficijs eſſe numeranda, nullum temerè negligendum; itaque in rebus tam arctis, quàm poſſet optimè, ſaluti, animæque ſuæ proſpiceret,rationes iniret noxarum,ſinceram exomologeſin inſtitueret; denique nullum officium omitteret, ex chriſtiano atque catholico ritu piè morientium; erat enim in numero orthodoxorum fidelium.

Iſa. 38. 1.

Sola mortis ſubeundæ denunciatio, ita perterruit militem, vt nihil ageret pro pia morte.

Eccl. 14. 9. 14. & 17.

IX. Sed hæc talia, vt à ſacerdote calidè dicebantur, ita à milite excepta ſunt frigidiſſimè. turbatus mortis ſive nomine, ſive imagine animus nullam admiſit æternitatis ſeriam cogitationem; ſanè nullam ſacræ Confeſſionis vnquam mentionem fecit, nullum de peccatis

Digitized by Google

catis anteactæ vitæ verbulum: vnum ejus ſuſpirium, vna vox erat, eaq; centies repetita;& quid parentes mei dicturi ſunt, cùm intellexerint ſpiritum mihi in fune interclusum fuiſſe? quaſi non potiùs habuiſſet illud cōſiderare, quid dicturus eſſet DEVS, ſi ejectam in ſceleribus animam, divino tribunali ſiſteret. Iam horæ conceſſæ ſpatium effluxerat,& miſer ducendus erat ad ſcalas, & exaltandus in ligneum ſolium, infortunatus inter perduelles regulus; cùm citato equo ſupervenit, qui ex bellici magiſtratûs imperio, iterum hominem in vincula rapi jubet, novis quæſtionibus ſubijciendum, novis examinibus; tandem neſcio quâ fortunâ, & funi, & fato ereptus eſt; cui ſi omnino pendendum fuiſſet, credo cum Iuda, ex laqueo & arbore, in orcum deſcendiſſet; adeò nihil egit ex lege chriſtianè hinc migrantium. repentina mortis denunciatio, ita ejus abſorpſit animum, ita ſenſus omnes, vt nihil minùs quàm de pœnitentia, ſcelerumque expiatione cogitaret, nihil minus ageret, quàm quæ in illo neceſſitatis puncto, pro ſalute æterna fuerunt agenda.

Verba eius formalia: Was wird mein Vatter/vnd mein Mutter ſagen/ wann ich ſolte gehenckt werden?

X.

Ita nempe ijs accidit mortalibus, qui licentiùs juveniles annos in flagitijs abſumunt; cùm dein ſubitò morbus periculoſior (ingratus mortis apparitor) illud in aurem ſingulis occlamaverit: *diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*: tum enim verò totis vbique trepidatur ædibus; videaſque illud fieri, quod David ait: *ipſi videntes ſic, admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos.* Qualis etiam olim Ægyptios corripuit, quando plus, quàm Cimmerijs tenebris involuti, pœnas DEO dederunt, vindicanti Pharaonis obſtinatiſſimam mentem. Rem oculis ſubijcit præclarè Sapiens in hæc verba; *diſperſi ſunt paventes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati, quoniam ſonitus deſcendens perturbabat illos, & perſonæ triſtes illis apparentes, pavorem præſtabant.* Advertunt Doctores, comprehenſis per totam Ægyptum incolis, triduanâ caligine; fragores tonitruum inſtar, cum impetu lapſos, latè vndiq; circumſtrepuiſſe, terroremque incuſſiſſe; facilè omnia formidantibus, tenebricoſâ nocte mortalibus. Auxerunt magnoperè pavorem larvæ terribiles, triſtes imagines, & horrifica ſpectra, in medijs tenebris paſſim inter Ægyptios oberrantia.

Multum apud impios, mors turbat & perturbat.

Pſal. 47. v. 6. & 7.

Sap. 14. v. 3. & 4.

Lorinus in ſapientiam loco cit.

XI.

Talis mihi crede, & multo major perturbatio, metuſq; invadit hominem per totam vitam ſtudioſè improbum; quando aut medicorum aliquis, aut amicorum fideliſſimè conſulens ait, *diſpone domui*

tuæ (conſcientiæ tuæ, animæ, ſaluti) *quia morieris.* plerumq; jam ſolo hoc tonitru ſternitur animus ſceleſti, & obverſante continuò mortis larvâ, ita totus aliquando occupatur homo, vt priùs obruatur fato, quàm faciendæ ex homologeſis, ſincerè de peccatis dolendi, ſacrique pabuli ſumendi, cogitationem ſuſcipiat. Ita nonnulli planè à ſe ipſis neglecti, hinc eò migrant, *vnde negant redire quenquam;* ſcilicet ad pœnitentiam, tametſi vel maximè velit. Neque verò mortem iſti poterunt accuſare, vt quæ ſui terrore mentem turbaverit, fecerit que ineptam, ad ſeria ſalutis conſilia: vitium omne ipſorum eſt, diſtuliſſe ſemper emendandæ vitæ initium, ad finem vivendi; vbi perplexa ſunt omnia, & quaſi faſcinationibus obnoxia, cùm mortis triſtiſſimæ monſtroſum ſimulacrum, obliquis moribundum oculis aſpexerit, nutuque imperioſo mandaverit illinc exire, vbi diu ſuaviter habitavit; & illuc pedem inferre, quò trepidat accedere.

Potiſſima perturbationis cauſa, ipſi ſunt improbi.

XII. Quantò feliciores, ſecurioreſque ſunt bonæ mentis homines, qui nunquam non mortalitatis ſuæ memores, illud ſibi quotidie acclamant, quod olim Philippus Rex Macedonum, *Homo es.* Neque hîc ſiſtunt; ſed cum Iſaia perpetuò, ſerioque inculcant; *diſpone domui tuæ, quia morieris.* quod tantundem eſt, atque dicere; jam nunc toto animi conatu ſcelus fuge; jam nunc magnis paſſibus ad virtutem propera; jam nunc totis viſceribus DEVM ama; jam nunc calidis precibus veniam noxis tuis pete; offenſas, injuriaſque proximo condona; ſubleva largiori ſtipe mendicorum inopiam; divinis ſacramentorum myſterijs frequentiùs vtere; denique jam nunc (dum extra limen, telumque mortis es) fac, quod ſaluti conſequendæ, toties ex cathedra audis neceſſarium eſſe; & imminens fatum, moriendique neceſſitas, cùm te vltima citaverit hora in alium orbem, non plus concutiet, quàm vnda ſolet, quando obverſa ſilex, *aut ſtat Marpeſia cautes.*

Mortis nõ timendæ medium eſt, ad mortem ſe piè ſemper diſponere.

Virgil. 6. Æneid.

XIII. Ejuſmodi immobilis cautes fuit, quem ſupra laudavi Ioannes Berckmannus, Soc: Ieſu Scholaſticus, adoleſcens Virgo, atq; ob ſingularem innocentiſſimæ vitæ ſanctimoniã, Divis æquè ac hominibus charus. De hoc proditur, quòd ſub mortem complexus arctè, vtraq; manu Crucifixi iconem, D. Virginis roſariam corollam, vnà cum regulis Societatis, explicatâ ad hilaritatem fronte, oreque renidenti, ad circumſtantes ordinis ſui religioſos, dixerit; *hæc tria mihi chariſſima, cum iſtis libenter morior.* Non nego, quin Ioannes (quod humanæ infirmitatis eſt) quandoq; à natura ingenitum mortis horrorem

Exemplo Ioannis Berkhmanni, è Societate IESV.

rorem aliquem ſenſerit; ſed nihilominus continuum virtutis ſtudium, atque jugis ad optima quæq; conatus, etiam moriendi deſiderium, gaudiumq; hinc abeundi ingens contulerunt. Itaq; mortis eum larva, tam inaniter turbavit, vt fluctus ſolent ſaxa, magno iis impetu illiſi: mortuus eſt libenter. Quiſquis felici, lætoque epilogo vis vitam tuam claudere; neque periculoſis perturbationibus vltimo momento laborare, nunc jam labora ſeriò pius eſſe; hoc eſt, exemplo Berkhmanni, ſincerus Crucifixi JESV, fieri amator, devotus Virginis Matris cultor, denique chriſtianæ legis exactus obſervator; his tribus adſtringe animitus cor tuum, eademque cordi tuo, nunquam evellendos amores, inſere; & propè auſim dicere, VICISTI.

PARAGRAPHVS XI.

Amiſsio ſuaviſsimarum rerum, acerba MORTIS appendix, præſertim impios hinc migrantes turbat.

SAcris litteris teſtatum accepimus, cùm Saul Hebræi populi caput, ſecus quàm imperatum fuerat à Deo, Amalecitarum Regi Agag, acie victo pepercïſſet, neque ferro hauſiſſet improbum pectus: graviſſimè commotus Samuel, ipſe Regem, hominem delicioſum, & præ pinguedine toto corpore vacillantem, adeſſe jubet. ſtatimque poſitâ tantiſper clementiâ, juſtitiæ & vindictæ ſeverus exactor, in fruſta miſerum concidit. Sed priùs Agag, vt ſtrictum vidit enſem cervicibus ſuis minari, lamentabili voce exclamavit, *ſiccinè ſeparat amara mors!* nempe quia Regi huic optimè conveniebat cum voluptatibus, opibus, fortunis, hinc ei nimis acerba mors fuit, quæ ab his omnibus, nec quidquam reluctantem abſtraxit. I.

Separatio à vita, ejuſq; bonis, gravis Regi Agag.

1. Regum. c. 15. v. 32.

Eadem eſt hodie plurium luctuoſa nœnia, cùm fatali horâ vrgentur; *ſiccinè ſeparat amara mors?* ergo inquiunt, deſerenda eſt ſuaviſſi- II.

Acerba quoq; alijs hominibus.

viſſimi contubernij neceſſitudo, & tot annis firmata, inter corpus animamq́, arctiſſima ſocietas, vno momento rumpenda? itáne aſſuetis gaudiorum illecebris dicendum eſt longum vale? nec licebit ampliùs frui, tam ſæpè cupitis amoribus? an igitur & tot ambiti honores; tanti, & tantis ſudoribus parati tituli; tam copioſa, & omnia potens opum vis, vnicâ horulâ eripientur invito? & (quod caput eſt) altera corporis pars; altera anima, vxor, liberi, cognati, ex amantis oculo abſtrahentur, toto orbe diſiungendi, & tot ſæculis? Heu mors nimis amara! nimis acerba ſeparatio! ſed ſingula diſtinctiùs percurramus; vt, quantùm in morte turbent improborum illorum cauſam, qui reſipiſcentiam ſuam, ad vltima vitæ momenta protrahunt, manifeſtum fiat.

III.

Pier. Valer. lib. 36.

Nullum in humanis rebus, arctiùs eſt fœdus & vinculum, quàm inter corpus & animam.

Mos quondam apud Barbarorum Reges obtinuit, quoties in ſocietatem coirent, applicare dexteras, pollices inter ſe vincire, nodoq́; conſtringere, vbi mox ſanguis in extremos artus perveniſſet, levi vulnere cruorem elicere, atq; invicem lambere: idq; fœdus arcanum, quaſi mutuo ſanguine ſacratum, haberi eſt ſolitum. Neſcio an arctiùs vſpiam in humanis rebus ſit vinculum, eo, quo corpus & animus hominis alligantur, alter alteri. Vna vtrique eſt individua cohabitatio, vtrique eâdem venâ, idem ſanguis fluit; & valent ſimul, & ſimul dolent; neque gaudio, neque mœrore dividuntur; partiuntur æqualiter, quidquid bona, ſiniſtraúe ſors obtulerit. Sunt præterea ſibi mutuò connexi, nodo adeò valido, vt eum nemo præter Deum, mortemque ruperit. Et hinc mortalibus tam ægrè eſt, cùm hæc intima amicorum duorum conſuetudo (ex quorum ſocietate omnes conſtamus) violentiâ fatorum tollitur.

IV.

Ad Philipp. c. 1. v. 23.

In revelat. S. Brigittæ lib. 1. c. 5.

Difficiliùs rumpitur hæc ſocietas per mortem, ſi anima in corpore, affigitur terræ.

Quanquam impios hic potiùs dolor feriat, quàm probos: quorum cum Paulo Apoſtolo vox vna eſt; *deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Cùm interim peſſimus quiſq; vel maxime optet, inenodabili neceſſitudine, corpuſculo & luto copulari animam; paratus cœlo ſe abdicare, ſi pro voto ſuo liceat in carne mortali, terrâ & terrenis ſemper frui. Atq; hæc ipſa ſtultorum hominum turpiſſima inſania, digna eſt divinis querimonijs materia, quas Deus ſponſæ ſuæ, Divæ Birgittæ, ſemel bene longâ expoſtulatione propoſuit: inter alia ſic ait. *Ego dominus & Creator blaſphemor; dicunt enim, neſcimus ſi eſt* D E V S; *& ſi eſt, non curamus: vexillum meum proſternunt, & conculcant; dicentes, quare paſſus eſt? quid prodeſt nobis? ſi velit dare nobis voluntatem noſtram, ſufficit nobis; habeat ipſe regnum ſuum & cœlum.* Igitur planè mirum non eſt, ſi iſti tales, toti humo

affixi

Digitized by Google

affixi homines, toti luteo corpuſculo immerſi mortales, cùm denique in morte faciendum eſt divortium, ita ejus gratiâ, mœroribus opprimuntur validè, vt parum aptè ex chriſtianis legibus, ſe ad felicem hinc exitum queant præparare. prima tum illis cura eſt, abiturientem animam retinere, poſtrema Deo, ſummo bono, finique vltimo, per amorem ſe conjungere, & ad felicem æternitatem, prodromum ſpiritum præmittere.

V.

Item terrenis & corporeis voluptatibus.

Neque minus negotium faceſſunt voluptatum malarum numeroſæ turbæ, cùm improbo è mortalitatis hujus eſt ſtatione diſcedendum. nolunt ab alumno ſuo, individui comites ſejungi, rapiunt expirantis ad ſe animum clientuli, & vellunt auriculam, jam obſurdeſcentem in morte. Hos tales importunos monitores, veteres delicias ſuas, ſenſerat olim Divus Auguſtinus, cùm mori mundo vellet, & Chriſto vivere: *desinebant* (inquit) *me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ; & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant, dimittisne nos? & à momento iſto non erimus tecum vltra in æternum? & à momento iſto tibi non licebit hoc, & illud in æternum? quas ſordes ſuggerebant* D E V S *meus? quæ dedecora? & audiebam eas velut à dorſo muſſitantes, & diſcedentem quaſi furtim vellicantes, vt reſpicerem.* Hic ſanè mos eſt Baccho, Cypridique, vt Sardanapalos, & voluptuarios quoſque de Epicureo grege, cùm ex hoc orbe abeundum eſt, vellicent tamen, & benignum oculum petant, quo moribundi, veteres corporis illecebras, nugaciſſimas nugas, vaniſſimas vanitates, & momento mortuas reſpiciant, placuiſſeque oſtendant. Inventus eſt etiam homo brutus, ſpurciſſimum carnis mancipium; qui vt fidem ſuam Veneri teſtaretur, ante obitum his extremis eam allocutus eſt verbis: *O potens Dea, & dulcis amorum mater! tu me deſeris, non ego te vnquam.* Ita mordicus adhæret, ſemel malè conceſſa voluptas; neque ſinit facilè caput ad cœleſtia erigere, oppreſſam venereâ ſpurcitie mentem: dumque ſe continuò obtrudit, jam animam agenti, atque impotenti ad ſolitas nequitias, quid niſi graviſſimas perturbationes creat, & infeliciter moriendi periculum? Difficile eſt cariſſimis delicijs, vltimo vitæ punctulo remittere nuncium, quibus diu aſſueviſti; velle autem tum in ſocietate perſeverare, & vel approbare ſolùm perperam olim permiſſa corpori gaudia, eſt non chriſtianè mori, ſed perire.

S. Auguſt. lib. 8. confeſſ. c. 11.

Baccho præſertim & Veneri.

Beati iterum illi, quorum vna, vnica voluptas virtus eſt, & virtuti amator, D E V S. Quiſquis tempeſtivè Liberum patrem,

& ſo-

&ſociam Venerem, &Cupidinem infelicis binarij appendicem, à ſe proſcribit; neque, dum vivit, has pecudes in animo ſuo ſtabulari ſinit, expeditum habet iter ad cœlum; nulla moriturum, & hinc feſtinantem abire, impedimenta retrahent blandientium illecebrarum.

VI. Sed veniamus ad carnem & ſanguinem; conjugem, liberos, conſanguineos, erga quos nunquam eſt affectus potentior, quàm, cùm mors à ſe invicem nolentes abripit. Et loquuntur hiſtoriæ, maluiſſe quoſdam mori cum amatis, quàm illis fato extinctis, vivere ſuperſtites. Admirandum omni ævo facinus, literis conſignavit Strabo. Adjatorix Galatarum tetrarcha, & plus æquo in Romanos viſus ſævire, ab Auguſto primùm in triumphum ductus eſt, tribus filijs & vxore, ad eandem miſerabilem pompam damnatis; tum deinde, cum majore filio ad ſupplicium raptus, ita jubente Cæſare. Medius natu, triſtiſſimi divortij impatiens, ne patre cæſo ſupereſſet, fortiſſimum conſilium reperit. Iam lictores ferrum expediebant, jam fratri manus colligabant, cùm ille vociferari, & de injuria ſua, & de imperatorij mandati prævaricatione, plenus irarum queri cœpit. Credebant adſtantes, illum inanibus lacrymis precibuſque, pro patris aut fratris vita laboraturum; ſed ipſe vltro cervicem nudare, & ſe carnifici offerre, ſibique non fratri ſuo moriendum clamare; mortem ſibi imperio Cæſaris, & beneficio ætatis deberi; ſe enim natu eſſe grandiorem. Quid frater ad manifeſtum, ſed vtiliſſimum ſibi mendacium? fraternam interceſſionem deteſtari, obteſtari parentes, ne paterentur ab illo jura naturæ confundi. Inaudita ambos cauſa eloquentes faciebat; certabatur vter mori poſſet, & in hoc argumenta colligebantur, quibus alter mendacium, alter ſententiam Cæſaris, & jus naturæ tueretur. Hæc prima inter illos fratres diſcordia fuit, novâ odij cauſâ inventâ, nimio amore. Cùm lis finem non haberet, itum eſt ad parentes, qui ſoli eſſe judices poterant; ſed erat miſerabilis cauſa, neque agitanda ad tam mite tribunal. quem nominaret triſtis pater ſecum moriturum? quem mater vellet perdere? vtrumcunque ſervaret, videbat alterum ad gladium ſe dare; neque piam eſſe poſſe, niſi ſimul eſſet crudelis. prenſabant interim duo mortis candidati, & parentum ſuorum ſuffragium, novo genere ambitûs emendicabant. Exoratus denique à Patre major filius fuit, vt quia in eo plus ſpei poneret erigendarum apud matrem fortunarum, pateretur majorem filium, in ſocietatem mortis ſecum venire. Sic fratri tandem ceſſit indi-

Caro & ſanguis, difficulter ſeparantur in morte.

Strabo lib. 12. Brunner Annal. Boic. lib. 3. n. 8.

Teſtimonio duorũ filiorum, quorum vterq; voluit cum patre mori.

Digitized by Google

indignabundus; illique carnificem, & ferrum, &(quod triſtiſſimum fuit) patrem invidens, chariſſimis funeribus ſinceriſſimas lacrymas affudit, libentius (ſi per vtrumque parentem licuiſſet) ſanguinem daturus.

Itaque nihil robuſtius eſt ingenito nobis affectu, quo parentes, natos, conjuges, amicos complectimur; neq; magis facilè affligimur, quàm cùm per mortem fit amantium longa ab invicem avulſio. ægrè relinquimus morituri vivos, amiciſſimos quoſque. & non rarò hæc talis jactura, ita mentem occupat, ita turbat in obitu hominem, vt vix ſeveriores admittat curas, de vita altera, DEoque. Quod quidem frequentius eſt apud malè moratos, flagitijs innutritos, carni immerſos chriſtianos; quibus vt ſemper in vita ante oculos fuerunt ſui, ita etiam in funere obverſantur ſæpius, quàm cœlum: eſtque ſolus eorum quandoque dolor, quòd carendum ſit imposterum ſuaviſſimis neceſſitudinibus; nulla interim ſollicitudo torquet animum, ne propter multiplices noxas, æterno à beatis omnibus divortio ſeparentur. Rectiùs multò, feliciuſque agunt, quos pietas vera ad virtutem format. nunquam iſti cor ſuum adeò affigunt amantiſſimis in hac terra mortalibus, quin parati ſint quovis momento, ab iſtis tranſire ad eos, quos velut partem aliquam ſui, jam in cœlum præmiſiſſe, mortis ſe beneficio ſperant. Salit igitur illis animus, cùm audiunt S. Cyprianum ad ſidera ſic invitantem. VII.

Divortium corporis ab anima, plus turbat impios in morte:

Quàm pios & probos.

Magnus illic nos charorum numerus expectat; parentum, fratrum, filiorum, frequens nos, & copioſa turba deſiderat: jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Ad horum conſpectum, & complexum venire, quanta & illis, & nobis in communi lætitia eſt? Illic Apoſtolorum glorioſus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus, ob certaminis & paſſionis victoriam coronatus; illic triumphantes Virgines, quæ concupiſcentiam carnis & corporis, continentiæ robore ſubegerunt; remunerati Miſericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum, juſtitiæ opera fecerunt, & ad cæleſtes thalamos, terrena patrimonia tranſtulerunt. Ad hos fratres dilectiſſimi, avidâ cupiditate properemus, vt cum his citò eſſe, vt citò ad Chriſtum venire contingat, optemus. VIII.

S. Cyprian. in tract. de mortalitate, ad conſolationem Chriſtianorum, in communi lue, qua S. Cypriani ætate, tota Africa 15. annis graſſabatur.

Quibus verbis S. Pater oſtendit, futuri felicis conſortij gratiâ, bonis omnibus non tam timendam, quàm appetendam mortem eſſe. Sed iſta tametſi millies inculcata, non tamen omnium aures, & corda penetrant; graviſſima multis eſt amiſſio ſuorum in morte; præſertim verò illo articulo, virtutis probitatiſque oſores, hac velut

ſut vnâ, & ſolâ jacturâ, ita non ſemel turbantur animis, nihil vt ſanè pro ſalute æterna agant.

IX. Amor auri & divitiarum, abripit ad ſe animum avari morientis. *Lucas Pinellus lib. 2. de altera Vita c. 5.*

Parem vim habet, fortaſſis etiam majorem, inveteratus pecuniarum amor. Cùm ſemel in auro, affectum ſuum mergunt mortales, difficulter extricantur, nullus tenacior viſcus eſt aureo; etiam morientium avarorum curas, conatur ad ſe rapere, facitq; eò vſq; meminiſſe opum, donec Numinis oblivio mentem corripiat, & neglectus æternorum. Ferale eſt illud, & quod omnibus intemperanter cupidis, vulnus poſſit ſalubre infligere. Dives quidam ad extrema venerat, quem (vt variè in lecto jactavit, triſtis cogitatio relinquendarum divitiarum) erigere ſtuduit vir religioſus, & apertè monere; nunc reliquis omnibus, quæ terram & lutum olerent, quàm longiſſimè remotis à corde, vnius ſalutis curam ſolerter ſuſcipiendam eſſe; annos priores *recogitaret in amaritudine animæ ſuæ*, grave peccatorum pondus ante pedes ſacerdotis abijceret, DEOq; ſe offenſo reconciliare ſatageret. Sed ſurdo hæc cantilena; miſer inter longa ſuſpiria, ſe in omnem partem circumvoluens, leonis more altùm rugire cœpit. mox opes ſuas, ſic affari. O divitiæ meæ, tot ſudoribus collectæ, & hoc momento heu! æternùm deſerendæ, quo nunc ambulabitis? quæ vos hæres excipiet arca? ah major luctûs, quàm gaudij eſtis materia; ſicut enim longis vigilijs, ſollicitudine perenni, labore non interrupto, vos peperi; ita vltra frui conceſſum non eſt. miſerum me! parta tueri non poſſum. Inter has miſtas lacrymis querelas, expiravit infortunatus homo, nullo adhuc dolore, ſuper noxis ſuſcepto, nullâ cogitatione faciendæ exhomologeſis: atq; vt author ait, immoderatus auri congeſti affectus, huc eum non permiſit conſilia ſua, mentemq; convertere.

Iſa. 38. 16.

Teſtis hiſtoria lugubris & lamentabilis.

X. *Eccli. 41. 1.*

Meritiſſimò igitur exclamat Siracides: *ò mors, quàm amara eſt memoria tua, homini habenti pacem in ſubſtantijs ſuis!* Vbi obſerva, ab Eccleſiaſtico non tantùm mortem acerbam dici, homini copioſo, & ſupra rationis menſuram cupido, ſed etiam ſolam mortis memoriã: iſtũ talem, ſola ſuperventuri funeris cogitatio ſternit, abripitq; animũ, tum maximè in molitiones inanes, & nihil profutura machinamenta peculij vel augendi, vel conſervandi; quando Numinis ſupremi arbitrio, terrena omnia, & chariſſima quæq; dimittenda ſunt. Quiſquis ridente vultu, terræ, luteorumq; bonorum, vult in morte jacturam ferre, atq; ad meliorem æternandæ beatitudinis fortunam lætus tranſire; Apoſtoli ſequatur pulcherrimam adhortationem, ſic Corinthios monentis: *reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tanquam*

Felicem hinc exitum juvat, mentem terrenis non affigere.

non

Digitized by Google

non habentes ſint, & qui emunt, tanquam non poſſidentes, & qui vtunt nr hoc mundo, tanquam non vtantur. Vetat his verbis Doctor gentium, immodicum ad res fluxas affectum, ita vt neque rei vxoriæ, neq; poſſeſſionibus vllis, adijciatur animus intemperanter. *1. ad Corinth. 7. v. 29. 30. & 31.*

XI. Quomodo autem divitijs (eadem eſt ratio aliarum non duraturarum rerũ) vti debeamus, egregiè vt ſolet, D. Auguſtinus, declarat his pauculis, ſed auro, cedroq; digniſſimis verbis: *vtere nummo, quemadmodum viator vtitur menſâ, calice, vrceo, dimiſſurus non permanſurus.* Et Philo, celebris inter Hebræos ſcriptor, cũ examinaret illam DEI ſanctionem, quâ juſſit quinquageſimo quoq; Jubilæi anno, omnes agros, & prædia pretio coëmpta, ad priorem dominum redire, qui ea vendiderat; *hinc liquet* (inquit) *nos alienis vti poſſeſſionibus; nec gloriam, nec divitias, nec honores, nec imperia, nec aliud quidpiam, vel corporis, vel animi proprium, quaſi hæc juris, & dominij noſtri ſint, poſſidemus; ſed eorũ vſum fructum, dum hîc vivimus, habemus ſolum.* Hanc qui ſemel doctrinam ſincerè imbiberit, nunquam mentem ſuam eripiendis poſt paulò opibus, honoribus, delicijs implicabit; quin potiùs altior ſemper vaneſcentibus bonis, cùm vitâ tandem fuerit exeundum, læto lætoq; pectore, DEO remittet omnia, quorum vſum aliquantisper ſibi habuit conceſſum; ſecuturus memorabile Ferdinandi Regis Caſtellæ & Legionis exemplum.

S. Auguſt. tract. 40. in Ioannem. Philo lib. de Cherubin.

Quia peregrini ſumus in hoc mundo, & tantùm vſu fructuarij.

XII. Huic è Divorum numero S. Iſidorus, nuncium imminentis poſt paulò mortis attulit, atque vt apparet, non ingratum. Continuò igitur Rex, totum ſe pijs precibus tradere, tantoq; itineri parare neceſſaria; factumq; eſt, vt in ipſo natali Domini, conſueto orandi ſtudio occupatum, morbus exciperet. Intellexit tum Ferdinandus infirmitatem illam, funeris ſui anteambulonem eſſe. Itaq; poſtridie ornatus cultu regio, inter Epiſcopos & Abbates, magnificentiſsimâ pompâ, ad ædem ſacram voluit deferri. Ibi adſtantibus vtrinq; proceribus, & rei eventum cum admiratione præſtolantibus, fixis ante aram genibus, ſic DEVM compellat: *tua eſt poteſtas Domine, tuum eſt regnum. Regnum quod te donante accepi, quamdiu tuæ voluntati placuit, rexi; ecce reddo tibi. tantùm animam de voragine ipſius mundi ereptam, vt ipſam ad te ſuſcipias, deprecor.* Mox regalem purpuram Ferdinandus, & gemmeum cum aureo ſceptro diadema, ad altare collocat, ſimulque omni poteſtate ſuâ, fortunis, regno, in Numinis manus (vnde acceperat) reſignatis, horridâ corpus ſetâ induit; jamq; Sacramentis piè munitus, aſperſus cinere, & lacrymis ſuperfuſus, veriſsimis pœnitentis animi teſtibus; quin etiam humi

Baronius ad annum Chriſti 1065. Rudericus Toletanus lib. 6. c. 14.

Exemplo Ferdinandi, Regis Caſtellæ, omnia ſub mortem,

Iubenti animo, in DEI manus, vnde accepimus, remittere debemus.

proſtratus, eadem in æde ſacra poſt triduum, diem extremum clauſit; digniſſimus, quem virtus & pietas cœlo inferat ad immortalitatem. Imitemur ô humiles animæ, præclarum Regis facinus; & cùm DEVS olim ſub mortis horam repetierit, nobis commiſſos eò vſq; liberos, conjugem, amicos, agnatos, opulentiam, magiſtratus, ipſam animam, & vitæ hujus vſuram; liberali dexterâ remittamus ad fontem, imò mare ſuum, vnde hæc omnia fluxerunt. Nihil inter chariſſima noſtra, adeò nobis ſit charum, quin ad vnum Numinis imperium nutumque, ei velimus reddere.

XIII.

Hoc ſicut facile eſt pijs exequi, ita operoſum eſt impijs.

Sed nempè, vt pijs mentibus, atque expeditis à mole terrenorum, perquàm ſuave & facile eſt iſtud exequi; ita nihil inſuavius, nihil difficilius illis ſolet accidere, qui pube tenus totâ, immerſi luteis rebus, coguntur vno momento valedicere omnibus, & rumpere amicitiam cum opibus, fortuna, honoribus, voluptatibus, nullâ æternitate coalituram. Atq; hinc turbatum non ſemel eſt, apud improbiſſimos quoſque in morte; ipſi tum illis amores ſui, & ſuaviſſima gaudia, fel effuderunt, & quod omni felle acerbius eſt, ſui continuò imagine, memoriaque objectâ, eò vſque non raro occupârunt cum morte luctantes, vt aliqui ante oppreſſi fuerint, quàm promovendæ ſaluti neceſſaria paraſſent. Ergo,

Ovid.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

prudentiſſimè egerit, qui ſaluberrimum conſilium accelerandæ reſipiſcentiæ, non conjecerit in vltimum vitæ perturbatiſſimum articulum.

PARAGRAPHVS XII.

Horror imminentis Sepulturæ, magis terret impios in MORTE, quàm pios.

I.

Seneca epiſt. 1. ad Lucil.

QVod Romanus olim philoſophus dixit, *quædam tempora eripiuntur nobis, quædam effluunt*; experimur omnes, & quotidie: dum horas manu tenemus, dum numeramus intra digitos quadrantes, elabuntur; & quidquid retro fluit temporis, incertum

Digitized by Google

tum eſt, vitæ potiùs, an morti debeatur. denique per hodiernum & craſtinum, tranſcurrimus celeriter ad ſepulchrum. Teſtatur Iobus, ſingulare virtutis exemplar, cùm de ſe ipſo ita loquitur: *ecce breves anni tranſeunt; ſpiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum* ſtatimq; infra hæc ſubjungit: *ſi ſuſtinuero, infernus domus mea eſt.* Vbi more in ſcripturis recepto, infernum accipit pro ſepulchro; quemadmodũ etiam David dixit de quibuſdam jam mortuis: *ſepulchra eorum, domus eorum.* neque multum abludit ſepulchrum à domo.

Iob c.16.23. & c.17.1.
Iob c.17.13.
Pſal.48.12

II. Cùm quis vel ſuis, vel alienis negotijs occupatus, peregrè eſt: inter longas itinerum moleſtias, mille viarum incommoda, continuas cœli injurias, nullius rei frequentiùs meminit, quàm domûs ſuæ: hanc votis centum quotidie expetit; quia domus cuiq; ſua, locus eſt quietis commodæ. Sic res habet cum ſepulchro: dum hîc ſumus mortales, longas peregrinationes facimus, neque abſolvimus niſi cum vita: interim & patimur multa, & agimus: ſed proh dolor! plura ferè in gratiam bonorum pereuntium, quàm perennantium. Poſtquam autem in tumulum imus, & monumentum; jam domi noſtræ ſumus, jam in loco quietis, vbi feſſis membris ſine interpellatione laboris, diu bene erit.

Sepulchrũ ſimilitudinem habet cum domo.
I. Quia dabit quieté longam.

III. Sed quia, qui domum ex peregrinatione veniunt, non tantùm ab opere ſibi ferias, otiumque indicunt; ſed verò etiam fatigatum itinere corpuſculum, collocant in lectum, & molles plumas. quæſo quis lectulus ille eſt, qui nos in ſepulchro excipiet, dormituros mortis longiſſimum ſoporem? Iterum Iobum audi, qui poſtquam tumulum dixiſſet domum ſibi olim futuram, hæc inſuper addidit: *in tenebris ſtravi lectulum meum.* Ita ſanè, lectulus ſepulchralis, quia infra terram nobis paratur, nihil admittit lucis, nullum ſolis radium, ſola eum caligo ambit. Sed quis tandem, qualiſue hic lectulus eſt? an nobis plumeus anſer ſubſternetur? & qualis culcitra aut ſtragula, corpus teget exanime? Nempe, jam dudum Vates ſacer edixit: *ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Dum hîc vivunt homines, ſericum amant, opus bombycum: hinc veſtes, periſtromata, tapetia parantur: mortuis nihil de ſerico dabitur; ſoli vermes, ſerici artifices, imò puteſcentes lumbrici, totæ ſepultis jam mortalibus erunt opes, veſtes, quin & ſtragula quieſcentibus ſuperjecta.

II. Lectum pro quiete.
Iob c.17.13.
Iſa. 14.11.

IV. Tertium in domo eſt familia; parentes cum liberis, ſorores ac fratres, eodem ſanguine nati. Neque parte iſtâ caret ſepulchrum;

III. Familiam eorundem natalium. *Iob cap. 17. 14.*

de quo velut domo ſua, cùm mentionem feciſſet Iob, ſtatim familiæ meminit, eamq; alloquitur his verbis: *putredini dixi, pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus.* Hæc denique illa turba eſt, & noſtræ originis pars, quæ in capulo eodem nobiſcum habitabit; tamdiu baſiatura, amplexuraque corpuſculi exanguis membra, donec præter oſſa, & oſſeum cadaver ſuperſit nihil. O quis non formidet has neceſſitudines à quibus ſub terra & ceſpite, tam hoſtiliter mortales omnes tractabuntur.

V. *In vita S. Stanislai apud Suriũ 8. Aprilis.*

Et tamen fuerunt viri ſancti, qui nihil morati hanc carnificem familiam, læti hilareſq; ſepulchrum intrârunt. Talis erat Petrus ille, è nobilium cenſu vnus, quem S. Stanislaus, Cracovienſis Antiſtes, pro ſua cauſa, innocentiaque teſtem è monumento evocavit, triennio ante defunctum. Agebatur Staniſlaus apud Boleſlaum, Regem Poloniæ, velut reus, de prædio per vim rapto; quod tamen ipſe pretio pecuniæ certæ, à Petro legitimè emerat. Eum ergo Staniſlaus, terræ jam diu intumulatum, citat ad tribunal regium, & jubet pro juſtitia dicere; quæ vt plerumq; multos habet præſides, ita paucos invenit Patronos. Feliciter autem Petrus patrocinatus eſt veritati, quia Staniſlaum omni ſuſpicione liberavit; neque auſus eſt vllus eorum, qui in odium Pontificis, deteſtanda rapinæ mendacia confinxerunt, contradicere redivivo teſti. Pronunciatâ igitur pro ſacro Antiſtite ſententiâ, vt gratus eſſet patrono ſuo, promiſit ſe apud Deum facilè Petro impetraturum aliquot vitæ annos, ſi animum haberet, hac iterum mortalitatis humanæ vſurâ frui. Sed ille gratijs gratioſè actis, cùm diceret exiguum adhuc tempus ſupereſſe expiandæ in purgantibus flammis animæ, preces primùm à Staniſlao petijt; tum ſuo reſtitui ſepulchro. Atque ita reductus ad tumulum eſt, domum ſuam; familiæ veteri, lumbricis & ſerpentibus, veris plenus gaudijs, ſe iterum adjunxit: factus orbi prodigium, ob facinus tam inſolens, præſertim verò obfirmatis in impietate hominibus; qui vt nihil penſi habent, in cœno turpiſſimarum illecebrarum per vitam omnem volutari: ita à vermibus, anguibus, bufonibus, ſepulchrorum ſive cuſtodibus, ſive palatinis, nimiùm quantùm abhorrent.

S. Staniſlaus Epiſcopus, nec ſepulchrum horruit, nec vermes.

VI. *D. Hieron. contra Iovin. c. 36.*

Admirabile eſt, quod Sanctus Hieronymus, peritiſſimus hiſtoriarum memorat. *Maſſagetæ* (inquit) *& Derbices, miſerrimos putant, qui ægrotatione moriuntur; & parentes, cognatos, propinquos, cùm ad ſenectam venerint, jugulatos devorant: rectiùs eſſe dicentes, vt à ſe potiùs, quàm à vermibus comedantur.* Simile barbaræ inhumanitatis exemplum,

plum, Cicero refert de Hircanis. *In Hircania* (ait) *plebs publicos alit canes; optimates domeſticos. nobile autem genus illud canum ſcimus eſſe; ſed pro ſua quiſque voluntate parat, à quibus lanietur, eamq; illi optimam eſſe cenſent ſepulturam.* Tale ingenium eſt quibuſdam ſceleratis, [illegible]ent poſt mortem ſemel, citoque, vel ab Anthropophagis devorari, vel laniari à canibus, quàm luridis, putidiſque ſub terra beſtijs, longam cœnam de carnibus ſuis facere. Et hæc denique vna cogitatio; Vermium olim cibus eris; ita eos vrit, vt concoquere non poſſint, ſe ſimul & convivatores fore, & epulum convivis; qui vt volent, de ipſorum ſtatuent corpore, etiam aſymboli venturi.

Cicero Tuſcul. quæſt. lib. 1.

Sicut pleriq; alij hominum ſolent.

VII.

Hîc mihi in mentem redit cœna illa funebris, quam Domitianus Imperator primoribus Senatorum, & equeſtris ordinis, Romæ inſtituit, ad hunc modum. Apparavit ædes omni ex parte nigerrimas: erant enim atra laquearia, parietes ac pavimentum, in eòque ſedes nudæ collocatæ erant. Quibus paratis rebus, eos de nocte introduci jubet, abſque comitibus. Ac primùm omnium, juxta vnamquamque, columnam collocat, factam inſtar ſepulchri, in qua nomen ejus ſcriptum erat; pendebatque de ea lychnuchus parvus, vt aſſolet in monumentis. tum nudi pueri, atramentoque obliti, tanquam ſpectra quædam ingrediuntur, eoſque horribili ſaltatione circumeunt; dein ante ipſorum pedes conſiſtunt. Ad extremum, omnia, quæ in exequijs mortuorum adhiberi ſolent in vaſis, eodem modo eis appoſita fuerunt. Cœna interim peragebatur magno omnium ſilentio, vt qui timore pene exanimati eſſent; Domitiano inſuper ſermonem de ijs, quæ ad mortes & funera pertinerent, ſuper menſam ingerente. Nimirum, ſibi Imperator & Senatoribus, ſalubriter in memoriam revocaverat futuri neceſſitatem fati; niſi in rebus tam ſerijs, riſum potiùs, quàm ſapientiam captâſſet.

Xiphilinus in Domitiano.

Similes convivis Domitiani Imperatoris, in funebri apud eum, ac ſepulchrali corona.

VIII.

Sed facilè credo, eum triſtiſſimum ſenſum, quem habuerunt in deſcripto convivio hoſpites; cùm inter funebria ſpectacula, ipſos tantùm non funus timor fecit, plurium eſſe mortalium; præſertim delicatulorum, quando in viciniore mortis acceſſu, audiunt ſibi feralem capulum, tumbamque parari, foveam & ſcrobem fieri, promi linteum corpuſculo integendo. tum enim etiam memores futuræ apud inferos cœnæ, ipſi ſibi occinunt triſte illud Poëtæ carmen:

Delicatuli metuunt vermes, de corpore ſuo epulaturos in tumulo.

Expe-

Expectant tumulo latenter imo,
Bufo, vipera, ſordidiq; vermes.
Hos vernas numerabis, hos clientes,
Hos complexibus indues cupitis:
Hi carpent epulaſq;, cænulaſq;,
Nullis pocula præſtinanda numis,
Labentur per & oſſium medullas,
Et voto ſibi conſulent inemto.

Iacob. Biderm. in certamine poëtico.

IX. Quid putamus igitur, cùm improbus homo, pœnitentiæ ſuæ ad extrema procraſtinator, morte præcone, juſſus fuerit ad ſepulchrum ire, atque ex ſuo corpuſculo, fœtentibus animalculis, dapſile epulum dare, nunquid turbabitur morituri animus? præſertim cùm antea ſemper mollibus innutritus delicijs, tam ſpurcas de vermibus cogitationes, ſemper toto pectore excluſerit: ſic enim fieri aſſolet; triſtia omnia, quæ velut improviſa mortalibus eveniunt, turbas cient. Neque video, quantum laboraturus ſit pro cœlo in morte, qui eo articulo totus inter vermes eſt, totus in eo conatu, quomodo capulari tumbæ eluctetur. Familiare eſt hominibus, præſens præ futuro timere malum. Sic, cùm fortè domum flamma corripuit, eſt qui ciſtam auro plenam ſervare velit, & incendio ſubducere; jamque ita occupatur cogitatione ſervandi nobilis metalli, vt periculum corporis ſui non advertat priùs, quàm ipſum exitium incurrat. præſens illi malum videtur jactura ciſtæ; futurum, jactura vitæ; vt ergo illam evitet, hanc negligit multò graviorem.

Præſertim qui vitam in ſceleribus exegerunt, immemores capuli ſecuturi.

X. Ad hunc modum vſuvenit flagitioſis quandoque impijs, poſtquam ſeram pœnitentiam in mortem rejecerunt; vt ſubito duplici horrore conſternantur, & ſepulchri imminentis, & inferni. quia verò tumuli malum, quaſi præſens eſt; remotius illud alterum ſtygis: hinc fit, vt nonnunquam peſſimus quiſque evitando priori, ſe totum curis immergat, & poſterioris nullam quaſi rationem habeat. Denique illud vnum agit, non quomodo ſe per veram cum Deo reconciliationem perpetuis ignibus, miſeraque æternitate expediat; ſed quomodo monumento, & vermibus incolis liberari poſſit. Interim dum hoc agit, & vita eum deſtituit, & ipſe à morte, ſimul ad ſepulchrum atque inferos abripitur. Vitium omne, totuſque error eſt, non priùs de tumulo, ac capulo præmeditatum eſſe; vel ſe pijs cogitationibus armâſſe, ad congreſſum vermium, ſepulchralis exercitûs fœtentes copias.

Metus vermium apud aliquos morientes, potior eſt metu inferni.

Sapi-

Digitized by Google

Sapientiùs longè faciunt ij, quibus pietas cordi eſt atq; virtus; hi etenim, dum etiam adhuc ſani ſunt, & vegeto corpore, tamen futuræ conditionis memores, ſæpe quaſi corpuſculo ſuo id proponunt, quod olim veriſſimè Hugo ſcripſit: *nihil aliud eſt caro, cum qua tanta eſt ſocietas, niſi ſpuma caro facta, fragili decore veſtita; ſed erit quandoq; cadaver miſerum, putridum, & cibus vermium.* Itaq; viri ſancti fœminæque, non tantùm animo, ſed oculis quoq; frequentiſſimè inſpexerunt ſepulchra: imò vt diſcerent ibi habitare mortui, etiam vivi nonnunquam intrârunt.

XI. *Hugo de clauſtro animæ lib. 1. cap. 31.*

Pij Chriſtiani, etiã vivi, ſepulchra intrant.

Ita Alexandra quædam, ex ancillarum numero, cùm ejus pudori inſidiaretur turpis procus, monumentum ſibi habitationem fecit, ipſis duodecim annis; rata opportuniſſimum eum locum eſſe, in quo & veſani hominis amores effugeret, & Venerem tumularet. Mirabilius eſt, quod conſignatum literis invenio, de Severo, ſanctiſſimi olim apud Ravennates Epiſcopi. Hic jam provectâ ætate vir, & multâ canitie venerabilis; ſicut rerum præſentium ſatur, faſtidivit mundi hujus fumos, fucos, vmbras, ludicra, ſomnia, inane: ita nihil magis in deſiderio habuit, quàm ſolida illa futuræ æternitatis bona. Demum etiam divinâ revelatione accepit, brevi ſe ſuſpiratam toties beatorum felicitatem, cœloſque aditurum, depoſitâ corpuſculi ſarcinâ in terræ cuſtodiam. Itaque magnis lætitijs incedens, templum ingreditur. ibi poſtquam divina fecit, vltimùm ſacris operatus: frequentem clerum, & vtriuſque ſexûs populum, ſermone prolixo adhortatus eſt, ad ſervandam catholicæ fidei integritatem, nec non dulciſſimam animorum conjunctionem, amabile pacis vinculum. Tum deinde, vbi poſtremum omnibus vale dedit, comitantibus omnium lacrymis, in ſepulchrum apertum, vultu ipſe hilari ſe collocavit: in quo poſt preces non longas, mortis ſomno obrutus, placidiſſimè animam DEO reddidit.

XII. *In Vitis Patrum lib. 8. cap. 5.*

S. Alexandra Virgo.

S. Severus Epiſcopus Ravennæ.

Surius in eius Vita 1. Febr.

Eſt & iſtud Baſilij cujuſdam Monachi, egregium facinus. S. Theodoſius Cœnobiarcha, cùm ſciret probè, veram philoſophiam eſſe mortis memoriam, ſepulchrum ſibi viventi juſsit parari. Id vbi abſolutum erat, quaſi per vrbanum jocum aſcetas ſuos interrogavit, quis eorum primus vellet intumulari? Ergo Baſilius, vnus inter ſeptem ſancti patris diſcipulos, ridente vultu in foſſam ſe abjicit. Mox Theodoſius homini velut mortuo, exequias fieri jubet; quin etiam tertianas, novenas, & quadragenas. quibus omnibus ritè perfectis, nullo morbi indicio, ſolâ Numinis volun-

XIII. *Sim. Metaph. & Surius ad 11. Ian. in Vita S. Theodoſij Cœnobiarchæ.*

Baſilius monachus.

tate, Baſilius in eodem tumulo, & verè mortuus eſt, & ſepultus manſit. Credo virtutis ſuæ hoc prœmium accepit, vt cùm mortem intrepidus quæreret, vitæ hujus contemptor, vitam meliorem inveniret.

XIV. *Qui vivi deſcendũt in tumbã, mortuis ſibi nihil timent.* *In Vitis PP. lib. 5, libello 1, num. 8.*

Denique, quod apud alios fortaſſis paradoxum eſt, mihi axioma ſit: qui in hac vita ſæpe cogitatione ſuâ ingreditur ſepulchralem ceſpitem, diſcitque vivus in domo ſua, jam quaſi cohabitare vermibus (juxta illud Ioannis Abbatis monitum, *includens te ſepulchro, tanquam jam mortuus, vt videatur tibi proxima mors omni die*) moriens nihil eos timebit, nihil inde turbabitur. contemnit pius homo morſus vermiculorum, quos mortuus non ſentiet in ſe graſſaturos. vna ejus cura eſt, non quomodo corpuſculum vermibus, ſed quomodo animam ignibus æternis eripiat. huc omnis ejus collimat induſtria, & tartaro ſe expedire, & DEO conjungere.

PARAGRAPHVS XIII.

Timor imminentis Judicij, & tribunalis divini, non raró ſceleratos exercet ſub tempus MORTIS.

I. *Seneca Epiſtolarum lib. 12. ad Lucil. epiſt. 84.*

PVlcherrimè Seneca Lucilium olim ſuum monuit: *ſic certè vivendum eſt, tanquam in conſpectu vivamus; ſic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſſit; & poteſt. Quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum? nihil DEO clauſum eſt, intereſt animis noſtris, & cogitationibus medijs intervenit.* Atque hic arcanorum omnium arbiter, ſicut quæ nunc fiunt à nobis, ferè diſſimulat vniverſa; ita poſtquam defungimur & vitâ præſente, & mortalitate, nihil Judicis DEI cenſuram effugiet; etiam minutiſſima quæque ad ſeverum tribunal ibunt, illudq; Numinis examen, vbi hominum tota merces, tota pœna erit

Digitized by Google

erit Æternitas. Et quis hæc tam triſtia, tam ſeria cogitare poteſt, vt non horrore afficiatur, metuque? Ceadda, Merciorum & Lindisfarnorum in Anglia Epiſcopus, quoties vehementior ventus inſurgeret, ſolitus eſt humi ſe abijcere, magniſq; vocibus *miſericordiam* DEI implorare. jam cœlo graviùs ſuccenſente, & fulgura tonitruaq; miſcente, ad templum fugere & aram; neque ibi priùs ſibi à lacrymis temperare, quàm iterum ſol rideret. Cauſam interrogatus, reſpondit; ex his velut præludijs, æſtimare ſe illum ſupremum ac decretorium diem, quo vtiq; tunc homines minùs ferent fulgurantes Judicis oculos, fulminaque ac tonitrua, fatalis ab arcu ſententiæ. Sed quia hæc ſæculis adhuc aliquammultis remota ſunt, non tam impiorum terrent animos, atque illa, quæ morientium jam imminent capitibus, vulnuſque minantur immedicabile caſu ſuo.

Beda in hiſt. Eccl. gent. Anglic.

Tempeſtatis horror, imago futuri judicij.

II. Egregiè D. Chryſoſtomus docet: *quamdiu hîc ſumus, anima voluptatum illecebris delinita, triſtia ægrè admittit animo: cùm verò migratura eſt corpore, tunc jam majore metu continetur, quippe quæ ad ipſa judicij pervenerit limina.* Vbi ex certa Doctorum ſententia, tanquam certum ſtatuo, præter illud judicium, de quo olim Apoſtolus locutus fuit: *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum:* aliud quoque eſſe, quod particulare vocant, ipſamque ſtatim mortem ita conſequitur, vt eo temporis puncto, anima corpus ſuum egreſſa, à Judice DEO ſententiam accipiat pro æternitate. Hoc quoniam probè ſciunt, qui in vitijs malè conſenuerunt; quin etiam meminerunt, quò magis accedunt morti ſuæ, eò propinquiores fieri tonanti ac fulminanti Judici; hinc & præſenti torquentur fato, & futuri ſollicitudine tribunalis: dum non vanè metuunt, toties offenſi Numinis iras, fulminaque, in caput ſuum ruitura. quodque calamitatem auget, periculum exire non poterunt; excipere Judicis ſive ſententiam, ſive fulmen, neceſſe eſt. Et quemadmodum juxta vetus adagium; *procul à Jove, procul à fulmine:* ita è contrario prope apud Jovem, prope apud fulmen. Igitur improbi, qui cùm morti proximi ſunt, etiam Judici DEO propinquiſſimi fiunt, plerumq; ejuſdem & tonitrua, & fulmina, & fulgura horrent: verbo, ſententiam condemnationis irrevocabilem.

S. Chryſoſt. in 2. ad Timoth. hom. 5.

2. ad Corinth. 5. 10

Impij, proximi judicio particulari, proximi fulmini, & formidini.

III. Suffragatur huic veritati Gregorius M. Pontifex, quando de morientibus ſic ſcribit. *Dum de omnibus ſemper diſtricta* DEI *judi-*

Digitized by Google

cia pertimeſcunt, tunc tamen hac vehementius metuunt, cùm ad ſolvendum humanæ conditionis debitum venientes, diſtricto Judici propinquare ſe cernunt, & timor ille tantò fit acrior, quantò & retributio æterna propinquior. creſcit pavor, vrgente carnis ſolutione. Tum ante oculos cordis, inane nihil transvolat de phantaſmate cogitationis, quoniam omnibus vanis è medio ſubductis, ipſi morientes ſe, & illum tantùm conſiderant, cui propinquant. Nec enim immeritò cujuslibet anima tunc terretur, quando poſt puſillum inveniet, quod in æternum vitare non poſſit.

Teſtimonio S. Gregor. M. 44. moral.

IV. Sed ſceleſtæ animæ jam migrantis anguſtias, & formidantis divinum Iudicis DEI ſolium, audiamus, quibus coloribus depingat ſanctiſsimus Cardinalis, Petrus Damianus. *Penſandum* (inquit) *eſt, cùm jam peccatrix anima, à vinculis incipit carnis abſolvi, quàm amaro terrore concutitur, quantis mordacis conſcientiæ ſtimulis laceratur. Recolit vetita quæ commiſit, videt mandata, quæ implere contempſit. dolet indulta pœnitentiæ tempora, ſe ſe inaniter percepiſſe; plorat immobilem diſtrictæ vltionis articulum, inevitabiliter imminere. manere ſatagit, ire compellitur; recuperare vult perdita, non auditur. poſt terga reſpiciens, totius transactæ vitæ curſum, velut vnum breviſſimum deputat itineris paſſum; ante ſe oculos dirigit, & infinita perennitatis ſpatia deprehendit. In terra dum hebeſcentes oculi contabeſcunt, dum pectus palpitat, raucum guttur anhelat, dentes paulatim nigreſcunt, palleſcunt ora, membra cuncta rigeſcunt: dum hæc itaq., & hujuſmodi tanquam vicinæ morti præcedentia famulantur officia, adſunt omnia geſta ſimul & verba, nec etiam ipſæ cogitationes deſunt, & cuncta hæc, amarum adverſus auctorem teſtimonium reddunt. Coacervantur omnia, ante reſpuentis oculos; & quæ conſpicere refugit, coactus & invitus attendit.*

Et B. Petri Damiani Epiſtolarum lib. 7. epiſt. 19.

V. Curioſa fuit quondam aliquorum ex Hebræa gente quæſtio, ſciſcitantium apud Prophetam; *vbi eſt DEVS judicij?* puta illius magni, exactiſsimi, juſtiſsimi, vbi nulla habebitur ratio potentis præ humili, divitis pręe paupere, purpuræ & ſceptri, prę lacerna & centunculo; vbi nulla perſonarum valebit dignitas, nulla apud amicos prehenſatio, nulla munerum largitio, nulla patronorum interceſsio, nulla ad Judicem alterum appellatio, nulla in futurum comperendinatio. Igitur interrogabant Iudæi, *vbi eſt DEVS judicij?* tam certi, tam immutabilis, tam æqui? Reſpondet porrò Chriſtus per Malachiam, futurus olim omnium gentium aſpectabilis Judex: *accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas & pupillos; & opprimunt*

Malach. 2. 7.

Malach. 3. 5.

Fruſtra quæritur, vbi ſit De-

primunt peregrinum, nec timuerunt me. O homines! quorum vna laus eſt, vitam turpiter, & contra regulam humanæ, divinæque rationis exegiſſe: nolite interrogare, *vbi eſt Deus judicij?* nam ecce jam jam vobis, cum morte luctantibus imminet; atque vt Jacobus Apoſtolus loquitur in epiſtola ſua, *ecce judex ante januam aſſiſtit*: ille Judex, cujus natura æquitas eſt, cujus cenſura juſtitia eſt, cujus verbum veritas eſt, cujus ſententia fulmen eſt. Hic igitur Judex ô mali (niſi morituri vos ad dignam frugem recipiatis) rigido examini ſubijciet; tantoque magis, quantò minùs ipſis Sanctis pepercit; quorum aliqui in hoc genere antequam plenè expirarent, ea paſſi ſunt, jam quaſi apud Numinis tribunal ſtantes, vnde flagitioſis naſci poſſit juſta formido.

us Iudicij illius inevitabilis, & immutabilis.

S. Iacobus in epiſt ſua. cap. 5. v. 8.

Referam hîc, quod lego de quodam Stephano, quadragenario ſolitudinis incola, & ſui, & ferarum domitore præclaro. nam prætérquam quòd in poteſtate haberet affectus ſuos, ijſque velut herus juſſa dictaret; etiam Leopardum nutrivit, ad obſequia ſua officioſum famulum. quodque ſuperat omnia; inſuper & lacrymis ſuis imperavit, jam vt fluerent ſuaviter, jam vt conſiſterent in motu; habuitque ſemper, ſingulari Numinis dono ad nutum, hanc domi ſuæ ſcaturiginem. De hoc igitur tanto viro, Ioannes Climacus, Abbas montis Synai, qui claruit anno poſt Chriſtum natum trecenteſimo, quadrageſimo ſexto, circa tempora Conſtantini, Conſtantij, & Conſtantis, fratrum Imperatorum; ſcribit quæ ſequuntur, totidem verbis. *Ante vnum exitûs ſui diem, repente animo obſtupuit; apertiſq; oculis, ad dexteram, atq; ad ſiniſtram partem lectuli circumſpiciebat, & quaſi rationem quidam à ſe exigerent, cunctis qui adſtabant audientibus, ajebat; aliquando quidem, ita ſanè; ſic revera eſt; ſed pro hoc tot annis jejunavi. Aliquando verò, non certè; ſed mentimini, hoc non feci. Deinde rurſus: ita verè eſt, hoc ita eſt; ſed flevi, ſed miniſtravi. Ac rurſus, verè me accuſatis. In quibuſdam etiam aliquando ajebat, ita ſanè; & quidem adhuc quid dicam, non habeo; ideò miſericordia eſt. Et erat profectò Spectaculum horrendum ac terrificum, inviſibile illud, ſæviſſimumq; judicium; in quo etiam (quod terribilius eſt) & quod non fecerat, illi objiciebant; in nonnullis verò peccatorum ſuorum, quid ad hoc reſpondere poſſet, ſe non habere dicebat.* Et poſt quædam interjecta, ſic totius tragœdiæ judicialis exitum concludit. *Cùm adeò infeſtè ratio exigeretur, carne ſolutus eſt; quod judicium, quis terminus, quæ ſententia, quis rationis ejus finis fuerit, incertum penitus relinquens.* VI.

Trithemius de Vita Ioannis Climaci.

Climacus in ſcala paradiſi, gradu 7.

Etiam pijs in morte, formidabilis eſt Deus Judicij.

Et quanquam ex ante acta bene vita, ipſiuſque Dei infinita VII.

Digitized by Google

bonitate, optimè liceat de Stephano nobis ominari; nemo tamen non videt, quàm acre poſt mortem ſubituri ſint impij examen, quando probi quoq;, & in virtutum palæſtra exercitati, & præterea dono lacrymarum præſignes, tam ſeveros habent accuſatores ſub mortem dœmones. Mihi credite, non tale eſt tribunal Chriſti, quale ſibi communiter levitas humana, malitiaq; confingit; nulla ibi ſuperficialis fiet quæſtio; nihil diſſimulabitur; idoneis teſtibus, tabuliſque convincentur rei; eritq; illis vultus Judicis, oculi, os, vox, nutus adeò pro tonitru, fulgure, fulmine. Quæ ipſa cogitatio, cùm ſeriò morientes ſemel improbos occupat, magnum faceſſit pœnitentiæ negotium. Neſcio enim, quomodo communiter terror imminentis mali, ita illis abſorbeat mentem, ita obſtupefaciat ſenſum, vt velut emortui, ſolo in metu verſentur, nihilq; admodum pro vita æterna faciant, lucrifacienda per ſeriam culparum deteſtationem, conſcientiæ expurgationem, & ſimilia chriſtianæ, piæque morti neceſſaria opera.

Quantò magis diu, multumq; improbis?

VIII.

Germanicè, Staubrecht.

Memini, cujus ipſe olim ſpectator fui. Miles gregarius, ex more diſciplinæ militaris, fatali circulo incluſus, ſtabat ante Iudicem, auditurus capitis ſententiam. Iamque alij & alij, contra eum accuſationes ſuas deponere, facinora adferre, allata exaggerare, juri violato poſtulare vindicem Juſtitiæ gladium. interea ad latus etiam ſacerdos, hominem monere, vt animum ad æterna elevaret, pioſque divini timoris atque amoris affectus, repeteret. Sed nihil impetravit præter grave ſupercilium, & aſpera indignantis verba. heus! inquiebat miles, jam de iſtis cogitare non vacat, quando neceſſe eſt, ad ea eſſe attentum, quæ caput meum & cervicem petunt; niſi refellere poſſum objecta, actum eſt de mea vita. Igitur vtramque auriculam arrigens, oculoſque acuens, totus pendebat ab ore, verbis, vultu, & accuſantium, & Judicis; Dei, æternitatis, bonæ mortis vel oblitus, vel ignavus diſſimulator.

Judicis humani metus, turbat reum.

IX.

Sic planè, neque aliter contingit nonnunquam graviſſimis ante obitum peccatoribus; vt cùm cogitationes ſuas non in longinqua præmittunt, ſed proxima, puta vicinum Numinis judicium; velut attoniti, ſic hæreant in teſtium contra ſe, accuſantiumque acrimonia; in vultu exaſperati judicis, fronte, oculis, ſententia; in ſceleribus ſuis ad rigidiſſimum tribunal examinandis; vt nihil, aut parum ſaluti ſuæ proficuum amplius aliquid moliantur. impendentis exitij moles, eos quaſi extra ſe ponit, & vix non

Quid faciet terror Iudicis Dei, apud morientes?

mergit

mergit in ſuſpicionem neceſſariæ deſperationis; præſertim quando arbitrātur in ſuum interitum conſpirare alia omnia, Deumque ad vindictam provocare, juſtiſſimum exercitæ impietatis vltorem.

X. Sicut ſevera, ita ingenioſa quoque eſt illa ſacræ paginæ comminatio; *quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter juncturas ædificiorum eſt, reſpondebit*: *Væ qui ædificat civitatem in ſanguinibus.* Exorbitaverat olim multum Nabuchodonoſor, poſtquam occupatâ jam Ieroſolymâ, graſſari cœpit non ſolùm in bona civium, ſed etiam innoxium ſanguinem. Et quoniam ex ſpolijs, ingentique præda omnium gentium, cœpit Babylone ſibi magnificas arces, vrbeſque extruere; ideò Propheta quaſi in ſcenam inducit illarum fabricarum lapides ac ligna, inſtar chori alternatim concinentia, & proclamantia tyrannidem Chaldæi Regis, ejuſque cladem ac ſtragem ſic vaticinantia: *væ qui ædificat civitatem in ſanguinibus*, hoc eſt, pecuniâ cædibus partâ. Quemadmodum igitur per proſopopœjam, ſaxa ac ligna quondam clamārunt contra Nabuchodonoſor; ita poſtea quoque contra filium ejus Balthaſarem, clamavit integer paries, quando ei ſacrilegè profananti ſacra vaſa in convivio, miſit vindicem manum, *& calamum ſcribæ velociter ſcribentis*: *appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens.* Quin etiam arbores duæ, prinus & ſchinus, tacentes vociferatæ ſunt contra binos adulteros, ipſoſque ſilentio ſuo prodiderunt, Iudaicæ ſenectutis turpiſſima probra. Atque hoc eſt, quod aliquando homines protervè ſceleſtos, & pungit in morte, & turbat; quia infeſtari ſe credunt vndique clamoribus alienis, expoſcentium à Deo judice vltrices iras. omnia illis loca, omnes anguli ſuſpecti ſunt, qui teſtes eſſe poſſunt commiſſæ impietatis. Et quoniam nihil magis ad examen trahetur, quàm mortalium crimina; hinc eoſdem iſta moleſtiſſimè interpellant, etiam tum, quando piè morientium ſalubria ad ſalutem exercitia, volunt prꝑſtare. Itaque totius vitæ enormia peccata, ſub vnum quaſi intuitum in morte propoſita, magnæ perturbationis cauſa fuerunt, neque apud vnum duntaxat flagitioſum.

Habac. 2. v. 11. & 12.

Clamantibus contra impium ſaxis, lignis, alijſq; creaturis.

Pſal. 44. 2. *Dan. 5. 25.*

Daniel. 13.

XI. Iobi quondam hoc votum erat. *quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro, ſtylo ferreo, & plumbi laminâ, vel celte ſculpantur in ſilice?* Antiquum hîc prodit ſcribendi genus, quo vtebantur veteres, dum graphio, ſeu ſtylo ferreo, ceratis tabulis literas imprimebant; non aliter quàm ab aratri vomere, ſulci terræ imprimuntur.

Iob. 19. v. 24.

Author

Plinius lib. 13. c. 11.

Author eſt etiam Plinius, *publica monumenta plumbeis voluminibus confici cœpta*; atque vt veriſimile eſt, illis è plumbo laminis aut ferreo, aut oſſeo ſtylo, literæ inſcriptæ fuerunt. Denique ſicut celte, & ſcalprum, quo ſcalpuntur & poliuntur ſilices; ſive cœlum, quo cœlantur marmora, variéque inciduntur: ſic Iobus ſermones ſuos omnes, quos ei ſive longa ærumna, ſive dolorum acerbitas, ſive veritas, mentiri neſcia, extorſit; optat non tantùm ceris, & plumbo, ſed & lapidibus inſcribi, velut æternaturum monumentum. Ne dubitemus mortales, quidquid lingua noſtra loquitur, quidquid membra operantur & potentiæ, quidquid anima mente ſuâ ac cogitatione voluit, totum hoc inſcribitur, non quidem ceræ, papyro, cortici, junco, quæ ætatem non ferunt; neque plumbo & lapidi, ſilici & marmori, quibus etiam ſenectus vitium facit; ſed ipſi æternitati, fideliſſimo inſcriptionis cuſtodi. Qui ex ſermonibus noſtris, operibus, cogitatibus, ſyllabos ac libellos conficiunt, amanuenſes ſunt Judicis Dei, ſed diverſi generis; atri ſcilicet, & albi. illi ſtygem incolunt, ad picem & carbones damnati genij; hi cœlum inhabitant, cœleſtibus gaudijs aſſerti. vtrique tamen officium ſuum ſtrenuè agunt, & minima quæque in tabulas referunt, examinanda pro Juſtitiæ tribunali, quamprimùm anima corpuſculo egreſſa, ſiſtetur Judici. Quanquam non ſemel accidiſſe produnt hiſtoriæ, vt etiam quibuſdam adhuc cum morte certantibus, vtrique illi genij, ſive libros, ſive volumina obtulerint: in quibus legere poſſent, aut decora, clariſſimè deſcripta, indeque omen facere ſecuturi vituperij aut commendationis; pœnæ vel mercedis; certè futuri apud Judicem calculi & ſententiæ. Sed quantum ea res ſolatium contulit ijs hominibus, quibus longa virtus, & aſſueta diu pietas, teſtimonium dedit: tantum perturbationis ingeſſit illis, quos conſcientia ſua arguit, nunquam non fuiſſe vitiorum amatores, ſectatores voluptatum, atque in illud vſque momentum, pœnitentiæ oſores. Placet in rem præſentem venire, & vnius ſaltem exemplo teſtatum facere, quod dixi.

Teſtibus quoq; tabulis propriorum ſcelerum, propoſitis.

XII.

Beda in hiſt. Angl. lib. 5. c. 14.

Itaque Beda, narrat in hiſtoria gentis Anglicanæ, Juvenem olim vixiſſe Regis amicum, ſed Deo quàm maximè inviſum; quia corruptiſſimis moribus indignum ſe fecerat divinis favoribus. Audebat procax homo, longa ſibi vitæ ſpatia polliceri, & omnem illuc remittere morum emendationem. Sed mors vanas ſpes, promiſſioneſque brevi intercidit; nam eum adhuc florentem ſtravit. Iam lectulo affixus jacebat, æger non tantùm corpore, ſed multò magis ani-

animo; ſiquidẽ ſuis quàm plurimis ac letalibus vulneribus, nullam reſipiſcentiæ medicinam voluit applicare. Acceſſit Rex ipſe ſuaſor, vt ſacerdotem admitteret, eidem animi ſui plagas oſtenſurus ſanandas. Sed nihil obtinuit, cùm multa alter proferret vana, *ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Interim propinquantibus fatis, Angeli duo elegantiſſimum adferunt libellum, in quo pulcherrimis characteribus conſignata erant omnia, quæ æger adoleſcẽs à puerili ætate geſſerat laudibus digna. ſed quia paucula erant, & brevi periodo circumſcripta, citò poterant legendo abſolvi. Interea teterrimi quoq; Cacodæmones, ingens volumen promunt, plenũ indignis facinoribus, quibus homo ille per omnem vitam, Numinis clementiam laceſſivit in iras. Cùm igitur ſua probra trabalibus quaſi literis depicta, vno velut obtutu innumera inſpiceret, adeò perturbatus eſt animo, vt horrore inſtantis mox judicij, priùs deſperaret moriens, quàm pœniteret. Ita miſer, factus eſt Dœmonibus ludibrium, hominibus ſpeculum; ijs præſertim, qui negant DEI tribunal ſeverum eſſe, pœnitentiamque tutiſſimè ad extremas mortis horas produci poſſe ajunt.

Pſal. 104. 4

Quibus in morte exterritus & convictus Nobilis, malè exceſſit.

XIII.

Sed quantopere à vero aberrent, tum primùm intelligent, quando inter moriendi anguſtias deprehenſi, longâ ſerie ſive libro, ſive volumini, deſcripta totius vitæ ſcelera, heu! quali oculo, quàm perturbato? inſpecturi ſunt. Concludo cum S. Auguſtino, cujus hoc eſt placitum: *in quo quemq; invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies; quoniam qualis in die iſto quiſq; moritur, talis in die illo judicabitur.* Quibus mox iſta ſubjungit: *vigilare debet omnis Chriſtianus, ne imparatum inveniat eum Domini adventus; imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit ſuæ vitæ hujus, vltimus dies.* Quod ſi vlteriùs, more philoſophorum ſubſumere licet, ajo; ab extremo vitæ die, facilè eum hominem imparatum inveniri, qui ætatem ſuam ita in vitijs liberaliter abſumpſit, vt omnem reſipiſcentiam, emendationemq; in poſtrema fata protraheret, quaſi planam eo articulo, & nihil habituram difficultatis; cùm non ſemel expectatio ſola, & formido tribunalis vicini, mentem improbi graviſſimâ turbatione attonitam, ad verba, motuſq; deſperationis abjecerit. Securiſſimè agit, qui pœnitentiam, virtutem, pietatem (quam multi in mortem ablegant) per omnem ætatem amplectitur. Nihil morituro turbabitur facilè ad periculum interitûs, quando anni obitum præcedentes, nullam materiam periculoſæ ſubminiſtraverint perturbationi; puta, vitam

S. Auguſt. Epiſt. 80. ad Heſychiũ.

Expectatio tribunalis vicini, impios non parum turbat in morte.

ſceleribus mille obnoxiam, & ſemper hactenus dilatam ejus correctionem, ad veræ pietatis regulam.

PARAGRAPHVS XIV.

Tentationes Cacodœmonis, præſertim ſub MORTEM, flagitioſos ferè homines, graviter infeſtant, & periculoſè.

I. PVlchrum invictæ fortitudinis ſignum, animiq; ſupra humana elati documentum, credidit eſſe antiquitas, cùm quis aut ſervitutem, quam timebat, aut gaudium hoſtis de ſua calamitate, adacto in viſcera mucrone, occupavit. Glorioſum certè multis fuit, ignobilem vitam, voluntariâ morte redemiſſe. Et credo, hoc argumentum perſuaſit Sauli Hebræorum Regi, quando facto cum Philiſtæis conflictu, cladem exercitûs ſui paſſus eſt, vt ipſe ſuo lateri ferrum infigeret, ne alieno caderet gladio. Meminerat fortaſſis, quàm turpiter ab eadem gente illuſum fuiſſet Samſoni; in cujus non tantùm oculos ſævijt immanis barbaries, ſed etiam victrices manus, artuſq;, *humeroſq; DEO ſimiles:* poſtquàm ſubjectus infelici piſtrino, molere continuò debuit fortiſſimus heros, tandem etiam benè paſtis & potis hoſtibus, per ludibriũ & ignominiam, ludus jocuſq; fieri. Simile malum ne ſibi accideret, anticipatâ morte prævenit Saul; ratus honeſtiùs longè illud eſſe moriendi genus, ſi dexteræ ſuę, ſuiq; enſis vulnere, extra inimicũ furorem, licentiamq; poneretur.

1. Reg 31.

Iudic. 16. 31.

Saul Rex voluntariâ morte, redimit futuram ignominiam.

II. Quanquam etiam ad id officium, poſtulavit quendam ex armigeris ſuis, hominem Amalecitam, qui totam ſeriem interitûs Regij deſcripturus Davidi, velut ad ſe noviſſima Saulis verba, hæc retulit dicta fuiſſe: *Sta ſuper me, interfice me, quoniam tenent me anguſtiæ.* Rarò admodum vox ejuſmodi morientibus excidit, vtpote, quibus plerumq; cura potior eſt ſervandæ vitæ, quàm fatorum cum violentia accelerandorum. Sed nempe, quia formidata ſuperventuri hoſtis petulantia, Saulis animum vehementer anxieq; torquebat, hinc

2. Reg. 1. 9.

Moritur tamen inter anguſtias.

hinc illi optabilis viſa eſt mors, quæ alijs ſolet eſſe horribilis. ac velut lucrum faceret grande, ſi indignæ illuſioni ſe, nomenque Hebræorum exemiſſet, hoc vnum ingeminavit: *Sta ſuper me, interfice me, quia tenent me anguſtiæ.*

Ignoranti plebeculæ ille annumerandus eſt, qui putat ſolum quondam Saulem, funeri ſuo proximum, ab anguſtijs comprehenſum fuiſſe; reliquos omnes mortales, placidiſſimo animo hunc orbem deſerere. Ego verò exiſtimo: quemadmodum pius quiſq; homo ſingulari Numinis gratiâ, tranquillam ferè ſemper mortem experitur; ita multũ diuq; impios, cùm ad fata ſua acceſſerint, immenſis angoribus diſcruciati: non alio ex fonte natis, quàm inſidijs, machinationibus, tentationibus mali Dœmonis, tum maximè laboraturi in mortalium perniciem, quando cognoverit occaſionem omnem pugnandi, victoriamque, brevibus ſpatijs arctari. vt rectiſſimè morituris improbis illa fiat comminatio: *deſcendit ad vos diabolus, habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet.* Igitur quoniam eo articulo, compendioſis artificijs opus eſt; in hoc vnum ingenioſus erit Sathan, vt quem ſanum longis annis inter ſcelera conſtrictum ſervavit, morientem ſimul & novis angoribus occupet, & tentationibus infeſtet. Nulla verò infelicior lucta eſt, quàm ea, quæ fit ab invito, & cui vel perturbatio, vel mœror, aut ægritudo animum ſuum abſtulit. Vnde conjecturam facies, quâ felicitate congreſſurus ſit cum Sathana, peſſimus quiſq; ſuſcipiendæ pœnitentiæ cunctator; quando ad mortis limen inter tentationum difficultates, ſuum eſſe non ſinent, mille turbelæ anguſtiæq;. Res diſcrimini obvia eſt, proxima exitio. III.

Homo diu flagitioſus, inter tentationes.

Apoc. 12. 12.

Advertit arbitror Dionyſius Carthuſianus; qui vt oſtendat, quã periculoſam olim ſit aleam ſubiturus amator flagitiorum, ſceleriſq; inveteratus ſectator; primo de quatuor hominum noviſſimis libro, hoc argumentum inter cætera tractandum proponit. *Quod mors ſit vehementer ac jugiter metuenda; propter periculoſiſſimas atq; graviſſimas tentationes, quas habere ſolent agonizantes, mox morituri.* proſequitur deinde ſuſceptã materiam his verbis; *callidiſſimi atq; nequiſſimi hoſtes animarum noſtrarum dæmones, agnoſcentes mortem eſſe terminum merendi ac demerendi, & animas in ea affectione, in qua per mortem recedunt à corporibus, immutabiliter permanere; in ipſa hora mortis acerrimè tentant agonizantes.* IV.

Teſte D. Dionyſio Carthuſiano, libro de morte. art. 3.

Et quidem, ſi ad pauciſſima capita revocare voluero, tentationes illas, quibus velut cuniculis malus genius, tenaces antiqui pro- V.

Digitized by Google

Altera tentatio petit caput SPEI.

ſtos diu mortales, & jam tandem intra fauces mortis hærentes, ad deſperationem malus dœmon impellit. Hac in materia Dionyſius Carthuſianus, ſic mentem ſuam explicat. *Dum homo eſt ſanus, perſuadet ei diabolus, quòd Deus verè & infinitè miſericors eſt; & pœnitentiam hominis etiam in fine vitæ acceptet; idcircò interim non eſſe tam grande, vt fertur, periculum. Sed horâ mortis jam imminente, ſuggerit homini Deum inflexibilem, ac prorſus juſtiſſimum eſſe; nullumq́ peccatum manere inultum, & pœnitentiam ex timore prodeuntem, eſſe inutilem. Tunc quoque reducit infirmo ad memoriam, vniverſa peccata quæ fecit, & quanta bona omiſit, & ea vehementer exaggerat, & præſertim quæ homo confeſſus non eſt; ſicq́ multos ad deſperationis pertrahit laqueum, quos ante ad præſumptionem, ſecuritatem, negligentiamq́ induxit. Hac tentatio multos in hora illa tam graviter vexat, ſicut & quidam è morte reſuſcitati, teſtati ſunt, quòd abſque ſpeciali, & gratioſo* DEI *auxilio, nequeat ſuperari.*

D. Dionyſ. Carthuſ. de Iudicio animæ art. 36.

X.

Obverſatur hîc mihi leo ille implacabilis, qui inauditâ feritate, æternam ſui memoriam apud Hollandos reliquit. Exaſperaverat eum aliquando, neſcio caſu, an ex induſtria, Magiſter ſuus domi: cùm ecce beſtia ſeveriùs habita, aſſuetæ velut olim diſciplinæ oblita, qualem initiò ante culturam geſſit, ferum iterum inducit animum; jamque inclementiam moderatoris ſui vlturus leo, valido eundem ictu humi affligit. Neque vetus illud Poëtæ hîc valuit:

Ovid. l. 3. triſt. eleg. 5.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtrâſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet.

Enimverò, vt vidit ante pedes ſuos hominem in terra effuſum, & conſternatam mentem, & ſupplicis vultum præferre, nihil tamen molleſcere cœpit ad priſtinam pietatem bellua; ſed inter ſcintillantes oculos, caperatam ampliùs frontem oſtentare, jubas in horrorem arrigere, ſubjectum caudâ ſolum flagellare, falcatos vnguium mucrones extra vaginam nudare, & totus in inimicam rabiem armari. Interim beſtiarius, jam ſolo pene metu exanimatus, ſicut momentis ſingulis expectabat mortem; ita in multas horas longo miſer ſupplicio, ante leoninas fauces, intacta jacuit præda. Erant qui proijciebant caprinam, bubulam, vitulinam, ſi modus eſſet leniendi feram, & abſtrahendi ab intentatis homini minis. Sed nullam illa, præter humanam carnem videbatur eſurire; ita ſtabat pertinax, irretortis in Magiſtrum ſuum luminibus, & jam jam invaſuro ſimilis. Tandem

Leo magiſtro ſuo in terram proſtrato ſuper incumbens.

Magi-

Digitized by Google

Magiſtratus, vbi certior factus eſt de viri periculo; quia ſpes affulſit ſervandæ ejus vitæ, ſi leo occubuiſſet; mandavit vt ſclopo feriretur. Et commodùm advenerat inſignis peritiæ jaculator; qui vbi beſtiæ caput globo feliciter, certoque jactu trajecit, ne ſola illa caderet, pectus moderatoris ſui, infixis crudeliter vngvibus, in partes dilaceravit; factumque eſt, vt funus funeri ſuperincumberet, cadaver cadaveri, confuſo in eundem ceſpitem diſſimili ſanguine, belluino & humano.

Nemo hîc improbus ſibi ſuaviter blandiatur, dicatque, vni ſic ſemel homini illuſum fuiſſe à leone. heus miſer, cave ne, XI.

mutato nomine de te Horat. ſat. 1.

Fabula narretur.

Minimè fruſtra olim fideles Neophytos, admonuit Petrus, cùm dixit: *fratres ſobrij eſtote, & vigilate; quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Et profectò, ſi quem moroſè, diuque impium, denique inter flagitia ſua, cum fatis vltimis luctantem nanciſcitur. hæc fera beſtia, tum ſanè, velut jacenti ſuperincumbit totâ ſui mole: idque vnum vnicè agit, ne deſtinata jam victima, rictum ſuum, fauceſque effugiat. Itaque ſtygius leo, & minitabundis oculis inſtat, & terroribus vrget, & tentationibus deſperationem ſuadet: peccata nimis eſſe petulantia, grandia, numeroſa, divinæ bonitati intolerabilia; cenſuram Numinis gravem, ſtateram Judicis exactam, nullis verborum lenocinijs flexibilem, nullis precum, pollicitationum, munerum corruptelis obnoxiam. nihil reſtare præter jus rigidum, æternaque carnificum Avernalium tormenta.

1. Petri. 5. 8.

Imago eſt dæmonis, improbo in morte inſtantis, & ad deſperationem vrgentis.

XII. Inter ejuſmodi, alioſque plures inimici ſuggeſtus, quis pallor occupabit morituriens frontem? quantus ſudor à tergo fluet? quali trepidatione fluctuabit animus? quæ perturbatæ mentis erit confuſio? quis cogitationum inter ſe pugnantium conflictus? pronum eſt ſuſpicari, periculoſam admodum eorum fore mortalium vltimam cum Sathana pugnam, quibus ſemper perſuaſum fuit, non priùs facere initium pœnitentiæ, pietati, virtuti, quàm ad principia mortis ſteterint. Certè, res plena eſt metu; tunc cum hoſte ſtygio congredi velle pro ſumma rei, totaque adeò æternitate, homines imbelles, inexercitatos, & qui poſt triumphantis Luciferi currum, victi ſemper, atq; inter

Vltimus hominis cum Sathana conflictus, gravis omnino & periculoſus.

Altera tentatio petit caput SPEI.

ſtos diu mortales, & jam tandem intra fauces mortis hærentes, ad deſperationem malus dœmon impellit. Hac in materia Dionyſius Carthuſianus, ſic mentem ſuam explicat. *Dum homo eſt ſanus, perſuadet ei diabolus, quòd Deus verè & infinitè miſericors eſt; & pœnitentiam hominis etiam in fine vitæ acceptet; idcircò interim non eſſe tam grande, vt fertur, periculum. Sed horâ mortis jam imminente, ſuggerit homini Deum inflexibilem, ac prorſus juſtiſſimum eſſe; nullumq́ peccatum manere inultum, & pœnitentiam ex timore prodeuntem, eſſe inutilem. Tunc quoque reducit infirmo ad memoriam, vniverſa peccata quæ fecit, & quanta bona omiſit, & ea vehementer exaggerat, & præſertim quæ homo confeſſus non eſt; ſicq́ multos ad deſperationis pertrahit laqueum, quos ante ad præſumptionem, ſecuritatem, negligentiamq́ induxit. Hæc tentatio multos in hora illa tam graviter vexat, ſicut & quidam à morte reſuſcitati, teſtati ſunt, quòd abſque ſpeciali, & gratioſo* DEI *auxilio, nequeat ſuperari.*

D. Dionyſ. Carthuſ. de Iudicio animæ art. 36.

X. Obverſatur hîc mihi leo ille implacabilis, qui inauditâ feritate, æternam ſui memoriam apud Hollandos reliquit. Exaſperaverat eum aliquando, neſcio caſu, an ex induſtria, Magiſter ſuus domi: cùm ecce beſtia ſeveriùs habita, aſſuetæ veluti olim diſciplinæ oblita, qualem initiò ante culturam geſſit, ferum iterum inducit animum; jamque inclementiam moderatoris ſui vlturus leo, valido eundem ictu humi affligit. Neque vetus illud Poëtæ hîc valuit:

Ovid. l. 3. triſt. eleg. 5.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtrâſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet.

Enimverò, vt vidit ante pedes ſuos hominem in terra effuſum, & conſternatam mentem, & ſupplicis vultum præferre, nihil tamen molleſcere cœpit ad priſtinam pietatem bellua; ſed inter ſcintillantes oculos, caperatam ampliùs frontem oſtentare, jubas in horrorem arrigere, ſubjectum caudâ ſolum flagellare, falcatos vnguium mucrones extra vaginam nudare, & totus in inimicam rabiem armari. Interim beſtiarius, jam ſolo pene metu exanimatus, ſicut momentis ſingulis expectabat mortem; ita in multas horas longo miſer ſupplicio, ante leoninas fauces, intacta jacuit præda. Erant qui proijciebant caprinam, bubulam, vitulinam, ſi modus eſſet leniendi feram, & abſtrahendi ab intentatis homini minis. Sed nullam illa, præter humanam carnem videbatur eſurire; ita ſtabat pertinax, irretortis in Magiſtrum ſuum luminibus, & jam jam invaſuro ſimilis. Tandem

Leo magiſtro ſuo in terram proſtrato ſuper incumbens.

Magi-

Digitized by Google

Magiſtratus, vbi certior factus eſt de viri periculo; quia ſpes affulſit ſervandæ ejus vitæ, ſi leo occubuiſſet; mandavit vt ſclopo feriretur. Et commodùm advenerat inſignis peritiæ jaculator; qui vbi beſtiæ caput globo feliciter, certoque jactu trajecit, ne ſola illa caderet, pectus moderatoris ſui, infixis crudeliter vngvibus, in partes dilaceravit; factumque eſt, vt funus funeri ſuperincumberet, cadaver cadaveri, confuſo in eundem ceſpitem diſſimili ſanguine, belluino & humano.

XI. Nemo hîc improbus ſibi ſuaviter blandiatur, dicatque, vni ſic ſemel homini illuſum fuiſſe à leone. heus miſer, cave, ne,

mutato nomine de te
Fabula narretur. Horat. ſat. 1.

Minimè fruſtra olim fideles Neophytos, admonuit Petrus, cùm dixit: *fratres ſobrij eſtote, & vigilate; quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Et profectò, ſi quem moroſè, diuque impium, denique inter flagitia ſua, cum fatis vltimis luctantem nanciſcitur. hæc fera beſtia, tum ſanè, velut jacenti ſuperincumbit totâ ſui mole: idque vnum vnicè agit, ne deſtinata jam victima, rictum ſuum, fauceſque effugiat. Itaque ſtygius leo, & minitabundis oculis inſtat, & terroribus vrget, & tentationibus deſperationem ſuadet. peccata nimis eſſe petulantia, grandia, numeroſa, divinæ bonitati intolerabilia; cenſuram Numinis gravem, ſtateram Judicis exactam, nullis verborum lenocinijs flexibilem, nullis precum, pollicitationum, munerum corruptelis obnoxiam. nihil reſtare præter jus rigidum, æternaque carnificum Avernalium tormenta.

1. Petri. 5. 8.

Imago eſt dæmonis, improbo in morte inſtantis, & ad deſperationem vrgentis.

XII. Inter ejuſmodi, alioſque plures inimici ſuggeſtus, quis pallor occupabit morituri entis frontem? quantus ſudor à tergo fluet? quali trepidatione fluctuabit animus? quæ perturbatæ mentis erit confuſio? quis cogitationum inter ſe pugnantium conflictus? pronum eſt ſuſpicari, periculoſam admodum eorum fore mortalium vltimam eum Sathana pugnam, quibus ſemper perſuaſum fuit, non priùs facere initium pœnitentiæ, pietati, virtuti, quàm ad principia mortis ſteterint. Certè, res plena eſt metu; tunc cum hoſte ſtygio congredi velle pro ſumma rei, totaque adeò æternitate, homines imbelles, inexercitatos, & qui poſt triumphantis Luciferi currum, victi ſemper, atq; inter

Vltimus hominis cum Sathana conflictus, gravis omnino & periculoſus.

Altera tentatio petit caput SPEI.

ſtos diu mortales, & jam tandem intra fauces mortis hærentes, ad deſperationem malus dœmon impellit. Hac in materia Dionyſius Carthuſianus, ſic mentem ſuam explicat. *Dum homo eſt ſanus, perſuadet ei diabolus, quòd Deus verè & infinitè miſericors eſt; & pænitentiam hominis etiam in fine vitæ acceptet; idcircò interim non eſſe tam grande, vt fertur, periculum. Sed horâ mortis jam imminente, ſuggerit homini Deum inflexibilem, ac prorſus juſtiſſimum eſſe; nullumq́ peccatum manere inultum, & pænitentiam ex timore prodeuntem, eſſe inutilem. Tunc quoque reducit infirmo ad memoriam, vniverſa peccata quæ fecit, & quanta bona omiſit, & ea vehementer exaggerat, & præſertim quæ homo confeſſus non eſt; ſicq́ multos ad deſperationis pertrahit laqueum, quos ante ad præſumptionem, ſecuritatem, negligentiamq́ induxit. Hac tentatio multos in hora illa tam graviter vexat, ſicut & quidam à morte reſuſcitati, teſtati ſunt, quòd abſque ſpeciali, & gratioſo* DEI *auxilio, nequeat ſuperari.*

D. Dionyſ. Carthuſ. de Iudicio animæ art. 36.

X. Obverſatur hîc mihi leo ille implacabilis, qui inauditâ feritate, æternam ſui memoriam apud Hollandos reliquit. Exaſperaverat eum aliquando, neſcio caſu, an ex induſtria, Magiſter ſuus domi: cùm ecce beſtia ſeveriùs habita, aſſuetæ velut olim diſciplinæ oblita, qualem initiò ante culturam geſſit, ferum iterum inducit animum; jamque inclementiam moderatoris ſui vlturus leo, valido eundem ictu humi affligit. Neque vetus illud Poëtæ hîc valuit:

Ovid. l. 3. triſt. eleg. 5.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtrâſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet.

Enimverò, vt vidit ante pedes ſuos hominem in terra effuſum, & conſternatam mentem, & ſupplicis vultum præferre, nihil tamen molleſcere cœpit ad priſtinam pietatem bellua; ſed inter ſcintillantes oculos, caperatam ampliùs frontem oſtentare, jubas in horrorem arrigere, ſubjectum caudâ ſolum flagellare, falcatos vnguium mucrones extra vaginam nudare, & totus in inimicam rabiem armari. Interim beſtiarius, jam ſolo pene metu exanimatus, ſicut momentis ſingulis expectabat mortem; ita in multas horas longo miſer ſupplicio, ante leoninas fauces, intacta jacuit præda. Erant qui proijciebant caprinam, bubulam, vitulinam, ſi modus eſſet leniendi feram, & abſtrahendi ab intentatis homini minis. Sed nullam illa, præter humanam carnem videbatur eſurire; ita ſtabat pertinax, irretortis in Magiſtrum ſuum luminibus, & jam jam invaſuro ſimilis. Tandem

Leo magiſtro ſuo in terram proſtrato ſuper incumbens.

Magi-

Digitized by Google

Magiſtratus, vbi certior factus eſt de viri periculo; quia ſpes affulſit ſervandæ ejus vitæ, ſi leo occubuiſſet; mandavit vt ſclopo feriretur. Et commodùm advenerat inſignis peritiæ jaculator; qui vbi beſtiæ caput globo feliciter, certoque jactu trajecit, ne ſola illa caderet, pectus moderatoris ſui, infixis crudeliter vngvibus, in partes dilaceravit; factumque eſt, vt funus funeri ſuperincumberet, cadaver cadaveri, confuſo in eundem ceſpitem diſſimili ſanguine, belluino & humano.

XI. Nemo hîc improbus ſibi ſuaviter blandiatur, dicatque, vni ſic ſemel homini illuſum fuiſſe à leone. heus miſer, cave, ne,

mutato nomine de te — Horat. ſat. 1.

Fabula narretur.

Minimè fruſtra olim fideles Neophytos, admonuit Petrus, cùm dixit: *fratres ſobrij eſtote, & vigilate; quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* (1. Petri 5. 8.) Et profectò, ſi quem moroſè, diuque impium, denique inter flagitia ſua, cum fatis vltimis luctantem nanciſcitur hæc fera beſtia; tum ſanè, velut jacenti ſuperincumbit totâ ſui mole: idque vnum vnicè agit, ne deſtinata jam victima, rictum ſuum, fauceſque effugiat. Itaque ſtygius leo, & minitabundis oculis inſtat, & terroribus vrget, & tentationibus deſperationem ſuadet: peccata nimis eſſe petulantia, grandia, numeroſa, divinæ bonitati intolerabilia; cenſuram Numinis gravem, ſtateram Judicis exactam, nullis verborum lenocinijs flexibilem, nullis precum, pollicitationum, munerum corruptelis obnoxiam. nihil reſtare præter jus rigidum, æternaque carnificum Avernalium tormenta.

Imago eſt dœmonis, improbo in morte inſtantis, & ad deſperationem vrgentis.

XII. Inter ejuſmodi, alioſque plures inimici ſuggeſtus, quis pallor occupabit morituriens frontem? quantus ſudor à tergo fluet? quali trepidatione fluctuabit animus? quæ perturbatæ mentis erit confuſio? quis cogitationum inter ſe pugnantium conflictus? pronum eſt ſuſpicari, periculoſam admodum eorum fore mortalium vltimam cum Sathana pugnam, quibus ſemper perſuaſum fuit, non priùs facere initium pœnitentiæ, pietati, virtuti, quàm ad principia mortis ſteterint. Certè, res plena eſt metu; tunc cum hoſte ſtygio congredi velle pro ſumma rei, totaque adeò æternitate, homines imbelles, inexercitatos, & qui poſt triumphantis Luciferi currum, victi ſemper, atq; inter

Vltimus hominis cum Sathana conflictus, gravis omnino & periculoſus.

Altera tentatio petit caput SPEI.

ſtos diu mortales, & jam tandem intra fauces mortis hærentes, ad deſperationem malus dœmon impellit. Hac in materia Dionyſius Carthuſianus, ſic mentem ſuam explicat. *Dum homo eſt ſanus, perſuadet ei diabolus, quòd Deus verè & infinitè miſericors eſt; & pœnitentiam hominis etiam in fine vitæ acceptet; idcircò interim non eſſe tam grande, vt fertur, periculum. Sed horâ mortis jam imminente, ſuggerit homini Deum inflexibilem, ac prorſus juſtiſſimum eſſe; nullumq́ peccatum manere inultum, & pœnitentiam ex timore prodeuntem, eſſe inutilem. Tunc quoque reducit infirmo ad memoriam, vniverſa peccata quæ fecit, & quanta bona omiſit, & ea vehementer exaggerat, & præſertim quæ homo confeſſus non eſt; ſicq́ multos ad deſperationis pertrahit laqueum, quos ante ad præſumptionem, ſecuritatem, negligentiamq́ induxit. Hac tentatio multos in hora illa tam graviter vexat, ſicut & quidam à morte reſuſcitati, teſtati ſunt, quòd abſque ſpeciali, & gratioſo DEI auxilio, nequeat ſuperari.*

D. Dionyſ. Carthuſ. de Iudicio animæ art. 36.

X. Obverſatur hîc mihi leo ille implacabilis, qui inauditâ feritate, æternam ſui memoriam apud Hollandos reliquit. Exaſperaverat eum aliquando, neſcio caſu, an ex induſtria, Magiſter ſuus domi: cùm ecce beſtia ſeveriùs habita, aſſuetæ veluti olim diſciplinæ oblita, qualem initiò ante culturam geſſit, ferum iterum inducit animum; jamque inclementiam moderatoris ſui vlturùs leo, valido eundem ictu humi affligit. Neque vetus illud Poëtæ hîc valuit:

Ovid. l. 3. triſt. eleg. 5.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtrâſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet.

Enimverò, vt vidit ante pedes ſuos hominem in terra effuſum, & conſternatam mentem, & ſupplicis vultum præferre, nihil tamen molleſcere cœpit ad priſtinam pietatem bellua; ſed inter ſcintillantes oculos, caperatam ampliùs frontem oſtentare, jubas in horrorem arrigere, ſubjectum caudâ ſolum flagellare, falcatos vnguium mucrones extra vaginam nudare, & totus in inimicam rabiem armari. Interim beſtiarius, jam ſolo pene metu exanimatus, ſicut momentis ſingulis expectabat mortem; ita in multas horas longo miſer ſupplicio, ante leoninas fauces, intacta jacuit præda. Erant qui proijciebant caprinam, bubulam, vitulinam, ſi modus eſſet leniendi feram, & abſtrahendi ab intentatis homini minis. Sed nullam illa, præter humanam carnem videbatur eſurire; ita ſtabat pertinax, irretortis in Magiſtrum ſuum luminibus, & jam jam invaſuro ſimilis. Tandem

Leo magiſtro ſuo in terram proſtrato ſuper incumbens.

Magi-

Magiſtratus, vbi certior factus eſt de viri periculo; quia ſpes affulſit ſervandæ ejus vitæ, ſi leo occubuiſſet; mandavit vt ſclopo feriretur. Et commodùm advenerat inſignis peritiæ jaculator; qui vbi beſtiæ caput globo feliciter, certoque jactu trajecit, ne ſola illa caderet, pectus moderatoris ſui, infixis crudeliter vngvibus, in partes dilaceravit; factumque eſt, vt funus funeri ſuperincumberet, cadaver cadaveri, confuſo in eundem ceſpitem diſſimili ſanguine, belluino & humano.

XI. Nemo hîc improbus ſibi ſuaviter blandiatur, dicatque, vni ſic ſemel homini illuſum fuiſſe à leone. heus miſer, cave, ne,

mutato nomine de te
Fabula narretur. — *Horat. ſat. 1.*

Minimè fruſtra olim fideles Neophytos, admonuit Petrus, cùm dixit: *fratres ſobrij eſtote, & vigilate; quia adverſarius veſter, diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* (1. Petri. 5. 8.) Et profectò, ſi quem moroſè, diuque impium, denique inter flagitia ſua, cum fatis vltimis luctantem nanciſcitur. hæc fera beſtia, tum ſanè, velut jacenti ſuperincumbit totâ ſui mole: idque vnum vnicè agit, ne deſtinata jam victima, rictum ſuum, fauceſque effugiat. Itaque ſtygius leo, & minitabundis oculis inſtat, & terroribus vrget, & tentationibus deſperationem ſuadet. peccata nimis eſſe petulantia, grandia, numeroſa, divinæ bonitati intolerabilia; cenſuram Numinis gravem, ſtateram Judicis exactam, nullis verborum lenocinijs flexibilem, nullis precum, pollicitationum, munerum corruptelis obnoxiam. nihil reſtare præter jus rigidum, æternaque carnificum Avernalium tormenta.

Imago eſt dœmonis, improbo in morte inſtantis, & ad deſperationem vrgentis.

XII. Inter ejuſmodi, alioſque plures inimici ſuggeſtus, quis pallor occupabit morituriеntis frontem? quantus ſudor à tergo fluet? quali trepidatione fluctuabit animus? quæ perturbatæ mentis erit confuſio? quis cogitationum inter ſe pugnantium conflictus? pronum eſt ſuſpicari, periculoſam admodum eorum fore mortalium vltimam cum Sathana pugnam, quibus ſemper perſuaſum fuit, non priùs facere initium pœnitentiæ, pietati, virtuti, quàm ad principia mortis ſteterint. Certè, res plena eſt metu; tunc cum hoſte ſtygio congredi velle pro ſumma rei, totaque adeò æternitate, homines imbelles, inexercitatos, & qui poſt triumphantis Luciferi currum, victi ſemper, atque

Vltimus hominis cum Sathana conflictus, gravis omnino & periculoſus.

inter

Digitized by Google

ſceleribus mille obnoxiam, & ſemper hactenus dilatam ejus correctionem, ad veræ pietatis regulam.

PARAGRAPHUS XIV.

Tentationes Cacodœmonis, præſertim ſub MORTEM, flagitioſos ferè homines, graviter infeſtant, & periculosè.

I. PVlchrum invictæ fortitudinis ſignum, animiq; ſupra humana elati documentum, credidit eſſe antiquitas, cùm quis aut ſervitutem, quam timebat, aut gaudium hoſtis de ſua calamitate, adacto in viſcera mucrone, occupavit. Glorioſum certè multis fuit, ignobilem vitam, voluntariâ morte redemiſſe. Et credo hoc argumentum perſuaſit Sauli Hebræorum Regi; quando facto cum Philiſtæis conflictu, cladem exercitûs ſui paſſus eſt, vt ipſe ſuo lateri ferrum infigeret, ne alieno caderet gladio. Meminerat fortaſſis, quàm turpiter ab eadem gente illuſum fuiſſet Samſoni; in cujus non tantùm oculos ſævijt immanis barbaries, ſed etiam victrices manus, artusq; *humerosq; DEO ſimiles:* poſtquàm ſubjectus infelici piſtrino, molere continuò debuit fortiſſimus heros: tandem etiam benè paſtis & potis hoſtibus, per ludibriũ & ignominiam, ludus jocuſq; fieri. Simile malum ne ſibi accideret, anticipatâ morte prævenit Saul; ratus honeſtiùs longè illud eſſe moriendi genus, ſi dexteræ ſuę, ſuiq; enſis vulnere, extra inimicũ furorem, licentiamq; poneretur.

1. Reg. 31.

Iudic. 16. 21.

Saul Rex voluntariâ morte, redimit futuram ignominiam.

II. Quanquam etiam ad id officium, poſtulavit quendam ex armigeris ſuis, hominem Amalecitam, qui totam ſeriem interitûs Regij deſcripturus Davidi, velut ad ſe noviſſima Saulis verba, hæc retulit dicta fuiſſe: *Sta ſuper me, interfice me, quoniam tenent me anguſtiæ.* Rarò admodum vox ejuſmodi morientibus excidit; vtpote, quibus plerumq; cura potior eſt ſervandæ vitæ, quàm fatorum cum violentia accelerandorum. Sed nempe, quia formidata superventuri hoſtis petulantia, Saulis animum vehementer anxieq; torquebat, hinc

2. Reg. 1. 9.

Moritur tamen inter anguſtias.

Digitized by Google

hinc illi optabilis viſa eſt mors, quæ alijs ſolet eſſe horribilis. ac velut lucrum faceret grande, ſi indignæ illuſioni ſe, nomenque Hebræorum exemiſſet, hoc vnum ingeminavit: *Sta ſuper me, interfice me, quia tenent me anguſtiæ.*

III. Ignoranti plebeculæ ille annumerandus eſt, qui putat ſolum quondam Saulem, funeri ſuo proximum, ab anguſtijs comprehenſum fuiſſe; reliquos omnes mortales, placidiſſimo animo hunc orbem deſerere. Ego verò exiſtimo: quemadmodum pius quiſq; homo ſingulari Numinis gratiâ, tranquillam ferè ſemper mortem expetitur; ita multũ diuq; impios, cùm ad fata ſua acceſſerint, immenſis angoribus diſcruciari: non alio ex fonte natis, quàm inſidijs, machinationibus, tentationibus mali Dœmonis, tum maximè laboraturi in mortalium perniciem, quando cognoverit occaſionem omnem pugnandi, victoriamque, brevibus ſpatijs arctari. vt rectiſſimè morituris improbis illa fiat comminatio: *deſcendit ad vos diabolus, habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet.* Igitur quoniam eo articulo, compendioſis artificijs opus eſt; in hoc vnum ingenioſus erit Sathan, vt quem ſanum longis annis inter ſcelera conſtrictum ſervavit, morientem ſimul & novis angoribus occupet, & tentationibus infeſtet. Nulla verò infelicior lucta eſt, quàm ea, quæ fit ab invito, & cui vel perturbatio, vel mœror, aut ægritudo animum ſuum abſtulit. Vnde conjecturam facies, quâ felicitate congreſſurus ſit cum Sathana, peſſimus quiſq; ſuſcipiendæ pœnitentiæ cunctator; quando ad mortis limen inter tentationum difficultates, ſuum eſſe non ſinent, mille turbelæ anguſtiæq;. Res diſcrimini obvia eſt, proxima exitio.

Homo diu flagitioſus, inter tentationes.

Apoc. 12. 12.

IV. Advertit arbitror Dionyſius Carthuſianus; qui vt oſtendat, quã periculoſam olim ſit aleam ſubiturus amator flagitiorum, ſcelerisq; inveteratus ſectator; primo de quatuor hominum noviſſimis libro, hoc argumentum inter cætera tractandum proponit. *Quod mors ſit vehementer ac jugiter metuenda; propter periculoſiſſimas atq; graviſſimas tentationes, quas habere ſolent agonizantes, mox morituri.* proſequitur deinde ſuſceptã materiam his verbis; *callidiſſimi atq; nequiſſimi hoſtes animarum noſtrarum dæmones, agnoſcentes mortem eſſe terminum merendi ac demerendi, & animas in ea affectione, in qua per mortem recedunt à corporibus, immutabiliter permanere; in ipſa hora mortis acerrimè tentant agonizantes.*

Teſte D. Dionyſio Carthuſiano, libro de morte. art. 3.

V. Et quidem, ſi ad pauciſſima capita revocare voluero, tentationes illas, quibus velut cuniculis malus genius, tenaces antiqui pro-

Digitized by Google

poſiti impios, ſub mortem ad jacturam glorioſæ æternitatis ſubruit, bifariam poſſunt dividi; nam quædam ex virtutibus Theologicis, fidem petunt, quædam ſpem. Et quoniam fides, eſt fundamentum juſtificationis noſtræ; eo everſo, neceſſe eſt, tota ſalus labaſcat. Quam cladem, eò magis Cacodæmon machinabitur, ſceleratis vſque ad fata ſua mortalibus; cùm etiam pijs hinc migrantibus, auſus ſit non ſemel fidei errores obtrudere, & labyrinthis inextricabilibus includere audaculos diſputatores. Profero hîc ego magnæ fidei authorem, Epiſcopum Patavinum, Petrum inquam Barocium, qui hiſtoriam omni memoriâ dignam, & futuris profuturam ſæculis, totidem verbis denarrat.

Quartum vna petit caput FIDEI.

Petrus Barocius lib. 2. de ratione bene moriendi.

VI.

Fuere (quemadmodum audivi) duo quondam viri eruditiſſimi, & omnium, qui ex eodem gymnaſio eſſent, in diſputando facilè principes, ac ijdem benè morati, maximeq; religioſi. E quibus vnus cùm exceſſiſſet è vivis, ei, qui ſuperſtes erat, in ſua forte bibliotheca, ſcripturæ ſacræ ſtudijs incumbenti, totus ardens apparuit; territoque, ac quænam ei tam grandis pœnæ, cauſa foret, interroganti, gemens dolenſque reſpondit. Dum eſſem migraturus è vita, venit ad me hoſtis antiquus, & quoniam apprimè eruditum noverat, ſciſcitari cœpit de fide, quid crederem. Ego, quæ in Apoſtolorum ſunt Symbolo, credere me reſpondi. ille exponi ſibi quædam, quæ minus lucida viderentur, rogavit. expoſui, vt in Symbolo Athanaſij legeram. neq; enim lucidiùs aut veriùs exponi poſſe putabam. Tum ille, non eſt ait, vt putas, ſed quæ ad patrem pertinent, partim aperta & vera, partim obſcura & falſa ſunt. nam ipſe quidem æternus eſt, non tamen vt ſemper DEVS, ſic ſemper & pater: ſed prius DEVS. Ad hæc cùm ego exclamarem, hęreticum eſſe documentum, doctrinamq; diabolicam; non eſt inquit ille, clamoribus differendum, ſed rationibus, ſi veritatis indagandę ſtudio ducimur; ego quid pro mea ſententia ſit, dicere facilè poſſum; tu quid pro tua ſit, explicare ſi poteris, ab errore me grandi liberaveris. Ipſe miſer, qui ingenio & doctrinæ meæ magis, quàm æquũ erat, confiderem, cum eo, tanquam cum vno quolibet hominum cæterorum diſputare cœpi. tandemq; rationibus, quas mihi ex adverſo plurimas ingerebat, &, quod magis admiratus ſum, ſcripturę ſacrę teſtimonijs, in errorem paulatim tam nefariũ miſit, vt jam neq, Filiũ, neq; Spiritum S. DEVM putarem Interim rapuit animam mors, & qualem reperit, Judici obtulit. Ab eo diſcedere in hunc ignẽ ſum juſſus: quem, etſi maximus eſt, tolerabilem tamen vtcunque

Etiam doctis, ac pijs aliquando ſub mortem ſcopulus.

puta-

putarem, ſi poſt mille annorum millia, finiendus foret; ſed æternus eſt, idemque tantus, quantum nulla apud nos vidit ætas; vt me in ſingulas ferme horas, ſcientiæ meæ pœniteat, quæ in tam immane præcipitium me dejecit; & hæc dicens, evanuit.

Hîc quiſque judicium facere poteſt, in longam temeritatem projectus impius; quid, quantumq; ſibi polliceri debeat morti vicinus, quando etiam virtutis ac pietatis amatoribus, tam graves audent diaboli impoſturas machinari. Certè, *ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* puta illis mortalibus, qui potiſſimâ vitæ ſuæ periodo, non niſi mortuam circumferunt fidem: & propter ipſa quotidiana ſcelera, languidam, vacillantem, flaccidam: proclive nimis eſt humanæ levitati, quem nunquam veritus es Deum, aut ſincero amore proſecutus, dum vixiſti; etiam vbi moriendum fuerit, excutere; vel dubitare cum illo Poëta, qui ſciendi avidus, & velut dubius interrogabat: VII.

Luc. 23. 31.

Multò amplius, multùm diuq; impijs.

Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu?

Claudianus lib. 1. in Rufin.

Habetque eò faciliùs plauſum, hæc apud flagitioſos in morte dubitatio; quia denique gratum eſt, ſolâ inficiatione poſſe minas illas exire, pœnaſque futuræ æternitatis eludere, quas juſtiſſima Numinis vindicta fixit; ſanxitque impietati.

Neque infrequenter accidit, vt homines in prohibitas voluptates durati, cùm ſub obitûs viciniam, malis diaboli objectiunculis, circa religionis negotium facti ſunt perplexi, & mundo Deum vindicem auferrent, & animæ ſuæ immortalitatem; teſtati illud ſenſu impio axioma: *vnus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua vtriuſq; conditio. ſicut moritur homo, & illa moriuntur. Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo, jumento ampliùs; cuncta ſubjacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur; quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat surſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Quis verò etiam neſciat, inter has morientium & miſerè pereuntium cantilenas, totum excitari orcum, ad feſtivas tripudiantium incolarum ſaltationes? nempe guſtum facit Lucifero aliena jactura & ſicut meliores ſunt aquæ furtivæ; ita eidem ſupra omnes bolos ſapit anima, quam in fide naufragam, cùm è corpore ſuo exceſſit, malis fraudibus ad ſe rapuit; pretioſam oppido portiunculam, quia Dei ſolius potentiam habet ſui artificem. VIII.

Eccleſ. 3. à v. 19. vſq; ad 22.

Quibus ſuave eſt, poſſe negare Deum, impietatis ſuæ vindicem.

Sed veniamus ad alterum genus tentationum, quibus ſcele- IX.

Altera tentatio petit caput SPEI.

ſtos diu mortales, & jam tandem intra fauces mortis hærentes, ad deſperationem malus dœmon impellit. Hac in materia Dionyſius Carthuſianus, ſic mentem ſuam explicat. *Dum homo eſt ſanus, perſuadet ei diabolus, quòd Deus verè & infinitè miſericors eſt; & pœnitentiam hominis etiam in fine vitæ acceptet; idcircò interim non eſſe tam grande, vt fertur, periculum. Sed horâ mortis jam imminente, ſuggerit homini Deum inflexibilem, ac prorſus juſtiſſimum eſſe; nullumq́ peccatum manere inultum, & pœnitentiam ex timore prodeuntem, eſſe inutilem. Tunc quoque reducit infirmo ad memoriam, vniverſa peccata quæ fecit, & quanta bona omiſit, & ea vehementer exaggerat, & præſertim quæ homo confeſſus non eſt; ſicq́ multos ad deſperationis pertrahit laqueum, quos ante ad præſumptionem, ſecuritatem, negligentiamq́ induxit. Hæc tentatio multos in hora illa tam graviter vexat, ſicut & quidam à morte reſuſcitati, teſtati ſunt, quòd abſque ſpeciali, & gratioſo DEI auxilio, nequeat ſuperari.*

D. Dionyſ. Carthuſ. de Iudicio animæ art. 36.

X. Obverſatur hîc mihi leo ille implacabilis, qui inauditâ feritate, æternam ſui memoriam apud Hollandos reliquit. Exaſperaverat eum aliquando, neſcio caſu, an ex induſtria, Magiſter ſuus domi: cùm ecce beſtia ſeveriùs habita, aſſuetæ velut olim diſciplinæ oblita, qualem initiò ante culturam geſſit, ferum iterum inducit animum; jamque inclementiam moderatoris ſui vlturùs leo, valido eundem ictu humi affligit. Neque vetus illud Poëtæ hîc valuit:

Ovid. l. 3. triſt. eleg. 5.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtrâſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet.

Enimverò, vt vidit ante pedes ſuos hominem in terra effuſum, & conſternatam mentem, & ſupplicis vultum præferre, nihil tamen molleſcere cœpit ad priſtinam pietatem bellua; ſed inter ſcintillantes oculos, caperatam ampliùs frontem oſtentare, jubas in horrorem arrigere, ſubjectum caudâ ſolum flagellare, falcatos vnguium mucrones extra vaginam nudare, & totus in inimicam rabiem armari. Interim beſtiarius, jam ſolo pene metu exanimatus, ſicut momentis ſingulis expectabat mortem; ita in multas horas longo miſer ſupplicio, ante leoninas fauces, intacta jacuit præda. Erant qui proijciebant caprinam, bubulam, vitulinam, ſi modus eſſet leniendi feram, & abſtrahendi ab intentatis homini minis. Sed nullam illa, præter humanam carnem videbatur eſurire; ita ſtabat pertinax, irretortis in Magiſtrum ſuum luminibus, & jam jam invaſuro ſimilis. Tandem

Leo magiſtro ſuo in terram proſtrato ſuper incumbens.

Magi-

Digitized by Google

Magiſtratus, vbi certior factus eſt de viri periculo; quia ſpes affulſit ſervandæ ejus vitæ, ſi leo occubuiſſet; mandavit vt ſclopo feriretur. Et commodùm advenerat inſignis peritiæ jaculator; qui vbi beſtiæ caput globo feliciter, certoque jactu trajecit, ne ſola illa caderet, pectus moderatoris ſui, infixis crudeliter vngvibus, in partes dilaceravit; factumque eſt, vt funus funeri ſuperincumberet, cadaver cadaveri, confuſo in eundem ceſpitem diſſimili ſanguine, belluino & humano.

Nemo hîc improbus ſibi ſuaviter blandiatur, dicatque, vni ſic ſemel homini illuſum fuiſſe à leone. heus miſer, cave ne, XI.

mutato nomine de te Horat. ſat. 1.

Fabula narretur.

Minimè fruſtra olim fideles Neophytos, admonuit Petrus, cùm dixit: *fratres ſobrij eſtote, & vigilate; quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Et profectò, ſi quem moroſè, diuque impium, denique inter flagitia ſua, cum fatis vltimis luctantem nanciſcitur. hæc fera beſtia, tum ſanè, velut jacenti ſuperincumbit totâ ſui mole: idque vnum vnicè agit, ne deſtinata jam victima, rictum ſuum, fauceſque effugiat. Itaque ſtygius leo, & minitabundis oculis inſtat, & terroribus vrget, & tentationibus deſperationem ſuadet: peccata nimis eſſe petulantia, grandia, numeroſa, divinæ bonitati intolerabilia; cenſuram Numinis gravem, ſtateram Judicis exactam, nullis verborum lenocinijs flexibilem, nullis precum, pollicitationum, munerum corruptelis obnoxiam. nihil reſtare præter jus rigidum, æternaque carnificum Avernalium tormenta.

1. Petri. 5. 8.

Imago eſt dæmonis, improbo in morte inſtantis, & ad deſperationem vrgentis.

Inter ejuſmodi, alioſque plures inimici ſuggeſtus, quis pallor occupabit morituri entis frontem? quantus ſudor à tergo fluet? quali trepidatione fluctuabit animus? quæ perturbatæ mentis erit confuſio? quis cogitationum inter ſe pugnantium conflictus? pronum eſt ſuſpicari, periculoſam admodum eorum fore mortalium vltimam cum Sathana pugnam, quibus ſemper perſuaſum fuit, non priùs facere initium pœnitentiæ, pietati, virtuti, quàm ad principia mortis ſteterint. Certè, res plena eſt metu; tunc cum hoſte ſtygio congredi velle pro ſumma rei, totaque adeò æternitate, homines imbelles, inexercitatos, & qui poſt triumphantis Luciferi currum, victi ſemper, atq; XII.

Vltimus hominis cum Sathana conflictus, gravis omnino & periculoſus.

inter

D. Dionyſ. Carthuſ. Lib. de morte art. 3.

inter compedes ducti ſunt ad ſervitutem. Iterum provoco ad Dionyſium Carthuſianum, & hanc ejus doctrinam. *Itaque contra omnia tentamenta, oportet agonizantem eſſe munitum: & niſi ante ſuam infirmitatem fuerit contra hæc armatus virtutibus, & arte ac vſu pugnandi, contra inviſibiles hoſtes inſtructus & exercitatus, aut vix, aut non prævalebit tempore mortis: niſi forſan ex valde ſpeciali, & gratioſo auxilio Dei, & Angeli ſui ſancti, ſeu Virginis glorioſæ, ſeu matris ejus beatiſſimæ Annæ, aut aliorum ſanctorum. Etenim* DEVS *pyſſimus, & Angeli ejus ac ſancti, in hora tantæ neceſſitatis, non deſunt electis; ſed prout ante aliquo modo promeruerunt agonizantes, ſic eis ſubveniunt.*

Nec deſunt tamen ſuperna morientibus auxilia.

XIV.

S. Elzearius gallicæ nobilitatis gemmula, objicitur tentationibus in morte.

Et profectò, ſicut Deum ſibi continuò demeritus fuit S. Elzearius, illuſtrior olim Gallorum Comitum gemmula, cùm ſanis adhuc viribus corpus valuit; ita tunc maximè ſenſit auxiliantem, quando jam inſtante fatali horâ, vltimum inter tentationes certamen cum diabolo certavit. Leges domeſticæ, quas olim vir iſte, familiæ ſuæ tanquam inviolabiles præſcripſit, hæ erant. Sacris quotidie intereſſent; vitam caſtam agerent; poſt octavum diem animum expiarent; poſt menſem epulo ſacro reficerent; antemeridianum tempus pietati, pomeridianum labori darent; verbum vel impium, vel obſcœnum, atro pane & aquâ luerent; vetito ludi genere omni ſe abſtinerent; pacem non frangerent; fractam illicò reſarcirent; horam denique quotidie pijs colloquijs donarent. Hinc conjectura fieri poteſt, quibus ſe ipſum olim Elzearius præceptis adſtrinxerit, & amandi & colendi Numinis, quando aulam ſuam tam ſolerter ad pietatem, tam piè ad virtutem formavit; vt mirum non ſit, ſi Deus optimus adeò amantis obſequia animi, tam officioſæ mentis ſtudia, magnis ſub mortem favoribus, gratijs, ſolatijs, auxilijs compenſaverit.

XV.

Surius ad diem 27. Septemb.

Nam vt Sanctorum faſti commemorant, quem ſæpiùs dixi, integerrimus Comes in agone jam poſitus, vultum initio prætulit valde afflictum: qualis eſſe ſolet metuentium. Nempe poſtremo illo diſcrimine, vndique mali dœmonis obſeptus cuniculis, irretitus laqueis, tentationibus implicatus, laborabat mentem expedire, & Creatori ſuo remittere animam ſine nævo. In hoc cardine totum ſtetiſſe conflictum, tum prodidit ipſe luctator, cùm exclamavit: *magna eſt dæmonum vis, ſed eam penitus eneruârunt virtus, & merita ſacroſanctæ incarnationis, & paſſionis* JESV *Chriſti.* Crediderim omnem tempeſtatem, totamq; ſuper incumbentis triſtitię nubem, quin etiam molem periculoſiſſimarum tentationum, vno quaſi gra-

Sed ijſdem, meritis Chriſti eximitur.

gratioſiore Chriſti aſpectu, & ſereniore cœleſtis gratiæ radio, diſiectam fuiſſe, atq; excuſſam. Certè facies alia ſucceſſit Elzeario, ſuaviter renidens, & eodem colore ſibi conſtans, qualem ſecuri habēt. addo; etiam ſplendida, & in qua cum elegantia, certaret fiducia.

Hoc igitur eſt, quod Dionyſius, cui à Carthuſia nomen datum, ſupra ſaluberrimè inculcavit; DEVM omninò promptum eſſe, ad ferendam mortalibus opem, quo tempore laboraverint cum geminis hoſtibus, morte & Sathana; præſertim ſi priùs cum eo in arctam coiuerint amicitiam, non alterius nexûs, nodiq; interventu, quàm inculpabilis vitæ ſtudio, religioſæq; meritis conſcientiæ. Et quoniam Regis ſui affectum, palatini omnes, totiuſq; aulæ pompa, ſequi aſſolent; patet ijſdem juvandi officijs, Divos vniverſos cum Numine ſuo conſpiraturos, ad fovendum, ſolandum, erigendum eum hominem, quem in mortis neceſſitate, infeſtaverint Cacodœmonum mali ſuggeſtus, periculoſæ inſidiæ, fatales ſtrophæ. Sed maximè tum Angeli tutelares, in bonum clientium ſuorum officioſi erunt: & nequaquam in extrema vitæ ſcena otioſi ſpectatores; ſed actores negotioſi, pro ea anima, cujus ipſis cura à DEO commiſſa eſt. Itaque, tum maximè conatus noſtros juvabunt, & quam ſub eorum clypeo cœperimus pugnam, ipſi coronabunt felici exitu, optabili eventu. vt nequaquam metuenda adeo ſit vis ſtygia, & vltimus Cacodœmonum inſultus, quando cœleſtis Angelorum militia, & humanam imbecillitatem roborabit, & accīdet potentiam orci. Deniq; (verba ſunt D. Dionyſij Carthuſiani) *Angeli ſancti, in hora tam extrema, & ſumma neceſſitatis, non minùs ſolliciti ſunt ad ſubveniendum, quàm Angeli tenebrarum ad ſeducendum*. Hem tibi! materiam ingentis ſolatij, & murum aheneum adverſus puſillanimitatis impetus. XV.

Luctantibus in morte cum Sathana, ſubvenit DEVS, & ſancti ejus.

Sed hîc te iterum meminiſſe velim ejus, quod ſupra inſinuavit idem Auctor. nimirum vt ferueat apud morituros ſubſidium Angelorum, aliorumque in cœlis ſanctorum, ſi illos priùs ſibi humile obſequium demeruit: ita tunc languent eorundem ſtudia juvandis ijs, quibus, cùm ſana omnia ſanis ſuaſerunt, perſuaſerunt nihil. Et certè, ſi præterito cuſtode tuo Angelo, maluiſti Lucifero aures commodare, malique corui malum ovum fieri, neque per totum vitæ ſpatium, aliud parturire quàm ſcelera; quæſo, cùm denique pariendum eſt vltimò, inter non vanos metus, & trepidantis animi ſollicitudines, & turbatæ mentis XVI.

Præſertim ſi ſani, præmiſerunt bonis conatibus merita.

Q angores,

angores, & aſſuetas ſemper malitias, veteres obſtetrices, quid credere poſſumus, aliud te daturum, quàm familiare peccati monſtrum; ſeu quod tantundem eſt, cum gallo baſiliſcum; qui te, parentem ſuum, ad primum ſui, vltimumq; conſpectum, peſtilentiſſimo afflet veneno? profectò, communis hominum fert conſuetudo, iiſdem plerumq; moribus, vitiiſque incipere vitam, & continuare, & deſinere.

XVII. Neque appellare potes ad gratioſum, ac ſpeciale DEI auxilium, cujus mentionem fecit ſuperiùs noſter Dionyſius Carthuſianus. hoc enim ſicut in comparatione aliorum, pauculis graviter, diuq; facinoroſis conceditur; ita inter rariſſimos, ac ſingulariſſimos Numinis favores, numerandum eſt. Et velle illos tibi tandem morituro promittere, poſtquam ferè omnes vitæ annos ſceleratiſſimè exegiſti, ſtultæ mentis indicium eſt, & nimis temerè de arcanis DEI conſiliis præſumentis; vt infra copioſiùs demonſtrabo. Breviter dico, quod longa docet experientia. Semper cùm hinc abeunt homines, infelicior eſt ſors improborum, quia impeditius eorum iter, perplexior tentatio, perturbatio frequentior, incertior ſalus, periculoſior alea. Quiſquis cogitat poſtremam cum Sathana luctam, glorioſâ ſub mortem victoriâ claudere, jam dum ſanus eſt & integro robore, aſſueſcat illi panopliæ, armiſque, ad quæ nos ſingulos magnus Chriſti miles, Paulus Apoſtolus ſic hortatur; *accipite armaturam DEI, vt poſſitis reſiſtere in die malo. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ; in omnibus ſumentes ſcutum fidei, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritûs, quod eſt verbum DEI.* Nunquam meliùs cum hoſte infernali congreſſus fuerit chriſtianus athleta, *in die malo*, hoc eſt obitûs ſui; quàm vbi ſincera veritas, ei baltheus fuerit; æquitatis amor, lorica; clypeus, fidei orthodoxæ integritas; ſpes futuræ ſalutis, galea; romphæa, verbum DEI. His armis ritè inſtructus, quiſquis moritur, vinci non poteſt à Cacodœmone; debet triumphare.

Neceſſaria Chriſtiano panoplia, ad extremum cum dœmone certamen.

Ad Epheſ. 6. 13. & ſeq.

PARA-

PARAGRAPHVS XV.

Horrificarum ſpecies Imaginum, nova ſæpe cauſa ſunt perturbationum, apud eos moribundos, qui ſcelera ſimul & pœnitentiam, vſque ad fata ſua protrahunt.

EA eſt optimi DEI, in fidos ſibi amicos, inſignis benevolentia, vt hinc migraturis, Divos ſuos identidem, angeloſq; è cœlis mittat; partim in ſolatium mortis, partim in comitatum itineris. Quin ipſe etiam aliquando Chriſtus, humani generis Soter, aſpectabili ſe forma ſtitit ad lectulum morituri; & præſentiâ ſuâ, omnẽ metuendi exhauſturus formidinem, & bene ſperandi copioſam velut materiam affuſurus. Audiamus, quæ de Abbate Siſoi, Ruffinus olim in hoc argumento conſcripſit. *Dicebatur de ipſo* (Ruffini verba allego) *quoniam in die dormitionis ſuæ, cùm ſederent circa eum patres, reſplenduit tanquam ſol facies ejus, & dixit ad eos: ecce Abbas Antonius venit. Et poſt puſillum rurſus dicit eis; ecce chorus prophetarum venit. Et iterum ampliùs facies ejus reſplenduit, & dixit: ecce chorus Apoſtolorum venit. Et dupliciter refulſit adhuc facies ejus; & ecce ipſe quaſi cum aliquibus loquebatur. Deprecati ſunt autem ſenes illum, dicentes: cum quo loqueris pater? Qui dixit: ecce Angeli venerunt accipere me, & rogo, vt dimittar pænitere modicum. Dicunt ei ſeniores: non indiges pænitentiâ pater. Dixit autem illis: Verè neſcio, meipſum vel initium pænitentiæ arripuiſſe. Et cognoverunt omnes, quia perfectus eſſet. Et rurſum ſubitò facta eſt facies ejus ſicut ſol, & timuerunt omnes. Dixit autem eis: Videte, ecce Dominus venit, dicens: afferte mihi vas electionis eremi. Et continuò reddidit ſpiritum, & factus eſt ſicut fulgur; & repletus eſt totus locus ille odore ſuavitatis.* Pulchrum ſanè illud

I.

Chriſtus & ſancti, aliquando pijs in morte ſe ſiſtũt, pro ſolacio.

Ruffinus lib. 3. Et in Vitis PP. lib. 6. libello 3. num. 6.

Factum eſt Abbati Siſoi.

Digitized by Google

illud ſit ſpectaculum, & ferax ſereniſſimi gaudij; quando licet pijs mortalibus clarè contemplari, ſereno apertoque cœlo, & DEVM egredientem, & tutelares genios, Divoſq; properantes, vt animam corpuſculo ſuo exutam, aſtris inferant, longiſſimâ æternitate cum beatis triumphaturam.

II. Diverſa omnino ratio eſt illorum, qui ab inveterata ſcelerum conſuetudine, nomen Impiorum meruerunt. neque enim hos tales, jam fatali lectulo affixos, corona ſanctarum mentium ſolet cingere; ſed illa damnata ſtygiæ gentis ſocietas, quæ jam dudum & didicit, & docuit deſperare. Hoc, vt faciliùs evincat infelix malorum ſpirituum cuneus, eos formidabilibus larvis aggreditur, quos vitijs onuſtos, videt ad proximam morti lineam deſcendiſſe. jamq; ſolus terror pro armis eſt; idq; vnum agitur, vt impiorum hinc exitus, ſit caſus in deſperationem. Mos eſt parentibus, cùm ſui infantes, puerìq; nimiâ inſolentiâ moleſti ſunt, metum illis ſpectrorum inijcere. eſtque ingenita rudi illi ætatulæ conſternatio, ad ſolum larvarum nomen, vt quamprimùm ſe à levitate ad modeſtiam componant. O! quanti ſcelerati ſunt homines, qui non pueritiam, ſed (quod gravius eſt) puerilitatem ſecum ferunt ad capulum! authoritatem ſenum habent, & vitia puerorum; præſertim verò tantam vitæ, morumque inſolentiam, vt DEO, Superiſq; graves ſint. Hinc igitur etiam morituri, terriculamentis plectuntur, non qualia ad brutum rudis infantiæ timorem, confingunt homines maturi; ſed multiplici horrificarum ſpecie imaginum, veriſq; Dœmonum ſimulacris; conſpirantibus in id ſolum, vt pœnitere volentium animos, varijs terroribus perturbent, ne vel parere poſſint eo tempore pœnitudinem, ſobolem DEO gratioſiſſimam; vel vt in partu ſuo faciant abortum, hoc eſt, pœnitentiam adulterent, falſamq; & fictitiam, pro vera ac legitima ſupponant. *Verè* (quod olim dixit Nilus Abbas) *tremendum eſt mortis ſacramentum, quando terribiles viſu formæ, & formidandæ illæ monſtra, animam aſſiduè territant, atq; ad egreſſum vrgent; quando Dæmones dira ei facinora objectant, & minitabundi velut in prædam inhiant, illam mox ad luctuoſam & mœſtam ſedem, ſenſumq; futurorum tormentorum detracturi; quando conſcientia ad ſe ipſam converſa, ob ſua peccata expaveſcit, & pro delictis ſupplicium expectat. Hinc corpus (ob animum ad ſummas anguſtias redactum) ſudore perfuſum jacet; foriſq; per ſigna prodit, quid interiùs patiatur.*

Sicut larvæ diabolicæ impijs, in terrorem & perturbationem.

Nilus Abbas apud Rader. in ſyntag morientium.

III. Nolim hîc negare, Cacodœmones etiam probis quandoque morta-

mortalibus, horrifico aſpectu obverſari, cùm hinc excedunt: ajo tamen, eorum formidines, & feliciùs rideri, & faciliùs ſuperari ab ijſdem, quàm communiter ſoleant ab improbis. D. Dionyſius, re & nomine Carthuſianus, dum ea commemorat, quæ mortem homini poſſint horrendam facere, hæc adjungit. *poſtremò & id mortem reddit vehementer terribilem, quòd vnicuiq; morienti malignus ſpiritus, in ſua turpiſſima ſpecie creditur apparere; cujus aſpectus quàm ſit pœnalis, exprimi nequit. Nam & ſacratiſſima Virgo Maria legitur, ſuum filium, cùm adhuc eſſet cum ipſo in terra, oráſſe, ne moriens quenquam ſpirituum cerneret immundorum. Aliqui quoq; defuncti & reſuſcitati, poſt ſuam reſuſcitationem retulerunt viventibus, quàm copiosè ac terribiliter dæmones, eis apparuerint ante egreſſum de corpore.* Circa quam ego Dionyſij ſententiam, obſervo, nullo modo certum, exploratumque eſſe, quòd vniverſis ſine diſcrimine mortalibus, antequam ex hoc orbe migrent, Cacodœmones vultei & monſtroſi, ad terrorem ſe ſe ſpectandos præbeant. Satiſque ipſe inſinuat, quem modo produxi, auctor; cùm dicit, *Creditur vnicuiq; morienti, malignus ſpiritus apparere.* Itaque, hæc opinio tantùm eſt, & ſupra probabilitatis ac veri ſpeciem, nihil habet certitudinis. Neque inducor facilè, permittere Deum, ſanctiſſimis quibuſque amicis ſuis, omnibuſque pijs, atque ad virtutis amorem per omnem vitam ſedulò aſpirantibus, à ſtygijs larvis illudi, moleſtiamque fieri, quando hinc abeunt ad cœlos.

Dionyſ. Carthuſ. de quatuor noviſſimis. p. 1. de morte. art. 3.

Non omnibus ſine diſcrimine, probis in morte hominibus, apparent mali ſpiritus.

IV.

Interim tamen ex ſingulari Numinis diſpoſitione, quoſdam eorum, etiam ante mortem, quaſi conventos fuiſſe à Dœmonum ſpectris; ſatis clarè inſinuat D. Gregorius, cùm ait: *ad electos quoque egredientes veniunt, & ſuum in illis, ſi prævaleant, requirunt.* Quin etiam bonus Angelus rationem dedit B. Aichadro, cujus gratiâ Deus ejuſmodi avernalibus larvis, permitteret ſuos, jam fatis proximos, affligi; nempe vt hic ipſe terror, tam gravis humanæ infirmitati, expiet in ſanctis probiſque, ante mortem eorum, quidquid adhuc expiandum in illis eſt reliquum. Ita olim Florentio cuidam morituro, terrificâ ſpecie apparuit Sathan, viſuſq; eſt ore vaſtam flammam, naribus fumum ſulphureum fundere. Ita & B. Opportunæ, jam animam efflaturæ, adfuit ferociens Cacodœmon, nigerrimi Æthiopis habitu, capillis & barbâ ſtillantibus, quaſi liquidam picem; oculis ferrum ignitum mentientibus, & ſtricturas ſcintillantibus. Eſt etiam hæc propria S. Odilonis confeſſio, quando jam piâ morte defunctus, ſic cuidam ſanctè teſtatus eſt: In ipſa meæ deceſ-

Sed tantū quibuſdam ex Dei diſpoſitione.

S. Greg. hō. 39. in cap. 19. Lucæ. Fulbert. in Vita B. Aichadri apud Suriū 15. Aprilis. Blaſius Melaneſius in Vita S. Ioan. Gualberti. Surius 22. Aprilis.

B. Petrus Damiani in Vita S. Odilonis.

deceſſionis hora, in illo angulo (oſtendebat enim quaſi digito locum) vidi figuram quandam trucem nimis, atque terribilem, quæ mihi teterrimæ ſuæ viſionis horrorem, atque formidinem tentavit incutere. Sed Chriſti confortante virtute, nullâ potuit infeſtatione nocere.

V.

Severus Sulpit. in Vita S. Martini Epiſc.

De Sancto Martino, Turonenſium digniſſimo præſule, ſacri Divorum faſti ſic narrant. *Inſtante jam morte, viſo humani generis hoſte, quid, inquit, adſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſte, reperies. Ea in voce, vnum & octoginta annos natus, animam Deo reddidit, quam Angelorum chorus excepit: eoſq; divinas canentes laudes multi, imprimiſq; S. Severinus, Colonienſis Epiſcopus, audierunt.* Interim veterator ille ſpiritus, qui Martinum terriculamentis aggreſſus eſt; vt vidit ſe pauculis verbis, tam turpiter, adeò ignominioſè expeditum eſſe, inter lamenta ad orcum rediit, vnde infelix proruperat larva. Atque hoc eſt, quod bonis omnibus ingens debet ſolatium præſtare; ſpes ſcilicet facilè abigendi Cacodœmonis, ſi morituros fœdarum, horrificarumque ſpecie imaginum, infeſtaverit. Credibile eſt Deum, piarum tunc mentium, ſibi vnicè devotarum, adeò inſigni armare pectus robore, vt in ſuffuſionem ipſius hoſtis, ejus terrores, veluti inanes ac pueriles, ſibilo riſuque excipiant. Id nempe ſibi eventurum piâ conjecturâ aſſecutus eſt, & purpurâ illuſtris, & virtute, Beatus Petrus Damiani, quando de ſe ipſo, medius inter ſpem & metum, hæc commemorat. *Enimverò quotidie mortem præ oculis teneo, etiam tribunali tremendi Judicis quodammodo præſentatus aſſiſto. Jam ſub quadam mentis imaginatione, perverſi Spiritus truci vultu, & horrendâ ſpecie, me ſub extremo ſpiritu palpitantem, terribiliter impetunt; jam ſancti Angeli, blandi ac nivei quaſi, qui auxilientur, accedunt.*

Solatia divina, mitigant probis terriculamenta diabolorum.

B. Petrus Damiani Epiſt. 8. ad Alex. II. Pontif.

VI.

Eadem apud improbos, acuuntur per præterita flagitia.

Non eadem fortuna eſt illis miſeris, qui dum vixerunt, mala ſemper contra Numinis leges, conſilia agitârunt: ſemper futuras ſibi delicias ſtruxerunt, nunquam non cupiditates improbas ordinârunt: iſti enimverò convicti de vita ſua tota, velut vno, continuoq; ſcelere; mille cauſas invenient metuendi Diabolos, quando terrifico ſchemate, lectulum morientis vndiq; circumſtabunt. Hac de re S. Chryſoſtomus, orthodoxæ Eccleſiæ pulcherrimum ſidus, ita loquitur. *Qui vinctus propter ſua ſcelera fuerit, cùm ſolvitur, vt ad judicium produci queat, tunc maxime tremit, tunc formidat, quando ad tribunal Judicis jam appropinquat, quando ad relationem jam devenit. Idcirco terribiles viſiones narrare ſolent morituri, quarum ſpeciem nullo*

D. Chryſoſt. tom. 2. hom. 54. in cap. 16. Matth.

Digitized by Google

nullo modo ferentes, & lectulos plerumq́ ipſos, magno jacentes impetu concutiunt, & torvis eos, qui adſunt, adſpiciunt oculis: vel quia vi reſcinditur à corpore reluctans anima, vel quia ſpirituum ſpeciem ferre non poſſunt. ſi enim terribiles intuiti homines, metu concutimur; quid faciemus, cùm minaces angeli, & reſcindentes animam à corpore virtutes, nos invadent?

Memorant Regem vixiſſe, qui aut nunquam, aut non niſi rarò ſubriſit, quantumvis ei & ſol pulcherrimè affulgeret, & æquabilis fortuna conſtantiſſimè arrideret. Proceres, vt cauſam pertinacis triſtitiæ intelligerent, fratrem Regis ſubornârunt; quam ipſe quoque ingenioſè doctus eſt. Continuò enim Rex imperavit foſſam fieri, eam dein vivis carbonibus impleri. Mox ſupra fatalem illam foveam, ſedem ipsâ vetuſtate ſuâ fragilem collocari. Supernè pendebat gladius è filo, terror, exitiumq́ſ ſellam occupaturo. Quin etiam menſa ſtabat, referta quidem exquiſitiſſimis gulæ irritamentis, ſed viciniſſima foſſæ, ſediq́; fatali; in quam, vt Rex fratrem ſuum poſuit, ſimul cingi juſſit ex quatuor partibus, à quaternis armatis; quorum ſinguli ſtricto ferro impetebant convivam. Interim & tubæ perſtrepuerunt, & tympana, regiæ majeſtatis argumenta. Exceperunt hos Martis clangores, mollioris muſices deliciæ; jamque & voces, & fides, & (quod caput eſt) Rex ipſe fratrem ſuum invitare cœperunt, ad dapſilis cœnæ pretioſa fercula, poculaq́;. Sed nempe omnem homini guſtũ corrupit, omnem abſtulit orexin, candefacta prunis foſſa, ſella ruinæ & caſui vicina; gladij deniq; cervici vndiq; imminentes. Rex vbi advertit, nihil magnoperè de menſa ſua ſapere fratri, manifeſtis periculis omni ex parte circumſepto; hem! ait, deinceps mirari deſine, quando me aſpexeris ſubtriſtiorem. nempè cum ſuſpicio ad cœlum, Judicem meum cerno Deum, & vindicem ejus ſtrictum enſem. Cùm deſpicio; inferi ſe aperiunt, pœnaſq; æternandas minantur lethiferis culpis. Cùm circumſpicio; & noxæ meæ ſe ante oculos obijciunt, & conſcientia teſtis, & mors inſidiatrix, & dœmones non ſolùm inhiantes, ſed etiam velut ferrũ ſtringentes; facturi animæ meæ vulnus, nullo ævo ſanabile, ſi contigerit eis me in ſpolium venire. Et hæc eſt ipſiſſima rerum facies, quando improbus jam vitâ defungitur: neq; enim ſolùm ſuprà iratũ Deum intuetur; neq; tantùm ſtygem infra ſe magnis ignibus ardentem videt; ſed etiam aliquando ex omni latere, infeſtos ſibi ſpiritus, qui tot nudatis quaſi gladijs contra moriturum eunt, quot mortifera crimina oſtendunt, in caput auctoris ſui reditura.

VII. — *Specul. Exempl. tom. 1. diſt. 9. exemp. 209.*

Capita varia juſti timoris apud moribundos, declarat Rex quidam.

Vnum, nec minimum, conſiſtit in ſpectris infernalibus.

Gravis eſt in hac materia D. Bernard⁹, atq; vt ſingulis nobis veternũ VIII.

excu-

S. Bern. de inter. domo c. 38. excutiat, ſingulos ita admonet. *Attende, quàm citò veniet dies vltima, præſentaberis ante tremendum Judicem, accuſaberis multis & magnis offenſis; non dubijs, ſed certis; non brevi accuſatione, ſed tam longâ, quàm longa eſt vita tua; non vno accuſatore, ſed tot, quot ſunt delicta tua. omnes etiam ſpiritus boni & mali, coram Deo accuſabunt. Vndiq; erunt tibi anguſtiæ: hinc erunt accuſantia peccata, inde terrens juſtitia, ſubtus patens horridum chaos inferni, deſuper iratus Judex, intus vrens conſcientia. Si juſtus vix ſalvabitur, peccator ſic deprehenſus, in quam partem ſe vertet? latere erit impoſſibile, apparere intolerabile.*

Etiam conſentiente D. Bernardo.

IX.

Neq; arbitrari debemus, hos judicij divini formidandos terrores, tantùm ſceleratis poſt fata ſua evenire, aut quando cum vniverſis mortalibus ſtabunt ad tribunal Numinis, ſententiam publicitus accepturi pro æternitate: etiam non ſemel ante mortem experiuntur ſe coram Judice reos agi, atque ab occurſantium diabolorum monſtroſa ſpecie, jam velut ad pœnas rapi. Dici vix poteſt, quantum terrorem homini incutiat ſpiritus, omni carne liber. Ipſi Apoſtoli, cùm magiſtrum ſuum, jam mortis triumphatorem, atque è ſepulchro redivivum, primò conſpexêre; ſive veritati, ſive ingenti miraculo diffiſi, non crediderunt ſe Chriſtum aſpicere, ſed ſimilem ei fictitiam larvam, ſpectrum aliquod. Et quanquam eis aſſeveraret Dominus: *pax vobis, ego ſum, nolite timere*: tamen ipſi, *conturbati & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre.* Nimirum mentes illæ, quæ extra carnem ſunt, quia ab humana, corporeaque natura, multum abludunt, multum etiam turbant, ſi quâ ſui aſcititiâ imagine, oculos mortalium incurrunt.

Quivis ſpiritus hominem facilè perterreret.

Luca 24. v. 37. & 38.

X.

Sed nemo ex ſpiritibus, magis humanam imbecillitatem ſternit, atque damnati illi ſtygis inquilini: quorum monſtroſam, terrificamque faciem, Birgittæ olim depicturus Servator ſic ajebat: *ſi videres pulchritudinem ſanctarum animarum, vel ſanctorum angelorum, ſicuti eſt, cor tuum præ ingenti gaudio rumperetur. Si item videres dæmonem, ſicuti eſt, non poſſes viva tam horribilem viſionem videre.* Quis ergo putas, animus erit ijs hominibus, qui è ſtatione ſua vocantur per mortem, nunquam hactenus ad virtutem, ſemper ad vitia aſſuefacti: ſi (Deo connivente) avernales larvæ, lectulum eorum oberraverint? & jam formidabilem vrſum indutæ, jam ſævum leonem, jam ferocientem lupum, jam draconem venena ſpuentem, moribundis objecerint, non inania terriculamenta? ſupra panicos timores eſt, & inter veros, graveſque metus reputandum, quidquid ad terrorem Dœmon comminiſcitur impio, mortalia deſerturo, adjutu-

Lib. 2. revelat. S. Birgitæ. c. 28. Bloſius in monili ſpirit. c. 14.

Sed maximè ſtygij, graviter ſceleratos, in morte.

Digitized by Google

adituro æterna. ei, ex ſolo mali Sathanæ aſpectu, ſub imagine etiam non fœdiſſima, ingens tamen oritur perturbatio. parum hoc; quandoq; & diſſimulatio ſalutis, & oblivio veræ pœnitentiæ, & periculum adulterinæ. iſtæ, velut appendices, ſequuntur conſternatos in morte animos ſceleratorum.

PARAGRAPHVS XVI.

Chriſti Judicis ſpecies, ſicut probis hominibus in MORTE frequenter ſolatium præbet; ita diu ac pertinaciter improbis, non ſemel metûs ac terroris eſt occaſio.

EST aliud argumentum novi terroris, quem mali omnes, ne olim malo ſuo experiantur, nunc cavere, ſicut poſſunt, ita debent. nam opinio eſt, ſub mortis tempus, mortalibus probis improbiſque, Chriſtum aſpectabilem obverſari; eâ ſpecie habituque, quo olim in monte Golgothæo, Crucis ligno affixus, toti orbi, cœloq; omni, ſe fecit triſte ſpectaculum. Atq; vt cum Seneca loquar: *non à ſummis labris iſta veniunt, habent hæ voces meæ fundamentum.* Et quidem in orthodoxæ Eccleſiæ ſummo Antiſtite, Innocentio III. qui ad mitram pontificiam evectus fuit anno poſt Chriſtum natum, milleſimo, centeſimo, nonageſimo octavo. Hujus ergo viri magni, ac ſanctitate incliti, hæc eſt doctrina. *Videt tam bonus, quàm malus, antequam egrediatur anima de corpore, Chriſtum in cruce poſitum. Malus videt ſibi ad confuſionem, vt erubeſcat ſe non eſſe redemptum ſanguine Chriſti, culpâ ſuâ exigente. unde de malis dicitur in evangelio: videbunt in quem transfixerunt. quod intelligitur de adventu Chriſti ad judicium, & de adventu ejus, ad diem mortis cujuslibet hominis. Bonus verò, videt ad exultationem. & hoc habemus ex verbis Apoſtoli, qui ait: vſq; in adventum Domini noſtri* JESV *Chriſti; id eſt, ad diem mortis, quando apparet* I.

Seneca Epiſtol. lib. 1. ad Lucil. Epiſt. 10.

Innocent. III. Lib. 1. de contemptu mundi. cap. 43.

Apocal. 1. 7.

Ex mente Innocentij III omnibus mori-

entibus, Chriſtus in Cruce apparet. *Joan. 19. 7.* *paret tam bonis, quàm malis Chriſtus in cruce poſitus. Et ipſe Chriſtus de Joanne Evangeliſta ait: ſic eum volo manere, donec veniam; dum ſcilicet veniam ad obitum ejus.*

II. Et hæc ſententia, ſi tantum veritatis pondus habet, quantum authoritatis ab Innocentio Pontifice; profectò juſtiſſimam gaudendi materiam invenit, quiſquis eſt verus Numinis amator, ſolers conſcientiæ ſuæ, animiq; cultor. nam quid ei optabilius eſſe poſſit, quàm ſub obitum coram aſpicere ſervatorem, velut in cruce pendentem, & ſuis plagis formoſum, & ſuo ſanguine purpureum, & ſuis clavis, velut adamantibus totidem, gemmeum. præſertim ſi meminerit ejus ſe gratiâ, eidem conſtanter ad obſequia ſtetiſſe, nutumq; omnem diligenter obſervâſſe, nunquam longiùs à mandatis ejus exerraſſe. aut ſi (quæ mortalibus innata eſt fragilitas) aliquoties extra orbitam divinarum legum, impetu illecebroſæ cupiditatis abreptus eſt, citò tamen maturâſſe reditum ad illum, quem ſe turpiter deſeruiſſe, feliciter agnovit. Iſte igitur talis, jam fatis ſuis conceſſurus, ex aſpectu Chriſti quaſi in Crucem fixi, ita vndiq; ſuperfundetur certiſſimâ ſpe beatitudinis, veriſſimo ſuper morte ſua gaudio ſolatioq;, vt jam de futuris, æterniſq; bonis, aliquam ſuavitatem præcipere videri poſſit.

Solatium daturus probis.

III. Sed heu! quàm longè erit diverſa ratio, cum miſeris illis, qui certo decreto nunquam propoſuerant eſſe boni, niſi quando mali eſſe diu ampliùs non poterunt; nempe cum invitis mors, filum ſuæ vitæ abruptura eſt. Itaque vbi fatalem iſti lectulum conſcenderint, atque ex mente Innocentij, Chriſtum lugubri ſpecie, ac velut è ſtipite pendulum, ſibi habuerint obvium; inſuper è ligno crucis, quaſi pulpito contra ſe tonantem audîerint, & exprobrantem turpiſſima per omnes ætates probra, conculcati ſanguinis à ſe fuſi, non refellenda teſtimonia; proh! quantus reis ſuffundetur ex alto rubor? quantus erumpet ſudor æſtuantibus? quantùm trement genua? quantùm collidentur dentes, concurrent labra, titubabit lingua, dicturis impijs pro cauſa ſua, jam prope perdita, apud iratum, totieſque offenſum Iudicem? & contra reum clientem pro tribunali peroraturum ijs verbis, quæ deſcribit S. Auguſtinus, vt ſequuntur. *Ego te ô homo, de limo manibus meis feci. ego terrenis artubus infudi ſpiritum, ego tibi meam imaginem conferre dignatus ſum; tu vitalia mandata contemnens, deceptorem ſequi, quàm DEUM maluiſti. Cùm expulſus de paradiſo, mortis vinculis propter peccatum tenereris, carnem aſſumpſi, in præſepio expoſitus,*

Improbis terrorem.

S. Auguſt. ſerm. 67. de temp.

ſitus, & pannis involutus jacui; infantiæ contumelias, humanoſq́ dolores pertuli, irridentium palmas, & ſputa ſuſcepi, flagellis cæſus, vepribus coronatus, cruci affixus expiravi. En clavorum veſtigia, quibus affixus pependi. En perfoſſum vulneribus latus: cur quod pro te pertuli, perdidiſti? cur ingrate, redemptionis tuæ munera renuiſti? cur habitaculum, quod mihi in te ſacraveram, luxuriæ ſordibus polluiſti? cur me graviore criminum tuorum cruce, quàm illâ, in qua quondam pependeram, afflixiſti? gravior enim apud me peccatorum tuorum crux eſt, in qua invitus pendeo, quàm illa, in quam tui miſertus, mortem tuam occiſurus, aſcendi. Et quia poſt omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluiſti, ab auditu malo non mereberis liberari. deſpexiſti enim in Judice veniam. — Imò & graves exprobrationes.

IV.

Scio equidem, quamdiu homo, auram trahit hujus mortalitatis, etiam eo momento, quod vltimum eſt, ad pœnitentiam patere januam; ad retractationem commiſſæ retro impietatis, acceſſum. Sed novi quoque humanæ infirmitatem mentis, quæ ſub mortis articulum, ſolâ grandis rei novitate, periculosè ſolet percelli, turbari, in varia diſtrahi: quod quidem maximè crediderim illis evenire mortalibus, quibus ex hac vita abiturientibus, Chriſtus triſti ſchemate, ac velut gravis exhortator, rigidus exprobrator, ſe conſpiciendum offeret. Et quænam tum alia vox poteſt illorum eſſe ſingulorum, quàm illa quondam Iobi: *ideirco à facie ejus turbatus ſum, & conſiderans eum, timore ſollicitor.* præſertim quando & roſea Chriſti vulnera, ſemper amorem ſpirantia; & brachia eiuſdem, continuò ad amplexum expaſſa, & labra, nunquam non ad oſculum parata; & cor jugiter ad amatũ hians, ſe contempta hactenus clamabunt, ac poſtpoſita vanis, ludicris, turpibus. Neq; exempla deſunt, quibus demonſtremus, improbos ſeveriore Chriſti ſub mortem ſuam aſpectu, ita turbatos fuiſſe, conſternatoſque; vt nihil tum agerent ſibi profuturum in longam æternitatem. — Non ſine motu audiitorum. — *Iob. 23. 15.*

V.

Vixit olim in clero vnus aliquis, neſcio quàm dignus tam pulchro nomine, officioque; quia, quòd in famam pene omnium impunè graſſaretur, infamem ſe omnibus fecerat. Delectabatur valde, canino dente aliorum poſſe ſe lacerare gloriam, imminuere authoritatem, moribus probatiſſimis confictas aſpergere maculas, denique mendacijs vulnus facere innocentiæ; tantoq; gaudebat ampliùs, quantò videbat apud ſummos infimoſque, probam inſontium vitam, præter meritum graviùs flagellari, indigniùs pati. Inter hæc quotidiana linguæ petulantis vitia, homo ad ægritudi- — *Specul. Exempl. V. Detractio. Exempl. 4.*

 nem

Digitized by Google

nem primùm, deinde ad mortem rapitur. Crediderim immaturis DEVM fatis procaciam, libidinemque denigrandi alienam integritatem, punire voluiſſe. Iamq; ſocius alter è clero, hortatur ægrum, vt conſtrictus eâ neceſſitate, ſapere incipiat, ſibique & ſaluti ſuæ, per ſinceram pœnitudinem conſulere, paulò poſt exiturus mortalitatis ſtationem. Sed ſurdo locutus eſt; parum, imò nihil fecit in lucrum beatæ æternitatis. ita ipſe enunciavit. nam rogatus à ſodali ſuo, quem dixi, vt poſt mortem docere vellet, quis eum ſtatus, quæ conditio, fortunaque alterius orbis comprehendiſſet, in verba ac poſtulata juravit, ſanctéq; ſpopondit ſe facturum. Et hem! pauculi ab obitu dies effluxêre, cùm ſe miſer (vt conventũm erat) alteri ſiſtit, funeſtâ ſpecie, & quæ triſte præſagiũ eſſe poſſet attonito ſpectatori. nam vndiq; inter flammas, igneſq; ſemiviva larva, nihil valituros gemitus trahens, tandem damnationis ſuæ facta eſt præco, in hunc modum. Nempe ego ſum tuus ille, fidiſſimus quondam Achates, quẽm ſicut tibi nuper vita conjunxerat individuum comitem, ita proximè mors longiſſimo divortio ſeparavit. Scio, hodieq; amici facis officium, hodieq; in abſentem pius es, & multoties pro me expiando fundis ad DEVM preces. Sed heu! nihil impetraturus; quia inter perditos ſum orci incolas; pro quibus, vt nullum pondus habere preces poſſint, jam pridem rigidum jus Numinis ſeveriſſimè ſtatuit. Cæterùm, ſi rationem vltimi agonis mei vis cognoſcere, ſic habe. Cùm jam mihi nox in oculis eſſet, & dolor membra, tremor venas, mœror animum occuparet; viſus mihi ſum Judici Chriſto aſſiſtere. Convenerant ad idem tribunal quàm plurimi alij, & velut conjurati, me vnum omnes petebant, omnes me reum agebant, quòd procacis linguæ meæ petulantiâ, inſontes ipſi, paſſim apud mortales infamiã incurrerint: graviſſimum, & vix reparabile damnum. caproter ſupplices magnis clamoribus Iudicem rogabant, vt eam illudendi alienæ famæ libidinem, nõ inultam dimitteret. Ad has juſtiſſimi doloris querimonias, cùm me Iudex aſpiceret irato vultu, toruoq; oculo, concurrentibus terrore ac perturbatione, in trepidantis animi ſocietatem; ſimul & divinæ clementiæ oblitus, & in barathrum deſperationis lapſus, & è vivis ſublatus, & ad rogos infernales deturbatus ſum: vnde eheu! nullis ampliùs ſæculis eluctabor. Hæc vbi dixit infelix hominis ſpectrum, cum gemitu vale faciens, ſe ſe in tartarum proripuit.

Clericus malæ vitæ, ante mortem ad Chriſti Iudicis tribunal trahitur.

Ibi propriâ confeſſione, accuſatur validè.

Demum terribili Iudicis aſpectu territus ac perturbatus, deſperat.

VI. Nos interim vniverſos, duo præclarè docuit. Alterum eſt; quàm familiare illud multis mortalibus vitium, ſit exitiabile, cùm alio-

rum

Digitized by Google

rum fama, vitaque indignis modis perſtringitur; affingentibus ſive odio, ſive invidiâ, ſive deniq; malevolentiâ (peſſimis certè authoribus) turpiſſimos nævos innocentiæ; & pro morum integritate, corruptelam mentientibus. Sed nimirum, quotquot hîc vim paſſi ſunt, & nocumentum peſtilentium linguarum, olim magnis vocibus Judicis Dei tribunal concutient, vindictam contra eos poſtulaturi, quorum dentibus iniquè, & non ſine multis vulneribus, lacerati fuêre. Alterum eſt; quòd defunctus ab exemplo ſuo docuit monuitq;, magno ſe illos committere diſcrimini, qui vaniùs neſcio, an leviùs, credunt tum ſe exactiſſimè, omnia apud Deum contracta ſcelerum debita, velle expungere, quando jam ipſi è vivorum tabulis expungendi ſunt. non ſemel periculosè laboratum eſt illo articulo; non ſemel pœnitere tum volentem, abripuerunt in diverſa ſtudia triſtium facies imaginum; aliquando etiam adeò perturbârunt, vt nullus ſanis cogitationibus locus relinqueretur. Bellè philoſophus olim pronunciavit: *omnibus perturbatio amplificata, è ſtatu ſuo naturam dimovet.* Et Baſilius: *vt in ſpeculo non repurgato, imaginum ſpecies videri non poſſunt; ſic animus perturbationibus obtenebratus, Spiritûs ſancti illuſtrationem recipere non poteſt.* quæ verba non omnimodam impoſſibilitatem ſignificant; ſed difficultatem tamen exprimunt. qualem experiuntur illi profligatæ vitæ homines, quibus ſub mortem, ſive Cacodœmon horrifico ſchemate occurrit, ſive minaci vultu Chriſtus Judex; vterq; & juſti terroris, & novarum perturbationum occaſio.

Terror cauſa eſt perturbationis ſub mortem; hæc, occaſio impœnitentiæ.

Ariſtot. topic. lib. 6. c. 3.

Apud Anton. in Meliſſa part. 2. ſerm. 77.

VII.

Hîc menti meæ obverſatur, oppugnatio illa Ieroſolymæ fatalis; cujus cùm Servator noſter meminiſſet, etiam in triumpho ſuo lacrymas fudit; liquidum piæ condolentiæ argumentum daturus, & quaſi parentaturus, ſepeliendæ inter ſuorum funera civitati. Itaq; D. Lucas in hiſtoria Evangelica, ſic de Chriſto narrat, inter feſtivos populi applauſus Ieroſolymam ingrediente: *vt appropinquavit, videns civitatem, flevit ſuper illam, dicens; quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndiq;, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem; eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Peccatũ grande nimis, ſive vrbis Ieroſolymæ, ſive civium fuit, populiq; Hebræi; Meſſiam, quem majores ſui avidiſſimis à Deo votis millies expetierunt, etiam cum ampliſſimis venientem favoribus, non tantùm turpiſſimè repudiaſſe, ſed ignominioſiſſimam inſuper in Crucem egiſſe. Hinc Auguſtino teſte, *pro graviſſimo ſcelere*

S. Lucæ c. 19. v. 41. & ſeq.

Obſidio Ieroſolymitana ſub Tito & Veſpaſiano, Imperatoribus Romanis:

S. Auguſt. lib. 1. de conſenſu Evang. cap. 11.

lere occiſi Chriſti, Judæi ex ipſa Jeroſolyma, quæ erat regni eorum caput, penitus eradicati, & Romanorum imperio ſubjugati ſunt. Sed præceſſit hanc vltimam ſtragem, & graviſſimi jugi ingens malum, arctiſſima quoque obſidio; cujus duriſſimam neceſſitatem obſidendis vaticinatus eſt Dominus, cùm dixit; *circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndiq;, & ad terram proſternent te, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Quæ omnia, quàm ex ordine facta ſint, quomodo obſeſſis omnis interclusus fuerit exitus, quomodo ſæva fames totas domos, familiaſque abſumpſerit, quomodo muri ſolo æquati ſint, quomodo vrbs tota cum nobiliſſimo templo funditus everſa fuerit, quomodo victoris Cæſaris gladius hoſtilis, in omnem promiſcuè ætatem graſſatus ſit, fecerit que Ieroſolymam ſuorum incolarum ſanguine intepeſcere, imò & erubeſcere; copioſè deſcribit Joſephus, miſerabilis tragœdiæ miſerandus ſpectator, quia gentis ſuæ clades vidit, & flevit, nullis lacrymis vnquam ſatis deplorandas.

Joſephus de bello Ind. lib. 6. c. 13. & lib. 7. c. 18.

VIII. Sed auſim confidenter dicere, totam hanc oppugnationem, quâ premebantur olim Jeroſolymæ Judæi, ludicram eſſe ac puerilem, ſi comparatio fiat cum futura illa, quâ homines, cùm moriendum erit, comprehendentur, varijs vndequaque hoſtibus in ruinam eorum incumbentibus. poteſt his ſingulis veriſſimè inculcari: *venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Eſt autem obſidio iſta bifariam diviſa; altera corpus, animam altera ſpectabit. Et corpus quidem ipſa mors vallabit, non alijs aggeribus, exercitu, machinis, arietibus, catapultis, baliſtis, præterquam morbis, & hinc conſequentium agminibus dolorum; quibus denique ita ad terram proſternetur infirmum corporeæ molis ædificium, vt nullum os ſupra alterum, eodem ſitu ſit ſtaturum. jacebunt confuſa invicem, ſine lege & ordine in ſepulchro, velut ſub pedibus victricis, ac ſibi epinicium cantaturæ mortis.

Vmbra eſt obſidionis futuræ, quę in morte comprehendet hominis Corpus.

IX. Et de anima, pretioſſima hominis, imò Numinis particula, quid dicam? profectò contra hanc, totum obſidionis robur ſudabit, & cingent longâ ſerie, tot, quaſi caſtellum, inimicæ phalanges, quot anima meminerit ſe commiſiſſe quondam perjuria, ſacrilegia, libidines, furta, dolos, & plura divinis mandatis adverſantia ſcelera. Duces quaſi totius aciei & oppugnationis, Cacodœmones erunt, de quibus appoſitè ad mentis meæ propoſi-

Et Animam.

Digitized by Google

poſitum, ſic ſcribit D. Gregorius, Romanæ Eccleſiæ digniſſimus Pontifex. *Maligni ſpiritus, animam à corpore exeuntem obſident; quàm vallo circundant, quia ante mentis ejus oculos, reductis iniquitatibus quas perpetravit, hanc ad ſocietatem ſuæ damnationis coarctant. ſuper lapidem lapis non relinquetur; quia omnis ab anima cogitationum ſuarum conſtructio diſſipatur: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

D. Gregor. M. homil. 39. in Evang.

Pſal. 145. 4.

X.

Quid putatis igitur flagitioſi, tunc ex vaticinio veſtro acturi pœnitentiam, quando & mors, & noxæ, & malus genius, humanæ gentis capitaliſſimus hoſtis, vobis vltimam, fatalemque obſidionem parabunt? quid putatis, inquam, quis vobis tunc animus erit? quanta fortitudinis conſtantia? quanta & quàm diuturna mentis ſerenitas? an nulla perturbationum ſurget materia? Senecæ doctrina eſt ad Lucilium: *plura ſunt, quæ vos terrent, quàm quæ premunt; & ſæpiùs opinione, quàm re laboramus. Illud tibi præcipio, ne ſis miſer ante tempus, cùm illa, quæ velut imminentia expaviſti, fortaſſe nunquam ventura ſint; certè nondum venerunt. quædam nos magis torquent, quàm debeant; quædam ante torquent, quàm debeant; quædam torquent, cùm omnino non debeant.* Nempe hæc de illis dixerit malis, Romanus Sapiens, quæ æterna non ſunt; ſed cum horis, diebus, vita humana tranſeunt. At enim; quia ſub mortem impij, cunctatoris perpetui ad nomen pœnitentiæ, agitur de totius mole æternitatis, & vel jactura cœli irreparabili, vel ejuſdem ſtabili lucro; non poteſt non premi, formidare, expaveſcere, turbari, homo ſibi de ſe malè conſcius, & ſuus ipſe contra ſe teſtis.

Multum perturbationis, naſcitur impijs hinc abituris.

Seneca epiſtolar. lib. 2. epiſt. 13.

XI.

Atq; ego quidem, ſi deniq; neceſſarium haberem, illam depingere animi perturbationem, quę communiter morituris diu improbis, ex ſuperveniente ipſis metu ac terrore, velut vtriuſq; appendix naſcitur; vſurparem verba illa grandia ac ſeſquipedalia, quibus olim chriſtianus Poëta vſus eſt, deſcripturus ingentem trepidationem, quæ cives Conſtantinopoli terruit, quando eam vrbem Amurathes Turcorũ Cæſar, non tantũ oppugnavit, ſed etiam expugnavit, cum æterno chriſtiani nominis dedecore, anno à Virginis partu 1453. Itaq; Poëta, & ingenio ſuo fœcundus, & ſanguine illuſtris, omnem illam conſternatorum incolarum, graviſſimam ſub tempus obſidionis perturbationem, his quatuor vocibus magnificè expreſſit:

Conturbabuntur innumerabilibus ſollicitudinibus.

CONTVRBABANTVR CONSTANTINOPOLITANI,
INNVMERABILIBVS SOLLICITVDINIBVS.

Bohuſlaus à Lobkovvitz.

Et hîc ego, quid aliud dicã, quàm vaticinantis more, hoc triſte verbũ? verè heu! nimis verè, conturbabuntur periculosè, illi aliquãdo

qui

qui ſpem totam pœnitendi diſtulerunt in exitum vitæ; quaſi tum rectè, atq; ad Dei placitum victuri, quando mori inceperint. Nemo iſtorum ſibi turpiter illudat, putetq́; metus quos inculco, lymphaticos eſſe. Non abnuo, ſubinde aliquis carnifici ſuo ſuperſtes fuit; quibuſdam gladius ab ipſa cervice revocatus eſt; neq; ſemper omnis timor, quod minatus eſt malum, advexit; ſæpe ſuſpicionibus laboramus homines, & conſternat nos illa non ſemel, quæ conficere bellum ſolet, fama.

XII. Sed mihi credite mali, quibus anni nunc toti effluunt inter flagitia ad mortem, & levis fiducia creſcit in temeritatem audendi; cùm deniq; momenta illa vltimi temporis advenerint, quo pro omni æternitate erit laborandum, non parum domi veſtræ turbabitur. quando & Mors, terribilium terribiliſſimum, vos à fronte cœperit oppugnare doloribus; à tergo opes, & deliciæ deſerendæ, lamentis, lenocinijſque; à parte dextra caro & ſanguis, ſuſpirijs, gemitibus, lacrymis; à ſiniſtra, ingens magnarum turpitudinum, ſcelerumq́; corona, veris teſtimonijs; infra fortaſſis etiam formidabiles Cacodœmonum lemures, mille accuſationibus; fortaſſis & ſupernè Chriſti ſubtriſtis vultus, ne dicam exaſperati Judicis ſcintillantes oculi, ſerijs comminationibus. Et quis impius eo articulo ita ſibi conſtabit, vt inter tam potentes turbandi animi cauſas, omni metu, ſeq; ipſo ſit ſuperior? & (quod caput eſt) ſalutis negotioſiſſimum negotium, intrepidus atq; imperturbatus, quaſi de plano quàm optimè conficiat? periculum majus eſt, quàm credi poſſit. præſertim ſi infirmitatis humanæ vires, ſuo pede metiri velimus; quas ſicut erigere poteſt Dei bonitas, in extrema fatorum linea, ita non tenetur: maximè ſæpius ad iras, & vindictam laceſſita. Quiſquis hîc vult declinare æterna præcipitia, & placidâ morte, ac ſine turbelis defungi; lubricam impietatis glaciem fugiat, ſtabilem in virtute pedem figat; denique Vermem ſuum, moleſtum conſcientiæ interpellatorem, nunquam lactet incertâ ſpe, faciendæ ſub obitum pœnitentiæ; ita ſecurior, certiorq́; de ſalute ſua, ibit ad plures.

Ex omni parte, dextra, ſiniſtra, ſupernè, infernè, antrorſum, retrorſum, &c.

Evadunt communiter hæc mala, qui pœnitentiam non differunt ad obitū.

PRO-

Digitized by Google

PROMONTORII MALAE SPEI
LIBER II.
IN QVO DECLARATVR.
QVANTVM SALVTIS PERICVLVM FACIAT IMPIIS, POENITENTIAM SVAM IN MORTEM REIICIENTIBVS,
CONSVETVDO,
ALTERA NATVRA.

RES delicata eſt Pœnitentia. ſi negligatur, ſi non rectè fiat, cœlum perditur. Diu ſanè inter manus illa agitanda eſt alea, cujus jactu regna periclitantur, & coronæ. morientibus quoq; improbis, niſi feliciter vltima ceciderit de patratis ſceleribus pœnitudo, amiſſi ſunt cœli, & tota ſalutis beatæ æternitas. vt meritò eorum, ſtuporémne dicam an inſipientiam? mirari poſſimus, qui ad illa tempora ſuam differunt reſipiſcentiam, quando jam eos mors extra hunc mundum cœperit efferre; quando etiam multa in hoc vnum quaſi conſpirant, vt difficultatem legitimè tunc pœnitendi, augeant. I.

Pœnitentia ad mortem dilata, difficultatem patitur.

Et quidem, præter illa capita, ſuperiori libro in medium producta; ſupereſt vnum aliud, quod dixerim ferè princeps, & pœnitentiæ ad mortem rejectæ, quàm maximè infeſtum; puto inveteratam malæ vitæ, irroboratamque Conſuetudinem. Notum eſt apud Theologos, ipsâ frequentiâ peccandi, potentijs animæ vitium fieri, & corruptelam; non quidem in ſe, ſed in ſuis II.

Propter habitus vitiorum relictos.

Digitized by Google

operationibus. Hinc aſſuetudine ſcelerum, intellectus circa divina, æternaq; mirum in modum obfuſcatur, voluntas enervatur, appetitus diſtorquetur, libertas conſtringitur; non ampliùs ſingula tam bene atque expeditè, ſuo munere funguntur, quia corrupta ſunt peccandi vſu, & turbata; ſimillima horologio, quod rotulis ferrugine, aut longo ſitu exeſis, ac vitioſè ambulantibus, ordinem ſervare non poteſt.

III. Eadem res explicatur aliter ab Angelico Doctore; quando diſputat, *vtrum remiſſâ culpâ mortali, tollantur omnes reliquiæ peccati?* quo nomine veniunt malæ diſpoſitiones, aut habitus nati ex conſuetudine delinquendi. Et reſpondet: *dicendum; quòd peccatum mortale ex parte converſionis inordinata ad bonum commutabile, quandam diſpoſitionem cauſet in anima, vel etiam habitum; ſi actus frequenter iteretur; & ideò nihil prohibet, quin remiſſâ culpâ, remaneant diſpoſitiones ex præcedentibus actibus cauſatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ. ſicut etiam remanet fomes poſt baptiſmum.* Mirabile eſt illud, pulchrumque apud poſteritatem facinus, quod olim Moyſes patravit in odium turpis idololatriæ. Nam poſtquam, plenus igne divini zeli, poſt habitum cum DEO colloquium, è Sinai monte deſcendit, ſpectavitque indignabundus indignos tripudiantis populi ſui choros, & velut applaudentis novo Numini, Vitulo aureo; ſcripturâ teſte, *arripiens Vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contrivit vſq, ad pulverem; quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Iſraël.* Nempe eo tempore, quo Hebræi ibant aquam accepturi, ex torrente per caſtra ſua tranſeunte; atque adeo in ipſo etiam hauſtu, dum ibi biberent, Moyſes vituli aurei ſparſit pulverem; vt Idolum ſuum contemnere diſcerent, cujus reliquias in ſeceſſum proijci videbant.

S.Thom.3. p.quæſt.86. art.5.

Reliquiæ peccatorum.

Exod.32. 20.

Cornel. à Lap. hic.

S.Hieron. ad Fabiol.

IV. *Iob.15.16.* Elegans hæc enimverò imago eſt impij, vt juſtiſſimâ pœnâ, omnis *abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem*, ſimul ſive reliquias ſcelerum ſuorum, ſive feces haurire debeat; habiturus tormentum ex idolo ſuo; puta habitus pravos ex peccato relictos; quibus infelix animus non jam fertur, ſed quaſi rapitur ad illicita; tantò vehementiùs, quantò iterata eſt culpa ſæpius. Deniq; ex conſuetudine peccandi, fit quædam neceſſitas, eò ſemper durior, quo magis ipſo vſu roboratur vitium, flagitiumq;. Maximum verò opus faceſſit, quo tempore hinc migrandum eſt impijs. Experiuntur ſanè tunc ſimile ſubmerſionis periculum, quale adire quondam ſibi viſus eſt Ezechiel, quando bonus eum Genius

Conſuetudo peccandi, quandam neceſſitatem inducit.

per

per aquam traduxit, primùm *vſq. ad talos*; deinde *vſq. ad genua*; poſtea *vſq. ad renes*; ibi ſenſim ita excrevit, intumuitque torrens, vt progredi non poſſet, niſi mergi vellet. *Ezech. cap. 47. ℣. 3. 4. 5.*

V. Ita omnino fit, quo fortiùs apud mortales invaleſcit peccandi aſſuetudo, eò minùs ſe extricant, eò propiùs accedunt ad barathrum; præſertim verò obnoxios ſe faciunt ſubmerſionis, & interitûs periculo, ſi conſueverint optima de converſione conſilia, atque reſipiſcendi conatum, remittere in ipſam mortem. Romani ſapientis gnome eſt ad Lucilium: *bono tempore vti incipias; nam vt viſum eſt noſtris majoribus, ſera parſimonia in fundo eſt; non enim tantùm minimum in imo, ſed peſſimum remanet.* Liceat mihi hæc ad pœnitentiam eorum applicare hominum, qui poſtquam totâ retro vitâ aſſueverunt peſſimè agere, bene tunc modò agere ſub mortem volunt, cùm vix agendi ampliùs facultas eſt. Profectò apud hos pœnitentia in fundo eſt; & ſi non ſolas feces, multas tamen ſecum trahit in imo. quin etiam pericula, & difficultates, & impedimenta, ne tunc rectè fiant, quæ vltimis momentis, lucrando cœlo facienda ſunt. Et hinc, velle lactare ſe, ſuæq; conſcientiæ improbum vermem, ſpe certâ ſecuturæ, ſub vltima vivendi ac moriendi tempora, debitæ pœnitentiæ, poſtquam vitam omnem impietati conſecrâſti, ridiculum eſt; ſæpe etiam exitiale. Inveterata ſcelerum Conſuetudo, & inimica virtuti eſt, & reſipiſcentiæ grande impedimentum; quemadmodum ſequenti diſputatione apertiùs commonſtrabo.

Seneca Epiſtol. lib. 1. 1. Epiſt.

Hinc ſera pœnitentia ſæpe in fundo eſt.

PARAGRAPHVS I.

Quantùm poſſit in genere Vitiorum apud mortales, CONSVETVDO.

I. MAgnum eſt robur Conſuetudini, quia ſecum quandam neceſſitatem fert, velut cujuſque rei natura ſolet; vnde à Doctis *altera natura* appellatur: & à magno Auguſtino, *ſecunda, & quaſi affabricata natura.* Ajunt mulierem annis plurimis, moleſtiſ-

S. Auguſt. lib. 6. de Muſ.

moleſtiſſimam ſocietatem pertuliſſe, cum viro quotidie ebrio. Igitur vt maritus, rectiùs ac temperantiùs diſceret vivere, temulentum eum, ſomnoq; profundè ſopitum, ac velut mortuum, humeris ſuis effert, in vetus ſepulchrum vxor. Poſt temporis aliquod intervallum, cùm jam crapulam hominem edormijſſe credidit; monumentum pede pulſat, rogatq; nemoné apud inferos cibum deſideret? eum enim, ſe more antiquo, mortuis circumferre. Evigilavit ad hos clamores vir; & quia vidit ſe in ſicco jacere, vt natare poſſet, non eſcam, ſed potum largum, & amphoras, & congios optimi liquoris poſtulavit. Hîc mulier & triſtari, & lamentari, & pectus ſuum plangere, quando advertit nullâ re meliorem fieri maritum poſſe; ipſúmque morbum vitioſâ conſuetudine firmatum, in naturam abijſſe. Perelegan ter olim inſtructurus Aſcetam Dorotheus, hæc monuit; *cùm aliquis oppugnatur, aut affligitur ab aliqua vitioſa paſſione & cogitatione; ſi ad actum illam perducit, & opere complet; ſciat paſſionem illam validiorem fieri, ac robuſtiorem adversùs eum; ipſe enim invaleſcere eam facit contra ſe, & veluti vires quaſdam illi ſuggerit, vt magis eum oppugnet, & affligat.* Hoc ſi verum eſt, quando ſemel ſibi homo malè indulget: quanta excreſcet difficultas, vbi ſæpius admiſerit cavendas illecebras? ea tum vis eſt aſſuetudinis, vt quaſi reluctantem trahat ad ſolita.

Conſuetudo, altera Natura.

Exemplo Ebrioſi.

Doroth. ſerm. 15.

II. Neque longè opus eſt abire. hoc me qui ſupra, Dorotheus pulcherrimè docet, cùm ipſe ſequentem ſui temporis memorat hiſtoriam, confirmandæ veritati. *Audite rem multis lacrymis proſequendam. Cùm eſſem in cœnobio, Abbas de ſeniorum ſuorum conſilio, ſpiritualium rerum provinciam mihi injunxit. Quâdam igitur die, venit ad me quidam è fratribus, & dicit mihi: da mihi veniam, obſecro Domine, & ora pro me; quoniam & furtim ſurripio, & comedo. Ajo ad eum; cur iſtud agis? eſuriſné? reſpondit, certè equidem; neq; enim mihi ſatis eſt, quod in communi fratrum menſa exhibetur; nec audeo quidquam aliud poſtulare. Ajo ad eum, cur Abbatem non adis, & neceſſitatem tuam illi inſinuas? ait ille, pudore teneor & erubeſco. Vis inquam, ego illum conveniam, & tuam ipſius neceſſitatem inſinuem? age inquit, vt libet Pater. Conveni itaque Abbatem, & rem illi totam (*vt erat*) expono. Abbas verò, fac inquit, vt bonum tibi videtur, & curam illius habe. Tunc aſſumpto illo fratre, ad Oeconomum me confero, & ajo ad eum: quâcunq; horâ frater iſte ad te venerit, da illi vt edat, quantum vult, nihilq; prorſus illi denegare velis. Faciebat hoc ille, vt juſſeram. Non multos verò poſt dies*

Doroth. ſerm. 11.

Exemplo Furis.

venit

Digitized by Google

venit ad me iterum frater ille. Et ignoſce mihi inquit, pater, iterum cœpi & furari, & furtim comedere. Converſus ad eum; cur hoc, inquam, agis frater? num Oeconomus denegat tibi quod petis? ait ille nequaquam; immò quidquid peto, libenter exhibet, ſed ego potiùs erubeſco. Tunc ego, erubeſceres inquam, de me? reſpondit: non. Veni ergo inquam ad me, & ſume quidquid velis, & noli poſt hac ampliùs furari. Fortè tunc mihi cura erat infirmorum & ægrotantium. accedebat igitur ad me, & quidquid illi opus erat, ſumebat. Poſt aliquos dies cœpit denuò furari, & venit ad me triſtitiâ & mærore confectus: En inquit Pater, denuò furor. Cur inquam mi frater? num denego tibi aliquid ex his quæ petis? ait: nihil certè. cur igitur inquam furaris? Reſpondit; ignoſce mihi pater, neſcio equidem, cur id faciam. Dic mihi inquam re verâ, quid agis ex his, quæ furaris? Reſpondit, aſino ea appono; atq; ita inventum eſt; furabatur enim fabas, palmulas, ficus, cæpas, & alia id genus, quæ poterat invenire: quæ quidem omnia partim ſub lectulo ſuo, partim quocunq; alio in loco poterat, occultabat. Demùm, cùm quid ex eis ageret, non inveniret, vbi putrida & corrupta effecta erant, aſino ac jumentis ea apponebat. Subjungit dein hujuſmodi epiphonema Dorotheus: *En fratres, quàm miſerum ſit paſſiones habere tam inolitas, & in habitum prolapſas.*

Nempe conſuetudo vitiorum vbi ſemel invaluit, pro imperio eſt, & legem facit. tardè & difficulter eruitur, quod altè jactum eſt. clavus eò firmiùs hæret, quò fixus eſt profundiùs à gravi manu, malleoq;. Denique etiam, cùm tenera adoleſcentia malos mores imbibit, ſervat ad devexam ætatem, aſſuetudine in naturam tranſeunte. Et ſtabilit hanc veritatem Sapiens, quando memor veteris parœmiæ, ait: *proverbium eſt, adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Quiſquis à puero exercuerit hiſtrionicam, etiam decrepitus perget ludere & ineptire, & inter ſeria jocari. Si quem poſt cunas, venationis, aucupijq; ſtudium cœperit, inter canos quoque cum voluptate tenebit. Juvenis qui intemperanter amoribus mentem adijcit, etiam amabit, & delirabit ſenex. Nemo à primis annis aſſuefacit manus turpi otio, ventrem epulis genialibus, gulam herculeis poculis, corpus animumque fœmineis delicijs, quem non eadem in ſenectute ſuaviter afficiant. Quæ adoleſcentes diſcimus, agimuſque, grandævi difficulter deſerimus: ſimiles recenti teſtæ, cui odor mordicus adhæret, quò primùm imbuta eſt. ita ſemper arridet illud homini, cui aſſuevit ab adoleſcentia. III.

Quibus aſſueſcimus Iuvenes, adhæremus ſenes.

Proverb. 22, 6.

Et documento eſſe poſſunt Hebræi, poſtquam è longiſſima Ægyptiorum ſervitute, eos in ſuſpiratam toties libertatem vindi- IV.

 cavit

Teſtes ſunt Hebræi:

cavit Deus. Nam quia illius populi cibis, ab infantia aſſuefacti ſunt; puta non tantùm carnibus & piſcibus, ſed leviſſimis quoque edulijs, neq; vni faſtiditis; peponibus, cæpis, porris, allijs, cucumeribus; hinc nauſeanti jam ſtomacho pretioſa, ipſum quoq; delicatiſſimum manna diſſipuit; quod in magnum famis ſolatium, majus ſingularis benevolentiæ argumentum, maximum ingentis teſtimonium amoris, errantibus per deſertum quadraginta adeò annis, quotidie Numen è cœlo depluebat. Murmurantis in eremo plebeculæ querimonias, ſic recenſet Moyſes. *Vulgus promiſcuum flagravit deſiderio, ſedens & flens, junctis ſibi pariter filijs Iſrael, & ait; quis dabit nobis ad veſcendum carnes? recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq; & cæpæ, & allia: anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man; anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo.*

Num. 11. à ℣. 4. & ſeq. ad 7.

Præ cæpis & allijs, quibus cõſueuerant in Ægypto, faſtidientes manna in deſerto: *Num. 21. 5.*

V. Hem! procacem petulantium Hebræorum audaciam! Itáne verò delicata vobis gula eſt, vt panis ille, cui cœlum furnus, ignis amor, piſtor Deus fuit, nauſeam faciat? ille inquam panis, in quem veriſſimè dixeris, omnium ciborum cupedias, deliciaſq; confluxiſſe? ſic enim veſtræ quondam gentis ſapientiſſimus Rex, liberaliſſimum Deum alloquitur: *Angelorum eſcâ nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. Subſtantia enim tua* (hoc eſt Manna) *dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat; & deſerviens vniuſcujuſq; voluntati, ad quod quiſque volebat, convertebatur.*

Sapient. 16. ℣. 20. & 21.

VI. Igitur, vt Doctores advertunt, manna olim ſimile granis ſaccari, quo ad colorem, ſaporem, & figuram, dupliciter ſapuit; ſemel ſecundùm illum ſibi congenitum ſaporem, qualis ineſt ſaccaro. Poſtea verò ſapiebat omnia alia, quorum guſtum humana cupiditas deſiderabat. Iamq; nihil vſquam vnquam regijs menſis illatum fuit ex aviarijs, piſcinis, culinis, cujus ſi vellet, delicias non perſentiſceret viliſſimus quiſq; è plebe agaſo; ſolum vnicumq; deſiderium fecit, vt manna illud saperet, & nobiliſſimos piſces, & omnis generis carnes, gallinas etiam, & pavones, & phaſianos, & perdices; denique totum illud, quod ſive rarum in cibo, ſive pretioſum in condimento, ſive artificioſum in coquo, orexin concitare poteſt. Et erat ſanè perquam jucundum, ſine magnis expenſis, vnumquemque in ferculo vno, infinita reperire; in vnico manna, omnes omnium menſarum lautitias poſſidere; jamque velut regem, regiè, hoc eſt, ſuaviter, pretioſè, dapſiliter comedere, ſupra omnes Helio-

Cornel. à Lap. in cap. 16. Exod. 31.

Hoc eſt: ciborum omnium mirabile compendium.

Digitized by Google

liogabalos, Vejos, Alexandros, Antonios, Cleopatras; & quidem in victu parabili, vnoq; pane. Et tamen pulcherrimum hoc ciborum omnium, ſaporumq; compendium, manna, neſcio majore inſolentiâ, an ſupercilio? faſtidivit Hebræus populus. Nam quoties in mentem venêre pepones, cucumeres, porri, cæpæ, allia (quamquam & horum poterat guſtum invenire in manna) jam hoc præ illis viluit. Conſuetudo vſq; adeò ejus gentis corrupit ſive palatum, ſive voluntatem, vt mallet proprios ſapores in nativa ſubſtantia, aſſuetiſq; guſtare cibis, quàm in alienis, atq; inſolitis.

VII. Idem nunc multis mortalibus eſt ingenium. nauſeant divina, faſtidiunt cœleſtia, pietatem virtutemq; excutiunt; ſectantur interim humana, prenſant terrena, vitium voluptatemq; aucupantur. Et quid hoc aliud eſt, quàm turpiter à manna tranſire ad pepones, & cucumeres? qui ſicut nihil habent ſoliditatis, ita documentum ſunt vanitatis, nunquam ſatiaturæ cor humanum. dum incipiunt malæ illecebræ hominem afficere, jam ſpectant ad finem; in ipſo vſu ſui pereunt. fluxi ſunt pepones ac cucumeres; vnde nati fuerunt, illuc redeunt, quando diffluunt in aquas. Sæpe etiam mortem adferunt, nec ſine clade comeduntur; malum omnino condimentum eſt, quoties voluptati miſcetur interitus, præſertim æternus. qualē poſt ſe relinquit omnis oblectatio, ex gravi ſcelere hauſta. Quid verò allia, porri, cæpæ, præſtant homini? nihil ferè præter lachrymas ex oculis provocatas, & fœtentem ex ore halitū, gravemq; totius corporis animam. Sed auſim dicere; cōſcientia omnis, cui vetitæ deliciæ lethalē affricuere maculam, turpiorē mephitim cœlo exhalat.

Similes Iudæis ſunt illi chriſtiani, qui cœleſtibus terrena præferunt.

VIII. Iam verò ad manna veniamus, Virtutem inquam; cujus tantò majus eſſe debet pretium, quantò ampliùs voluptatem antecedit dignitate. Vis audire diſtantiam vtriuſq;? Seneca Philoſophus Romæ ſapientiſſimus, id te docet accuratiſſimè, quando beatam vitam ſuis coloribus deſcripturus, ita inter ſe Virtutem ac Voluptatem confert. *Altum quiddam eſt Virtus, excelſum, regale, invictum, infatigabile. Voluptas humile, ſervile, imbecillum, caducum, cujus ſtatio ac domicilium, fornices ac popinæ ſunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, coloratam, calloſas habentem manus. Voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem: circa balnea ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia; mollem, enervem, mero atque vnguento madentem, pallidam, fucatam, ac medicamentis pollutam. Nunquam recta mens vritur, quia ſemper ſecuta eſt optima. At voluptas tunc, cùm maximè delectat, extinguitur, & tædio eſt, & poſt primum impetum, marcet.*

Seneca lib. de Vita beata cap. 7.

Vitijs Virtutem.

Virtutis genuina imago & deſcriptio.

Neſcio

Digitized by Google

Neſcio quid ab homine gentili dici potuerit excellentiùs, ſive in vituperium malæ voluptatis, ſive in commendationem probatæ virtutis. Profectò virtus, & quidem christiana virtus, vbique laborioſa eſt, vbique infatigabilis, vbique invicta, regalis, excelſa: nemo meliùs aget fortia, nemo fortiùs patietur indigna, quàm christianus virtute inſtructus. Illâ magiſtrâ, ad Dei leges componitur; ſic vivit quomodò illa præſcripſit. etiam per vulnera, & ſui ſanguinis rivos, tueri honeſtatem poſſe, pulchrum arbitratur; tum ſtaturus in apice gloriæ, quando infra ſe mollem, turpemque calcaverit voluptatem.

IX. Quamquam neque virtus abſque voluptate omni, advenit poſſeſſori ſuo, quia ſecum adfert ſinceram animo lætitiam, libertatemque. Addo; & hujus vitæ quandam beatitudinem. Nam vt cum Seneca iterum loquar: *quid prohibet nos beatum dicere liberum animum, & erectum, & interritum, ac ſtabilem, extra metum, extra cupiditatem poſitum? cui vnum bonum ſit honeſtas, vnum malum turpitudo? hunc ita fundatum neceſſe eſt, velit nolit, ſequatur hilaritas continua, & lætitia alta, atq; ex alto veniens, vt quæ ſuis gaudeat, nec majora domeſticis cupiat.* Ita eſt, nuſquam minor metus, major pax, ſincerius gaudium habitat, quàm vbi virtus ad clavum ſedet, & pro poteſtate dominatur.

Seneca lib. de beata Vita cap. 4.

Virtutis vera & ſincera voluptas.

X. Atque hæc denique omnia, efficiunt illud, vt veriſſimè ac ſine fuco, virtutem dicere poſſimus ſimilem cœleſti manna; hoc eſt, pani apud Angelos primario, quem ſacra pagina fatetur continuiſſe in ſe, *omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitatem.* Mihi crede, nihil dulciùs aut ſuaviùs eſt, quiete mentis; animus per virtutem in tuto collocatus, & omnibus ſuperior terroribus, inæſtimabile bonum eſt, divinum manna eſt; compenſatque ſui dulcedine, minutas illas, & frivolas, & non perſeveraturas delicias; quales peponum, & cucumerum illecebræ ſunt, item cæparum, alliorumque; ſi quæ tamen hîc materia eſſe poteſt provocandæ orexis. Et nihilominùs, pro vitio noſtræ mortalitatis (quod gens olim fecit Hebræa) plurimi nunc agunt, manna ambroſiâ plenum deſerunt, curruntque ad hortorum poſtremos fructus; hoc eſt: Virtutis ſive neglectores, ſive contemptores, properant ad oblectationum illicitas turpitudines. Nempe conſuetudo illa, quæ Iudæis olim vnica quaſi regula fuit ſuæ inſaniæ, etiam christianos non paucos, facit ſtulteſcere: vt præponant vilia pretioſis, nocitura profuturis, caduca æternis, voluptates virtuti: vno verbo pepones, cæpas, allia, cucumeres, divino illi, & nectareo manna.

Innata virtuti ſuavitas, cum manna ſimilitudinem habet.

Neq;

Neq; aliud hinc naſci poteſt, quàm illud, quod apud Iob conſignatum eſt; *oſſa ejus implebuntur vitijs adoleſcentiæ ſuæ, & cum ipſo in pulvere dormient.* Quorum verborum hæc eſt interpretatio. hominem primis annis aſſuetum peccato, vitijſque, etiam cùm juvenilis æſtus in ſenectute deferbuerit, difficulter eadem relicturum. Planè ad mentem ſancti Hieronymi, qui Matrem docturus, vt rectè filiam inſtituat, ſic ait: *difficulter eraditur, quod rudes anni perbiberunt. lanarum conchylia, quis ad priſtinum candorem revocet? recens teſta diu & ſaporem retinet, & odorem, quo primùm imbuta eſt.* Poteſt & alia eſſe ſententiæ modò allegatæ explicatio; nempe, vbi cadaver, gravibus flagitijs contaminatum, ſepulchro illatum fuerit, cum ipſo quoq; commoratura, quæ vitam non deſeruêre, inolita ſcelera. Et quemadmodum non rarò corpori ſua tabes eſt, quæ in ipſis viſceribus hæret, nullis medicinis ceſſura; donec tandem velut mala ſcintilla, ſub cineribus corpuſculi deliteſcens, eâdem tumuletur humo: ſic nimirum diuturnitas aſſuetudinis facit, vt vitia intra ipſa quaſi oſſa, medullaſq; animæ, altis radicibus firmata, deniq; aut idem monumentum cum homine intrent; aut ſaltem (ſi in morte ejuſdem expiraverint) dum vivit, nequaquam deſerant. XI.

Iob. 10. 11.

D. Hieron. epiſt. ad Latam, de inſtitutione filiæ.

Vitia adoleſcentiæ, fere ſequuntur hominem ad ſenium, mortem, ſepulchrũ.

Et habes meæ interpretationis ſuffragatorem, Gregorium M. cujus iſta eſt luculenta ſanè doctrina, in propoſito argumento. *Vitia improbi, cum eo dormire in pulvere, eſt, vſq; ad pulverem eum non deſerere; id eſt, vſq; ad mortem ab iniquitate minimè ceſſare; tenent igitur illum pravæ conſuetudines, quæ ſemel cœperunt, & quotidie duriores exiſtunt, & cum ipſo in pulvere dormiunt. quia non niſi cum ejus vita finiuntur.* Atque hæc ipſa cauſa eſt, cur peccandi aſſuetudo, altera velut natura, circa pœnitentiam ingens faciat negotium morientibus impijs, majus periculum; & niſi hoc evadant, maximum damnum; quia æternum. Sed nunc videamus particulatiùs, quantâ reſipiſcendi difficultate, conſtringantur illi in morte homines, qui nunquam didicerunt bene, ſemper conſueverunt malè vivere. XII.

D. Gregor. M. in locum cit. Iob cap. 20.

Et dormiunt cum illo in eodem pulvere.

T PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS II.

Aſſueti negligenter tractare Res Sacras, & Verbvm Dei, Quàm difficulter ad frugem veniant, ſeriamque pœnitentiam in Morte.

I.

Ammianus Marcell. l. 2. Baron. ad annum Chriſti 278.

Fideles nonnunquam infidelibus ſunt deteriores.

Ad Rom. 1. v. 21. & 22.

MVlta in Iudæos (orbis nunc communeodium) turpitudinis ſuæ, malitiæq; elogia, paſſim decantata ſunt. Quale illud vnū fuit, quod M. Aurelium Imperatorē olim enunciâſſe, Ammianus Marcellinus tradit his verbis: *cùm Palæſtinam tranſiret, Ægyptum petens, fœtentium Iudæorum, & tumultuantium ſæpe tædio percitus, dolenter dicitur exclamaſſe: ô Marcomanni! ô Quadi! ô Sarmatæ! tandem alios vobis deteriores inveni.* Liceat mihi hæc paululum verba, aliter diſponere, & cùm intimo doloris ſenſu exclamare: ô Iudæi! ô Turci! ô Barbari! tandem alios vobis deteriores inveni. & quidem christianos, & quidem orthodoxos Eccleſiæ Catholicæ filios; ſed heu! degeneres. nempe eos, qui poſtquā beneficio veræ fidei, *cognoverunt* DEVM, *non ſicut* DEVM *glorificaverūt: ſed evanuerūt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*

II.

Laus Nobilium divino cultui addictorū.

Ignoſcite ô boni, non vos peto, ſed malos quoſdam. parcite etiam plebei, nec vos ferire animus eſt, ſed ex Nobilitate aliquos; illam ſcilicet partem, quæ meretur vulnus, imò & indiget, vt ſanetur. Scio pluribus Germaniæ noſtræ provincijs, quanta ſit religio, quantus in locis ſacris magni DEI cultus; meminerunt ex Numinis præcepto, ſanctificare diem Sabathi, non tantùm populus, ſed nobiles etiam; principes quoque & Duces, cum aulæ ſuæ comitatu. Iamq; dum ſacris operatur Myſtes, dùm Eccleſiaſtes ex pulpito dicit, paſſim nemo vnus dicenti, operanti, moleſtus eſt, pendent omnes ex vtriuſq; ore. non ſolùm inurbanum creditur, ſed etiam piaculum, interloqui, ſcelus nugari; omnia apud iſtos proſcripta ſunt, quæ tēplum dehoneſtant, religionem profanant. Neq; pulchrius eſt aliud ſpectaculum, quàm totam nobilitatem videre mutam, toti aulæ ſilentium

lentium eſſe ſacroſanctum, quando loquitur concionator, & ſacerdos facit. Ea vis eſt exempli apud principes; trahunt ſuâ modeſtiâ palatinos vniverſos, cum gynæceo ad pietatem.

III. Sed nimirum, vt hæc prædictis in locis optima conſuetudo, laudabilis eſt; ita homines alij quibuſdam in terris, ſuis vtuntur moribus, ſanè improbandis; quia in contemptum DEI, diviniq; cultûs, non ſine grandi injuria cedunt. Meminit cum dolore animus, quæ mei alicubi ſępius oculi viderunt; ſcilicet è nobilitate aliquos, vtroque in ſexu, poſtquam totam hebdomadem profanis negotijs conſumpſerunt, veriùs combuſſerunt vanitatibus conſuetis, delicijſq; cùm die feſto ad templũ venerint, præter cõfabulationes, levitates, jocos, riſus, nugas, procationes, tractare nihil: & hoc quidem ex recepto vſu, nullaq; ratione habitâ, ſive ſacerdotis in ara, ſive oratoris in cathedra. Deniq; putãt ſe abundè ſatisfeciſſe chriſtiano muneri, ac nomini, ſi ad conſpectum elevatæ hoſtiæ, ſemel atq; iterum, frigidâ manu glaciale pectus pulſaverint; redeunte mox ad alienum ſexum vultu, tergo altari, DEOq; indecenter oppoſito.

Vituperiũ Nobilitatis indevotæ.

IV. Quid ni hîc repetam illud, ô Iudæi! ô Turci! ô Barbari! tandẽ alios vobis deteriores inveni! etiam chriſtianos, etiam Catholicos, etiam nobiles, tantò ampliùs deflendos, quantò longius ab avita majorum pietate recedunt; quæ ſola veræ nobilitatis, aut mater, aut nutrix eſt. Experientia comprobat, & Hebręos hodieq; in Synagogis, & Turcos in Moſchæis, & barbaras gẽtes in fanis, ſuperſtitiones ſuas, quàm poſſunt religioſiſſimè perficere; nemo ibi audet interſtrepere, nemo preces interrumpere, nemo ſacrificulum perturbare. Et habeo ex ore Illuſtriſſimi cujuſdam Internuncij, Conſtantinopolim miſſi à Ferdinando III. Cæſare; apud Saracenos, ſicut blaſphemia omnis cõtra DEVM graviſſimè proſcripta eſt, ita nefas eſſe in templo, vana miſcere colloquia, aut ſerijs precibus jocoſas interſerere confabulationes. ſolere etiam profanatam ſacri loci religionẽ, ignominioſâ peccantis ejectione mulctari. Heu mores! heu tempora noſtratia! quibus frons apud nobiliores aliquos, de Catholicorum grege, ita depuduit, vt non ampliùs erubeſcant, cùm in eccleſijs faciunt erubeſcenda. niſi fortè ideo arbitrentur, non ampliùs eſſe pudendas in templis levitates, quia invaluerunt.

Chriſtiani in templis irreligioſi, deteriores ſunt Iudęis, Turcis, Barbaris.

Fuit Illuſtrißimus Dominus Michael Kunſkhi, Sereniſsimi Leopoldi Archiducis Auſtriæ, Camerarius.

V. Audiant quæſo immodeſti, audiant garruli, vani, profani, quid de hoc argumento, jam olim facundiſſimus Ambroſius conſignaverit. *Eſtne quidquã indignius, quàm oracula divina circumſtrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur? circumſonare ſacramenta confuſis vocibus, vt im-*

S. Ambr. lib. 3. de Virg.

Vapulant à S. Ambroſio.

pediatur oratio, pro ſalute deprompta omnium? cùm gentiles idolis ſuis reverentiam tacendo referant. vnde illud exemplum proditur; Alexandro Macedonum Rege ſacrificante, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepiſſe ignem brachio, atq; aduſto corpore manſiſſe immobilem, nec dolorem prodidiſſe gemitu, nec tacito pœnam indicaſſe fletu: tanta in puero barbaro fuit diſciplina reverentiæ, vt naturam vinceret. Atq; ille non Deos, qui nulli erant, ſed Regem timebat.

VI.

Verùm magis vrget facundiſſimus Oratorum Chryſoſtomus. *An non videtis,* inquit, *volentes dignitatem à terreno Rege accipere, quomodo aſſident, quomodo alios ad patrocinandum incitant, vt potiantur eo, quod quærunt? Hæc ego dixerim ad eos, qui Sanctorum communionem, & congregationem relinquunt, & ſub horam terribilis myſticæ menſæ, in vaniloquentiæ conventiculis occupati ſunt. Quid facis homo? non promiſiſti Sacerdoti, qui dixit: ſurſum mentem & corda, & dixiſti, habemus ad dominum? non revereris & erubeſcis? & illâ ipſâ horâ mendax inveniris? papæ! menſa in myſterijs inſtructa eſt, & agnus* DEI *pro te immolatur, ſacerdos pro te erigitur, Seraphin adſtant, ſex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ virtutes pro te cum ſacerdote intercedunt, ignis ſpiritualis è cœlo deſcendit, ſanguis in cratere in tuam purificationem, ex immaculato latere hauſtus eſt: & non erubeſcis, revereris, & confunderis, neq;* DEVM *tibi propitium facis? Non conſcientia tua judicat te ô homo? Centum ſexaginta octo horas habente hebdomade, vnam & ſolam horam, ſibi ipſi ſegregavit* DEVS. *& hanc in opera ſæcularia, & in ridicula, & in conventicula inſumis? cum qua poſtea fiducia ad myſteria accedes?* Deniq; vt perſuadeat dicendo Chryſoſtomus, addit pro epilogo preces, magnum robur ad permovendos animos, etiam obſtinatorum mortalium. *Quocirca fratres oro vos & obſecro, ne abſimus ab Eccleſijs, neq; in alijs colloquijs occupati ſimus; ſtemus trementes & timidi, demiſſis oculis, gementes ſine voce, jubilantes corde. An non vides eos, qui ſenſibili, corruptibili, temporali & terreno Regi aſſiſtunt, quàm ſint immobiles, non loquentes, non oculos huc & illuc mittentes; ſed mæſti, territi, lugentes? Ex ipſis documentum accipite, & ſic aſſiſtite* DEO, *quaſi terrenum Regem acceſſuri. Multò magis cœleſti Regi cum timore adſtare oportet. Hoc ſæpe dico, & dicere non ceſſabo, donec correctos videam.*

S. Chryſoſt. ſerm. de Euchariſtia. tom. 3. operum.

Multò magis à S. Chryſoſtomo.

VII.

Materia confabulationis indigna, tempore ſacrorum in templo.

Vtinam! quos ſive propria virtus, ſive natales ſui evexerunt ſupra plebem, & nobiles eſſe juſſerunt, non viles animas circumferrent, ſed dignas DEO; & tunc maximè auctoris ſui memores, quando Numen ſibi in templo præſens habent. Sed proh dolor! nunc ea eſt temporum, morumque corruptela, vt credant aliqui, nobilitati ſuæ indigna ſe facere, ſi vel diviniſſimis my-

Digitized by Google

ſterijs intenti ſint, vel concioni. Hinc paſſim diſperſi per ſacram ædem, & velut in plures cuneos conglobati, ore liberrimo, examinant curiosè nova; interrogant de ſtructis ad luxum epulis, ſpectaculis theatricis; ordinant futuros ad veſperam ludos, parant in craſtinum ſaltationes, diſponunt de venationibus, aucupijs, conventiculis; ſæpe etiam catellus, ſimia, pſittacus, materia ſunt longę confabulationis; ſæpius aliena vitia; ſæpiſſime amores, & amaſij, amaſiæq;, & amantiū inter pares ambitio, & repudiantium ſuſpicio, & repudiatorū querimoniæ, & Veneris ac Cupidinis amica jurgia.

Hæcque talia grandis inſolentiæ verba, quando dicentis è pulpito aures verberant (quodque pronum eſt) patientiam quoque everberant: vt monere ſuaviter incipiat, ſeu etiam carpere pro roſtris animoſiùs, quæ ferenda non ſunt; tunc denique nobilitas in fermento eſt. Et fuit, quæ ex Gynæceo diceret de quodam, hujus generis vitia reprehendente Oratore: putat mundum ſe velle alium formare, fruſtra eſt; non mutat hic vultum ſuum, moreſque. Quot hîc verba audis, tot ſigna habes, chriſtiani ſcilicet, atque ad virtutem aſpirantis animi. Aliæ auſæ ſunt publicè jactare, Gynæceum impatiens eſſe correctionis, neque leges à concionatoribus accipere: extra alienum ſe imperium vivere, præſertim Eccleſiaſticorum; ita jam aſſueviſſe, vt nec in templo quidem admittant cenſuram pulpiti. audirent cæteri declamatorem, ſibi lubitum eſſe, familiariter invicem colloqui, ac confabulari. VIII. Digna caſtigari.

Sed itáne verò? an vos, illuſtrior virorum, fœminarumque portio, exempti eſtis ſacro magiſterio? neque ex orcheſtra audebit concionator, quæ ipſo inſpectante perperam agitis, dictione ſuâ caſtigare? non credo; & ferit vos ſerium Dei præceptum, non tantùm Iſaiæ Vati, ſed omnibus illis pariter injunctum, qui formandis hominum moribus, officium legitimè acceperunt. Itaque Deus, vt animos adderet, fortaſſis trepidanti Iſaiæ, ita eum hortatur: *clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Cui admonitioni, pulchrè ſubnectit aliam hujus loci commentator, aitque. Notent Concionatores, ſe non eſſe tibias, ad voluptates & plauſum modulantes; ſed tubas vt claſſicum canant ad arma, ad bellum contra peccata, & concupiſcentias jugiter ineundum. Hauſitque doctrinam hanc, ex magno fonte Auguſtino, qui ſuper eadem Prophetæ ſententia, iſta monet. *clamare ergo jubemur, & vehementer clamare. ne pareas inquit, id eſt, peccatoris iniquitati, ne tacendo pereas; & dum verecundiæ ejus conſulis,* IX. Adhortante ſcripturâ, & Patribus. *Iſa. 58. 1.* *Cornel. à lap.* *S. Auguſt. ſerm. 106. de temp.*

 ſulis,

Digitized by Google

ſulis, non conſulas ſanitati; ne vulnera illius, quæ clamando reſecare poteras, reticendo in pejus enutrias. Scitis, quia tuba non tam oblectationis eſſe ſoleat, quàm terroris; non tam delectationem præferre, quàm inferre formidinem.

X.

Etiam Nobilitas, in templo contra religionem peccans, non debet eſſe exempta à reprehenſione.

Putabit hîc non nemo, ipſum me jugulum meum petere; quia enim cum Iſaia, jubetur Eccleſiaſtes, populo ſua flagitia, tanquam deteſtabile malum obtrudere; Nobilitas autem ſupra plebem multum elevata ſit, hac ipſa ex cauſa, videri exceptam. Sed mihi perſuadent contrarium novi, ac noſtratis teſtamenti ſanctiſſimi Patres, qui intellecto genuino mandati divini ſenſu, nihil habuerunt antiquius, quàm in ſummis quoque capitibus increpare ſcelus. Atque vt alios complures ſilentio prætercam, ſolùm in medium produco, quem paulò ante allegavi, Chryſoſtomum, virum non tantùm eloquentem, ſed etiam propoſiti ſui conſtantem; præſertim quando adversùs purpuras & ſceptra peccantia, eum animavit zelus Numinis. Evenit, vt ſive plebecula, ſive proceres, argenteam Eudoxiæ Auguſtæ ſtatuam, ſuper columna quondam porphyretica, adulandi placendique ſtudio, erigerent juxta Eccleſiam; itaque, ſicut mos habebat in regiarum dedicatione imaginum, ludi ad eam populares celebrari cœpere, pro templi foribus; ſed non ſine magna rerum divinarum contumelia, ac turbamento. Itaque Chryſoſtomus, quemadmodum vniverſim ſpectacula, ac ſpectatores, eſt acerrimè inſectatus; ita contra Eudoxiam Imperatricem, ſive potiùs ejus imaginem, publici ſcandali, magnique incommodi originem, orſus eſt invectivam.

Spondanus ad annum Christi 404. num. 3.

XI.

S. Chryſoſtomus inſectatus eſt ſtatuam Eudoxiæ Auguſtæ, ante templum, materiam ſcandali.

Quæſo te Antiſtes cordatiſſime, quid moliris? vis dentes tuos armare in ſtatuam, & populi ludos? vide ne ludus fias, vbi ſerius eſſe vis; vide ne dum imaginem petis, Eudoxiam ferias, Auguſtam inquam; oportet hic parcè agere: nobile Gynæceum non eſt patiens correptionis; quantò minus caput Gynæcei, Imperatrix? nemo contra tales, facilè Jupiter eſſe poteſt; antequam fulmen ſuũ jaciat, ipſe ſternitur. nimis delicata, nimis inſolens eſt majeſtas, quæ diademati inſidet, coroniſq;. Sed noſter Chryſoſtomus, inter hos non panicos metus, illius continuò memor, *clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam*, nequaquam abſtitit detonare adverſus Eudoxiæ ſtatuam. donec cauſam ſuam evicit, tulitque dignum operæ præmium, ſcilicet exilium grave; ſed meritorũ, gloriæq; novum ſeminarium. Ita denique, cùm Eudoxiæ furor, vltra Viro nocere non poſſet,

Con-

Digitized by Google

Conſtantinopoli exceſſit: exulaturus quidem, ſed triumphaturus ſimul de improbitate.

XII. O! ſi hodieque ſuperviveret hic ſacer Pontifex! quid putamus ageret, vbi intra templum videret indigna fieri, quæ ſępius ego ſpectavi; quando etiam pati noluit inſolentias præ ejus foribus exercitas? Et obſecro, ſi ſtans ipſe in cathedra, audiret aliquos ex ordine equeſtri, aut è Gynæceo aliquas, clariſſimè confabulantes, cùm grandi præſentium, ipſiuſque Oratoris moleſtia, credimus diſſimularet? ſi alias conſpiceret geſticulari ſub incruento miſſæ ſacrificio, & mutuis ſignis, riſu, vellicationibus, colludere, credimus conniveret? ſi ante diviniſſimum ſacramentum, intueretur volantem vnius in alterius caput excuſſam palmam, pugnumq; arbitramur ſilentio tranſiret levitatem? ſi conſecraturus in ara ſacratiſſimum Chriſti corpus, ſanguinemque totius orbis pretium, exciperet aliquas inter cachinnos & jocos, alijs dicere obvia inſaniæ verba, & ſtulti amoris indignos ſermones; ſi videret diverſi ſexûs ad invicem colludentes nictus, nutuſque, procationis ſigna: ſi inquam hæc talia, Chryſoſtomus noſter, ipſe ſuis oculis auribuſque perciperet fieri in templo, & quaſi ex conſuetudinis lege fieri, & à pluribus vtriuſque ſexûs ex nobilitate fieri, & fieri dum fervet in pulpito Orator, ſacerdos in ſacrificio, cum ſumma amborum indignatione, putamus taceret? & velut piſcis obmuteſceret? non ſanè; ſed pro dignitate Verbi divini, myſteriorum cœleſtium authoritate, immunitate ſacrarum ædium, totis viribus declamaret; inculcaturus chriſtiani nominis, fidei, ſabbathi, feſtorum dierum arctiſſimam obligationem. Neque dubito, vt incaleſceret nobilitati ad pietatem animus, fulmina è cœlo, flammas ex inferis evocaret, combuſturus illa profanatæ religionis dedecora; quæ etiam in poſteris nobilibus, Majores damnarent & parentes, ſi redivivi intuerentur in ſuis, ſua velut probra.

Quid faceret, ſi hodie videret aliquorum levitates, ſub officijs divinis?

XIII. Et ne putes, meram eſſe conjecturam, quam de mente Sancti Chryſoſtomi facio; hem tibi, ipſa ejus verba allego, quæ olim in cathedra Antiochena, ad circumfuſam ex omni ordine, ſtatuque concionem, prolocutus eſt; aures quæſo benevolas præbe tanto Antiſtiti, & jam inter Divos relato. Itaque Chryſoſtomus graviſſimam auditoribus ſuis quæſtionem movet, ſuper eorum felici olim, aut infortunatâ æternitate. *Quot eſſe putatis* (inquit) *in civitate noſtra, qui ſalvi fiant?* Hæſerat cum illo, attonita multitudo, gravitate argumenti. Et vir ſanctus, poſt

S. Chryſoſt. hom. 40. ad popul. Antioch.

Numerus prædeſtinatorum parvus Antiochiæ, tépore S. Chryſoſtomi.

poſt brevem morulam, prorumpit iterum in pauculas voces, ſed facturas majora vulnera. *Infeſtum quidem eſt, quod dicturus ſum* (verba ſunt magni Præſulis) *dicam tamen. non poſſunt in tot millibus, centum inveniri, qui ſalventur; quin & de his dubito.*

XIV. O Chryſoſtome! non ampliùs aureus nobis Orator eris, quando tam ferreas loqueris ſententias. Itáne verò, adeò ſterilis eſt Antiochia, vrbium populoſiſſima, vt vix centum animas cœlis illatura ſit? Quibus autem obſecro id probas indicijs? nempe duobus potiſſimum. inſigni illorum temporum malitiâ, & incredibili cultûs divini negligentiâ; quæ mala, quia Antiochenos fere omnes occupaverant; confidenter aſſeveravit eorum Pontifex, niſi ad frugem redierint, adeòque & corruptiſſimos mores, & oſcitantiam rerum ſacrarum exuerint, vix omni ex vrbis numero, centùm ituros ad beata beatarum mentium domicilia. Falluntur propterea, qui ſancti Patris enunciationem, accipiunt abſolutè factam, quaſi certâ revelatione intellexiſſet, ex tot millenis Antiochiæ, vix ſuprà centum ſalvandos. Quæ explicatio, non raró optimis quibuſque hominibus fraudi fuit, & materia ingentis puſillanimitatis. Hypothetica eſt igitur D. Chryſoſtomi pronunciatio, ſive, poſita cum tacita conditione; nimirum, niſi tanta illa multitudo incolarum Antiochenorum reſipuerit, atque in capite vtroque ſeſe emendaverit; probabiliſſimâ conjecturâ futurum, vt exceptis pauculis, reliqui omnes pereant, & ſempiternùm. Id ne fieret, ſtrenuè adlaboravit zeloſiſſimus vir; imitatus fabrum, qui gravi malleo ſuper incude, tam diu ferrum tundit, donec artificis ſui ductum, nutumque ſequatur. Ita planè Magnus Pater, graviſſimis ſententijs, velut malleo vibrato, conatus eſt ſuos auditores ad emendationem flectere; præſertim verò ad ſinceram devotionem, & legitimum Dei cultum in templis perſolvendum, quo tempore præceptum Eccleſiæ vrget. Excipiamus iterum ejus verba, apertâ non tantùm aure, ſed & mente; ſic habent.

Sed parvus, tantũ hypothetice.

XV. *Celebratur oratio: omnes jacent ſegnes, juvenes & ſenes, ridentes, cachinnantes, colloquentes (nam & hoc factum audivi) & alijs detrahentes, ſuper genua poſiti.* Ac paulò poſt: *Video inquit rurſum, & alios loquentes rectos, dum oratio celebratur; eorum verò leviores, non ſolùm dum oratio perficitur, verùm dum & ſacerdos benedicit.* Hanc ſanctiſſimo viro querimoniam excuſſit juſta indignatio, juſſitque exprobrare ſui temporis corruptelam, & colendi Numinis ignaviam; quin etiam ſaxea ſuper incudem corda tundere. Hinc à S. Chryſoſtomo profecta

eſt

eſt hæc exclamatio, ſuſpirio plena & admiratione, ac velut verberis inſtar: *O rem horrendam! quando ſalus erit? quando DEVM placare poterimus?* Atq; vt indecentiam rei, magis ante oculos poneret, ductâ ſimilitudine à ludis, ſic cœptum ſermonem proſequitur. *Ad ludum procedunt militares homines, & omnes compoſitè videbis incedentes, & neglectum nihil. Sed ſicut in vario ornatu & pictura, compoſitorum ex ſingulorum ordinatione, magna quædam repente redditur harmonia, & conſonantia; itidem & hîc vnum ſcutum, vnum caput habemus omnes. ſi quid vel minimum neglectum fuerit, totum eſt neglectum atque corruptum, & multorum ordini, ſolius nocet diſſolutio. Et id profectò tremendum eſt, quod huc non venis ludum, aut choream obiturus, & tamen ſtas incompoſitè? Neſcis quòd cum Angelis conſtitiſti? cum illis cantas, cum illis DEVM laudas: & ſtas ridens?*

Niſi ſcilicet poſitâ malitiâ, cultum Dei religioſiùs obſervaverint.

XVI. Quinam hominum in templo digni fulmine? ex mente S. Chryſoſtomi.

Sed vt riſum excutiat, iterum Chryſoſtomus malleum expedit, iterum incudem parat, iterum ferit ægros vanitate animos, hoc verbo. *quòd fulmen non torquetur, non tantùm in iſtos, verùm & in nos, nonne mirandum? ſunt enim iſta fulmine digna.* Validus omnino hic fuerit ictus, quando intonante ſacro Antiſtite, non tam ſcintillæ proſiliebant, quàm fulmina cœlo caſura metuebantur. Infert hîc opportunè Cardinalis Bellarminus; ſi fulmine digni ſunt, qui tempore ſacrorum colloquuntur, aut rident: quo ſupplicio digni erunt, qui tempore eodem, oculis & corde fornicando, vel mœchando, templum violant. Atq; vt faciliùs ferrum cedit, cùm calet, ſimulq; faber ingeminat verbera; ita Chryſoſtomus malleum repetit, iterumq; Antiochenos auditores, velut ſuper incudem pulſat, jam calentes à timore imminentis ſupernè periculi. Certè gravis eſt, & plena ſeveræ libertatis ſententia, quam magnanimus Pater, & palpare neſcius, in hunc ſubjungit modum.

Bellarmin. lib. 2. de gemitu columba cap. 12.

XVII. Quinam digni expelli?

Nonne tanquam noxios? nonne tanquam corruptores? nonne tanquam pernicioſos, & perditos tales, & innumeris plenos malis, ex Eccleſia decebat expelli? Quando iſti ridere deſinent, qui in horroris hora rident? quando à nugis abſtinebunt, qui in orationis tempore loquuntur? non aſtantes reverentur, non DEVM timent? An non ſufficit nobis mentis negligentia? neque quòd orantes, aliò circumagimur? verùm & ſubrepere riſum oportet, & ingentem cachinnum? nunquid theatrum ſunt præſentia? Neque hîc ſiſtit Vir divino ſpiritu plenus; ſed vt iſta templorum dedecora, has religioſæ devotionis peſtes, cœleſtis irritamenta furoris, è ſacris locis proſcribere, penituſque eliminare poſſet, in tam pij laboris ſocietatem, ac velut commu-

Digni reprehenſione?

ne ſubſidium, omnium ſic operam poſtulat. *Tu juvenis ades, vel ſenex; increpa cùm videris, accuſa vehementiùs. Si non tolerat, Diaconum voca; minare, quæ tua ſunt exhibe: & ſi quid adversùm te fuerit auſus facere, omnes prorſus habebis conſpirantes.* Et paululùm infra. *ad me veni, non recuſo, dic mihi, redde manifeſtum: omnia cernere non poſſum; parcite.* Denique totum hoc argumentum concludit ſacer Pontifex, cum ſolenni iſta, & plena ſeveritatis proteſtatione. *Proteſtor, quod judicium vobis erit, & condemnatio: & vos* DEO *jam trado, ſi quis tumultuantem videns, vel loquentem, in illo præſertim tempore, non ſignificet, nec corrigat.*

XVIII.

Eat nunc aliquis, & indignabundus atram bilem evomat in Eccleſiaſten, quando pro roſtris invehitur in peſſimam eorum conſuetudinem, qui totas conciones, tota ſacrificia, diebus ſacris, leviſſimè abſumunt. Religionem injicit S. Chryſoſtomus, vt concionator diſſimulare non poſſit probra, quibus Numinis Majeſtas petitur. Eat iterum alius, & affirmet levem illam levitatem eſſe, quæ ſub divino cultu, nunc ferè committitur, totaque ſtat in nugis, jocis, riſu, garrulitate: facilem hæc veniam mereri, neque digna eſſe graviore cenſurâ, velut jam vſu paſſim recepta. Sed abnuit Antiochenus præſul, negatque leve eſſe, quidquid diebus dominicis, feſtiſque (cùm DEO litatur) contra chriſtianam peccatur decentiam, cultumque ſupremæ Majeſtatis; ſive cachinnis id fiat, & vanis confabulationibus, ſive alijs quibuſcunque petulantijs. Quas omnes ſanctiſſimus Pater, ad ſtateram æqui, ſaniſque judicij libratas, *rem horrendam appellat.* Quin etiam, authores ejuſmodi nugarum ac levitatum, tanquam noxios, pernicioſos, corruptores aliorum, putat Eccleſiâ pellendos eſſe, ac proſcribendos. Miratur inſuper DEI patientiam, cohibentis ſua fulmina, quibus jure meritò irreligioſiſſimorum hominum inſolentias, continuò plectere in templis poteſt, cum clade quoque adſtantium; nec facit.

Nulla in templis commiſſa levitas, levis cenſenda.

XIX.

Demum vt verbo abſolvam; tam grave viſum eſt S. Chryſoſtomo piaculum eſſe, tempus omne, aut pene omne, quod conſecrandum eſt devotioni in Eccleſia, præſcriptis diebus ſuffurari DEO, & præpoſterè in vanitates, nugaſque transferre; vt inter ſigna reprobationis, cauſaſque damnationis numeraverit. Cùm enim neglectus divini ac debiti cultûs, ſeu (quod tantundem eſt) irreligioſa præſentia, & omnis devotionis expers, ſub

Signum reprobationis, ordinariè cultum DEO debitum, in templo

ſacri-

Digitized by Google

ſacrificio miſſæ (quo die ab Eccleſia præcipitur) ſit lethale peccatum: neceſſarium eſt, vt, quiſquis aſſuevit eo tempore vana tractare colloquia, ineptiaſque; quamdiu hunc morem tenet, habeat quam ſuſpicetur conjecturam ſui interitûs, & quod metuat periculum, condemnationis æternæ. Atque hæc ex mente D. Chryſoſtomi. eum negligentia prę ſtare.

Quod ſi verò etiam Servator noſter, DEI filius, aſpectabili formâ terram reviſurus, cerneret ea in templis fieri, quæ alicubi fiunt, nobilium Catholicorum proteruâ licentiâ, ſive virorum, ſive mulierum; credo juſtiſſimi doloris ſigna daret, qualia olim Ieroſolymæ experti ſunt nonnulli. ſic enim ſacer Evangeliſta memorat: *intravit JESVS in templum DEI, & eÿciebat omnes vendentes & ementes in templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas, evertit.* Cauſam tanti, tamque inſoliti apud Chriſtum rigoris, pulchrè aſſignat Venerabilis Beda, in ſequentem modum. *Diſtrictionem merita vltionis exercuit, ejecitq; commercia rerum humanarum de domo illa, in qua divinas tantùm res agi, hoſtias & oblationes DEO offerri, verbum DEI legi, audiri, & decantari, præceptum erat. Et quidem credendum eſt, quòd ea tantùm vendi, vel emi repererit in templo, quæ ad miniſterium templi ejuſdem, neceſſaria eſſent, juxta hoc quod aliàs factum legimus, cùm idem templum ingrediens, invenit in eo vendentes & ementes, & boves, & columbas; quia nimirum hæc omnia, non niſi vt offerrentur in domo Domini, eos qui longè venerant, ab indigenis comparare credendum eſt. Si ergo Dominus, nec ea volebat venundari in templo, quæ in templo volebat offerri, videlicet propter ſtudium avaritiæ, ſive fraudis, quod proprium ſolet eſſe negotiantium facinus: quantâ putas animadverſione puniret, ſi inveniſſet ibi aliquos riſui, vel vaniloquio vacantes, aut alÿ cuilibet vitio mancipatos?* XX.

Matth. 21. 12.

Beda Homil. 7. in Quadrag. tom 7.

Quantopere Chriſtus oderit templi profanatores, apud Iudæos.

Audiant hæc illi è nobilitate, ſexûs vtriûſque homines, qui omnia explodnnt Concionatoris hortamenta; qui quòd meliorem ſanguinem caſu & fortunâ traxerint, volunt exleges eſſe, atque impunè in templis pudendas inſolentias patrare; quaſi verò non iiſdem divinarum legûm carceribus conſtringantur, quibus plebei. Et ſanè non incitat ad peccandum, ſed abſtrahit chriſtiana Nobilitas. aut ſi à ſe ipſa degenerat, in proterviam quælibet audendi, ipſáque ſacerrima Numinis adyta leviſſimè dehoneſtandi; nimirum meretur illa ſeveritatis flagella, quæ olim iterum CHRISTVS Ieroſolymæ expedivit, in templi Salomonici profanos XXI.

Oſtendit flagellum, quo eos ejecit.

mercatores. Qua de re ſic meminit D. Ioannes. *Et prope erat*
Ioan.2. à v. 13. vſq; ad 19. *paſcha Judæorum; & aſcendit* Jesvs *Ieroſolymam, & invenit in templo vendentes boves & oves, & columbas, & numularios ſedentes. & cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit. & his qui columbas vendebant, dixit: auferte iſta hinc, &*
Pſal. 56. *nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Recordati ſunt verò diſcipuli ejus, quia ſcriptum eſt, zelus domus tuæ comedit me.*

XXII. Fit etiam hodièque, vt nonnunquam Chriſtus animadvertat flagris ſuis, hoc eſt, non minimis pœnis, in eos nobilioris ſanguinis mortales, qui templa profaniſſimi profanant, faciuntque ex domo Dei, domo Orationis, domum negotiationis, confabulationis ædem, levitatis conciliabulum, cachinnorum nugarumq; conventiculum; auſim dicere; etiam quandoq; Veneris lupanar. Dum autem hæc ſine fronte, metuque aguntur: interea fortè arces, & antiquiſſimorum natalium domicilia, ingreditur Numinis vindex lues, & inter pecora miſeram ſtragem edit. mox & pruina, & grando, velut ex altiore imperio conſpirantes, agros ſævè depopulantur. fortaſſis etiam incendium domeſticos lares corripit, & effuſi longè lateque ignes, damnum faciunt inemendabile. Quod ſi crudelis mors auxerit numerum malorum, jamque vnum ex chariſſimis capitibus abſtulerit in ſpolium, plena omnia querelis ſunt, & tota nobilitatis vicinia, in luctu ac ſqualore eſt. audiuntur quoque non ſemel tales lamentantium querelæ nobilium.

Quantopere apud chriſtianos Servator perſequatur idem genus hominum.

XXIII. O mi Devs! quàm gravis manus tua eſt? quàm non ſum ferendo! ah! mitius ſaltem fuiſſet verber, minora vulnera: ſuccumbunt humeri adverſitatum moli. O nunquam crediđiſſem, te mi Devs, hæc tuæ in me tanta ſeveritatis exempla demonſtraturum; & obſecro, iſtas plagas quomodo commerui? an ipſe ego adversùs me, in vindictam armavi tuam indulgentiam? dic mi Devs, quibus modis, peccatis, offenſis? ſed ceſſa tandem, à juſtiſſimo Vltore facti ſui rationem expoſcere; tibi culpam miſeriarum tuarum imputa; domi tuæ nata eſt hæc omnis pœna. nimirum, quia (vt cætera taceam) toties contra religionem Deo debitam, violâſti in templis divinum cultum, quibus eum diebus exſolvere tenebaris; turbâſti etiam in altari ſacrificantem, in cathedra dicentem; & quidem ſoliùs libidine garrulitatis,

Declarant alia & alia ejuſdem flagella.

Digitized by Google

litatis, vanitatis, inſolentiæ, velut ex privilegio nobilibus conceſſo: hinc flagella & verbera Chriſti indignantis, in te concitâſti. & habes diſcere, ex ejuſdem amanter ſævientis dextera, nihil à nobilitate in ſacratis ædibus, ſive contra majeſtatem diviniſſimi Verbi, ſive angelici ſacrificij dignitatem fieri, quod inter leves noxas reputari poſſit.

Atque vt videant omnes è nobilium cenſu, quibus ſe peccatis involvant, quantamque pro confeſſione materiam cumulent, dum velut ex ſtata lege, diutinæque conſuetudinis vſu, tempus omne ſacris diebus, ſacris in templis petulantes, inter garritiones & joculares riſus abſumunt: ajo primùm eos delinquere, contra illam Numinis vniverſalem ſanctionem; *memento, vt diem Sabbathi ſanctifices.* itemque alterum illud Eccleſiæ matris præceptum: *ſacrum Miſſæ officium, diebus feſtis reverenter audito.* Quibus verbis, ex communi Doctorum, ſignificatur ſolam corporis in Eccleſia præſentiam, ſine anima, hoc eſt, devotæ mentis ſenſu, Deum ſuum illic colentis, nequaquam ſufficere, imò & contaminari lethali noxâ. XXIV. Materiam confeſſioni ſubminiſtrat, ex conſuetudine indiligenter audire verbum Dei. *Exod.* 20.8.

Naſcitur hinc monſtroſa Novitas, & niſi intercidatur ante maturitatem, plurimùm nocitura chriſtianæ pietati, ipſiuſque divini Verbi antiquiſſimæ majeſtati. Nam ſi perrumpat denique impudens audacia, & nobilium diſtincti paſſim globi, confuſis vocibus obſtrepant declamanti, quæ facies templorum erit? quis fructus concionum, apud plebem impeditam audire? & quis denique dicendi animum habebit? præſertim ſi monuiſſe de petulantia, capital fuerit, & quædam velut apud illuſtriores perſonas, juris ſui, libertatiſque imminutio? De ſcandalo quid dicam? ſcimus quanta ſit exemplorum vis, præſertim quando magnates præcedunt; facilè ſequitur anteeuntes plebecula; & eò ampliùs, cùm illud, ad quod invitatur, ſpeciem habet alienæ authoritatis, & magnæ. Si igitur populus, à nobilitate doctus ductuſque, ad eadem in Eccleſijs ſe applicaverit exercitia garrulitatis, aliarumq; nugarum inſolentias, Deum immortalem! quantum vulnus fiet religioni, & Verbo DEI? conſentiente etiam D. Ambroſio, cùm ait: *frequens ſermo eſt, cùm plurima ranarum murmura, religioſæ auribus plebis obſtreperent, ſacerdotem DEI præcepiſſe, vt conticerent, ac reverentiam ſacræ deferrent orationi; tunc ſubito circumfuſos ſtrepitus quieviſſe. Silent igitur paludes, homines non ſilebunt?* neq; ſacris, dum in templo fiunt, dabunt honorem? Sed & iſtud, quantum eſt ſcelus, ſive contemptus Dei, ſive ſacrilegium? nam mihi ita perſuadeo eos omnes, qui frequenter XXV. Ratione nocituræ, & monſtroſæ Novitatis. Ratione ſcandali. *S. Ambroſ. lib. 3. de Virginibus.*

Digitized by Google

Ratione contemptûs Dei, ſive cujuſdam quaſi ſacrilegij.

moniti pro concionibus, vt, quo tēpore Deus ex præſcripto colitur in Eccleſia, aut orthodoxi docentur neceſſaria ad ſalutem, tantiſper ſibi legem dicant de ſilentio, mentemque ad cœleſtia erigant, neque cùm poſſunt, faciunt; aut contemptores eſſe Numinis, & ſacrilegos divini cultûs raptores, aut illis proximos; atque hoc nomine dignos in quos Deus animadvertat. Egregiè omnino Seneca: *reſpondetur, à ſacris profana diſcerni; & non omnia licere in angulo (cui nomen phani impoſitum eſt) quæ ſub cœlo, & conſpectu ſiderum licent. Injuriam ſacrilegus Deo quidem non poteſt facere, quem extrà ictum ſua divinitas poſuit; ſed tamen punitur, quia tanquam Deo fecit.*

Seneca lib. 7. de Beneficijs c. 7.

XXVI. Aliud grandis peccati caput eſt, gravis rerum ſpiritualium ignorātia, quam affectare videntur omnes illi nobiles, qui vtroq; in ſexu, dū in templis ſunt, ſacras exhortationes negligentiſſimè diſſimulant; occupati eo tempore, frivolis, vanis, indignis. Ea nunc eſt ętatis noſtrę infelicitas, vt multorum liberi nobilium, velut cum lacte nutricis, ſugant levitatem. Docentur cantandi, ſaltandiq́, artem ante preces: diſcunt Amadiſium amoreſque, ante modeſtiam ac pudicitiam. delectantur etiam parentes, cùm vident filios ſuos bipalmares, jam fimbriatas puellarum veſtes, poſſe pulchrè exoſculari. parvulos quoque ſuos ſcire capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, & mollitie corporis cum fœminis certare, & ad obſequia ſtare parvulæ amaſiæ. Hæc teneræ jam nobilitatis potiſſima ſunt ſtudia; catecheſis, ac doctrinæ Chriſtianæ, ad ſalutem perneceſſariæ, poſtrema cura. Adoleſcit interim chara genitoribus ſoboles; & cum tempore novis vanitatibus, meriſque imbuitur delicijs, ſemper ignara cœleſtium. Itaque ſi deinde, cùm Viri & Matronæ ſunt, continuò, ac quaſi pro conſuetudine, Dei Verbum in templo prætereunt, auditores non concionatoris, ſed ſocietatis ludicra fabulantis; proh! quanta ſenſim inſcitiæ caligo obruet animum? Hinc evenire ſolet, vt defectu debiti multoties propoſiti ac doloris, & confeſſiones vitioſas faciant, & quod conſequitur, ſacrilegas communiones; omnis hic error, eſt ignorantia rerum ſacrarum; quas ſicut in templis ex Verbo Dei diſcere poſſent, ita nolunt doceri; malunt toti in nocte errare, quàm ſe dociles præbere diſcipulos Veritati, radiumque divinæ lucis admittere tacendo, & auſcultando.

Ratione gravis ignorantiæ in rebus fidei.

Quæ & dignam ſacramentorum ſuſceptionem impedit:

XXVII. Atque hinc fatale naſcitur ipſis in morte periculum. nam cùm ex oraculo magni Pauli, *ſit fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*; puta per prædicationem Apoſtolorum, (aliorumque ipſis

Ad Rom. 11. 17.

ipſis in munere ſuccedentium) qui velut legati à Chriſto miſſi, ejus doctrinam vulgant: manifeſtum eſt, fidem apud eos jam morientes, periculosè vacillaturam, qui ejus dogmata, neque infantes hauſerunt in catecheſi, neque adulti in concionibus. Dices tu illis tunc, de paranda ſcelerum ſuorum expiatione apud ſacerdotem, de accipiendo Chriſti corpore pro æternitatis longo itinere, ſalubri viatico; nimirum facient aliquid opere tumultuario, atque ex frigidæ devotionis conſuetudine. Monebis de ignoſcentia injuriarum, & inimicitijs ponendis; non aſſequentur mentem, nihil ſimile vnquam audiverunt, nec aſſueverunt agere. Hortaberis de alieni damni compenſatione, & reſarcienda quam læſerunt fama, fortuna; omnia alia citiùs impetrabis; peregrina eſt illis, neque ſatis latina vox, *Reſtitutio.* Loquêris de miſera hujus vitæ mortalite, de beatorum in cœlis æternanda fælicitate, de nunquam finiendis cœlorum gaudijs, delicijſque: non audient, interrumpent alienis quæſtionibus hos ſermones; interrogabunt quanta ſpes futuræ ſit meſſis ac vindemiæ? quis ſperandus, timenduſque ſit exitus belli? qualia portenta regiones exteræ pepererint? quid mendax fama circumferat, rerum novandarum? atque ita orbi oſtendunt, ſe fatis etiam viciniſſimos, agere quæ ſemper ſolebant, hoc eſt, neque divina libenter percipere, neque cœleſtia multùm curare. Vt veriſſimè dixerit S. Chryſoſtomus, *nihil tam firmum eſt in rebus humanis, quàm veteris conſuetudinis tyrannis.* Et nos de iſtis talibus poſſumus magnam ſalutis ſpem concipere? næ tu bonus faber es, ſi iſtiuſmodi hominibus, cudis indubiam certitudinem. Ego metuo, plurimùmque metuo, ne cœleſtis doctrinæ oſoribus, neglectoribus rerum ſacrarum, conſuetudo ſua officiat morituris.

Cornel. à lap. hic.

Et periculum creat, in morte piè ac Chriſtianè obeunda.

Maximus ſerm. de conſuetudine, citat.

PARA-

PARAGRAPHVS III.

Amplior ejuſdem argumenti proſecutio, de illorum mortalium dubia in MORTE pœnitentia, qui negligenter VERBVM DEI, & RES SACRAS: VANA & PROFANA, ſtudioſiſsimè tractare conſueverunt.

I. AFfirmant nonnulli, vſitatum fuiſſe apud Judæos, eum puerorum luſum, vt in duos diviſi choros, alij flerent, alij tibijs plauderent, vtrique cantarent; illi, *lamentavimus vobis, & non planxiſtis*: hi; *cecinimus vobis, & non ſaltâſtis.* Alluſurus igitur Servator ad hunc veterem pueriles ætatulæ morem, hanc quibuſdam Hebræorum quæſtionem propoſuit: *cui ſimilem æſtimabo generationem iſtam?* neque expectato reſponſo, ſic eam ipſe enodavit: *ſimilis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: cecinimus vobis, & non ſaltâſtis; lamentavimus, & non planxiſtis. Venit enim Joannes, neq; manducans, neq; bibens, & dicunt; dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt; ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Docere perfidos voluit, ſub horum quaſi verborum involucro Chriſtus, ſe vſum fuiſſe hilari vitâ, ſaltem non abhorrente à communi hominum conſuetudine, adeòq; Judaicæ genti quaſi cecíniſſe; nihil ipſa tamen applauſiſſe. Joannem verò, prodromum ſuum, & ſetis indutum aſperis, & in ſolitudine vaſta, quaſi lamentanti ſimilem, vixiſſe tenuiter, provocaturum hoc rigore ad pœnitentiam, jam dudum obſtinatas voluntates; nec tamen Hebræos, aut magno numero planxiſſe, aut pœnituiſſe multum. Neque aliter ferè agunt, qui pro roſtris

Theophyl. in cap. 7. Luca. Lyran. in cap. 11. Matth.

Matth. 11. 16. & ſeq.

roſtris ſtant ſacri Exhortatores: cantant quaſi, cùm ſpes mortalium augent, ad capeſſendum immortalia, atque æternatura olim beandorum bona: plangunt autem, & velut lamentantur, quando & horridam ſtygem, & ſtygis incolas Cacodœmones, & omnem ſtygiæ infelicitatis luctuoſiſſimum apparatum, multiplicia tormenta, patheticè exaggerant; mala etiam viro conſtanti, juſtiſſimè metuenda. Sed nempe, illud deniq; verum fit verbum; *cecinimus vobis, & non ſaltâſtis, lamentavimus, & non planxiſtis.* parum hoc: etiam inſultâſtis; & vel fidem negâſtis dicenti, vel aurem.

Chriſto cantanti, Ioanni Baptiſtæ lamentanti, ſimiles ſunt Concionatores.

II. Da veniam, iterum te compello illuſtris Nobilitas, quam non ſemel aſpexi, longè ſupra plebem faſtidire cœleſtia, divina, æterna. præſertim verò illud cœlo ingens facit cordolium, quòd non paucis tuorum clientium, jam penitus verbum DEI eviluit. Saltem graviſſima multis eſt moleſtia, & audire; quaſi mortifera eſſent, & venenatum baſiliſci halitum ſecum traherent, quæ ex pulpitis templorum dicuntur verba; cùm ſint *verba vitæ æternæ.* Sed ego confidenter ajo, quotquot per omnem vitam, aſſueſcunt negligere conciones, contemptimq; habere res ſacras, & magni DEI cultum; in mortis æternæ periculum ſeſe conijciunt; quia difficile omninò eſt, vt tales morte temporali, bene ac chriſtianè defungantur. Nunquam magis homini excitanda eſt fides divinorum myſteriorum; nunquam magis fiducia ad cotem miſericordiæ, ac meritorũ Chriſti acuenda; nunquam magis elicienda ſinceri amoris flamma, ex corde ſilice; nunquam magis provocanda ex oculo lacryma, abſterſura noxas animæ, quàm cùm mors exuit mortalitate. tum profectò totus homo ſe ipſo, mundo, humo altior, debet ad beatam æternitatem anhelare; neq; alia aut loqui, aut agere, quàm quæ offenſum poſſunt DEVM placare, placatum amanti adſtringere, adſtrictum feliciter conſervare. Sed, amabo te, iſta omnia quomodo à ſe impetrabit, quomodo exequetur, qui omnium eſt ignarus? neque ſcit quidem, quæ morituro incumbat obligatio? atque ideo neſcit, quia nunquam ex concionatoribus voluit intelligere; maluit fabulari, mentemq; in mille nugas diſtrahere, quàm auſcultare dicenti è ſuggeſtu.

Ioan. 6. 69.

Neglectus verbi divini, quomodo conijciat hominem in periculum infelicis mortis?

III. Atq; hinc iterum magnus error, & exitiabilis eſt, non aſſueviſſe ijs, quæ piam ſanctamq; poſſunt mortem reddere; imò ijs aſſuefactum eſſe, quæ ſolent hinc excedentium cogitationes, affectuſq; à ſeria pœnitentia, ab æternis, divinis, DEOq; abſtrahere, atq; ad veteres puerilitates convertere. Quod quidem malum, illis familiare

eſt nobilibus,quorum tota vita fuit vnus, continuuſq; luxus, luſus voluptas, petulantia, amor, vanitas; quorum ſingulos jure DEVS ita increpat, ſicut quondam Ieroboamum Regem : *exaltavi te de medio populi, me autem projeciſti poſt corpus tuum*; poſt ventrem & gulam, poſt patinas & pocula, poſt macellum & lucellum, poſt gloriolam & pecuniolam, poſt Veneres ac Cupidines, poſt amaſios & amaſias, poſt homines & vermes. Et nimirum hi ipſi præpoſteri amatores ſunt, qui cùm jam fatis ſuis propinquant, aſſuetas pridem delicias habent in occurſu; ſed velut explicatis ordinibus animum oppugnaturas, ne ad ſalubres cogitatus,conatuſque cœlum demerituros, otium ſupereſſe poſſit.

3. Reg. 14. v. 7. & 10.

Amores vanitatum & voluptatum conſuetarum, oppugnant morientē.

IV. Imaginem tibi hujus rei, quaſi genuinam exhibeo, inter purpuratos Eccleſiæ Patres, S. Hieronymum qui ſuas ipſius adhuc eremicolæ, non abſimiles pugnas, prælia que deſcribit totidem verbis. *O! quoties ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus, horridum monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe delicijs? ſedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram. horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis, ſitum Æthiopica carnis obduxerat. quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; &, ſi quando ſomnus imminens oppreſſiſſet, nudâ humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis verò, & potu taceo; cùm etiam languentes monachi, aquâ frigidâ vtantur, & coctum aliquid accepiſſe, luxuria ſit. Jlle igitur ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantùm ſocius & ferarum; ſæpe choris intereram puellarum. pallebant ora jejunijs, & mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore; & ante hominem, ſua jam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. itaq; omni auxilio deſtitutus, ad JESV jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem, hebdomadarum inediâ ſubjugabam. Memini me clamantem, diem crebro junxiſſe cum nocte, nec priùs à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm rediret, Domino increpante tranquillitas.*

D. Hieronymus in epiſt. ad Euſtoch. de cuſtodia Virginitatis.

Imago hujus pugnæ S. Hieronymus, luctans in eremo cum ſpeciebus lubricis.

V. Vide, quæ olim certamina certaverit D. Hieronymus: rigidus eremi cultor, in ſe ipſo caſtigavit durâ humo, longis jejunijs, frequenti verbere, quæ olim aut malus actor, aut ſpectator levis, Romæ peccaverat, juvenilibus annis. Et hem! jam repudiatæ dudum, jam damnatæ veteres deliciæ,ex urbe in eremum abeunt, & nova bella movent viro exſucco, arido, emaciato, vixque animam trahenti. Ne dubita; ſi tam impudens voluptas eſt, vt ſanctos audeat in ſuis fletibus, precibuſque interpellare;

quia

Digitized by Google

quia ſemel placuit, ſemel admiſſa fuit: profectò apud quos ſemper domeſtica eſt, longè liberiùs accedet; præſertim longum dictura vale, extremo illo tempore, quo per mortem æterna fiet vtrinque ſeparatio. Et quoniam non pauci è Nobilitate viri, juvenesque, hujus maximè pudendâ ſæculi corruptelâ, ad conſuetudinem peregrinarum gentium, inter vanos gynæcei amores, ſuam terunt ætatem, multique paſſim Hercules, ad colum velut fœminarum ſedent, molles toti & enerves, audituri nęnias, dicturi fabulas, facturi etiam eas levitates ac jocos, quibus ſidera ingemiſcant, & pedibus fædè conculcata honeſtas illacrymetur: eam ob cauſam, cùm ijdem fatali lectulo decumbunt, cinguntur plenis velut coronis blandientium, tripudiantium, amplexantium muliercularum. Laborat tum enimverò Sathan, vt per imagines ſaltem veterum formarum, oblectationumque, à ſeverioribus de ęternitate curis, abſtrahat morientium cogitationes; jamque, quod eſt in proverbio, illis *ſola caſum facit imaginatio*; nimirum quando ſtantes ad Charontis cymbam, adhuc malè irretiuntur amoribus earum vanitatum, quas nolint velint, mox deſerturi ſunt.

Veteres deliciæ occurrunt morienti impio.

Præſertim amātibus, minùs honeſti amores.

VI.

Atq; vtinam tunc, inter hęc talia antiquatum irritamenta cupiditatum, nobilis quiſq; ſanguis, Heroëm D. Hieronymum ſequeretur; ejuſq; exemplo, vel lacrymis inſidiantem ſibi Venerem mergeret, vel pectus feriendo ſtrenuè pelleret, vel proſtratus ante pedes Crucifixi Ieſu, opprimeret feliciter. Sed nunc proh dolor! ea eſt quorundam perverſitas, vt nolint vivere, mori nolint, niſi amantes, atq; inter ſpecies amantium; audentq; non tantum vivi, ſed morituri quoq;, ſibi ante oculos proponere, & Chriſti pendentis imaginem, & amaſię abſentis, ſocietate turpiſſimâ, & nunquam honeſtè coiturâ. Audi, quid in hanc rem, neſcio inſolens magis an ridiculum, certè ſtultiſſimum inſani amoris argumentum, referat is, qui tragicos amorum aliquot eventus, non ita pridem conſcripſit.

Quibus pauculi reſiſtunt, eo articulo ad exemplum S. Hieronymi.

VII.

Igitur Francus quidam, primę vir nobilitatis, & quem militaris inſuper gloria fecit illuſtrem; eo congreſſu, quo amicum ſibi militię Ducem, tum è Belgio reducem ſalutavit, ab ejus conjuge captus eſt, non vno amoris laqueo. Videbatur mulier in fronte portare Gratias, in oculis Venerem. ita factum eſt, vt nobilis Francus flammam conciperet animo, ſed malo ſuo arſuram. Neq; aliena conjux extra ignes manſit. poſtquam enim ex oris halitu, cognovit flagrantem erga ſe Galli hominis animum, & ipſa

Zeillerus in theatro tragico, hiſtoria 18. part. 1.

Luculentum ſtulti amoris prototypon, homo Gallus.

ipſa ardere cœpit; ſimulq; excrevit, quæ vtriq; amanti inſedit altè cupiditas. Iamque nihil ſuſpicante marito, dum peregrinum par in horto obambulat, permutantur annuli cum annulis, gemmæ cum gemmis, adamas cum carbunculo, teſtimonia nunquam intermorituræ fidei. Potens res amor eſt, & cùm ſemel mentem humanam profundè occupavit, grande vulnus facit rationi.

VIII. Veriſſimè S. Ambroſius: *hoc habet impatiens amor, vt quem deſiderat, ſemper invenire ſe credat. ignorat ſiquidem judicium, & ratione multoties caret; neſcit modum, nec aliud cogitare poteſt, quàm quod diligit amor. non accipit de impoſſibilitate ſolatium, nec ex difficultate remedium; nec conſilio temperatur, nec tempore frenatur, nec rationi ſubjicitur.* Hanc omnem amoris vim, expertus eſt noſter, quem deſcribo Francus. denique parum abfuit, quin ad conſilia deſperationis miſerrimus homo abriperetur. Nam cûm intellexiſſet, amaſiam ſuam, à conjuge viro in Belgium reductam, & telo mortis (ſemper amantium felicitati invidentis) intra dies pauculos expeditam fuiſſe, ipſe ſibi quoque violentas manus inferre ſtatuit, & chariſſimæ vmbræ, alteram ſe adijcere. Sed obſtitit famuli, qui ſemper ad latus ſteterit, pia induſtria. Nihilominus ille ex Piccardia, Galliæ parte, in Belgium properat; atque Antverpiæ, vbi tumulata erat, quam ſtultè deperibat: poſtquam triſtiſſimis lamentis, ſuſpirijs crebris, infinitis lacrymis parentavit amatæ, præ doloris impatientia, & orbitatis ſuæ miſeria, ipſe quoque gravi mœrore cœpit abſorberi.

S. Ambroſius ſerm. de Aſſumpt.

Poſt mortem amaſiæ, non vult ſupervivere.

IX. Nihil eum ampliùs afficiebat rerum humanarum; neque militia, illuſtris ſanguinis illicium, vltra arriſit; neque venatio aucupiumque, gaudia principum, Regumque; neque amicæ ſocietatis frequentes congreſſus. vna illi ſolitudo erat in deſiderijs, optabat extra hominum conſortia, reliquum vitæ ſuæ traducere in eremo; teſtes luctûs ſui habiturus cœlum & ſidera. In eum finem, Ægyptum ſibi eligit, vetus Eremicolarum hoſpitium. atque vt haberet ſive ſolatium terreſtris itineris, ſive Cynoſuram maritimi, duplicem icunculam amaſiæ ſuæ, & viventis & mortuæ, ſecum defert. Ac quemadmodum teſte Poëtâ:

Vult ſolitudinem adire, & Eremicola fieri.

Amaſiæ viventis vnã, alteram mortuæ icunculam ſecum defert.

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit:

Iuven. Sat. 13.

Sic profectò, apud hominem Gallum, inſania crevit cum amoris incremento. quæ cauſa fuit, vt nomine ſuo, ſanguine, religione,

Digitized by Google

ligione, ſapientiâ, faceret indigna; orbiſque vniverſus fateri cogeretur, ſe ſimile alterum ſtultitiæ exemplum, in chriſtiano vix reperiſſe. Nam quotidie bis, mane ac veſperi, pronus vtramque effigiem adorantis more colebat; miſcebat cum viventis ac demortuæ imaginibus, colloquia amantium ac blandientium ſimilia. famulo etiam imperaverat, nullos ferè alios ſermones haberet ſecum, quàm de amata, cujus mortem deploraturus, in ſolitudinem iret, ſimulq; & ſuam viduitatem; magnam duplicati luctûs materiam. Adjunxit priori, etiam iſtud præceptum; vt ſervus quàm ſæpiſſimè herum ſalutaret, ex ſuaviſſimo velut ore ipſiuſmet amaſiæ. præterea, vt quoties menſæ accumberet, nunquam obliviſceretur hauſtum propinare domino, facturum pro ſanitate atque incolumitate ejuſdem, jam vivis ereptæ.

Vtramque adorat.

Cum vtraq; colloquia miſcet amantium.

X. Nondum hîc ſtetit veſani amoris intemperantia. Nam poſteaquam Francus amator, cum gemino famulo peregrinantium ſpecie, in Ægyptum denique appulit, jamque in Thebaidis deſerto, habitaturus juxta eremicolam, ſibi quoddam ſive ſacellum, ſive Oratorium, operâ minimè operosâ extruxit; in eadem ara, medio loco, effigiem Chriſti è Cruce penduli collocavit, affixis vtrinque ad latera, profanis amatæ ſuæ iconibus. Quid ni hîc exclamem indignabundus, cum indignante Apoſtolo; *quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* ſive ad ejus partum Venerem? aut ad Veneris pullum amaſiam? aut ad amaſiæ reliquias, inſaniam? Et ſi vſquam, hîc planè verum habet; non bene convenire, nec in vna ſede (vna eademque ara) commorari poſſe, Majeſtatem & Amorem; Majeſtatem ſcilicet Numinis, & vitioſum hominis amorem. Servator noſter in Crucis ligno, non aſſuevit tam profanis ſtipatoribus; præſertim poſtquam ad pedes ejus, & latus ſuſpenſi, vtrinque in monte Golgothæo Virgines adſtiterunt; & Virgo Mater ſua Maria, & Virgo diſcipulus ſuus Ioannes. proinde junxiſſe imagini Crucifixi, hinc atque inde, depictas perperam amatæ, atq; amantis mulierculæ icunculas, tantundem fuit, atque ſociâſſe idolum Dagon, ſacerrimæ Arcæ; quorum odia inter ſe æterna fuêre.

Vtramq; ad latera imaginis Chriſti è Cruce pendentis, ſtatuit.

2. ad Corinth. 6. 14.

1. Reg. 5.

XI. Sed nullum aliud, extremæ dementiæ luculentius indicium dedit Gallus homo, quàm cum Religionis chriſtianæ immemor, oblitus etiam Redemptoris ſui, *vitæ ſuæ, ante ſe pendentis*; ex fide hiſtorici, quotidie turpem in imagine amaſiam cernuus, ac venerabundo ſimilis adoravit; ſolitus dictitare, eandem ejus, cum Divis

Deut. 28. 66.

Digitized by Google

Amaſiam ſuam colit, tanquam Divam cœlis illatam.

alijs, jam cœlo inſertis, rationem eſſe ac dignitatem; totumque honorem, qui ipſi haberetur, in Deum denique, vltimum, principemque ſcopum derivari. Ita, nulla etiam ſtultitia, ſine patrocinio eſt. vitia noſtra, quia amamus, defendimus; & malumus excuſare illa, quàm excutere. prætendimus ſæpe, non poſſe nos aliter, quando totius impotentiæ cauſa eſt, nolle. Tandem amator noſter, ſive magnitudine doloris exhauſtus, ſive inſolentis vi inſaniæ, brevi temporis periodo, vitam ſuam abſolvit; neſcio quàm feliciter, inter ſigna gentilitiæ ſuperſtitionis ſimillima.

XII.

Ælianus lib. 9. Var. hiſt. c. 39.

Stultior fuit hic chriſtianus Gallus, adoleſcente ethnico, amore ſtatuam depereunte.

Ridet, imò & deflet Græcus ſcriptor, inauditam in amando ineptiam, ethnici cujuſdam adoleſcentis, honeſto loco nati; qui ſtatuam bonæ Fortunæ, ad Prytaneum ſtantem deperibat, & ita incenſè *deperibat; vt ſæpe in complexus ejus ſe, tanquam viventis inſinuans, oſcula daret, prorſus imaginarius, & amens amator. Nam libidine ſtatuæ inflammatus, atque inde raptus in furorem, æſtroq; percitus propter cupiditatem, in ſenatum venit, & enixè rogavit, vt eam ſibi liceret vtcunq; magno emere. At cùm, ſenatu abſurdam petitionem repudiante, nihil proficeret, multis redimitâ tænijs, & coronis imagine coronatâ, oblato ſacrificio, ipſâq; pretioſo veſtitu exornatâ, profuſis innumerabilibus lacrymis, ipſe ſibi mortem conſcivit.*

XIII.

Meritò ſuſpecta eſſe poteſt, dicti hominis mors, inter amores hinc abeuntis.

Quis non fateatur idem, & perquàm ſimile, huic ethnico juveni, & Franco nobili, fuiſſe ingenium amandi? Hoc ſolùm diſcrimen eſt; quòd ille furere voluerit in ſtatuam exanimem, hic in imaginem emortuæ mulierculæ. Et quis non ſuſpicetur, miſerum inter hos inſanientis impetus animi, inter hos abreptæ mentis æſtus, etiam Crucifixo proximum, ſoliûs tamen amaſiæ memorem, peſſimâ morte defunctum eſſe? Hic nimirum eventus eſt eorum ferè nobilium, qui rebus ſacris inſuper habitis, præſertim Verbo Dei: per omnem vitam luxui, luſui, petulantiæ, vanitatibus, voluptatibus, amoribus ſe conſecrant, totiq; ſtant ad blandientis Gynæcei nutus, officia, obſequia, imperia. Quid mirùm eſt, ſi iſti, quia tanti quanti, *de terra terreni ſunt*; quia luteum habent fulcimentum; & velut ſtatua Nabuchodonoſoris, incumbunt terræ & teſtæ; nihil cœleſtium admittant morituri? *devoravit eos terra*, & qui de humo naſcitur, amor humanarum rerum.

1. ad Cor. 15. 47. Dan. 2. 35. Exod. 15. 12.

XIV.

Orig. ſuper Exod. 15.

Tropologicè atq; eleganter ait Origenes: *Impios etiam hodiè terra devorat, qui ſemper de terra cogitant, terrena faciunt, de terra loquuntur, terram deſiderant, & in ea ſpem ſuam ponunt, ad cœlum non reſpiciunt, futura non cogitant, judicium Dei non metuunt, nec promiſſa ejus deſiderant.*

talem

talem cùm videris, dicito, quia devoravit eum terra. Et ſi quem videris luxuria, & voluptatibus corporis deditum, in quo nihil animus valet, ſed totum libido poſſidet; dicito quia devoravit eum terra. Ego verò etiam iſtud addo: ſi quos videris, ſive è Gynæceo fœminas nobiles, ſive ex ordine equeſtri viros illuſtres, non dico turpibus, ſed inſanis erga ſe invicem amoribus ferri; dicito, quia devoravit eos terra. neſcio enim, quomodo etiam inordinatus amandi affectus, homini animum ſuum auferat, faciatq; divinorum non tantùm inanem, ſed etiam pertæſum; vt nihil jam illi lubeat, quod carnem non olet, & alterum ſexum. Itaq; apud multos, melioris familiæ ac ſtemmatis mortales, amor non Numinis, ſed hominis, ſolùm prope argumentum eſt cogitationum & confabulationum; neq; tantùm extra templum, cùm profanis vacatur; ſed etiam, quo tempore in æde ſacra, vel verba fiunt ad emendandos mores apta, vel ſalutis peraguntur ſacrificia.

Hodieq; terra & amor devorat homines.

XV. Ex hoc autem, velut præeunte conceptu, ſequuntur ſtulti amoris, monſtroſiſſimi partus. Qualis iſte eſt, cùm non primi duntaxat ſanguinis juvenes, corã ſedente è Gynæceo Virgine (quam honeſtè procantur) genua flectunt, horiſque duabus aut tribus, inſtar ſupplicum, officioſa miſcent colloquia; ſed (quod turpiſſimum eſt) ipſi adeò virorum aliqui nobiliſſimi, tum ſuis, tum alienis conjugibus, idem obſequium præſtant; rati tunc ſe maximè aulicos eſſe, cum heroës mulieroſi, fœminas nova quaſi idola adoraverint, & diutius ante ipſas flexo perſeveraverint poplite, ſtudio placendi; quàm in templo ſolent Deo ſuo ingeniculari, affectu colendi ſupremam majeſtatem. Neque hoc genus viliſſimi officij, argumentum eſſe debet, hominis bene morati, atque exculti ad aulæ conſuetudinem animi; quando regiones aliæ, terræque clamant tam effœminatos, ſexûs ſui probrum eſſe, nec dignos nomine Virorum; vt qui ſe contra naturæ ordinem, ipſiuſque Numinis inſtitutionem, tam inhonorè ad pedes abijciant muliercularum; vnde ipſis neceſſariò ſervitus naſcitur, illis ſuperbè cornua creſcunt. vt jam aliquando nihil vereantur, cum rivalibus amores ſuos partiri, ſcientibus quoque maritis, nec contra audentibus hiſcere. Fortè ex ijſdem ſtultæ ſubjectionis fontibus, noſtrâ etiam factum eſt ętate, vt inverteretur non ſemel Juris ordo. nam quia vi legum, vxor Virum ſequi debet: quo tempore in quibuſdam Germanię partibus, à terrę Principe imperatum eſt Nobilibus, aut hæreſin dimitterent, aut ſolum verterent; vxo-

Inſani & ſtulti amoris ſignum, ingeniculari fœmineo ſexui.

Facit eundem petulanter inſoleſcere contra virilem.

res paſſim migrare aliò volentes, vel inviti ſequebantur mariti, miniméque auſi reclamare; vtpotè jam inde ſervi, mancipiaque; nec domini, nec capita conjugum ſuarum. Eſt igitur aliquorum non improbabilis conjectura, ſi abavi, atavique nobiles, hanc nepotum ſuorum, inter amores delirantium ſtultitiam viderent, tanquam aquilæ, adulterinos pullos ſinu ſuo excuterent. Cértè ſemper majoribus noſtris viſum eſt eſſe indignum, ſi vir ante fœminam, caput ante coſtam, gladius & pugio, ante colum fuſúmque procûmbant ſupplices, etiam titulo blandiendi; cùm id genus blandimenti probroſam inducat ſervitutem, & virilis dominatûs nervum ſuccidat.

Turpiùs eſt ſtudio blãdiendi Virum ante fœminam procumbere, quàm gladium ante colum & fuſum.

XVI. Sed iſta, à quibuſdam inter puerilia cenſentur numeranda: præſertim quando à juvenculis, aut ſenibus, bis pueris, proficiſcuntur. Cæterùm illud obſequij ſtudium, plus habet culpæ, quo confunditur Religionis ſanctitas. Cujuſmodi fuit id genus ſpectaculi, quod exhibitum in quadam civitate (cujus nomen conſultò taceo) præſens fidelibus accepi teſtibus. Nempè, quia eo loco, tota fere Nobilium actio eſt, ſexui fœmineo ſervire, placere, ſtare ad officia, adhærere lateri, amoris ſui affectum exaggerare ſermonis ſaccaro; vno verbo, adulari, lenocinari, ancillari; cùm ex veteri catholicorum more, tempore verno, publicæ ſupplicantium ambulationes inſtituuntur ad templa Divorum, nobilioris proſapiæ homines, non ſemel ſeſe conjunxerunt Equites; mariti cum alienis vxoribus, Juvenes cum Virginibus, ſinguli cum ſingulis criſtati, & quaſi ad nuptias ituri, aut Bacchi ſacra, aut Martis prælia. atque vt futuro conflictui præluderent militaribus exercitijs, jam in gyrum flectendo, jam per æquoris planitiem excurrendo, jam iterum ſe ad primam ſtationem recipiendo, nihil formidârunt, medios populi præcedentis ordines turbare. Sic vnuſquiſque Turnus, ſuam Camillam duxit, ac reduxit; prætextu quidem religioſè peregrinantium, ſed affectu vel indignè procantium, vel amanter colludentium. Sanè neutri iſtorum videntur ex ſincera devotione, ſuſcepiſſe iter ad templum propter CHRISTUM, ſed aliquæ propter LAZARUM, veriùs amaſium; aliqui propter MARTHAM & MAGDALENAM, veriùs lenam. Iam enim illa etiam apud gentis ejus homines, perſuaſio invaluit, & conjugi marito præter vxorem ſuam, licere alteram habere amaſiam; & conjugi fœminæ, præter virũ, licere alterũ habere amaſium. neſcio quàm caſtè, neſcio quàm religioſè, & quâ chriſtianę legis conceſſione, hęc amoris partitio in plures fieri poſſit.

Turbatus ordo ſupplicantiũ, propter ſtudia amantium.

TVRNORVM & CAMILLARVM.

Atq;

Atque hîc rurſus ingemiſco, quorundam hodie frigori Nobilium, qui tametſi eſſe, ac haberi volunt ex meliori chriſtianorum portione, hoc eſt, Catholici, tamen non aliter divina tractant; templa adeunt, frequentant publicas fidelium ſolennitates, quàm vel ex mera conſuetudine, vel ſola vanitate. In proborum cœtu, multi volunt numerum facere, ne per abſentiam deprehendantur tales, quales coram DEO ſunt. Cæterà conveniunt abſq; ſtudio ſinceræ pietatis, ſed non ſine vaniſſimæ curioſitatis intentione; nempe vt vel alterius ſexûs oculos, animoſq; trahant ad ſe, vel ab ijſdem trahantur. Ita non ſemel obſervavi, quo tempore Euchariſticum ferculum, cum feſtiva, annuáq; pompa, ex catholicorum ritu circumferebatur: quin etiam, dum ſacra Evangelia ſub papilione cantabantur, ſubſecuturâ mox per Epiſcopum benedictione; Gynæceo nobiles circumfuſos, & quidem alienos maritos alienis vxoribus, inter mutuos riſus, nugas, ludicra, colluſiſſe; nihil admodum reverentiâ ſacramenti, DEIq; incarnati præſentiâ, ad modeſtiam aut verecundiam compoſitos. XVII.

Ex eodem capite, dehoneſtata Euchariſtici ferculi ſolennis circumlatio.

Sed, quod maximè hâc in re admiror, illud eſt; nullam tanto malo fieri medicinam à Magiſtratibus. defendi etiam ab ipſis ſubinde Eccleſiaſticis, Religioſiſque ejus provinciæ hominibus; quaſi hæc levitatis peccata, minutula eſſent, & diſſimulanda in illuſtri ſanguine, nec multùm pro pulpito exaggeranda; præſertim longâ jam annorum conſuetudine patrocinante. Verùm ô boni, quibus hic patriæ veſtræ, & vel civium, vel ovium mos, tam inculpabilis eſt, quia Nobilitatem habet auctorem; credo ſi audiatis Chryſoſtomum, Auguſtinum, Ambroſium, Baſilium, alioſque ſanctiſſimos patres, ſinceros errorum cenſores, diceretis execrabilem eſſe. Profectò enim, commiſſa in æde ſacra levitas; aut foris, inter publicos Eccleſię actus, factura grave ſcandalum, ſive Catholicis, ſive Acatholicis (vt ferè contingit) impietatis nomen meretur; quia Religionem, divinumque cultum, manifeſtâ ſenſim clade afficit, imminuitque potentiâ damnabilis exempli; vt veriſſimam conſcientiæ obligationem habeant, non tantùm Concionatores, Paſtores, Epiſcopi: ſed etiam principes, Reges, Cæſares, ne permittant hæc mala creſcere, eruptura in fidei ſimul, & Numinis gravem injuriam. Tolerare Nobilium inſolentias, & confuſi ſexûs petulantiam, ſpecie obſequij; quando aut in templis orandus eſt DEVS, aut in publicis ſolennitatibus, neceſſe eſt Catholicam Religionem profiteri; crimen habet non excuſabile, vtri- XVIII.

Et tamen habent hæc ſcandala patronos ſuos, etiam in Clero & Religione.

Digitized by Google

que Magiſtratui, civili & Eccleſiaſtico; tum vel maximè, ſi ſui honoris ſunt tenaces, neglectores divinæ auctoritatis.

XIX. Sed vt ad Gynæceum redeam, Deas inquam, & Gratias ordinis equeſtris; complures malunt ſupremum in Cœlis Numen, præ iſtis offendere; vt jactura divini favoris, multò illis videatur minor, jacturâ muliebris gratiæ. Et quia vident Nymphæ illæ, aut ſexum ſuum, aut genus, adeò honorari à pari ſanguine; jam etiam non pauculæ ſupercilium induunt, vt velint audeantque non tantùm fœminæ imperare viris ſuis, velut Semiramis Regina, olim Nino Regi; ſed etiam imperare alienis conjugibus: & (quod graviſſimum eſt) ſcelera ipſa, aut ſceleribus proxima mandare. Ita teſtibus idoneis & nobilibus, maximeq; conſcijs accepi, alicubi contigiſſe, quæ attexo Fuit quæpiam, gente illuſtris, & quidem maritata, quæ totam quaſi poſt ſe traxit Nobilitatem; non alio magnete, quàm propoſitis gaudijs, luſibus, ſympoſijs, convivijs. Et quoniam diverſi vndique conjuges, ad feſtivas lætitias confluxêre: vt nihil deeſſet voluptatum illecebris, ipſa illa Domina, ſortitò alienos inter ſe maritos uxoreſque, binos ac binos, in vicinas ſilvulas ſolita eſt dimittere, vt illic inter amica colloquia, horulam (ita enim dicebat) ponerent: veriùs ſollicitarent tacitè Venerem, in congreſſus non licitos. Itaque Dœmon (infelix DEI ſimia) imitaturus Chriſtum, cùm præter duodenos Apoſtolos, *deſignavit & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem civitatem & locum, quò erat ipſe venturus:* hac fœminâ pro ſuo inſtrumento vſus eſt, vt alienos conjuges, binos & binos mitteret ante faciem ſuam, ad locum quo ipſe venturus erat, cum filia ſua Cypride, & nepote Cupidine.

Illos ſcilicet, quibus Majeſtas Gynæcei ſacroſancta apparet.

Conjux vna, diverſi ſexûs conjuges, binos & binos in ſylvas dimittit, gratiâ amicitiæ faciendæ.

Lucæ 10. 1.

XX. Quod ſi honeſtate magiſtrâ, detrectârunt aliqui meritò ſuſpecta iſtiuſmodi ſylvarum latibula; tum mulier illa tota eſſe in fermento cœpit, & amaro riſu exſibilare verecundiam, vituperare animum, vmbras metuentem; denique exprobrare degeneres Nobilitatis ſpiritus, & ruſticam BRVTORVM CRASSORVMQVE indolem, excutientium tam bellam occaſionem firmandi amoris, arctioriſque ſtabiliendæ familiaritatis. Sanè nobiliſſimus Vir, exertè confeſſus eſt, apud hujus (quam depingo fœminam) imperia, non paucos evaſiſſe adulteros, non paucas ſcorta; vt ſuſpicio haud temeraria alijs nata ſit, quod fuerit *DVX gregis, ipſa Capra.* Difficile enim eſt à caſta

An non fuerit DVX GREGIS, IPSA CAPRA?

ſta mente, alios invitari ad libidinem, aut periculoſis conventiculis, præludia luxuriæ parari. Vbi iterum miror, neſcio ſimplicitatem potiùs, an ſtultitiam eorum, qui permiſerunt per ſuſpectam ſocietatem, ſuorum conjugum amores, à ſe in alienas perſonas transferri, & confundi invicem jura matrimonij. Denique non ſunt omnes auſi, ſe illi Deæ opponere; & ne offenderent cum incivilitatis nota hanc Nympham, Gratiamque, maluerunt ejus imperium ſequi, & ſequendo vel reos ſe facere de crimine, vel ſuſpectos. Tantùm poteſt ſtultus amor apud eos, quibus Gynæcei majeſtas, ſemel eſſe cœpit ſacroſancta, & inviolabilis. pro vinculis ſunt ſtudia delicatè amantium; & amanter adulantium oblata, atque acceptata obſequia, pro catenis. Quiſquis hîc ſe maſculus animus demittit, ad affectata mulierum blandimenta, jam captivus eſt.

Qua in re, ſcio ſubinde illuſtres Dominas, non tantùm ſuperâſſe nocturnis vigilijs, cuſtodes Romani Capitolij, anſeres; & legiſſe eo tempore Ovidios, Amadiſios, Dianas, alioſque ſimiles corrumpendæ caſtitatis auctores; ſed in ipſis quoq; templis, templorumque diviniſſimis officijs, idem factitâſſe; vt ſcilicet inde artem diſcerent officiosè blandiendi, & novos lenocinandi modos: quibus alienæ, alienos quoq; maritos traherent in naſſam affectuum mollium, & minùs caſtorum. Quomodo enim fieri poteſt, vt humana infirmitas ſine aduſtione ferat, injectum ſibi cupidinis ignem, per compoſitas allicientium verborum elegantias? præſertim cùm perpetuò affunditur oleum, & naphtha admovetur, ac reſina; puta quotidianæ Nobilitatis epulæ, tripudia, luſus, chori, otium, vtriuſque ſexûs familiaritas, aliaque vitiorum incentiva. Et tamen inter iſtos tot ſalutis laqueos, auditæ ſunt nonnullæ è Gynæceo, quæ dicebant, tam ſibi planam eſſe viam, facilemque ad cœlum, quàm cuique religioſiſſimo in clauſtris homini. Nempè his aſſeverationibus id cupiebant efficere, vt quos DEVS nobiles animos ad religionis amplectenda conſilia vocaverat, ipſæ inde avocarent, traherentque ad mundi ſtultè amantis nugas. XXI.

Nocturnus labor amantium, lectio amorum.

Vtinam hîc Numinis AMOR, ad ſe raperet non tantùm promiſcuum vulgus hominum, ſed etiam primi ſanguinis mortales: quàm rectiùs omnia irent ad legem rationis, & amuſſim divinæ voluntatis. Sed nunc ſtultus placendi affectus, & aſſentandi modus; & adulandi, obſequendique ſtudia, plerumque neglecto DEO, nobiles XXII.

Digitized by Google

animos trahunt ad ſexum alterum, minus purè ambiendum; puta eos terræ vermiculos, quorum tota amoris mutui textura, apparebit denique tenue filum fuiſſe, non duraturæ vanitatis. Et credimus eos, qui hunc vaniſſimè mundi morem tenent, dum vivunt; cùm denique vivere deſinent, brevi (quod reliquum erit temporis) futuros alios? & miſſo amori, vanitatique nuncio, cogitaturos tantùm æterna? locuturos tantùm cœleſtia? pro monſtro eſt, ſi hoc fiat, & apertum divinæ potentiæ teſtimonium. Cæterùm, ſi humanam infirmitatem metiri velimus, difficile omnino eſt, patriæ linguæ, quam ab infantia docti ſumus, oblivíſci in morte, eoque articulo peregrinam addiſcere. ſic planè, firmata conſuetudo vitioſâ vetuſtate, naturæ vim nanciſcitur. Amor ſemel contra rationis ordinem imbibitus, viſco tenaciùs hæret: & quiſquis hircum libenter olet adoleſcens, vir, ſenex, etiam ferè moriturus concupiſcit. Iterum, iterumque repeto; ſicut facile eſt, inordinatè amanti alienum ſexum, cùm deſerturus eſt mortalia; ad ſpeciem, & velut ex quadam morientium ceremonia, ſigna dare chriſtiani hominis, ac pœnitentis animi; ita arduum eſt, rectè vereq; pœnitere, mentemq; etiam ſupra terrena omnia, ad ſupremum Numen debitâ converſione transferre, aſſueto humi repere, atque inter molles adulantis Gynæcei blanditias, perpetuò verſanti; præſertim ſi hinc, nova ſupra ſe eundi obſtacula, morituris ponantur.

Qui inter vanos hominum amores vitam ſuam exigunt, rarò moriuntur in amore Dei.

XXIII. Novi locum, vrbem, domum, vbi geſtum eſt, quod aggredior narrare. Poſtremus ſtemmatis nobiliſſimi juvenis, cùm jam maximè florere velle videretur: & vnus ipſe, multorum, multarumq, oculus eſſet, per inſperatam mortem ereptus eſt vitæ; vnaq; cum antiquiſſimæ familiæ memoria, ad occaſum oblivionemq; abivit. Neque diu lecto fatali affixus hæſit, intra octiduum expeditus eſt ad æternitatem. Ita omnis hominum felicitas bracteata eſt: cùm in alto credimur ſtaturi, repente ſubſidimus ad ſepulchrum, & calcamur alienis tranſeuntium pedibus. Itaque vbi, quem dixi, primæ nobilitatis homo, periculo cœpit vicinus fieri, lectulum ejus cinxit frequens Gynæceum; cujus ipſe nugis, vanitatibus, luſibus, vaniſque amoribus diu conſueverat. Dolebant tum matronæ, Virgineſque de tam chari capitis ſuſpecta fortuna, & quam metuere ſunt juſſæ, communi luctu deflebant jacturam. Crederes illud renovatum, quod Ezechiel memorat: *& ecce ibi mulieres ſedebant, plangentes Adonidem.*

Præſertim ſi morientes circumſidentur choro muliercularũ blandientium.

Ezech. 8. 14.

Ne

Ne tamen ægro caderet omnis animus, inter alienos planctus; ſuppreſſo iterum dolore, ſpem indubiam faciunt convaleſcentiæ. Et vt ſpecioſi tituli adeſſent, jam morbum negant fatalem, jam ajunt ſuum adhuc vigorem robuſtiſſimæ ætati conſtare: jam alia comminiſcuntur faciendæ fidei argumenta. Denique hoc illis axioma fuit: mortem nequaquam auſuram, tam nobilem floſculum ante maturitatem carpere; neque cum ipſo totam tam illuſtrium natalium poſteritatem intercidere. Hæc ſuggerebant, hæc canebant è Gynęceo complures, fiduciam facturæ decumbenti. Sed nempe homini, mox cum morte luctaturo, fuit hæc omnis *muſica in luctu, importuna narratio.* eoque gravior, quòd tam frivolis promiſſionibus, vanè lactatus animus, imò & à ſerijs, diviniſque non parum abſtractus; neglexerit facere, quæ egiſſet fortiùs in ſalutis negotio, ſi ſacerdotes ad latus morientis ſtetiſſent exhortatores. XXIV. Solatia Gynæcei apud morituientem Nobilem, vana. Eccleſ. 22. 6.

Tandem inter manus, blanditiaſque aſſentantium fœminarum, pulcherrima roſa expalluit in mortem, expiravitque. novit Deus, plus ſubſidij in obitu habuerit à Gynęceo, homo nobilis, an impedimenti. Vereor, ne illi præſentium imagines, vetereſque cum ijſdem exercitæ nugæ, negotium abituro, & novum cum Sathana bellum paraverint. Sanè, quando commodiſſimè poterat, ſacro inungi oleo (poſt pœnitentiæ atque Euchariſtiæ Sacramentum) fœdè diſſimulatum eſt. Ita communiter fit, cùm vaniſſimi è nobilibus amatores & amatrices, conveniunt ad moribundos *oneroſi conſolatores:* neutri multùm cauſam ſalutis alienæ promovent. rarò illis verbum excidit ſacrum; aſſuefacti ludicris, & quæ ſapiunt terram, vix alia loquuntur; nec ſi velint, poſſunt; quia ignorantes ſunt plerumque, & inanes cœleſtium: nec ſi etiam poſſunt, volunt; quia nullum divinorum ſaporem habent. Fons totius mali eſt, noluiſſe iſtis aſſueſcere, guſtumque ſibi facere, per devotum Numinis cultum; quo tempore, diebus ab Eccleſia præſcriptis, & ſacrificium ſacerdos facit, & Verbum Dei explicat. Et hinc grande talibus imminet periculum, ne ſicut vixerunt ſine affectu rerum ſacrarum, ita ſine eodem moriantur. Et ſemper aliud eſt, præferre aliquid in morte ad ſpeciem pietatis, aliud ad veritatem. XXV. Fortaſſis etiam oneroſa & damnoſa. Iob 6. 2.

Audite viri nobiles, fœminęque, quibus ſua ſalus curæ eſt, & beata æternitas: ad hanc vobis compendium ſubminiſtrabo; ſive rectiùs, quoddam quaſi ſemen; quale deſcribit Laurentius Juſtinianus, dum ait: *ſemina æternitatis ſunt hæc, contemptus ſui, charitatis* XXVI. Laurent: Iuſtin: lib. de Obed. cap. 26.

Guſtus operum Chriſti, ſemen eſt beatæ æternitatis.

tatis donum, operum Chriſti guſtus. Omitto brevitatis causâ priora duo; tertiumque velut propoſito meo aptiſſimum, inculco Nobilitati; ſcilicet guſtum ad doctrinam Chriſti, ejuſque ſacrificium, quæ fuerunt potiſſima opera Servatoris noſtri, dum has terras, homo Deus incoluit. Dico igitur, affici ad riſus & jocos, ad inanias & affanias, ad fritillum & teſſeras, ad luſum & luxum, ad choreas & tripudia, ad venationes & aucupia, ad pocula & patinas; addo etiam, ad paginas impuras, & Venereas cantilenas; mala quidem hæc ſunt, familiaria aulis & Gynæceo: ſed adhuc tolerabilia quaſi, certè non tam graviter nocitura, atque inventura remedium: ſi interim ſuum etiam tempus datur Verbo DEI, ſacroque miſſæ officio, ſaltem dominicis ac feſtivis diebus, piè audiendo. Certum enim mihi eſt, eos qui divino tum ſacrificio, cum reverentia interſunt, & conciones devotè excipiunt; poſtquam exorbitârunt, etiam graviter; facilè ad ſe, mentem ſuam, Deumq; redire; legitimas facere exhomologeſes, dignè ad menſam Angelorum accedere; denique feliciter mori, & beatam occupare æternitatem; quia ſæpius ſemen ejus imbiberunt, de quo Juſtinianus ait: *ſemen æternitatis, eſt operum Chriſti guſtus.*

XXVII.

Faſtidium Verbi Dei, & rerum ſacrarum, ſemen eſt miſeræ æternitatis.

Hîc tu judicà, quiſquis es mitiſſimus cenſor, qualis eos exitus ſit comprehenſurus in morte, quibus omnis DEI cultus inſuavis fuit; quibus horaria concio, aut miſſa, annus videbatur; verbo: quibus operum Chriſti, nullus guſtus fuit. Et hi quidem etiam, habent aliquod ſemen æternitatis, ſed æternitatis damnatæ; puta, nauſeam rerum ſacrarum: quæ ſicut ſanos tenet, ita ægros non ſemper dimittit. & hinc iterum beatitudinis amittendæ naſcitur periculum. Vis ſecuriùs mori; aſſueſce dum vivis, rerum ſacrarum ſtudio; & (quod pene caput dixerim) Verbo DEI. jactura ſalutis noſtræ, aut lucrum, ferè in conſuetudine ſtat.

PARA-

PARAGRAPHVS IV.

Aſſueti Baccho ac ebrietati, conijciunt ſe in magnum, maximum periculum, infeliciter moriendi.

DIvus Anſelmus, inter Cantuarienſes Epiſcopos, pulcherrimum ſidus; cùm olim eques, neſcio quò tenderet; conſpexit lepuſculum, à canibus vndique cinctum, confugere ſub equum ſuum, velut ad aſylum. Et hem! inquit, hæc facies, conditioque eſt morientis hominis, ab atris genijs, omni ex parte obſeſſi. Vice aliâ, intuitus puerum ludentem cum avicula, filo alligata; peccantis hominis typum eſſe dixit, qui libertate ſuâ ſpoliatus, ad arbitrium ſtygij aucupis viveret. Itaque, multi paſſim (ſi Anſelmo credimus) mali dæmonis ludus, lepuſculi, & aviculæ captivæ ſumus. Nec tamen ſtulti lepores fugimus, nec aviculæ filum rumpimus; quin (quod omnem ſtultitiam exſuperat) cantitare etiam in tantis miſerijs juvat. Sed nimirum, ipſa eſt hæc miſeriarum maxima: quòd aſſuefactio ſceleris, ita hominem validiſſimis velut laqueis adſtringat, vt expedire ſe ad fugam difficillimè poſſit. Confirmat ſuo calculo Sanctus Ambroſius, quando jam olim iſta graviſſimè ſcripſit: *cùm ſemel anima adhæſerit cupiditatibus demerſa terrenis, difficilè in altum poteſt, vnde deſcendit, ſine* DEI *favore, evolare. actuum enim ſuorum vincta laqueis, & ſecularium deliciarum illecebris, obnoxia tenetur.* I.

In Vita S. Anſelmi apud Sur. 21. Aprilis.

Conſuetudo cujuſq; vitij, hominem ligat.

D. Ambroſ. in c. 4. Luca.

Et ſanè, ſi vlla vitiorum conſuetudo potens eſt, vim miram habet continuandæ ſtudium ebrietatis. Quem ſemel hujus mali voluptas occupaverit, nunquam poteſt conſiſtere in ſicco littore, ſemper cupit natare. Et memini, ipſum me quondam, votum alicujus ejuſcemodi audiviſſe: nihil ſibi futurum quidquam gratius, quàm ſi piſcium inſtar, oceano poſſet innatare, non jam pleno aquis, ſed vino; vt nun- II.

Sed multo maximè conſuetudo ebrietatis.

Digitized by Google

nunquam deſit, quod bibat. Itaque hodie quotquot Baccho jurati ſunt, volunt ſemper mero mergi; neque ferè aliter poſſunt; aſſuetudo ebrietatis eos tenet, non ſinit diu ſobrios eſſe: quodque miſerrimum eſt, ſæpe ebriam animam, morientes ebrij in tartarum exſpuunt; vt rectiſſimè dicam, aſſuetos per omnem vitam Libero patri, ac vinolentiæ, conijci in magnum, maximum periculum, malè infeliciterque moriendi.

III. Acturus ergo de conſuetudine ſe ingurgitandi, quàm plurimis nocitura, cùm fata & mors hinc juſſerint ambulare; ſuppono ebrietatem eſſe exceſſum in potu inebriante, causâ voluptatis, donec vſus rationis adimatur. Et quia gravis deformitas cenſetur, grande malum, abjectâ rationis poteſtate (quâ nihil in homine præſtantius eſt) ad brutorum ſtoliditatem, ſolius gratia delectationis, vltrò ſe abijcere; hinc ex communi ſententia, apud angelicum Doctorem, per ſe loquendo, peccatum eſt lethale ebrietas; puta ſi perfecta, plenaque fuerit, quæ rationis vſum quaſi omnem impediat, tollatque. Nam ſi homo poſt largum vini hauſtum, diſcernere adhuc poteſt inter vitium & virtutem, honeſtum ac turpe; tametſi phantaſia nonnihil turbata ſit, lingua titubet, pedes vacillent, oculi duplicata aſpiciant, caput in gyrum agi videatur; imperfecta hæc eſt ebrietas, & peccatum duntaxat veniale; quamvis vnum ex gravioribus, ſi deliberatè committatur; vt prǽclarè obſervat inter hujus ſǽculi Theologos, diſcretus auctor.

Ebrietas plena & ſemiplena.

S. Thom. 2. 2. q. 150. art. 2.

Lethalis aut venialis, quæ?

Layman de temperantia num. 5.

IV. Cæterùm ſicut illa perfecta ebrietas, gratiâ voluptatis admiſſa, inter noxas mortiferas numeratur; ſic quoque lethale peccatum eſt, ad ejuſmodi gravem intemperantiam, aut conſilio invitare, aut juſſu inducere. Et ſanè ita jam paſſim invaluit peſſimus mos, vt niſi è convivijs, ſui, mentiſque impotes diſcedant homines; nec hoſpes convivas benè tractaſſe, neque convivǽ ſe habitos commodè ab hoſpite arbitrentur. Quem mortalium quorundam ſenſum, ſeu potiùs beſtiarum, imò nec beſtiarum quidem; acerrimè SS. Patres perſequuntur, quando eos reprehendunt, qui ad frequentes calices, & grandia pocula, Bacchi prǽlia, ſe mutuò provocant, non ſine gravi pereuntis temperantiǽ, exulaturǽ ſobrietatis clade.

Peccatum mortiferũ eſt, ad gravem ebrietatem invitatio.

V. Placet iterum, melle ambroſiâque plenum, audire Ambroſium, deſcribentem non tam ludicra, quam ſeria Bacchantium certamina. *Cernas* (inquit) *poculorum diverſorum ordines* (*aciem ordinatam putes*) *vaſa expoſita aurea & argentea; pompam arbitreris: cornu in medio vini plenum, non epularis, ſed prœliaris inſtrumentum buccinæ; quod*

S. Ambroſ. lib. de Elia & Ieiunio, cap. 13.

diſcum-

Digitized by Google

diſcumbentes in certamen accendat. primò minoribus poculis, velut velitari pugnâ præluditur. Verùm hæc non ſobrietatis eſt ſpecies, ſed bibendi eſt diſciplina. Etenim vt tragœdiarum actores, primò ſenſim vocem excitant, donec vivæ vocis aperiant iter, vt poſtea magnis poſſint clamoribus perſonare: ita iſti quoq; in principio, præluſorijs ſe exercent poculis, vt irritent ſitim; ne fortè reſtinguant eam, & ſatiati poſtea bibere non poſſint. Ergo vbi res clarere cœperit, poſcunt majoribus poculis: fervor inardeſcit. Certant pocula cum ferculis, & inter moras ſæpe geminantur. Deinde procedente potu longiùs, contentiones diverſæ, & magna certamina, quis bibendo præcellat. Nota gravis, ſi quis ſe excuſet, ſi quis temperandum forte vinum putet. Et hæc donec ad menſas perveniatur ſecundas. At vbi conſummatæ fuerint epulæ, & putes jam eſſe ſurgendum, tunc de integro potum inſtaurant ſuum: & cùm conſummaverint, tunc inchoare ſe dicunt, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres, quaſi inſtrumenta bellorum. Ac ne immoderatum hoc arbitreris, menſura proponitur, certatur ſub judice, ſub lege decernitur. Agonothetes illic furor eſt, ſtipendium debilitas, victoriæ præmium culpa; pendet anceps diu, & dubius belli eventus, furor enim illic eſt præliaris. cedunt pincernarum manus vina fundentium, & coquorum labores calida miniſtrantium; cedunt qui menſuras ipſas bonas, ſupereffluentes, diligenti librant examine, ne quid effundant; non cedunt bibentes. Sola illa ſine excuſatione certamina. In bello ſi quis inferiorem viderit, arma convertit, & meretur veniam: hic ſi quis calicem convertat, vrgetur ad potum. Omnes inebriantur, victores victiq; omnes, ebrij jacent.

Vſitata jam olim tempore S. Ambroſij, & ab eodem pathetice deſcripta.

VI. Nemo alius præ D. Ambroſio, noſtratium mores conviviorum, convivarumq; meliùs ad vivum depinxerit. Ita nimirum, quos tenet conſuetudo bibendi, nunquam ſatis habent; præſertim cùm pares paribus, hoc eſt, bibuli bibulis ſociantur apud menſas. niſi omnes vino madidi, ſub ſcamnis alter alteri, Bacchoq; victum pollicem porrexerint, nihil actum eſt ſtrenuè, nihil dignum annalibus; ſobrietas ibi, temperantiæ nativa ſoboles, opprobrium facit, laudem voluntaria ebrietatis inſania. Deniq; pulcherrimum facinus habetur, alterum poculis expugnare, ratione exuere, ex homine in beſtiam mutare, & mille obruere malis. nam ebrietas quam ſuades, noxia eſt; ad corporis ſanitatiſq; vitium, etiam animæ adjungit crimen; neque vnum.

Imò & nunc conſueta.

VII. Hoc patet ex effectibus, qui ebrietatem ac vinolentiam conſequuntur. Quorum primus eſt, homini eripere mentem; ſic enim clarè Oſeas Vates enunciat: *fornicatio & vinum, & ebrietas*

Ebrietatis effectus vnus, mentē tollere.

Oſee 4.11. *auferunt Cor*: ſive quod idem eſt; totum homini animum, atque animo nobiliſſimam ſui partem, abripiunt rationem; vt jam velut cœco impetu, feratur in crapulam, & quæ gulæ ſapiunt, viliſſima irritamenta. Hæc etiam cauſa eſt, cur Clemens Alexandrinus, ebrium vocet Acephalum, hoc eſt, monſtrum ſine capite, ſic enim loquitur: *Mihi videtur is, qui à Mathematicis dicitur Acephalus, qui ante ſtellam errantem enumeratur, capite in pectus compreſſo; ſignificare helluones homines, & voluptarios, & ad ebrietatem propenſos. nam in his quoque ratiocinandi facultas, non in capite. ſed in inteſtinis collocatur.* Itaque ex ſententia Clementis, aut homines ebrij ſine ratione ſunt: aut ſi quam habent, omnem trahunt à ventre & ilijs, quia ſoliùs gulæ appetitu reguntur.

Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 1.

VIII. Alter effectus eſt ebrietatis, luxuriam inflammare. Hinc ſapiens monebat. *luxurioſa res vinum.* & Apoſtolus: *nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Et S. Hieronymus: *venter mero æſtuans, citò deſpumat in libidines.* Optimè convenit Veneri & Libero; appendix crapulæ, luxuria eſt. Pulchrè admodum Tertullianus ait: *Monſtrum haberetur libido ſine gula; ſaginæ ſubſtructa laſcivia eſt; per edacitatem ſalacitatis tranſit.* Eadem eſt ratio ebrietatis, quæ multis pro vehiculo fuit ad turpitudines. Nec deſunt exempla, quibus docere poſſumus, ex vino Venerem continuò natam eſſe. Omiſſis mille alijs, Lothum ſiſto; qui ſi nunquam mero ſe ingurgitâſſet, nunquam cum filiabus concubuiſſet; daturus ſibi, alijſque materiam lacrymandi. ſic enim D. Hieronymus refert: *S. Paula terram ſanctam peragrans, cùm ad Segor, ſive Zoaram veniſſet; recordabatur ſpeluncæ Loth, & verſa in lacrymas, virgines ſocias admonebat, cavendum eſſe vinum, in quo eſt luxuria, cujus opus Moabitæ ſunt & Ammonitæ.*

Prov. 20. 1. Ad Epheſ. 5. 10. S. Hieron. epiſt. 83. ad Oceanum. Tertull. lib. adverſus Pſychicos. cap. 1.

Alius, luxuriam accendere.

S. Hieron. in Vita S. Paulæ.

IX. Tertius intemperantiæ, ebrietatiſque eſt effectus, ſuum & alienum ſanguinem fundere. Sapientis quondam fuit interrogatio: *cui væ? cui rixæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne his qui commorantur in vino? & ſtudent calicibus epotandis?* Planè ferinam induunt crudelitatem homines temulenti; armantur ab ebrietate in mutuas cœdes. Neque magis fugiendæ ſunt ſpeluncæ leonum, quàm popinæ ganeonum; in quibus ſæpe quantum vini infunditur, tantum effunditur & cruoris. Manifeſtum eſt in magno orbis Domino, Bacchi ſervo, Alexandro; qui fertur plures amicos, potus in convivijs, quàm

Prov. 23. 29.

Tertius, crudelitatem ſuggerere.

Digitized by Google

quàm hoſtes in prælio interfeciſſe. Audiamus porro & Senecam in hoc argumento eloquentem.

X. *Seneca lib. 2. ad Lucil. Epiſt. 84.*

Omne vitium ebrietas; & incendit, & detegit: obſtantem malis conatibus verecundiam removet, plures enim pudore peccandi, quàm bonâ voluntate, prohibitis abſtinent. Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit; tunc libidinoſus ne cubiculum quidem expectat, ſed cupiditatibus ſuis, quantùm petierint, ſine dilatione permittit. tunc impudicus morbum profitetur, & publicat. tunc petulans non linguam, non manum continet. Creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſævo, malignitas livido; omne vitium detegitur, & prodit. Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victâ temporum, locorumq; difficultate, tranſierat; tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt; intemperantia bibendi, & ille Herculeanus, ac fatalis Scyphus perdidit.

Patet in Alexandro M.

XI. Quartus ebrietatis effectus, hominem in ſalutis ſuæ periculum adducere.

Sed licet intemperantia, quam ebrietatem dicimus, plurimorum velut Mater ſit ſcelerum, libidinis, ſævitiei, faſtûs, inſolentiæ, aliorumque malorum; iſtud tamen mihi videtur graviſſimum eſſe, nocentiſſimumque; quòd per eam homo collocetur in periculoſiſſimum ſalutis amittendæ ſtatum. Ita planè ac diſertè fatetur, hujus ſæculi gravis in ſcripturam commentator, verbis ſequentibus. *Proprium hoc habet ebrietas, quòd peccatorem conſtituat in periculo certo, & inevitabili damnationis æternæ; alij enim peccatores, ſi ingruat mors, pœnitent; cùm ſint rationis compotes, & ſacramentis expiantur; ſolus ebrius nec pœnitentia, nec ſacramentorum eſt capax; vt ſi catharro ſuffocetur, certò certiùs damnetur. hinc ait Paulus, quòd ebrioſi regnum* DEI *non obtinebunt.*

Cornel. à Lap. cap. 19. in Gen. ſub finem. 1. ad Corinth. 6.10. & ad Galat. 5.21.

XII.

Vtinam quotquot ſunt Liberi patris, non liberi filij, ſed mancipia; quotquot ſunt, non tam homines, quàm vini amphoræ, nati velut ad bibendum, non vivendum; hanc vtiliſſimam doctrinam debito librarent pondere, ſuæque intemperantiæ ſalubre apponerent antidotum! profectò enim, ſicut puerile votum eſt, bene velle mori, & malè vivere: ſic pariter ridicula eſt perſuaſio, poſt continuam, aſſuetamque ebrietatem, ſobriam mortem nanciſci; præſertim cùm plurimis mortalibus ſua temulentia fatalis fuerit. DEVM bonum! quanti fuerunt ebrij, quibus aut per catharrum ſuffocata eſt anima? aut per imprudentem lapſum eliſa? aut per fluctus

Vt cùm ebrius moritur ſine ratione.

& undas ſubmerſa? aut per violentiam ferri, alijſque modis extinſa?

XIII. Cùm Maximinus olim, ab exercitu Imperator vocatus eſſet; totius Romani Senatûs, populique, mulierum quoque ac liberorum, publicum privatumque fuit votum, ne vir ille vnquam videret Romam. timor exercendæ crudelitatis, hominem fecerat exoſum; vt qui negaret abſque ea, conſiſtere imperij majeſtatem poſſe. Itaq; ne Reſpublica, ne ſummi, ne imi, vim paterentur, quam ſuſpicio non vana metuebat; Senatus Romæ Imperatorem jam renunciatum, publico decreto repudiat, & velut hoſtem proclamat. Hæc vt Maximinus intellexit, indignari primùm, furere atq; inſanire; tum deinde, vt obliviſceretur tam grandis injuriæ, vino ſe cœpit obruere, aucturus novâ inſaniâ priorem; vtramq; morti ſociaturus. Ita etiam evenit, quamquam nolenti; nam & temulentus à milite occiſus fuit, & caput ejus conto præfixum, Romamq; miſſum eſt.

Iulius Capitol. in Maximino.

Exemplo Maximini Imperatoris.

XIV. Attila Hunnorum Rex, Tyrannidis ſoboles, flagellum provinciarum, magnum orbis portentum; quo tempore reverſurus in Italiam ſe accinxit, ductâ prius vxore in Pannonia, nocte primâ infauſtarum nuptiarum, cùm nimio cibo, meroque preſſus obdormiuiſſet; manante copioſiſſimo ſanguine è naribus, atque per os patulum in guttur defluente, citiùs enectus eſt, quàm mori ſe præſentiſceret. Crediderim ſic nutu, & conſilio magni Numinis factum eſſe, vt vinolentus Attila mergeretur in ſuo ſanguine, qui toties alienum fudit. nunquam minùs nocuit hæc ſanguiſuga, quàm cùm proprio ſe cruore, inebriavit ad interitum: vomitura tartaro, purpuratam jam dudum animam ſanguine innocentium.

Fulgoſius lib. 9. c. 12.

Exemplo Attilæ, Hunnorum Regis.

XV. Italia Europæ margarita, delicium terrarum, illicium exterarum gentium, non ſemel Francos ad ſui traxit amorem; jamque ſæpius ſuâ exciti patriâ, venêre alienas guſtaturi opes: ſæpiusq; rejecti ſunt. Contigit, vt Grimoaldus Rex Longobardorum, cùm cerneret ingentem Francorum exercitum irruere in Italiam, ingenioſo ſtratagemate eluſurus hoſtem, fugam ſimularet; caſtraque vino, ac cætero commeatu pleniſſima, relinqueret inſequentibus. Galli igitur, quia tuta omnia putabant, perſuaſi de miraculo renovati illius panici terroris, quo correpti quondam Syri, Samariæ obſidionem ſolverunt per fugam; invadunt deſerta à Longobardis caſtra; & mox ſumptuoſiſſimis

Warnefridus lib. 5. de geſtis Longobard. cap. 5.

Exemplo Gallorum, à Longobardis in ebrietate cæſorum.

4. Reg. 7. 7.

ſimis convivijs ſe mutuò ad hilaritatem acuunt; condimentum illis fuerunt probra, in turpem profugorum inertiam paſſim conjecta. Sed denique temeritatem ſuam graviſſimè luerunt, quando vino, ſomnoque ſepulti, à ſupervenien te Grimoaldo, plerique omnes cæſi ſunt. ebrietas illis ſua exitium tulit.

XVI.

Audiamus & aliam, ſive tragœdiæ recentioris, ſive commiſſæ ebrietatis luctuoſiſſimam cataſtrophen. Heluo erat maritus, qui rem omnem ſolebat in popinis abſumere, multum interim domi eſuriente paupertinâ familiâ. Evenit, vt hominem vxor ſua aliquando adiret, expoſitura rei domeſticæ penuriam, & ad temperantiam hortatura. Sed ille inter pocula accenſus ad Martem, velut hoſtem haberet, frequentiſſimo verbere, tantùm non conficit immeritam conjugem. Itaque miſella, ægram animam ægris pedibus domum vbi reportavit, obvios invenit duos puerulos: qui veſtem matris prenſantes, magnis vociferationibus petebant panem, jam integro ſe biduo jejunos tolerare inediam. Tum illa; ah! filioli mei, pignora mea, chariſſimum vteri mei pondus; quid agimus? quando omnia abligurit genitor veſter? nihil nobis ſupereſt ad victum, neque bolus quidem, ſolaturus latrantem ſtomachum. Itaque mortis ſumus victima; & (quod miſerrimum eſt) longæ ac diuturnæ mortis. Sed tamen remedium aliquod huic malo eſt; ſi acceleramus fata, & abſolvimus brevi, quod diu ferendum eſt. præſtat citò interire, quàm longâ fame torqueri ad tarda ſupplicia. ergo redimamus vnâ morte, mille ſecuturas. Dixit hoc deſperabunda mater, ſimulque filiorum jugulo cultrum fixit, chariſſimis animabus viam apertura, vt inediæ, ac duraturæ diu tyrannidis, moleſtias ſemel evaderent. Sub noctis crepuſculum domum revertitur maritus, omni ſubſtantiâ exhauſtus; ſed ſolo plenus vino, ac probè ebrius. quem vt ſomno ſopitum vidit vxor, novis indignationibus exæſtuans, in dormientem ſeſe armat: & accepto cultro, morieris inquit, lurco, ſangvinis tui cruentus ſicarius. ingluvies tua, & continua crapulæ frequentatio, perdidit liberos tuos, meoſque. jam pignora noſtra, facta ſunt funera, & hoc ferro; & meâ, matris ſuæ manu. heluatio tua ſuggeſſit tam ſanguinarium conſilium; credebam pietatem fore, ſi ſic ſævirem in carnem noſtram, & diuturnæ morti, per breve vulnus eriperem. nunc cultrum in te verto, jugulum tuum peto, non ampliùs conjugis mei, ſed tyranni. morieris; & morieris dexterâ vxoris tuæ; imbellis quidem fœminæ, ſed quam ebrietas tua armavit adversùs te, fortemque fecit.

Io: Benedict. lib. 3. ſumma peccatorum c. 7. in appendice.

Exemplo mariti ebrij, à propria vxore interfecti.

cit.

cit. ergo ferrum recipe, ebriamque animam ad æternas tenebras mitte; indignus qui poſt tuorum filiorum indignam necem, ſolem aſpicias. Hæc,aliaque id genus, quæ præceps ira, furorque exaſperato dictavit animo, vt mulier abſolvit, collo dormientis profundè mariti, ferrum immerſit. Denique & ipſa à Magiſtratu comprehenſa, ſupplicium capitis luit; habitâ priùs ad conjugatos exhortatione, ne ſuâ prodigalitate atque intemperantiâ, familiam ad neceſſitatem vltimam, vxores ad extremã deſperationem adigerent.

XVII. Sed id, quod maximè in his, ſimilibuſq; hiſtorijs contemplor; eſt illa miſerabilis conditio, periculumque, quibus involvuntur, quotquot in ebrietate ac crapula, ſive catharro,ſive ferro,& inimicâ violentiâ, excutiuntur extra hunc orbem. *Facio verbum, quod quicumq; audierit, tinnient ambæ aures ejus:* dico clarè: omnis qui in ebrietate perfecta ac voluntaria, qualem ſupra deſcripſi, à morte deprehenditur, actum agit, ſalutem amittit. quia boni chriſtiani officium, moriens non facit; & ne facere poſſit, ſponte ſuâ, privavit ſe rationis vſu. Miſer! errat vltimò,& perit totâ æternitate. delicata eſt beatitudinis cauſa; ſemel erráſſe in fine, & corrupiſſe ibi negotium, ſatis eſt ad interitum, eumque ſempiternum. Væ omnibus, quos delectat frequens, & quaſi quotidiana ebrietas. Veriſſimum eſt Senecæ verbum: *aliarum artium peccata, artificibus pudori ſunt, offenduntq; deerrantem: vitæ peccata delectant. non gaudet navigio gubernator everſo: non gaudet ægro medicus elato: non gaudet orator, ſi patroni culpâ reus cecidit: At contra omnibus crimen ſuum voluptati eſt. Lætatur ille adulterio, lætatur ille furto, nec ante culpa, quàm culpæ fortuna diſplicuit; id pravâ conſuetudine evenit.* Ita omnino ejuſdem fit conſuetudinis vitio, vt qui *ſtudent calicibus epotandis, & ſunt viri fortes ad miſcendam ebrietatem*, tandem etiam gaudeant, velut dictaturam meriti, ſi ingentibus poculis ſibi, alijſque nobiliſſimum rationis lumen extinxerint. Et docet experientia, velut regulos altiùs incedere, ſæpe etiam plauſum ab alijs ferre, quos fecit vinolentia famoſos.

1. *Reg.* 3. 11.

Ebrietas gravis & plena, impedit ebrium, quo minùs ſe, eo articulo ad piam mortem diſponere poſſit.

Seneca epiſtolar. lib. 16. *epiſt.* 118.

Proverb. 23. 30.

XVIII. Sed ego iterum, iterumque væ ingemino vniverſis, quibus plenè ebrijs, mors ſupervenerit; nam vt nullius alterius mortiferi criminis ſint rei, ſatis eis lethale peccatum eſt, ſua temulentia. cùm hac quiſquis mundum exit, orcum intrat. Neq; effugium patet, januâ pœnitentiæ; poſtquam ſopita, meroq; oppreſſa ratio, viam oſtendere non poteſt. Atq; hoc eſt, quod tam patheticè magnus olim Apoſtolus affirmavit Corinthijs, dicens: *an neſcitis, quia iniqui*

Et hanc ebrietatem Apoſtolus numerat inter ſalutis impedimenta.

Digitized by Google

iniqui regnum Dei non poſſidebunt? nolite errare, neq; ebrioſi regnum DEI *poſſidebunt*. Et rurſum Galatis aſſeveravit: *Manifeſta ſunt opera carnis; ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia; quæ prædico vobis, ſicut & prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* puta ſi, (quod rarum non eſt) mors in flagranti, graviq; intemperantia occupaverit. Atq; vt fiat, adlaborat ſtrenuè cacodœmon. 1. Corinth. 6. 9. Ad Galat. 5. 21.

XIX. Quo in genere, mihi non multum abludere videtur à Juditha, inſignis caſtimoniæ ſpeculo, & digniſſimæ Heroinarum omnium Reginæ. Vt enim ſacri memorant annales, cùm vrbem Bethuliam Aſſyrij arctiſſimâ obſidione cingerent, illa ex ſuperno DEI afflatu, conſilioque, hoc vnum agitare cœpit, vt Holofornem, Ducem hoſtilis militiæ, è medio tolleret; rata facilè ſuperandum exercitum, qui caput ſuum amiſiſſet. Atque ita evenit. Nam cùm Juditha velut profuga, ſe ſtitit Holoferni, & venuſtate faciei ſpectabilis, & mundi muliebris ſplendore gratioſa; ſtatim petulcus homo induit hamum, tractuſq; eſt ſolo aſpectu, ad Veneris non licitos amores. Iamque ante eam noctem, quâ concubitum ſperabat; quemadmodum ſcriptura loquitur, *jucundus factus eſt Holofernes ad eam, bibitq; vinum multum nimis, quantum nunquam biberat in vita ſua.* Ita ebrium planè, cum Juditha in idem cubile, Ducem ſuum collocant palatini; atq; vt iterũ ſacer textus refert; *Holofernes jacebat in lecto, nimiâ ebrietate ſopitus.* Tum igitur ſola apud temulentum Juditha, multa initio in vtramque partem ſecum putare: mox velut altiore acta imperio, gladium vaginâ eximere, homini caput amputare; illud Bethulienſibus adferre; tandem & conſulere, vt cives ſui, irruptionem in caſtra Aſſyriorum facerent, fuſuri non magnis laboribus hoſtem, Duce ſuo deſtitutum. Itaque dum impreſſionem faciunt Hebræi, & Aſſyrij trepidantes, Holofernis juſſa exquirunt, neque is in publico compareret, quòd crederetur heſternam nondum crapulam edormiviſſe; miſſus eſt Vagao Eunuchus, qui excitaret ſtertentem, profuturum ſuis in communi periculo. ſed poſtquam ille omnia intra cubile vidit cruentata, truncumq; atque exanimè principis ſui cadaver, ſanguini innatare: cum feſtinatione ſe proripiens, ad eos, qui ad capienda imperia ſtabant, attonito ſimilis exclamat: *Ecce Holofernes jacet in terra, & caput ejus non eſt in illo.* Atq; hæc cauſa fuit, quod hoſtilis exercitus in fugam, ſine ordine ac lege effuſus, magnam partem à Bethulienſibus plecteretur. deſtituit Aſſyrios conſilium; & ideò maximè, quia tàm Holofernes, quàm ipſi, vtrinque caput amiſerunt. Judith. 12. 20. Judith. 13. 4. Juditha heroina, caput Holofernis ebrij petijt. Judith. 14. 16.

Et

Digitized by Google

XX. Et hic ipſiſſimus eſt mali dœmonis actus; nam vt hominem debellet, vt æternum ſibi faciat ſervum, & infelicem damnatæ apud inferos turbæ ſocium; ſæpe Caput petit; volo dicere, Rationem, ejuſque vſum: quo ſolo diſtinguimur mortales à brutis animantibus. Vt autem hîc vulnus inferat, & cladem inimicus; congijs, amphoris, poculis, ebrietate oppugnat: hæc ejus ſunt baliſtæ ac catapultæ. Quod ſi homo ſciens ac volens, per temulentiam, ſuam ſibi ipſe rationem omnem excutiat, vt nullum ampliùs facere poſſit diſcrimen inter honeſtatem & turpitudinem, decus ac dedecus, impotens ſui, actionumque ſeriarum; cujuſmodi potiſſimæ ſunt, quæ ſpiritûs, ſalutiſque negotium involvunt: tum veriſſimè affirmavero, *Caput ejus non eſt in illo*; Ratio excuſſa eſt, & ideò perit, æternumque perit, quia abſque ratione, velut capite, adhuc totus ebrius hunc mundum deſerit.

Dœmon hominis ebrij Rationem.

XXI. Nam cùm ex fide Catholica certum ſit, neminem peccati lethalis vnius, aut plurium obnoxium, admitti in beatorum domicilium, niſi eadem ante mortem expiaverit; aut per confeſſionis Sacramentum (ſi copia eſt) aut per alios veræ pœnitentiæ, charitatiſque actus: ſit autem pariter manifeſtum, neminem perfectè, planeque ebrium, propter defectum rationis, ejuſque vſûs; vel legitimè Sacramentum ſuſcipere poſſe, vel nominatos virtutum actus exercere: conficitur neceſſariò talem, ſi moriatur, extra gratiam Dei hinc abire, atque interire, flammis ſempiternis arſurum.

Quâ ſublatâ, ebrius chriſtianè mori non poteſt.

XXII. Væ omni illi, de quo moriente dici poteſt; *caput ejus non eſt in illo*; Ratio eum deficit, ſana conſilia deſtituunt, pœnitere de peccatis non poteſt, reconciliare ſe neſcit offenſo Numini; amare Deum nec vult, nec velle poteſt, quia vino plenus eſt. Itaque & ſpolium fiet Sathanæ, & ludibrium. Quale olim factus eſt Cyrus, Rex Perſarum, Thomyridi Scytharum Reginæ; poſtquam eum hoſtem ſuum, cum ducentis millibus prælio trucidavit, nullo neque nuncio quidem tantæ cladis ſuperſtite. Tum enim, *caput Cyri amputatum, in vtrem humano ſanguine repletum conjici juſſit, cum hac exprobratione crudelitatis: ſatia te ſanguine, quem ſitiſti, cujuſq; inſatiabilis ſemper fuiſti.* Idem hoc, ſed acerbiùs occinet apud inferos Cacodœmon ei, quem temulentum, rerumq; omnium imprudentem, mors ſtygi invexerit. Heus inquiet, ſatia te, non ſanguine, ſed vino; ſed mero meraco; ſed falerno, cretico, lesbio, quod ſemper ſitîſti: ebrietatis conſuetudine ſemper augeſcente, & tranſeunte in neceſſitatem. Verùm tantò erit amarior illuſio, quantò minùs acci-

Iuſtin. lib. 1.

Ebrioſi inter damnatos, exprobrationem patientur, ſimilem exprobrationi, Cyro Regi factæ.

piet ingens ſitis ardor, & cupiditas bibendi; imò quando penitus nihil dabitur, negatâ etiam vnâ aquæ guttulâ Epuloni, inter ſtygios ignes ſudanti, & ſuſpiranti modicum refrigerandæ linguæ ſolatium.

Hîc ego ad calcem ſubjungo D. Auguſtini ſeriam oppidò, grauemque ſententiam, dignam quæ cubitalibus litteris deſcripta, popinis, tabernis, menſis omnibus affigatur; legenda tunc maximè, quando importunæ ad bibendum fiunt invitationes. *Etiamſi ad hoc veniretur,* inquit, *vt tibi diceretur, aut bibas, aut morieris; melius erat, vt caro tua ſobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.* addo, quàm per temulentiam æternis ignibus mergeretur. Nolite ad hæc talia ridere madidi fratres; nolite poculis & ſcyphis diluere tam formidanda; ſæpe eâdem horâ venerunt fata ſua ebrio, ſed iniqua. quia inter illa perijt, quamquam vitio, culpâq; ſuâ; *caput ejus non erat in illo*; rationis vſum omnem, cujus beneficio poterat cum DEO in gratiam redire, vinum atque ebrietas abſtulit. Ajo confidenter, magnum maximum periculum infeliciter moriendi adit, qui ex conſuetudine facit ſibi ebrietatem, aut quotidianam, aut frequentem. XXIII.

S. Auguſt. ſerm. 232. de temp.

Mors eligenda præ ebrietate.

PARAGRAPHVS V.

Aſſueti Veneri ac Venereis, quàm difficulter reſipiſcant in MORTE.

BAcchum ſuo velut jure, ſequitur Venus, ſoror individua; origine quidem *ſpuma maris*, poſtea maligni orbis gemma; & nunc quoque amorum Dea, voluptatum mater: etiam turpium, quæ chriſtianis maximè probro ſunt; quia multipliciter vetitæ, imò & noxiæ. Si Bedam audimus: *Venus eſt illecebroſa voluptas, adulterina jucunditas, quæ mel habet in ore, fel in corde, aculeum in dorſo.* O quanti ſunt mortales, quibus incontinentia ſuum exhauſit ingenium, memoriam vitiavit, vtrum- I.

Beda de templo.

Libido vitiat naturæ bona.

Digitized by Google

que reddidit infœcundum! quanti ſunt, quorum robur fædè proſtravit, opes abliguriuit, famam proſtituit! Nimirum luxuriâ & libidine, quod olim dixit quidam, nihil fœdiùs, nihil damnoſiùs: *his virtus atteritur, ſopita gloria in infamiam convertitur, animi pariter & corporis vires expugnantur. adeò vt neſcias ab hoſtibuſné, an ab illis capi, pernicioſiùs habendum ſit.*

Valer. Max. lib.9.c.1.

II. Neque hîc ſtat omnis nocendi ratio. Etiam vitam multis ſua incontinentia abſtulit; vt rectè quondam Romæ, Veneris ac Libitinæ templa, conjuncta fuerint, quia à Venere ad mortem brevis eſt tranſitus, & frequens. Sacra nobis pagina refert, Judæum qui contra DEI ſanctiones, cum alienigena Madianitide, luxuriam olim commiſit: in ipſo congreſſu, quo fœdam, vetitamque aucupatus eſt voluptatem, vulnus à pugione accepiſſe fatale, & per latus ſuum tranſmiſiſſe ad ſcortum; vt ſimul eodem ferro interirent, qui ſimul eodem ſcelere ſe impiârunt. Simile infortunium comprehendit Sodomæ quondam cives, vicinoſque accolas, poſtquam exercuerunt infandas ſcelerum turpitudines, cum æterno nominis ſui dedecore, vitæ exitio. Nam vt deſinerent tandem malis, impuriſque ignibus vri, à cœleſti ſulphure, flammiſque ſupernè ruentibus, combuſti ſunt. Ita plures alij à Venere ad fata gradum fecerunt compendio infelici, quia cum evanida oblectatiuncula jacturam vitæ mutârunt.

Numer. 25. 8.

Aufert homini vitam.

Geneſ.19. 25.

III. Sed relinquat etiam Venus amatoribus ſuis prædicta omnia; memoriam fidelem, ingenium ſublime, integram valetudinem, intactam famam; neque divitias admutilet, nec vitam adimat, imminuatque; ſatis tamen nocet, quando homini ſuam animam rapit, & animæ ſuum cœlum; clamante Apoſtolo: *nolite errare, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, regnum DEI poſſidebunt.* Et iterum: *manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria & his ſimilia; quæ prædico vobis, ſicut & prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum DEI non conſequentur.* Nunquam autem veriſimiliùs amittunt mortales beatitudinem, quàm vbi cum Venere contrahunt longæ ſocietatis conſuetudinem, tranſeunte laſciviâ in morem, more in neceſſitatem, prope omnis remedij impatientem.

Imò & cœlum.

1. ad Corinth.6.10.

Ad Galat. 5.21.

IV. Agnovit hoc olim malum, & flebiliter deplanxit correctus jam Auguſtinus; atque vt orbi conſtaret, quanta vis eſſet aſſuetæ libidini, non erubuit adoleſcentiæ ſuæ intemperantiam palam confiteri;

fiteri; vt diſcerent, qui lecturi eſſent, alieno caſu fieri providi, & ſuum cavere; ſic igitur ſcribit. *Suſpirabam ligatus non ferro, ſed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. quippe ex voluntate perverſa, facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas, quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis (vnde catenam appellavi) tenebat me obſtrictum dura ſervitus. Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, vt te gratis colerem, fruique te vellem* DEVS, *ſola certa jucunditas, nondum erat idonea, ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam.*

S. Auguſt. lib. 8. Confeſſ. c 5.

Quomodo ex luxuria nectatur luxurioſo catena?

V.

Itaque Venus illicita, & ſpuriæ voluptates, cùm domicilium poſuerint in hominis corpuſculo, jam animum captivatum velut inter compedes, catenas, laqueos, trahunt ad ea flagitia, quæ cum Auguſtino centies damnavit, centies deflevit, centies ſecum deteſtatus eſt. aſſuefactæ naturæ quædam jam neceſſitas incumbit. Et hoc credo, voluit Clemens Alexandrinus, quando luxuriam congruente titulo, vocavit *morbum immedicabilem.* Conſtat multorum experientiâ, quibuſdam ægritudinibus curandis, nullam ſufficere medicinam, pharmaca, thermas, balnea; ſunt inemendabiles. Ita inter animæ morbos, libido eſt immedicabilis; non quaſi omnino nullâ potentiâ, poſſit fieri tranſitus à laſcivia ad leges pudicitiæ; ſed quòd difficillimè fiat, vbi conſuetudo impuræ Veneris, ſemel altas radices infixit.

Clemens Alexand. lib. 1. pædag.

Difficilis omnino eſt curatio, aſſuetæ incontinentiæ.

VI.

Mecum ſentit, quem ſæpius allego, Seneca; quando rogatus à Lucilio, vt hominem, præſertim turpitudinis vitio fœdiſſimo corruptum, reduceret ad frugem, ſic reſpondit. *Cupio amicum tuum formari vt deſideras, & inſtitui; ſed valde durus capitur; imò potiùs, (quod eſt moleſtiùs) valde mollis capitur, & conſuetudine malâ, ac diutinâ fractus. Volo tibi ex noſtro artificio exemplum referre. Non quælibet inſitionem vitis patitur; ſi vetus & exeſa eſt, ſi infirma gracilisq́; aut non recipiet ſurculum, aut non alet, nec applicabit ſibi, nec in qualitatem ejus, naturamq́ tranſibit. Itaque ſolemus ſupra terram præcidere, vt ſi non reſponderit, tentari poſſit ſecunda fortuna, & iterum repetita, infra terram inſeratur. Hic de quo ſcribis & mandas, non habet vires. indulſit vitijs, ſimul & emarcuit, & induruit. non poteſt recipere rationem, non poteſt nutrire. At cupit ipſe. noli credere. non dicam illum mentiri tibi, putat ſe cupere. ſtomachum illi fecit luxuria; citò tamen redibit cum*

Etiam Senecæ teſtimonio.

Seneca Epiſtolar. lib. 20. epiſt. 113.

illa in gratiam. Sed dicit ſe offendi vitâ ſua. non negaverim; quis enim non offenditur? homines vitam ſuam, & amant ſimul, & oderunt. Tunc itaque de illo feramus ſententiam, cùm fidem nobis fecerit, inviſam jam ſibi eſſe luxuriam.

VII. Quibus verbis, apertè ſatis declarat Romanus ſapiens, quantùm diffidat eorum emendationi, quorum libido in morem inveteravit; vix ampliùs remedio locus eſt, quando venerea oblectatio fecit naturam. Et ne longè eamus, totus nobis documento eſt orbis; certè plerique homines Noëmi ævo, toti ferè caro facti ſunt; nihilque præter carnem, & profuſas in carnalem obſcœnitatem intemperantias, ſapuerunt. Et quamquam Noë, vindictam DEI vicinam diceret, & cataclyſmum minaretur, propinquum generis humani excidium, nemo tamen reſipuit: cachinnis & ſibilis hæc exceperunt, tanquam delirantis ſomnia. Atqui vana non fuiſſe ſomnia, ſed vera vaticinia, tum denique ſuo damno didicerunt; quando terra in faciem pelagi mutata, vniverſos mortales ſubmerſit; præter Noë, ejuſque pauculam familiam, vt qui Veneri non ſuccubuêre, nec Cupidini. tam rari tunc erant *nantes in gurgite vaſto*, quibus turpis voluptas, ex dictatu virtutis, faſtidita fuit.

Noëmi tempore, totus ferè orbis hæſit in carnis vitio.

VIII. Neque tamen, cùm ſic genus omnium prope mortalium, miſſis è cœlo imbribus, deletum olim fuit, libido ſimul extincta eſt. manſit ejus quoddam ſeminarium in poſteritate; & velut ex ſcintilla, magnum iterum orbi vniverſo, natum eſt incendium; hodieque paſſim adeò invaleſcit flamma Veneris, vt nullis prope DEI minis, nullis boni genij dehortationibus, neque increpantis conſcientiæ, neque ſana ſuadentis Eccleſiaſtæ clamoribus, reſtingui poſſit. Ita videtur Siracides quondam enunciâſſe, cùm dixit: *verbum ſapiens audivit luxurioſus, & diſplicebit illi, & projiciet illud poſt tergum ſuum.* Quo etiam refero iſtud Oſeæ vatis: *Non dabunt cogitationes ſuas, vt revertantur ad DEVM ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & DEVM non cognoverunt.* Tanta pertinacia eſt incontinentiæ; amatores ſuos facit ſurdos, cùm DEVS loquitur, cæcos cùm irradiat, obſtinatos cùm vult emendare. Ita laſcivus poſt obſcænam vitam, ad mortem delabitur ſive turpem, ſive infelicem, ſæpe vtramque. profectò enim non ſemel magnum creatum eſt illis negotium morientibus, qui ſub carne, ejuſque ſtipendijs, per omnes retro annos meruerunt. denique maris & orbis ſpuma Venus, non vult vt clientes ſui, ſua

Neq; per cataclyſmū quidem, extincta libido eſt.

Eccli. 21. 18.

Oſea 5. 4.

probra

probra, & infandas obſcœnitates confiteantur ſacerdoti, pro ſacro tribunali ſedenti.

Ejuſdem mecum opinionis eſt D. Bernardus, qui in hoc argumento contra libidinem ita declamat. *Hæc peſtis, eò ad nocendum proclivior, quò ad repellendum difficilior, quæ nolenti etiam ſe ingerit, blandè oneroſa, diſplicendo placens: ſubtiliter intrat, & mentem occupat, & niſi ſubitò repellatur, allicit & incendit; & quaſi virus peſtilentiæ, per totum corpus paulatim ſe diffundit: cogitationes pravas multiplicat, affectiones malas generat, mentem illicitâ delectatione afficit, & ad conſenſum turpitudinis animum inflectit, omnes animæ virtutes corrumpit. Hac peſte qui adſtrictus tenetur, divelli ab ea vix poteſt, quoniam ſtimulos ejus* CONFITERI, AUT NESCIT, AUT ERUBESCIT, *tam ſubtiles & turpes ſunt.* Aliquando etiam hæc infelix erubeſcentia mortalium occupat animos, cùm mori oportet; vt qui antea ſemper fuerint locutulei, in negotio ſæcularium vanitatum, tum ſilentiarij fiant, prò cauſa ſalutis ſuæ, nihil de commiſſa impudicitia in ſacro tribunali confitentes. IX.

S. Bern. de inter. Domo c. 39.

Carnalis turpitudo non vult prodi.

Adduco in confirmationem rem omni fide conteſtatam, idoneiſque deſcriptam Auctoribus. Agebat in vrbe aliqua (Peruanæ apud Indos Provinciæ) adoleſcentula quæpiam Inda, quæ olim bello capta, dein baptiſmo tincta, à D. Catharina ſuum nomen accepit. In ea, cum ætate creſcebat libertas, moreſque diſſoluti: demum perditis etiam Juvenibus, ad turpes Veneres aſſuevit. Neque interim ſacrâ confeſſione abſtinuit; ſemper tamen luxuriæ flagitio, quod ſine fronte ſæpius commiſit, apud ſacerdotem Judicem malè verecunda, diſſimulato; in fraudem ſibi vehementer nocituram. Interim ſub annum, ab inchoata humani generis ſalute, milleſimum, quingenteſimum, nonageſimum, gravi morbo corripitur, & qui illi bis fatalis fuit; nam cum corpore, animam quoque extinxit. Nemo tamen in ea jactura plus peccavit, quàm ipſa Catharina. Nam quoties advocatus erat, qui peccata ægrotæ exciperet, nunquam illa integrè accepit; ipſius vitio confitentis; cui decretum erat ſupprimere facinus, quod ſine nominis, famæq; ſuæ infamia, non credebat ſe poſſe manifeſtare. Iamque gloriari cœperat apud ſocias, quia Patri Societatis, arcano conſcientiæ arbitro, tam bellè poſſet illudere; affirmavit inſuper, quoties apud eum ſcelera ſua prodidiſſet, ſemper ſteriſſe ad lævam, quendam Æthiopi ſimilem qui monebat, vt taceret illa libidinis exercitæ probra; ſive quod levia eſſent; ſive ne meretricula haberetur. à dextera X.

Franciſcus Benzius ex literis Peruanis. anni 1590. Delrio diſq. mag. lib. 2. q. 26. ſ. 5.

Catharina Inda, ſuas libidines ſubticet in confeſſione.

Suaſore Æthiope.

ra autem manu S. Mariam Magdalenam, calidè hoc vnum egiſſe, vt quidquid eſſet hauſti veneni, liberè evomeret. ſed quo minùs faceret, obſtitiſſe erubeſcentiam.

Etiam jam morti propinqua, ſilet carnis peccata.

Doctus de his omnibus ſacerdos, laboravit apud decumbentem, vt induceret ad plenam animæ expiationem. Sed fruſtra; magis enim magiſque in lapidem induruit; ita vt nec nomen JESV vellet ampliùs enunciare. quin etiam ad oblatam Crucifixi imaginem, cùm juſſa eſſet à domeſticis Catharina, animo revolvere Chriſti pro nobis patientis merita; indignabunda reſpondit; omnia jam iſta ſe probè callere, deſinerent moleſti eſſe. Digreſſa eſt cum miniſterio ſuo, poſt paulò Domina, cui famulabatur Catharina; ſtatimque hæc cœpit amores ſuos, & aſſuetas obſcœnitates decantare. Poſt tres horas, iterum iterumque rogatur, vt JESV nomen, ſuaviſſimum morientis Chriſtiani ſolatiũ, repeteret. Sed illa in vltimam partem lecti procumbens, audiebatur loqui cum ignoto, & qui oculos ſpectantium fugiebat. Denique inter hæc mali exitûs præludia, finem fecit vivendi; abijtque ad ſeverum Numinis tribunal, multos quidem ſocios habitura itineris, paucos cauſæ ſuæ patronos.

XL.

Sed propterea condemnatur.

Baronius in annal. eccleſ. ad annum Chriſti 66.

Et profectò, quàm gravem à Judice DEO calculum acceperit Catharina, tum maximè docuit, quando ancillæ, quondam ſociæ ſuæ in eodem famulatu, ſe ſtitit poſt mortem: neſcio formidandum magis, an miſerabile ſpectrum. Nam erumpentibus vndique flammis, toto velut corpore, viſa eſt ardere. Et quemadmodum olim Chriſtiani Martyres piceati, nocturno tempore incēdebantur, vt tyrannis ſuis lucerent ad amari riſûs petulantiam: ſic ſtabat Catharina, quaſi inflammatus Orcini carnificis titio, ſubminiſtratura medijs in tenebris lucem mundo, ne poſt ruinam ſuam, alij tam facilè, æternum ſe caſu præcipitarent in tartarum. Quia verò timere poterat, quæ triſti ſpectaculo intervenerat famula, ſe vexari opinione duntaxat, velut adſtantis mœſtæ ſpeciei; more puerorum, quibus metum ſolius vmbræ facit imaginatio; etiam infelix Catharina loqui orſa eſt, & miſerrimam ſui ſtatûs fortunam, explicare his verbis, quæ apud authorem reperio. *Sic habe: me ad inferos damnatam eſſe vltricibus flammis; quòd cùm minutis de rebus apud ſacerdotem confiterer, vt de multiloquio, & facilitate ad iram, & de leviculis alijs hujuſmodi; de gravioribus tacerem vulneribus animi, puta de impura conſuetudine adoleſcentium. verecundia quippe abſtulerat mentem, & quod turpe non arbitrabar factu, exiſtimabam dictu turpe eſſe. Hæc non ſponte tibi, ſed juſſa aperio, vt alij cautiores fiant meo exemplo.* Quæ vbi abſolvit, ingemi-

Proprio teſtimonio.

In annalibus Societ. anni 1590. & 1591. in provincia Pernana.

ingemiſcens Catharinæ larva, vnde emerſerat, ad ſtygis caliginem, reviſit.

Hem! quàm verè ſupra dixit S. Bernardus de illicita Venere: *hac peſte qui adſtrictus tenetur, divelli ab ea vix poteſt; quoniam ſtimulos ejus* CONFITERI AVT NESCIT, AVT ERVBESCIT. Ita erubuit infelix illa Indiæ adoleſcentula, cujus modò miſerabilem audivimus cataſtrophen. O! vt vereor, ne ejuſdem exitium illis impendeat, qui ejuſdem & crimen laudant, & imitantur, & celant, quando ſacerdoti detegendum eſt. proh dolor! ea nunc eſt morum perverſitas, non apud plebejos tantùm, ſed verò & nobiles; vt peccatum vendatur titulo virtutis; jam enim verborum, geſtuumq; turpitudines, mera ſunt vrbanitas, mera comitas, mera humanitas aulica. quò quis obſcœnioris eſt linguæ, petulantioris manûs, eò feſtivior habetur. incurrit ruſticitatis notã, qui hîc modeſtus eſt, & parcus. Sed quomodo ab iſtis, velut tenuibus principijs, tandem homines deſcendant ad ipſum deteſtabile carnis flagitiũ: vel mente conceptum, vel opere completum, aptiſſimâ hâc ſimilitudine oſtendit Divus Baſilius. *Sicut lapis in aquam ciſternæ conjectus, non ſolùm adjacentem aquæ partem, in quam cecidit, agitat; verùm orbes alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad vltimos lacunæ margines agitando perducit; ita laſcivus obtutus, vel ſermo voluptatis delinitus illecebris, in Virginis animam, velut in vndam puriſſimam vehementer injectus, alias poſt alias in profundo cogitationes amatorias excitat, ipſamq; totam ejus, qui fecit, imaginem ſauciam fluctibus agitat.* Hortatur proinde idem Eccleſiæ Doctor, & caſtitatis ſuæ, & virginalis pudicitiæ amantes, primis laſciviæ initijs obſiſtere, ſi florem ſuum (dum tenentur) DEO velint ſervare illibatum. *Non ignoret ſanè prudens Virgo* (Baſilium loquentem audis) *ſi hujuſmodi lenocinia per aſpectus, atq; aurium tranſitum, in animam ſemel irruperint, fore vt manu quoque accedente, adjutrices ad invitamenta voluptatis, opus ſuum omnino, cum temporis progreſſu perficiant.* XII.

Incontinens homo ſuas turpitudines, aut neſcit confiteri, aut erubeſcit.

Ex parvis initijs creſcit libidinis malum.

S. Baſil. lib. de Vera Virginitate.

Puta cogitationibus, aſpectu, verborum lenocinijs.

Id didicit malo ſuo quidam, eremi cultor, ſicut aliarum virtutum dives, ita quoque caſtimoniæ. Et hinc malus dæmon occaſionem accepit, ejus hominis caſtiſſimum pudorem impugnandi, materiam invidiæ: expugnavit etiam hoc ſtratagemate. Sub larva elegantis fœminæ adfuit, multa rogantis, vt quam nox comprehendiſſet errantem in ſilva, Eremicola aliquo ſpeluncæ angulo reciperet, eriperetq; feris beſtijs prædam. XIII.

In Vitis PP. lib. 2. c. 1.

Neque

Quod malo ſuo expertus eſt Eremicola.

Neque hoſpitium negavit vir mulieri, ſed miſerationis ſpecie admiſit in eundem anguſtæ habitationis locum, ſocietate iturâ in damnum recipientis, & grave vulnus animæ. Nam cùm ille cauſam, occaſionemq; perquireret à peregrina, ſuſcepti itineris; cacodœmon (vt eſt mendaciorum mirus artifex) plurima confinxit, quæ dum ſub muliebri ſchemate narraret, venena ſimul blandimentorum, amoriſq; illecebroſi interſervit: donec ſermonis ſuavitate, in affectum mentitæ fœminæ, inflecteret animum ſeveri hominis. Iamque inter blandiora colloquia, joci vtrinque miſcebantur & riſus; manus etiam larvata fœmina, quaſi venerabundæ ſimilis, ad mentum barbamque hoſpitis extendere; mox collum ac cervicem mollius palpare; demum Chriſti militem velut captivum ſecum ducere in triumphum. Continuò enim adſcititiâ mentitæ mulieris formâ, ejuſque potentiſſimâ ſuadâ illectus, inter libidinis fluctus paciſcitur cum cordis ſui concupiſcentia & intra arcana cogitationum ſuarum, fœdus cum voluptate componit. Inclinat ſtultus latera ſua, *& efficitur ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Atque vbi obſcœnos jam conabatur inire complexus, peregrina illa, tetro vlulatu emiſſo (vt erat tenuis vmbra) per manus prenſantis elabitur: cachinnante ad hanc impoſturam, toto vndique orco, ſed cœlo ingemiſcente; quia lapſum Eremicolam vidit ſolitudine priſtinâ exire, & mundum repetere, vt certiùs periret.

Pſal. 31. 8.

XIV. Veriſſimè S. Cyprianus ait: *de carbonibus ſcintillæ diſſiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilant, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam. Cujus cantu tolerabiliùs eſt audire baſiliſcum ſibilantem. Vnde Salomon: cum ſaltatrice noli eſſe aſſiduus, nec audias illam, ne fortè diſpereas in efficacia ejus, gluten eſt delictorum, & viſcus quo diabolus aucupatur.* Sanè, vt prædictum Aſceten & rigidum eremi incolam, caperet malus genius, pro viro vſus eſt ſpecie fœminæ confabulantis, nugantis, jocantis, blandientis. Ita hodieque plures capiuntur ſive aviculæ, ſive animulæ, periculorum improvidæ. Sæpe ad initium familiaritatis in diverſo ſexu ſanciendæ prætexitur mantelum mutuæ benevolentiæ, charitatis lex, ſtudium juvandi, cognati ſanguinis vinculum, & quæcunque alia ſpecioſæ honeſtatis ratio. Sed tandem prodeunt joci ſalaces, nutus inverecundi, verba pro mephiti Venerem exhalantia, vt manifeſtum ſit intus fœtentem animam latere, & præter hircum nihil olere. ſuccedunt oculis & linguis, manus quoque officioſæ, contingere & mulcere volentium alienos vultus, aliaque corporis membra. tandem hæc omnia deſinunt, ſi non

S. Cyprian. de ſingularit. clericorum.

Experiuntur & alij hodieque.

Digitized by Google

non in ipſum ſcelus, ſaltem in molles affectus, impura oſcula, & laſcivos amplexus; quæ apud Theologos jure ſuo inter lethiferas plerumque culpas numerantur. *Vide Leſſiũ de Iure & Iuſtitia lib. 4. c. 13.*

XV.

Sed quæſo te, quàm pauculi de his talibus ſe in ſacro tribunali accuſant, præſertim è gynæceo & aula? nempe aliquos iſtorum hominum falſa tenet perſuaſio, libidinis verba & ſigna, non inter peccata eſſe computanda, ſed jocos liberales: majores noſtri appellarent meretricios. Aliquos, tametſi hîc peccata credant, & non rarò mortalia intervenire; prohibet tamen verecundia dicere, quòd putant ſine ſui infamia ac rubore, dici non poſſe. malus omnino & vituperabilis pudor eſt, erubeſcere ſolummodo quando corriguntur pudenda, non quando fiunt. ſi probrum eſt accepiſſe per ignaviam vulnus, nihil ignominiæ habet monſtrare chirurgo, vt medicina fiat. Et quia minora velut turpitudinum dedecora, ſilentio prætereuntur in confeſſione; hinc tantò faciliùs majora illa tacentur, quantò plus & difficultatis, & confuſionis pariunt ſuo authori. Atque vt ſuave illi ſit meminiſſe, quas non ſemel deguſtavit voluptates, caſtitati inimicas; ſic graviſſimum eſt fateri, & ſcelus commiſſum in fideles ſacerdotis aures deponere. Tandem infelices cum Inda Catharina, ad eam progrediuntur pertinaciam (veriùs inſaniam) vt etiam immutabili æternitati, fatiſque ſuis vicini, nolint tamen celatas ſemper impudicitias revelare. Sic Venus, propudium impietatis, etiam ſub mortem verecundiam nocentiſſimam docet eos, quos per vitam anteriorem docuit ſine fronte peccare, ſuamque clientelam magnis incrementis augere. Sed hoc eſt rectâ viâ ad orcum mittere, atque cum Inda illa miſerabilem numerum facere. O! quiſquis es, ne crede te Cupidini, nec matri Cypriæ; periculoſa eſt ejus ſocietas, conſuetudo exitialis. omnis ipſius fides ſtat in perfidia, vt cùm moriturus quoq; velis reſipiſcere, pœnitere, fateri admiſſas ſpurcitias Judici ſacro; illa tamen mille tibi obſtacula ponat in ſola erubeſcentia, verecundiaque; ad nihil aliud valitura, quàm vt priora ſcelera, novo taciturnitatis crimine augeſcant.

Et cõfiteri ſua dedecora tergiverſantur.

Sed cum periculo damnationis, quæ Catharinam Indam involuit.

XVI.

Eſto autem, delicatus Veneris pullus, tandem etiam cum alijs noxis, obſcœnitates vniverſas legitimè confeſſario explicet, prius quàm illi lux ſuprema os, oculoſque clauſerit; ne tu ſtatim arbitrare, rem omnem feliciter confectam eſſe. Quam à ſe proſcripſit moriturus voluptatem, non diſceſſit penitus; adhuc in inſidijs, quaſi poſt carecta latet; & quandoque proſilit, antiquis il-

Conſuetudo venerea, morientibus infeſta eſt,

Digitized by Google

etiam poſt ſuſcepta ſacra myſteria.

B. Petrus Damianus Epiſtol. lib. 5. Epiſt. 2.

lecebris recentem factura orexin, ac velut vltimum abituro guſtum datura. Pereleganter B. Petrus Damiani, *inolita* (inquit) *cujuslibet vitij conſuetudo, licet omni ſtudio ab animi penetralibus ſit repulſa, aſſiſtit tamen ſæpe pro foribus importuna, & vel lambere ſummo tenus nititur, ſi mordicus apprehendere prohibetur.* Neque facilè credi poteſt quantùm poſſit diuturnus venereæ oblectationis vſus. vna hîc ſcintilla, adhuc ſpiranti corpuſculo injecta, niſi ſtatim excutiatur, incendium facere poteſt æternum. conſenſus in Venerem, ſeu voluntaria oblectatio de re venerea, ſi poſt exhomologeſin, occupaverit animum morientis, diu olim aſſuefactum libidini, jam actum eſt; niſi ante vltimum migrantis halitum, ſincerus iterum dolor emaculaverit novas ſordes, nulla æternitas abſterget.

XVII.

Pædagogus christianus part. 1. cap. 4. num. 3.

Declaratur exemplo civis concubinarij.

Qua in re, caſum adferam multò quàm luctuoſiſſimum, narratum ab eo ipſo viro, quem ſua luxuria in morte perdidit, orcoque tranſcripſit infelicem victimam. Dabo eâ fide hiſtoriam, quâ deſcripſit Pædagogus chriſtianus ex binis auctoribus, viris DEO ſacratis. Itaque Comis ait, in Italia, civis concubinarius, jam à medicis depoſitus, ac morti proximus; monitus eſt à quodam è Societate IESV ſacerdote, qui viri vltimam confeſſionem excepturus venerat, vt jam tandem lupam, quam domi ſuæ tamdiu ſuſtentâſſet, abs ſe ablegaret. Ille primò negavit fidis ſe ancillæ obſequijs, eo rerum ſuarum ſtatu carere poſſe. Deinde indictis ad placandum Numen domi apud ſocios precibus, cùm inſtaret acriùs Pater, flexiſq; adeo genibus, & cum lacrymis obſecraret, ſuæ vt ille ſalutis, hoc ſaltem poſtremo vitæ tempore, memor eſſet; bene monentem audivit, meretricem domo ejecit, & gravi peccatorum ſarcinâ, cum doloris ſenſu apud ſacerdotem depoſitâ, eodem die è vita migravit. Sequenti mane pater, qui confitentis peccata pridie acceperat, pro viro ſacris operaturus, è cubiculo egreſſus; ſenſit ſubitò, velut impacto corpore, repelli ſeſe, ſimulq; vocem hanc audit: *quò vadis?* pater ad ſacrarium nihilominus progreditur, inque ipſo aditu, retro ad duos paſſus agitur, ingenti impetu. Superat tamen, & indutus ſacris veſtibus, ad aram procedit. Ibi cum jam miniſter *Confiteor* inciperet, apparuit ad cornu epiſtolæ ſuper altari, horridum monſtrum, quod patrem intuens: *Ne*, inquit, *pro me ora; caveſis, ne facias.* quid ni? ſubdit pater: nonnè tu is es, cujus heri apud me peccata, pœnitentiæ ſacramento, cum lacrymis, & vero

Poſt integram exhomologeſin damnati, occaſione viſę ante mortem cōcubinæ, & recurrētis cum ea cōſuetudinis.

pœni-

Digitized by Google

pœnitudinis ſenſu, expiata ſunt? nonné & à DEO dimiſſa? aut novi quid intercurrit? *Heu me!* exclamat qui ſub ſpectro latebat: *& legitime confeſſus eram, & peccatis veniam dederat* DEVS. *ſed miſerum me! cum poſt diſceſſum tuum, perdita illa donum rediiſſet, & officij cauſâ ad lectum acceſſiſſet propius; ego, ego infelix, recurrentibus præteritis meis cum illa criminibus, in illicitam delectationem conſenſi, eoq; pene momento extinctus, in æternas præceps flammas rui.*

Hîc ſiſte, & time, & ingemiſce, quiſquis hactenus vir, præter tuæ conjugis vſum, aſſuevisti lenis, & leænis, & lupis, & meretricibus proſtibulis. alienum exitium te docebit, quomodo tuum effugias periculum. Habent etiam ſoluti, vt diſcant non nimis eſſe ſoluti, præſertim in familiare juventuti vitium, quod pollutionem vocant, mollitiemque; quando ſimilis priori exitus circumfertur, teſtibus religioſis, de quodam Romano adoleſcente. Fuiſſe igitur ajunt ſuperioribus annis Romæ juvenem, qui viridi ætate, vnà cum literis, malos amores imbibit; eaſq; didicit voluptates, quas Venus Magiſtra, heu! nimis frequenter ignaram docet adoleſcentiam; ſtantibus ad impuræ Deæ obſequium, multis paſſim clientibus, fœdiſſimis caſtitatis alienæ, primiq; floris corruptoribus. Et ſanè, ſi hæ peſtes orbe exularent, ô quanti homines vtroq; in ſexu, illibatæ virginitatis decus, vel ad thorum conjugalem, vel ad ſacra religionis ſepta, vel ad ipſum cœlum ferrent! nunc quia ſemel ex innocentibus fiunt nocentes, ex caſtis obſcœni, malitiâ ſeducentium inexcuſabili; perſeverant miſeri turpes eſſe, atque de ſuo ſibi corpore infandas libidines parare. In hac laſcivorum navicula, ſederat adoleſcens, de quo dicere cœpi; & (quod communibus lacrymis deplorandum eſt) naufragium in portu fecit, cùm omnes crederent eum feliciter appuliſſe. Nam fatis ſuis propinquus, non tantùm per confeſſionem genuinam, peccatis omnibus animam expiavit; ſed inſuper, & diviniſſimo Chriſti corpore paſtus, & ſacro oleo ad vltimam cum dœmone luctam, inunctus, hinc diſceſſit (vt ſpes fuit) ad beatam æternitatem. Sed heu! quàm fallimur ſæpe mortales: decipiunt nos oculi noſtri; quia hærent in ſuperficie, neq; poſſunt profundiùs intrare, & intimos alieni cordis ſinus inſpicere.

XVIII.

Item exemplo mollis Iuvenis.

Evenit ergo, vt Sacerdos, quem à ſacro Iuvenis tribunali habuit, mortuo parentaturus, ſacrificium faceret. Sed dum operi ſancto intentus eſt, variè turbatur ab ignota vmbra, noti ſibi adoleſcentis; denique etiam jubetur ab eodem preces abrumpere, XIX.

Digitized by Google

quòd actum ageret; ſibi nihil ſacrificium ampliùs profuturum damnato ad inferos. Expavit nempe ſacerdos, ad luctuoſam conclamati jam filij vocem; cauſamque ſollicitè expiſcatur divini fulminis. Et qui fieri poſſit, vt tam gravi feriretur à DEO ſententiâ, quem crederet ſacramentis legitimè ſuſceptis, piè munitum, abijſſe ad alium orbem? Vbi tum triſtis vmbra multum ingemiſcere, & ex imo velut ſuſpiria trahere, palamq; fateri, omnia illa ritè peracta fuiſſe myſteria, nulloque defectu vitiata; jamque animam per exhomologeſin à noxis purgatam, ſalutare è propinquo cœpiſſe, quod vnicè ſuſpirabat, cœlum: ſed interea memoriæ iterum, mentiq; obrepſiſſe, ex aſſueta Venere, guſtatam olim voluptatẽ: quæ dum placeret, afficeretq;, eodem quaſi momento deſtituiſſe morientem. Ita novo flagitio auctam, antequam pœnitentiam denuo auſpicaretur, hanc vitam deſeruiſſe, & juſtiſſimo Judicis DEI calculo, ad ignes nunquam extinguendos condemnatum eſſe.

Quem, præmiſſâ confeſſione, novus in aſſueta conſenſus, morientẽ perdidit.

XX.

Timete mali! ſpurci venereo de grege porci: nolite vos ipſos palpare, nolite vobis illudere ad proprium interitum, & illam veteris inſaniæ cantilenam repetere, nihil faciliùs eſſe reſipiſcentiâ, cùm moriendum eſt; non longo dolore, vnicâ confeſſione, cum cæteris ſceleribus, omnes poſſe libidines abſtergi. Ita quidem eſt; ſed nego continuò ſalutis cauſam expeditam fore. tempus enim quod inter actam pœnitentiam, mortemq; ſecuturam interiacet, adhuc opportunũ eſt tentationibus. Neq; humanam infirmitatem quidquam potentiùs ſternit, quàm familiaritas Veneris, & aſſuetudo dulcis illecebræ. Hæc laſciyum facit ad præterita reſpicere, & voluptatum memorem, exultare prioribus, futuris imminere. Denique lubrica res eſt luxuria, ſoluſq; impuræ cupiditatis allapſus, ſi nutritur & fovetur à moribundo, ſi ſequitur morientem, ſi non priùs ſuffocatur per mentis deteſtationem; & contaminat animam expirantis, & occidit. Neque opus eſt multùm contradicere aut reluctari, quando reos confitentes habemus, virum & adoleſcentem.

Tempus inter actâ pœnitentiam & mortem, adhuc opportunum eſt tentationibus, præſertim venereis, apud Venereos.

XXI.

Atq; vtinam! hos ſolos ſua perdidiſſet laſcivia. nunc multò plures ſunt, qui Veneris conſuetudine pereunt. præſertim ſi credimus Conrado Clingio, ſive revelatione, ſive experientiâ acceptum eſſe; eos ſcilicet omnes, qui annis triginta tribus (quot Chriſtus hujus terræ incola fuit) perſeverant in turpiſſimo pollutionis ſcelere, eſſe quaſi deſperatæ ſalutis; niſi mirâ, rarâ, & extraordinariâ DEI gratiâ juventur. Pulchrè D. Gregorius; *ex quo* (inquit) *luxuria ſemel mentem alicujus occupaverit, vix eum bona cogitare permit-*

Ioan. Benedictus in ſumma caſuum ad 6. Decal. præcept. ex Clingio. Pollutionis ſcelus, quàm Deo abominabile!

permittit; ſunt enim deſideria viſcoſa; quia ex ſuggeſtione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione conſenſus, ex conſenſu operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuetudine deſperatio, ex deſperatione peccati defenſio, ex defenſione gloriatio, ex gloriatione damnatio:

S. Gregor. in moralibus.

XXII.

Obfirmati in libidine, magno ſalutis periculo ſunt objecti.

Sanè factum eſt non ſemel, vt qui obſcœnitatibus aſſueverunt, tandem & ſui ſceleris patrocinium ſuſciperent, & hoc nomine, quòd petulci eſſent, crederent ſe plùs gloriæ, quàm ignominiæ mereri. Quid ni hæc vana ementiti honoris aucupia, conſequatur interitus? & ille quidem æternus? præſertim ſi Veneris pullum, pertinax conſuetudo fecerit protervum, atque audacem, vſque ad vltimam vitæ lineam? Ego verò, ſicut mortalibus vniverſis, ex viſceribus Chriſti Jesv, opto illam ſalutem, quam ipſe nobis ſui ſanguinis pretioſo profluvio comparavit: ita pariter hortor libidinoſos omnes, vt verbum illud Apoſtoli exequantur, quod ſalubriter olim legit Auguſtinus, propoſitum ſibi à Deo ſub ficu; *non in cubilibus & impudicitijs, ſed induimini Dominum Jesvm Chriſtum; & carnis curam ne feceritis in deſiderijs.* Profectò, ſicut familiaritas luxuriæ, vſuſque inveteratus laſciviendi, periculoſam homini ac perplexam in morte ſalutem reddit; ſic cura continentiæ, amorque ſervandæ intra debitos limites caſtitatis, iter facit expeditum ad cœlos.

S. Auguſt. lib. 8. Confeſſ. c. 12.

Ad Rom. 13. v. 13. & 14.

PARAGRAPHVS VI.

Aſſueti fraudibus, furtis, rapinis, fœnori, quàm periculoſâ ſe MORTE involvant, propter difficultatem Reſtitutionis, eo articulo faciendæ.

I. IObus amicis tribus, importunis ſuper miſeria aliena conſolatoribus, vt explicaret immenſos corporis ſui dolores, natos ex graviſſimo vlcere, vulnereque ſibi à dœmone inflicto; cum valido giganti comparat, qui in minorem ſe hoſtem armatus ferro, ac furore violentus invehitur: *circumdedit* (inquit Iobus) *me lanceis ſuis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terra viſcera mea. concîdit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi gigas.* Ex quibus verbis moralem facturus doctrinam D. Gregorius, eleganter oſtendit, etiam hodie ſathanam inſtar validi gigantis adversùs homines inſurgere, ijſque lethalia dare vulnera; quando velut ex proprio illorum armario, accipit Conſuetudinem peccandi, potentiſſimum telum. Sed ipſum audiamus Magnum Gregorium. *Hoc fit, quando peccatum peccato additur, vt culpa vehementiùs exaggeretur; vnde benè quoque per prophetam dicitur: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Sanguis autem ſanguinem tangit, cùm culpa cumulaverit culpam; & quia cùm vulnus additur vulneri, vires contra nos antiqui hoſtis vehementiùs creſcunt, rectè ſubiungitur; irruit in me quaſi gigas; facilè inimico reſiſtitur, ſi non ei vel in multis lapſibus, vel in vno diutius conſentiatur. Si verò ejus ſuaſionibus anima ſubeſſe conſueverit, quantò ſe ei ſubijcit crebriùs, tantò eum ſibi intolerabilem facit, vt ei reluctari non valeat; quia nimirum malignus adverſarius,*

Iob.16.9. 14.& 15.

D.Gregor. 13.Moral. c.10.

Oſea 4.2.

Cacodæmon gigas.

Oppugnat homines propriâ vitiorũ ſuorũ conſuetudine.

ſarius, contra hanc ex prava conſuetudine, fortiter quaſi gigantis more pugnat.

II. Et verò hanc pugnam, maximè orditur Cacodœmon in abitu hominis obituque, quando ſcit brevi debellatum iri cum impio pro æternitate. quiſquis tunc deprehenditur, inveterato gravium flagitiorum vſu obſtrictus, jam velut ſuis armis oppugnatur. neque enim aliunde ferè majus ſaluti impedimentum fit, quàm vbi mors occupaverit animum, peſſimis adhuc moribus, vitijſque imbutum. tam grave eſt, tam operoſum aſſueta relinquere, illo etiam articulo. Itaque eorum quoque exitus mortalium eſt periculoſus, qui per omnem vitam, furtis, fraudibus, rapinis, fœnori ſtuduerunt; aucturi peculium ſuum alieno cenſu, & facturi ſe copioſos per depauperatorum ſpolia. Quoniam enim ejuſmodi homines, antequam vitâ defungantur, injuſtè ablata tenentur reddere, difficillima verò ijſdem futura ſit hæc ſolutio; conficitur aſſuefactos diuturnis furtis, fraudibus, rapinis, vſuris, dubiam ac plenam periculi ſalutem ſuam facere, cùm moriendum eſt.

Maximè in morte.

Quo tempore raptores & fæneratores, periculũ ſubibunt, propter difficultatem reſtitutionis.

III. Suppono hîc ex communi Theologorum ac recepta ſententia; reſtituere malo titulo ablata, neceſſarium eſſe ad ſalutem. patet ex Ezechiele, vbi palam ſignificatur, nec peccati veniam, nec juſtitiam impetrari, niſi rapina reſtituatur. Conſentit Apoſtolus, dum præcipit; *reddite omnibus debita.* Et ſanctus Auguſtinus, velut mandatum hoc explanaturus, ſic diſſerit. *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poſſit, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur; ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; ſi, vt dictum eſt, reſtitui poſſit.* Itaque etiam Tobias, ſanctiſſimus Senex, cùm domi hædum audiret balantem, quem vxor ſua Anna, textrino opere in lucrum comparavit; pertimeſcens ne peregrinus, & quaſi furtim illatus eſſet, in ſolatium paupertinæ familiæ, exclamavit: *videte, ne fortè furtivus ſit. reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Hoc integerrimi exemplum viri, illis non tantùm imitabile proponitur, ſed imitandum omnino, quibus annui redditus, & patrimonium ſuum accrevit, cum alienorum imminutione bonorum, planè contra ipſius naturæ arctiſſima jura.

Apud S. Thom. 22. q.62. a.2.
Ezechiel 33.15.
Ad Rom. 13.7.
S. Auguſtinus epiſt. 54. ad Macedonium.

Quæ tamẽ neceſſariò eſt facienda.

Tobiæ 2.21.

Ita

IV. Ita ſentit Oratorum ſummus Cicero, cujus hæc eſt clariſſima aſſertio. *hominem incommodo alterius, ſuum commodum augere, & alterum alteri aliquid detrahere, hoc eſt magis contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor. nam principiò conVictum hominum tollit: ſi enim hæc affectio nobis inſit, vt quiſque propter ſuum emolumentum ſpoliet, aut violet alterum; neceſſe eſt diſrumpi ſocietatem humani generis, quæ eſt ſecundùm naturam. nam ſicut conceſſum eſt, vt quiſque malit ſibi acquirere, quod ad vitæ vſum pertineat, quàm alteri, & hoc naturâ non repugnante: ita non patitur natura, vt aliorum ſpolijs, noſtras facultates augeamus.*

Cicero in Rhet.

Sicut jure naturæ abalienatio cavenda.

V. Et tamen, quàm multi ſunt hodieq; inter Chriſtianos, ſimiles vulturibus, canibus, fucis, feris! ſicut enim vultures cadavera expectant, vnde paſcantur; ita cupidi aliorum agris, prædijs, fundis inſidiantur, ad facultates ſuas injuſtis lucris augendas. & velut canis, quidquid expectanti fortuna projecerit, continuò devorat, ac nihilominus ad ſpem futuri boli hiat; ſic ſorbet avarus de bonis alienis, & poſtquam ſorbuit, ſtat erectus ad novam rapinam. quemadmodum & fuci, quamvis ipſi non mellificent, tamen apum abſumunt labores; eodem planè modo, ſunt qui nihil, aut parum ipſi excudunt, vigilijs tamen aliorum elaborata, furto ſibi vendicant. Denique vt feræ mutuo laniatu vivunt; ita ſæpe qui potentior eſt, malo inferioris diteſcit ac creſcit.

Vbi nihilominus multi hominum tranſeunt in vultures, canes, fucos, feras.

VI. Imò & ſuo; nam hæc non minima raptoris eſt pœna, obligationem debiti habere, & teneri ad reſtitutionem; ita quidem, vt ſi facere hoc negligat, cùm poteſt, ipſe ſibi iniquâ poſſeſſione cœlum occludat; augeturque ferè ſemper periculum, quò magis differtur ſolutio. Difficilè eſt evellere è manibus quorundam, cùm quid nacti ſunt de opibus, ſubſtantiaq; aliena; difficiliùs, ſponte ſuâ illud dimittere, quod aſſueverunt quaſi Domini tenere. Fidem nobis facit Matiſconenſis Comitis interitus miſerabilis. Hic cùm ex imperio, non juſtitiæ ſed furoris, militem quendam ſibi ſubditum, vitâ exuiſſet, confricto in ejus caput immani crimine; ita poſt mortem hominis, adhuc ſævijt, vt hæredes quoque inſontes, cum inſonte luerent; nam eorum bona fiſco ſuo transſcripſit. Nimirum facilè eſt impiæ cupiditati aliquid comminiſci in ſpeciem, vnde poſſit cumulare rem ſuam. Neque tamen impunè tulit tantum Comes facinus. ipſe miles quem interemit, carnifici ſuo non ſemel adſtitit poſt necem, ſeverus monitor ac comminator, niſi hæredibus ſuis reddidiſſet, quæ pro libidine abſtulerat. Hæc vbi Comes agnatis quibuſdam ſuis retulerat, nempe illi velut inane ſomnium cachinnis

Nec tamen impunè.

Petrus Abbas Cluniacenſis lib. 2. miraculorum c. 1

Argumento Comitis Matiſconenſis, alienorum bonorum raptoris, & rapti.

nis exceperunt. Itaque rurſus adeſt larva militis, & Comiti diem dicit, quâ trahendus proximè ad ignotum tribunal, cauſam ſuam defenderet. Ille jam metu correptus, ne per vim raperetur ad alienum Iudicem; præſidiarios longo ordine diſponit in palatio, qui violentiam armis eluderent. Interim dies adeſt, ſimulque peregrinus eques, qui continuò, nemine prohibente aulam ingreſſus, Comitem trepidantem cum ſuis, poteſtate plus quàm humanâ; ſecum ducit: mox etiam ad fores palatij, equum jubet conſcendere, jam itineri paratum. Quod vbi factum eſt, ambo per aërem velociſſimo curſu avecti ſunt, fruſtra Comite ſuorum civium fidem implorante; fruſtra etiam civibus, ſui raptum heri deplorantibus. Atque vt ſciremus, quis eum deniq; locus, quæ fortuna comprehendiſſet, hæc ad calcem hiſtoriæ ſubijcit author: *ſic tandem ſubtractus viſibus hominum, factus eſt æternus ſocius Dæmonum.* *Vincen in Bellovac. lib 29.c. 120.*

VII. Neque mirum adeo videbitur, inſpecturo S. Chryſoſtomum, quando vniverſim contra inclementes ita loquitur. *Si Lazarus, nullâ affectus injuriâ à divite, ſed quòd ijs modò, quæ illius erant, fruitus non eſt, acerbus illi extitit accuſator; quâ defenſione vtentur ij, qui præter quod non miſereantur de ſua, etiam auferunt ſubſtantiam alienam? ſi illi, qui Chriſtum eſurientem non aluerunt, cum diabolo inextinguibili igni addicuntur; quantum ſupplicium dependent ij, qui fame Chriſtum necant, per id quod rapiunt, & veſtitum denudant; & hoſpitem non modò non recolligunt, verùm abigunt etiam; & infirmum non modò non viſitant, ſed magis conterunt etiam; & non ſolùm vinctum non cognoſcunt, verùm etiam ſolutum in carcerem conijci curant. Si, qui ſua non impartitur, accuſatorem habet eum, cujus miſertus non eſt; quam veniam merebitur is, qui aliena rapit? & pupillorum ac viduarum domos evertit?* Addo; ſi poſt fraudes, furta, rapinas, cùm occaſio quoque ſuppetit & facultas, nulla fit in reſtituendo compenſatio.

S. Chryſoſt. orat. de avaritia. tom. 5.

Querimonia contra inclementes.

VIII. Hoc denique Comitem illum perdidit, cujus ſupra miſerabilem interitum deſcripſimus: nempe, non tam rapuiſſe poſſeſſiones alienas, quàm reddere noluiſſe, cùm vt faceret, monitus eſſet. Vtinam! quotquot tribunalibus præſident, & cauſis decidendis; quotquot numerant ſub tutela ſua pauperculos clientes, ſub dominio ſuo egentes ſubditos, ad hæc divinæ ſeveritatis exempla acuerent oculos, aurem vtramque arrigerent; nequaquam corrupti inſanâ ſemper plus habendi cupiditate, permitterent aut æquitatem pati, aut innocentiam ingemiſcere. Nunc proh dolor!

Contra avaros & cupidos.

Digitized by Google

lor! tanta eſt, tamque inſaturabilis humani cordis avaritia, vt modò accreſcat lucellum in ciſta, aliqui nihil penſi habeant violare juſtitiæ leges. cauſiſque omnibus cereum naſum affingere; tracturi jus ad eas partes, vnde majorem ſibi ſperant pecuniæ futuram acceſſionem.

IX. Et quoties, DEVM immortalem! Viduæ ac pupilli alienâ malevolorum iniquitate, ad extremam pelluntur egeſtatem? vetus hoc crimen jam olim apud Judæos ſeveris legibus vetuit Numen; & nunc multò ampliùs perſequitur inter Chriſtianos; præſertim quando ipſi tutores, ſuos clientes, velut lupi oviculas deglubunt. Neque illud parvum ſcelus eſt, cùm privati magiſtratus, opulenti domini, ac velut Reguli; citra rationabilem neceſſitatis cauſam, & ſolùm ſtudio augendarum opum, ſubditos ita ſuos exſugunt, vt præter ſudorem, atrumque panem, vix aliam ipſis relinquant poſſeſſionem. nimirum exactiones crebræ, ingentia ſervitiorum onera, intolerabiles in nummis (ob delicta communia) pœnæ, tantùm nôn ad deſperationem adigunt oppidanam ruſticanæ gentis plebeculam. Væ illis, quorum inſatiabilis acquirendi cupido, facit ad cœlum ſuſpitare pauperes, expugnaturos DEVM, armatis ſive precibus, ſive lacrymis in vindictam, tam inclementer ipſos habentium. vnde fit, vt frequenter malè parta, malè dilabantur; nec de rapinis multi gaudeant hæredes. Quin imò, niſi expilatores iſti ſatisfaciant parti læſæ, anteq; ſuam mortem, injuſtis ablata titulis reſtituant (cùm facultas eſt atque occaſio) æternam beatitudinis jacturam faciunt. Quod idem ſentiendum eſt, de eo hominum genere, quibus per magnas vſuras, magna lucra cumulantur, magna alijs damna. niſi enim, priuſquam vitâ ſuâ exuantur, compenſent temporalia, quæ intulerunt detrimenta: ipſi æterna incurrunt, futuri pars infelicis averni.

Contra oppreſſores pauperum.

X. Vbi iterum ex Theologorum ſchola pro fundamento ſupponendum eſt, fœnus, ſive vſuram (ſemper DEO abominabile ſcelus) vulgari accommodatione, ſignificare *lucrum ex mutuo*; ſeu quidquid temporale, ac pretio æſtimabile, ſupra ſortem mutuo datam accipitur, quaſi ratione mutui ex juſtitia debitum. Diſtingui autem à mutui contractu, atque ab vſura abſolvi contractum Cenſûs vtrinq; redimibilis, cum pacto aſſecurationis, ſolitum in Imperio atque Germania inter viros doctos, proboſque celebrari, oſtendit præclarè noſter Layman. Neque enim qui contraxit

Layman lib. 3. mor. Theologiæ ſect. 5. tract. 4. c. 16. n. 1. & 2.

Locis cit. cap. 18. à num. 9.

Digitized by Google

traxit cenſum germanicum, accipit ſupra ſortem datam, aliquid ex juſtitia, titulo mutui; ſed titulo illius juris, quod ſibi certo pretio, & pecuniâ alteri datâ comparavit, percipiendi ex alterius fundo, negotiatione &c. redditus annuos, tot aut tot florenos. Cæterùm quod ad Vſuram attinet, frequentiſsimè ea circa mutuum committitur; & fatetur D. Auguſtinus in hunc modum: *ſi fœneraveris hominem, id eſt, ſi mutuò dederis pecuniam tuam, à quo plus, quàm dediſti expectas; non pecuniam ſolùm, ſed aliquid plus, quàm dediſti, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive oleum, ſive quodlibet aliud; ſi plus quam dediſti expectes accipere, fœnerator es, & hoc improbandus, non laudandus.* Nihil iſto ditescendi genere turpiùs, nihil crudeliùs: alienas ſcilicet negotiari miſerias, ex calamitatibus egentium quæſtum facere, ex ſudore pauperculorum argentum corradere, alterius adverſitatem in lucrum ſuum mutare.

Contractus censûs in Germania, & Vſura, ſunt duo diſtincta.

S. Auguſt. ſuper Pſal. 26.

XI. Itaque etiam Divus Baſilius hoc genus mercimonij tanquam indignum christiano homine ac nomine, ſic perſequitur. *Enimverò inhumanitas eſt maxima, ſi is, qui egeſtate premitur, mutuum ad vitæ ſubſidium quærat; dans verò, minimè ſorte contentus, ex miſeri calamitate proventus & opes ſibi excogitet. Dominus enim palam nobis præcepit: ne vultum avertas ab eo, qui abs te mutuum petit. Avarus autem videns inopem neceſſitate coactum, ad genua ſua ſupplicem procumbentem, non miſeretur illius, communem non cogitat naturam, humilibus ſupplicationibus nihil cedit: ſed flecti neſcius perſtat, & nec precibus vincitur, nec lacrymis mollitur, ſed negando perſeverat. Jurat inſuper atque proteſtatur, ſe ſe omnino carere pecuniâ, & quærere ſi quem ipſe fœneratorem inveniat; ac mendacio fidem per juramentum faciens, iniquæ & inhumanæ mercaturæ, imprudens perjurium addit. Poſtquam verò conſpicit miſerum illum meminiſſe fœnoris, fœturamque ſortis vltro offerentem, ſupercilium remittere, ac ſubſidere incipit: tunc demum amicitiæ paternæ memoriam illi refricat, & familiarem, & amicum appellat. Videamus* inquit, *ſicubi relictum eſt nonnihil depoſiti argenti. Eſt enim amici hominis depoſitum quoddam apud nos, unde quæſtum ille facit, graveq; fœnus nobis impoſuit. Nos verò ex hoc detrahemus, longeq; minore tibi dabimus. Hac itaq; commentitiâ ſimulatione, ac blandis demulcendo verbis, vbi ineſcavit miſerum, vbi etiam ſibi eum obſtrinxit litteris, ſuper eo fœnore confectis, ad cumulum urgentis inopiæ addit.*

S. Baſilius homil. in pſal. 14.

Ratio vſuræ prioribus ſæculis vſurpata.

XII. Et quia hæc, fortaſſis mediocria ſui temporis fænora, tam graviter D. Baſilius perſtrinxit: quæſo, quibus invectivis vteretur, ſi noſtrorum vſuras ſæculorum inſpiceret, & frequentes, & intolerabiles. Memini ego ante annos non multos, in principe quadam Germaniæ civitate, ſtudium fœnerandi jam eò vſque invaluiſſe, vt qui mutuam ſublevandæ neceſſitati pecuniam ab alio flagitarent, non aliâ lege acciperent, quàm vt pro ſexaginta florenis, exempli causâ, quatuor in cenſum darent. Inſuper & conjugi ejus, qui mutuum ſingulari velut beneficio numeravit, honorarij loco aureum penderent. Denique ei, cui ſtatuto tempore ſolutionem præſtituri erant ſummæ mutuatæ, palliato gratitudinis titulo, tenebantur convivium inſtruere; vt facilè de ſexaginta florenis, decem, pluriumq́, facerent jacturam. Et quod vehementer auget iniquitatem, ſingulis anni quadrantibus, ſumma mutuatæ pecuniæ, cum prædictis obligationibus, ad dominum redire debuit; eodem adhuc anno, bis terque fœneratura. Si hæc talia exorbitantis avaritiæ lucra, olim S Baſilius audiviſſet, nunquid rectiſſimè exclamaret, quod citatâ homiliâ ſcripſit: *an ignoras, quòd major tibi peccatorum exurgat acervus, quàm ſit acceſſus opum, quem ex vſuris venaris.* Sic planè eſt: fænora non tam cumulant facultates, quàm imminuunt ſubſtantiam; & maximè illam meliorem, quæ in virtute, donis DEI, gratia ac ſalute animæ conſiſtit. Elegantiſſimè Alfonſus quondam Aragoniæ rex, æquitatis & juſtitiæ ſummus in paucis amator; cum intelligeret homines hominibus in lucro inſidias ſtruere per vſuram: ſibi videri dixit, fœnus nihil aliud eſſe, quàm animæ funus. Certè niſi fænerator, cùm poteſt, iniquè poſſeſſis ante mortem ſe expedierit, & juſſerit ea ad dominos ſuos redire, animam ſuam Orco prædam facit.

Hujus temporis vſura deterior eſt.

Panormitanus lib. 3. de rebus geſtis Alphonſi.

XIII. Infinita ſunt quæ in hanc rem adduci poſſunt teſtimonia, ego illud ſeligo, quod Minorum annales narrant. Mercator, arte fæneratoriâ celebris, vbi periculosâ fuit ægritudine correptus, vocaverat è D Franciſci familia religioſum, futurum animæ jam migraturæ medicum. Hic auditâ exhomologeſi, moribundum admonuit, vt malè parta lucra refunderet legitimis poſſeſſoribus, vſuram gravem nimis eſſe ſarcinam, ituro ad Numinis tribunal. Et pondus ſuum fuiſſe ſalubri adhortationi, inde factum eſt manifeſtum, quòd homo ille ſtatim accerſito tabellione, mandaverit inſtrumentum conficere, in eoque hæredes obligare, vt quæ per

Chronic. Minorum p. 3. lib. 5. c. 2.

fænus

Digitized by Google

fænus ſibi lucratus eſſet, ipſi fide bonâ ijs reſtituerent, quibus fide malâ priùs fuiſſent ablata. Viſum hoc erat onus intolerabile vxori; itaque armata copioſâ liberorum manu, eorumq; ac ſuis lacrymis (potentibus ad ſubruendum mariti animum cuniculis) per omnia ſacra rogavit, ne conjugem, ne prolem, chariſſima ſibi capita, perditum ire vellet; atque ad paupertatem, inviſum terris monſtrum, ablegare. ſervaret poſt mortem ſuam indemnes, quos vivus tanto amore complexus erat. pietatis eſſe, vitâ defunctorum, meminiſſe vivorum, ac victurorum in ſpem augendæ poſteritatis. nihil ſibi indigniùs, nihil familiæ ſuæ & ſanguini, facturum acerbiùs, quàm ſi matrem cum tot filijs, ex aſſe heredem fecerit egeſtatis. Et quidem his, ſive lamentis muliebribus, ſive vxorijs blanditijs; ſive parvulorum, grandiumque liberorum queſtibus, ita morituro jam viro everberata mens fuit, vt inſtrumentum juſſerit à tabellione corrigi: omniaq; bona ſua ſuis tranſcribi, nullâ adjectâ reſtitutionis obligatione. Supervenit interea D. Franciſci alumnus, magnique DEI ſacerdos; qui vbi didicit, pœnituiſſe fœneratorem ſuſcepti priùs ſaluberrimi conſilij, nihilq; ampliùs refundere velle, nihil ſuper illatis per vſuram damnis, compenſare; plenus Numine & divino afflatu; quia, inquit, revocas decretum, quo ſtatueras ſatisfacere offenſis per injuſta lucra partibus; ego quoque revoco ſententiam meam, ſuper abſolutione ac remiſsione ſcelerum tuorum. Vix hæc dixit vir ſacer, & hem! corvus advolat, ſeu veriùs, ſub corui ſpecie, ater ſpiritus, qui animam fæneratoris roſtro exceptam, ſtygi intulit, nunquam ampliùs emerſuram. vt hîc locum habeat, quod olim Antiphanes dicere ſolebat; quæſtum illicitum breves habere delicias, longam autem calamitatem. quid ni longam, quando æterna eſt apud inferos? & tamen neq; hanc quidem mortales omnes formidant, excœcati cupiditatis, auriq; ſpecioſâ illecebrâ.

Fænerator moriturus, in gratiam conjugis ac familiæ, negligit aliena reſtituere.

Sed cogitur propterea animam ſuã ſtygio coruo permittere.

XIV.

Quæ, quantopere jam olim affecerit humanas mentes, graphicè depingit Seneca, ſui temporis, majorumque ſuorum avaritiam perſtricturus. *Reges* (inquit) *fuére, qui pecuniam in altiſſimis vſq; latebris ſequerentur, & relicto ſpiritu libero, in illos ſe demitterent ſpecus, in quos nullum noctium, dierumq; pervenit diſcrimen, & à tergo lucem relinquerent. Quæ tanta ſpes fuit? quæ tanta neceſſitas hominem ad ſidera erectum, incurvavit & defodit, & in fundum telluris intima merſit, vt erueret aurum non minore periculo quærendum, quàm poſſidendum? propter hoc cuniculos egit, & circa prædam lutulentam,*

Seneca lib. 5. natural. quaſt. c. 15.

Cupiditas inſana habendi, fecit homines

Digitized by Google

talpas, & ſcrifoſſores.

tam, incertamq́ reptavit, oblitus dierum, oblitus naturæ meliorũ, à qua ſe avertit. Nulli ergo mortuo terra tam gravis eſt, quàm iſtis, ſupra quos avaritia vrgens, terrarum pondus injecit; quibus abſtulit cœlum, quos in imo, vbi illud malum virus latitat, infodit. Illò deſcendere auſi ſunt: vbi novam rerum poſitionem, terrarumq́ pendentium habitus, ventoſq́ per cæcum inane experirentur, & aquarum in illis fluentium horridos fontes, & altam perpètuamq́ noctem. Deinde cùm iſta fecerint, inferos metuunt. vtpote illis propinqui, quando ſupra lucrum ſub ruina ſtant.

XV. Atque vtinam hodieq; fœneratores vniverſi, inferos, quibus proximi ſunt, metuerent! ſpes eſſet magna maturandæ reſipiſcentiæ. Sed nunc proh dolor! nullum apparet juſtæ formidinis ſignum, quando etiam à ſe impetrare multi non poſſunt, vt ante extremam vitæ fugientis horulam, refundant, quæ ſibi malis vſuræ fraudibus pepererunt. Sed quòd minùs iſta faciant morituri, cauſa eſt, quia per anteriorem vitam non aſſueverunt. Semper aliena ad ſe rapere, ſemper apud ſe retinere alienata, ita conſtringit mali poſſeſſoris manus, animumque, vt in morte raró, vel non niſi ægerrimè aperiantur. conſuetudo roborat avari deſiderium, & tam moriens cupit ſervare ſua lucra, quàm vivus. Ita in civitate olim Metenſi fœnerator, jam jam abiturus ad plures, rogavit conjugem, vt ſacculum pecuniâ plenum, juxta ſe poneret in tumulo, velut ſolatium & præmium laborioſæ ſolertiæ. Id, quantumvis clam factum erat, tamen à quibuſdam noctu effoſſum eſt ſepulchrum, ſperantibus aliquas de auro atque argento, divitis hominis reliquias. Sed territi ſunt ingenti portento. clarè enim conſpexerunt binos monſtroſæ magnitudinis bufones; & alterum quidem ſacculo, alterum mortuo inſidentem, ita vt prior nummos ex crumena extractos, porrigeret poſteriori; hic eos cordi fœneratoris ingereret; manifeſto documento, quòd cum illo expirante, cupiditas non expiraverit, ſed quaſi ad tumulum ſecuta ſit exanimem.

Avaritia ad tumulũ comitatur avaros.

Cæſarius Illuſt. Mirac. lib. 11. c. 39.

Patet exemplo fœneratoris Metenſis.

XVI. Iterum ajo, magna eſt aſſuetudinis potentia, & eò major, quando occupatur in viſco; opibus inquam, per furta, rapinas, fœnora acquiſitis. piceata res eſt amor pecuniæ, non facilè avellitur à corde, cui adhæſit ſemel. qui non didicit iniquas reddere poſſeſſiones, dum ſanus eſt; æger ac morituriens difficulter docebitur; præſertim cùm vicinæ mortis horror cœperit oppugnare animum, jam magnâ ſui parte flacceſcentem, inter charorum lacrymas,

Reſtitutio dilata vſq; ad mortẽ, morituro magnam

mas, hiantium ad largas hæreditates. periculum eſt, ne tum amori cedat æquitas, & perperam ſuos amantem involuat æternitas pœnarum. Semper diſcrimini objecta eſt illorum mors, qui aliorum lucra malè cupidi abſorbent; neque cùm poſſunt, iis ſe abdicant, priuſquam fata advenerint. Nihil tutiùs, nihil ad ſalutem hominis conducibiliùs, quàm dominari poſſe avaritiæ, legem ponere cupiditati; denique herum eſſe ſuarum opum, contemptorem alienarum. difficultatem parit.

PARAGRAPHVS VII.

Aſſueti inimicitijs & capitalibus odijs, quàm ægrê admittant reconciliationem, ex hac vita abeuntes.

VT bonus DEVS oſtenderet, quantùm olim peſſimi Hebræi obſtinaverint in impietate, quantamque ſibi fecerint neceſſitatem, ſolâ peccandi conſuetudine; ita Ieroſolymam alloquitur, Judeæ metropolim, caput ſceleratorum, commune vitiorum receptaculum. *Si mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum.* Scilicet nemo tam doctus eſt, qui poſſit aut nigricanti Mauro, aut variegato pardali, quem natura ſemel colorem dedit, maculaſque, abſtergere aut abluere: tenaciter hæret, quidquid à prima ſui origine acceſſit naturis rerum. Eadem eſt ratio aſſuetudinis, quæ ſi apud hominem longo exercitio inveteravit, vix ampliùs patitur medicinam. Eam ob cauſam, vt DEVS ſignificaret, difficillimum Iudæis fore, inolitos mores corrigere; Ieroſolymam in ſceleribus obſtinatam, comparavit cum æthiope & pardo, quibus nullâ artis humanæ potentiâ, aut nigredo nativa, aut varietas coloris poteſt avelli. I. *Ierem. 13. 23.* Æthiopi & Pardo, ſimilis eſt conſuetudo peccati.

Eo-

Digitized by Google

II. Eodem ſive adagio, ſive ſimilitudine vtitur Nazianzenus, demonſtraturus Iulianum Apoſtatam, non diu potuiſſe ſimulare probitatem & clementiam: *quia* (inquit) *natura non patiebatur, vt pardus diſtinctas macularum notas, vel æthiops atrum colorem, vel ignis ardorem, vel diabolus, jam inde ab origine mundi homicida, hominis odium, vel Julianus improbitatem, quæ ſtimulabat eum contra Chriſtianos, deponeret.* Et quid ego de illis dicam, quibus ita occalluit in vitium animus, vt nolint vnquam deponere inimicitias, ſemper odia velint nutrire, nunquam ſepelire offenſas, nunquam offendentibus ignoſcere, ſemper vindictas ſpirare, non niſi expiraturas cum morte? quid quæſo his ego aliud occinam, quàm illud idem Numinis certiſſimum verbum: *ſi mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & nos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Nimirum ardua res eſt, poſtquam per omnem vitam æternis homo aſſuevit odijs, vbi moriendum eſt, ſtatim ſimultates ponere, malevolentiam abijcere, redire cum eo ſincerè in gratiam, quem paulò ante diris immaniter devovit, aut victimam morti deſtinavit, caſuram non aliâ, quàm inimicâ manu. Difficilè erit eo articulo, exulceratam illi mentem, & privatæ, graviſque vltionis deſiderium exuere, qui hanc artem priùs nunquam didicit, etiam juſſus, & pulcherrimis à Deo monitis inſtructus.

Nazianz. orat. 1. in Iulianum Apoſtat.

Maximè conſuetudo privatæ vindictæ.

III. Cujuſmodi ſunt iſta: *non quæras vltionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum: mea eſt vindicta, & ego retribuam: omnis injuriæ proximi, ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ: nulli malum pro malo redde, noli vinci à malo, ſed vince in bono malum: videte ne quis malum pro malo alicui reddat, ſed ſemper quod bonum eſt, ſectamini in invicem, & in omnes. ne dicas quomodo fecit mihi, ſic faciam ei, & reddam vnicuiq; ſecundùm opus ſuum.* Conſtans, ac depravata eſt hominum ferè plebeiorum, nobiliumque perſuaſio, labem injuriæ vice redditâ emaculari, vulnuſq; ab adverſario acceptum, repercuſſione ſanari; atque hinc nata eſt tam frequens vlciſcendi libido. Quam vt juſtitiæ titulo nonnulli palliare poſſint, talionis pœnam, veteri lege conceſſam, in ſui patrocinium adducunt, dicente per Moyſen Domino: *qui irrogaverit maculam alicui civium ſuorum, ſicut fecit, ſic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet, qualem inflixerit maculam, talem ſuſtinere cogetur.*

Quæ lege divinâ prohibetur.
Levit. 19. Deuter. 32. Eccl. 30. Rom. 12. 1. ad Theſ. 5. Prover. 24.

Neq; lege Talionis excuſatur.

Levit. 24. 20.

IV. Ex qua ſententia, multi putant ſibi factam eſſe licentiam à Deo, vt eorum injurias hoſtili animo perſequi poſſint, quorum mali-

mali-

Digitized by Google

malitiâ contigit ſuam innocentiam pati. Sed confutat hunc errorem S. Auguſtinus, quando contra Fauſtum ſcribens, oſtendit nunquam licitum fuiſſe, à privato talionis pœnam ex ira aut furore, in adverſarium meditari, ne dum exequi; permiſiſſe autem DEVM, vt per legitimos judices ac magiſtratus, dictæ legis menſura ſervaretur; quod quidem vt fieret, læſus ab altero poterat contendere: cæterùm abſque deſiderio vindictæ, quæ nunquam non turpis eſt. Quod autem talionis lege, nihil privatis liceret in ſuos hoſtes atq; inimicos, docet qui ſupra S. Auguſtinus, cùm ait: *reddere mala pro malis, habent mali, vel mediocriter mali, vel mediocriter boni. vſq; adeo, vt lex dederit vlciſcendi modum, oculum pro oculo, dentem pro dente: quæ, ſi dici poteſt, injuſtorum juſtitia eſt; non quia iniquum eſt, vt recipiat quiſq; quod fecit (alioquin lex nequaquam id conſtitueret) ſed quia vlciſcendi libido vitioſa eſt; magiſq; ad judicem pertinet hoc diſcernere, quàm bonum hominem ſibi expetere.*

S. Auguſt. lib. 19. contra Fauſtũ.

Quæ etiã olim apud magiſtratus ſolùm, & legitimos judices reſedit.

S. Auguſt. in pſal. 108.

V. Et tamen hodie, vnuſquiſque in ſua cauſa vult Iudex eſſe ac vindex, eumque qui offendit, qui nocuit, etiam qui videtur nocere voluiſſe, ad privatum tribunal raptum, ex præcipitato vetitæ vltionis imperio, condemnat; furore non ſemel in vulnera ac cædes erumpente. Iamque non pudet ampliùs homines (mitiſſimum naturâ genus) efferari in rabiem; & verbulum aſperius, acerbiorem riſum, leviorem ſannam, alterno ſanguine expiare. gratiſſimum paſſim eſt vindictæ ſpectaculum, mors hominis. Ajunt fuiſſe Italum, noſtro ſæculo; qui, vbi in hoſtem ſuum aliquem, implacabile conceperat odium, certus jam illum ferire; ne manus aberraret, aut pugio, quod olim ſolebant tyrones in militia Romana, nempe ad palum ſe exercere; hoc ille fecit ad ſtatuam, in ſimilitudinem inimici effictam. Itaque domi ſuæ homo vlciſcendi cupidiſſimus, quotidiano apud imaginem hanc exercitio, ſe ipſum ad certos ictus condocefecit: ac velut adverſarium ante oculos haberet, ita contra ſtatuam inſurrexit, fixo eâ parte ferro, quâ voluit viam facere animæ, cum ſanguine exituræ. Tandem etiam hoſtem ſuum (cujus inanimi ſimulacro non vnum vulnus dedit) deprehendit in templo; & mox pugione in latus merſo, cadaver reliquit. Graviſſimè tulit magiſtratus hoc tam ſceleſtum facinus, præſertim quòd reverentia præſentis Numinis, jus ſuum dignitatemque, ſacro loco non potuerit inviolatam ſervare, apud exæſtuantis malè animi intemperiem. Itaque ſacrilegus homicida, ſartagini injectus, in efferveſcentis olei balneo, crudeli lentoq; ſupplicio, peri-

Exemplum privatæ & crudelis vindictæ in Italo.

re debuit. Neq; tamen multùm ingemiſcere viſus eſt, vel auditus lamentabiliter queri: rogatus etiam cauſam inter maximos dolores tam inſolitæ diſſimulationis, reſpondiſſe fertur: magna quidem tormenta, ſed *pulchra vindicta*. hæc ei velut frigidā aſperſit lixando.

VI. Eſt etiam admiratione digna, altera vltionis inſana aviditas. Fuit, qui cum viris religioſis ex Europa trajecturus in Indiam, eidem ſe navi committeret: non aliam ob cauſam, quàm vt capitalem inimicum, apud Indos degentem interficeret; eò vindictâ glorioſiore, quo per plura maris pericula, graſſatura erat in alienum orbem, pro hoſtis vnius interitu. Contigit vt pater è Societate IESV, pacem Chriſtianam, amoremque commendaret, nervoſis pro concione argumentis. Et hem tibi, qui vindicem per Oceanum circumtulit animum, ad dicentis ſe pedes lacrymabundus adjecit; ſeriò teſtatus ab eo tempore, omnem ſe injuriarum oblitterare velle memoriam, cauſam tam longæ, tam & periculoſæ navigationis. Vbi neſcias, vtrum mirère ampliùs, an hominis inſaniam, per tot mortes, vltionem in Indos vſq; proſequentis? an DEI clementiam, qui eò loci progredi ſineret, vt obduratum in patria pectus, ſenſim peregre emolliret.

Sacchinus p 2. hiſt. Societ. Ieſu lib. 4 num. 273.

In homine Europæo, inimicum per Indiam quærente.

VII. Sed omnem humanitatis modum excedit, illa plus quàm belluina rabies, cujus annales Societatis meminerunt. Compendiorem ſic accipe. Invaſerat hominem Europæum, ingens vlciſcendæ injuriæ deſiderium, & tres erant, quorum offenſam concoquere nullatenus poterat; neque tamen ad manus fuit de ſumenda vindictæ occaſio, quod illi in Indiam ſe recepiſſent, ſive negotiorum cauſâ, ſive vt fugâ evaderent inſidiantis clandeſtinas machinationes. Nihilominus alter Indum indutus habitu, veſtibuſq; mentitus ſe alium, peragratâ Peruanâ provinciâ, Regnoq; Chinenſi, indefeſſâ laboris ſolertiâ eos conquirit, à quibus injuriam paſſus erat: tandem etiam reperit: ſinguloſq; ſingulari cum truculentia occidit. Certè vnius jam trucidati cor, ex hianti immaniter corporis vulnere, recens avulſum, ipſoque adhuc nativo calore palpitans (horret vel ſolâ ſceleris memoriâ animus) dentibus crudeliter laceratum, devoravit. & ſapiebat hìc bolus, hoc humanæ carnis fruſtulum, offenſo homini, & vltionem eſurienti, ſupra omnes Cleopatræ gemmas ac margaritas.

Ex literis annuis Societ. Ieſu, anno poſt Chriſtum 1605 in provincia Peruana, Collegio Poteſino.

In alio, cor trucidati à ſe inimici, vorante.

VIII. Adeo multùm nocet meminiſſe injuriarum, foviſſe odia, non ignoviſſe ſtatim offendentibus, iras & vindictam diſtuliſſe, mala eruptura in mutuas cædes, & indignas humanâ manſuetudine crudelitates.

litates. Profectò, quò diutius adversùs inimicos nutritur ſemel concepta vltio, eò pertinaciùs hæret: minùs ſemper abolenda, cùm radices altiùs egerit. Atque hæc fortaſſis cauſa eſt, cur tam ſollicitè Apoſtolus moneat omnes: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, nolite locum dare diabolo.* Quæ poſtrema verba ſic illuſtrat D. Hieronymus. *Nolite locum dare diabolo, qui tanquam leo rugiens quærit aditum, per quem poſſit irrumpere. Quomodo enim pater & filius ſtant ante oſtium, & pulſant vt introeant, & cœnent cum eo, qui ſe receperit; ita & adverſarius, ſemper in nos eſt paratus irrumpere; & cùm locum dederimus, ingreditur. Solet autem antequam veniat, quædam jacula præmittere, & præcurſorem adventûs ſui facere cogitationem. hanc ſi nos in corde ſuſceptam nutrierimus intrinſecùs, & creſcere fecerimus, cùm in nobis prolem ſuam avitam viderit, & ipſe audebit intrare.*

Inimicitiæ & odia, in ortu ſuo opprimenda.

Ad Epheſ. 4. 24.

D. Hieron. hic.

IX. Itaque qui oſtium cacodæmoni vult præcludere, ne apud ſe domicilium figere poſſit, amaras contra alterum cogitationes in ortu ſuo extinguat, ipſaq; odiorum principia, exordia inimicitiarum ſupprimat; eâdem die, quâ hæc monſtra naſcuntur, mori debent, & occumbere ante ſolis occubitum; clamante iterum Apoſtolo: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*; neq; ſupra affectum vindicandi injuriam privatâ authoritate. omnis hîc inordinata cupiditas, itura in proximi damnum, cum tenebris veſpertinis ſepelienda eſt. Præſertim, poſtquam DEI filius in crucem fixus, etiam ante ſolis occaſum, rogavit patrem ſuum pro inimicis (dignis plus quàm Vatiniano odio) *Pater ignoſce illis.* Quo pulcherrimo excellentiſſimæ charitatis exemplo, nos omnes docuit, obliviſci citò offenſas, vltionem ponere, deniq; etiam pro perſecutoribus ad DEUM preces mittere; quod totum nihil aliud eſt, quàm illud Servatoris præceptum exequi: *diligite inimicos veſtros, orate pro perſequentibus vos.*

Iræ & vltionis affectus, deponendus ante ſolis occaſum.

Chriſti in Cruce morientis exemplo.

Matth. 5. 44.

X. Obtrudet hîc nonnemo, verba illa ſancti Maximi, Epiſcopi Taurinenſis: *grandis labor eſt inimicos diligere, pro perſecutoribus ſupplicare.* Sed quæſo te, ejuſdem etiam reſponſum audi. *Nec nos negamus, non parvus quidem labor eſt in hoc ſæculo, ſed grande erit præmium in futuro. per amorem enim hominis inimici, efficieris amicus DEI: imò non ſolum amicus, ſed etiam filius, ſicut ipſe Dominus dicit: diligite inimicos veſtros; benefacite his qui vos oderunt, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt. Si te aliquis homo dives in hoc ſæculo, vellet adoptivum filium facere, quomodo*

S. Maximus homil. in natali S. Stephani.

Difficultas hujus operis, ſpe præmij cæleſtis ſuperanda.

 ſervi-

Digitized by Google

ſervires, quas indignitates etiam ſervorum ejus, quæ ſervitia duriſſima, & aliquoties etiam turpiſſima ſuſtineres, vt ad caducam & fragilem hæreditatem illius pervenires? Quod ergo alius ſuſtinet propter ſubſtantiam terrenam, tu ſuſtine propter vitam æternam. Convincimur enim certiſſimâ ratione, quia propter DEUM *poſſumus quidem, ſed nolumus injurias ſuſtinere.*

XI. Neque hîc ſubſiſtit Divus Maximus; profert opportunam aliam comparationem, quæ prudenter cuivis ſuadere poſſit, vt offenſas & ferat æquanimiter, & liberaliter condonet: nec tam vlciſci velit, quàm ignoſcere inimico animo malevolentiam. Itaque ſic pergit. *Deniq; ſi nobis aliqua potens perſona, injuriam faciat, ſi nobis etiam in facie maledicat, nec reſpondere aliquid aſperum, non dicam vicem reddere, audemus. Quare? ne ab illa perſona potente, adhuc majora quàm pertulimus, patiamur. Quod à nobis extorquet hominus timor, debuerat à nobis exigere Chriſti amor. Si ergo potens perſona ſævit contra nos, tacemus, & nihil dicere auſi ſumus; ſi verò aut æqualis, aut fortè inferior, vel levem nobis contumeliam fecerit, quaſi fera beſtia, ſine vlla patientia, ac ſine aliqua* DEI *contemplatione conſurgimus; & aut in præſenti noſtram injuriam vindicamus, aut certè ad majorem vicem reddendam, noſtrum animum præparamus.* Demum pius Antiſtes, hanc omnem ſuam ratiocinationem ſic concludit. *Rogo vos, quantùm poſſum, cum* DEI *adjutorio, cor noſtrum ad patientiam præparemus, & in omnibus malis hominibus, medicorum vicem agere ſtudeamus; & non ipſos homines, ſed illorum malitiam odio habeamus. Pro bonis oremus, vt ſemper ad meliora conſcendant; pro malis, vt citò ad emendationem vitæ, per pœnitentiæ lamenta perveniant.*

Quò facit etiam hæc D. Maximi adhortatio.

XII. Quanta verò mala ſequantur ex hac ſanctiſſimi viri ſive repudiata doctrina, ſive neglecta obſecratione, oſtendunt identidem triſtes exitus, lamentabiles cataſtrophæ. Multos perdidit ira, quam temporum longinquitas confirmavit; inimicitiæ cùm radices figunt, implacabiles evadunt. atque vt gratiæ in odium deflexus facilis. ita odij ad gratiam, difficilis conſuevit eſſe tranſitus, præſertim in morte, ſi per omnem antea vitam roboratus eſt vindicandi affectus; neque docta mens offenſi, per vſum ignoſcentiæ, mitigari offendentibus. Hujus rei tam certum habemus teſtimonium, quàm miſerabile exemplum in Sapricio ſacerdote: quem & martyrij gloriâ privavit, & cœlo excluſit hoc vnum, noluiſſe veniam condonare humiliter deprecanti culpam, quando jam ad mortis limen ſtabat, expedita ſub ferro victima. Hiſtoriā ſic accipe.

Inimicitiæ diu roboratæ, fiunt implacabiles.

Eadem

XIII. Eadem in vrbe Antiochiæ Syriæ, Sapricius olim ſacerdos, & Nicephorus ex profano numero quiſpiam, ita moribus, ita mutuo affectu ſe amandi, erant ſimiles, quaſi germani ex ejuſdem matris vtero prodijſſent. Crederes hîc in diverſos vnam abijſſe animam; aut ſi duplex fuit, validiſſimo tamen nexu coaluiſſe; quemadmodum ſacer hiſtoricus meminit Ionathæ & Davidi quondam factum, cùm ait: *anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Jonathas, quaſi animam ſuam.* Sed ſicut nihil in rebus humanis æternat; ita quoque Sapricij ac Nicephori amicitia, tandem diſſuta eſt, artifice Sathanâ, confingente pro vera offenſa, vmbram injuriæ; jamque tantum ſucceſſit amori odium vtrinque, vt neuter alterius ferret aſpectum, niſi cum vulnere animi. Nicephorus tamen, quia putabat ſuam decere conditionem, vt obſervaret divinam in Sacerdote eminentiam: legatos ad Sapricium diſtinctis vicibus complures mittit, qui nomine ſuo, quàm humillimè, & illatam deprecarentur injuriam, & veniam peterent, errorem ſuum agnoſcenti. Sed ille occludere aures, animumque, nihil audire velle, nihil intelligere, vacuam ſemper legationem remittere; denique proterviâ ſuâ demonſtrare, non ſemper amantium iras, amoris eſſe redintegrationes. Itaq; Nicephorus ipſe ſupplicis habitu, projectus in terram ante Sapricij pedes, officiosè rogat, vt offenſæ, qualis qualis illa fuerit, obliviſci ſaltem velit, ſi nolit in veterem ſecum gratiam, ac confidentiſſimæ illius amicitiæ conſuetudinem redire. Sed hîc ille iterum ſurdus, iterum mutus, iterum vindictæ cupidus, ac tenax.

Surius 9. Februarij in Vita S. Nicephori mart. ex Sim. Meta.

1.Reg.18. 1.

Patet in Sapricio ſacerdote, negante Nicephoro, profano homini ante ſe proſtrato, reconciliationem.

XIV. Evenit eo tempore, vt ſub Valeriano Imperatore, tyrannicus furor, Chriſtiani nominis homines ad pœnas depoſceret, ac mortem. Iamque Antiochiam complexa fuit perſecutionis flamma, & delatus ad præſidem eſt Sapricius: tantò gravior Cæſareæ indignationis materia, quòd ſe inter Chriſticolas, ſacerdotem profiteretur. Neq; abhorruit in graviſſimis tormentis, tam diu Chriſtum profiteri, donec ſententiam capitis acciperet. Ea vbi ad Nicephorum delata eſt certis nuncijs, iterum ſupplicabundus futuro Martyri adeſt, & cauſam tam beatæ mortis gratulaturus, & delicto ſuo ignoſcentiam petiturus; quam tamen alter ita diſſimulavit, ac ſi nullum pietatis, nullum humanitatis ſenſum haberet. Interea ducitur Sapricius extra vrbem, & jubetur feralem ictum expectare. Ibi rurſum Nicephorus ingeniculans homini per amorem Chriſti (cujus gratiâ ſanguinem ſuum fuſurus eſſet.) extremis preci-

Etiam cùm jam duceretur, futurus Chriſti martyr, ad ſuppliciũ.

Digitized by Google

bus orat, vt ſibi reconciliari velit, culpaſque ac injurias omnes, diſſociatæ amicitiæ cauſas, glorioſus Martyr condonare. Sed heu! obſtinatum animum atque implacabilem! à ſe vnicum hoc verbulum impetrare non potuit, *Ignoſco.* Authoris verba de Sapricio hæc ſunt. *Ille verò, ne ſummũ quidem labrũ condonavit ei, quem pœnitebat; nec in animum induxit, vt ei roganti remitteret, ſed clauſit viſcera ſua à fratre ſuo; propterea clauſæ ſunt ei fores regni cælorum, & receſſit ab eo gratia divini, & vivifici ſpiritûs; & perdidit magnam, pretioſam, & glorioſam coronam Martyrij.* Nam cùm lictor collum parare mandaret ad carnificis gladium, Sapricius velut pœnitens ſuſcepti priùs conſilij, juravit ſe (Chriſto negato) ad Deorum ſacra iturum. indignus vtiq; pretioſâ martyrij laureâ, & fortunâ illâ, quam in manibus velut ſuam tenuit; ſed (quod planè admirabile eſt) imprudens vtramq; Nicephoro tradidit, capitaliſſimo hoſti. Siquidem vbi iſte advertit, Sapricium, poſt ſummũ perfidiæ ſcelus, à vero DEO ad idolorum ſimulacra ſacrificaturum accedere, contentiſſimâ voce ſe Chriſtianum pronuncians, eodem loco feliciter caput ſuum amiſit, quo alter infeliciter ſervavit. Nempe ſicut profuit Nicephoro humilem geſſiſſe animum, ita obfuit Sapricio habuiſſe ſuperbum & pertinacem, neq; voluiſſe toties ſupplicabundo ignoſcere. Quæ cauſa eſt, cur citatus ſupra author, ad calcem hiſtoriæ jam relatæ, hæc ſalubria addat hortamenta. *Quamobrem, ô dilecti, nos quoq; diligenter caveamus, ab hac diabolica operatione, odij inquam; & injuriæ acceptæ recordatione; vt noſtrorum quoq; peccatorum nobis detur remiſſio, à Domino JESV Chriſto; convenienter ei, quod dicitur: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

> Sed quia ſervavit vindictam, excidit martyrij corollâ.

> Tranſlatâ in Nicephorum humiliter deprecantem.

> *Matth. 6. 12.*

XV. Nemo etiam ſibi ipſi laqueum ponat, ſub ea fiducia, quaſi vindictam omnem, tum animo ſuo velit excludere, tum admittere cum offendentibus reconciliationem, tum injurias æternâ obſlivione delere, tum condonare alienos errores, quando cum morte abeundum erit hinc, neq; ampliùs fuerit vlciſcendi occaſio. Hæc enimverò perſuaſio, ſicut plauſum, ita & periculum habet. Semper mala eſt doctrix vitiorum conſuetudo, maximè per multos vitæ annos roborata. Neq; crediderim eum, qui nunquam didicit ſanus & valens extinguere odia, vbi moriturus eſt, cõtinuò ſtatim, & tam facilè rediturũ cum inimico ſincerè in amicitiam. Documento nobis eſſe poteſt, quem modo produxi infelix Sapricius. Sed ne ſolus ſit, attexam alterum, veritatis manifeſtæ tragicum teſtem.

> Difficulter condonat moriens, qui in vita non aſſuevit ignoſcere.

XVI. Ex Polonia intelligo in Germaniam perſcriptum eſſe, ſub annum

num

num Chriſti milleſimum, ſexcenteſimum, decimum octavum; duos illo in regno, eademq; ſub vitæ religioſæ diſciplina, parum religioſè vixiſſe; nam quòd offenſiunculis ſe mutuò laceſſiverint, magnum inde odiorum natum eſt ſeminarium, magna flamma, cupientium vtrinq, vindictam, neque frigidâ morte ſopiendam, quia longâ diſſimulatione invaluit malum. Accidit vt alter letali morbo occupatus, ſentiret notabilem viriũ imminutionem & propinquantia fata. Eam ob cauſam, ſecutus Chriſtianæ legis præceptum, ad ſe vocari imperat eum, quo cum ſimultatem habuit. Et hem! inquit, homines ſumus, ac quæ humanæ naturæ eſt miſeria, proni ad malevolentiam, offenſamq,. Ego igitur, vt qui æternitatẽ jam adeo, tecum olim malè ſciſſam redintegro charitatem, & quidquid à te injuriarũ contra me profectum eſt, totum ignoſco; tamq; ſeriò, quàm verè cupio religioſè mori, ac clementem pro tribunali DEVM experiri. Debebant ſanè, hæc vltima morientis verba, & juſtiſſima poſtulata, expugnare ferociam hoſtis, atq; ad mititatem adducere; ſed nihil admodum profecerunt: nam vultu igneo, oculis flammam jaculantibus, talia alter regeſſit. faceret æger, quod ipſi dictaret lubentia, animuſq;. condonaret alienas culpas, cum odio poneret vltionis amaras cogitationes: ſibi nihilominus decretum eſſe perſtare in vindicta, nihil ſcire de ignoſcentia, nihil de obliteratione offenſarum. Ad hanc tam inhumanam, ſeveramq; denunciationem, ita exaſperatum fuit moriturientis ingenium, vt neq; ipſe jam ſtare vellet priore verbo, ſed revocaret condonatas culpas, injuriaſque; putabat pulchrum eſſe furere cum inſaniente, eiq; ſervare vltionẽ, qui nollet roganti ignoſcere. Cum hac mali affectûs peſſima appendice, è vivis homo abijt. Sed proh dolor! ad orcum; quemadmodum ipſe poſt obitum ſuum, inter querimonias atq; expoſtulationes, nihil profuturas, teſtatus eſt orbi. Nam quo tempore juxta vſitatum Religioſis morem, omnes menſæ communi aſſederant, refecturi corpus, ad Numinis obſequia famulaturũ; qui nuper mortuus fuerat, velut redivivus in vmbra ſua, triſti ſchemate apparet; cumq; vniverſos oculis ſuis ſignaſſet ſpectrum, & deprehendiſſet juratum ſibi inimicũ, eum è menſa evocat, præſentem ſic alloquitur. Sceleſtum caput, & vna vnica ferè interitûs mei cauſa! quia enim (quod vehemẽter rogavi moriens) detrectaſti mihi meas ignoſcere offenſas, veteres adversùs me vlturi animi indignationes abolere; hoc effeciſti, vt exemplo tuo ad iram extimulatus, primũ in ſimiles ruerẽ vindicandæ injuriæ libidines; deinde ad proxima malæ, impiæque

Docetur lamentabili duorum religioſorum exitu.

morti

morti tartara. Hoc beneficium tibi debeo:atq; vt experiaris quantum ſit, idem mecum ſenties, infelix futurus apud inferos civis. Mox ſtygia larva,medium complexa hominem, velut Hercules olim Caco, eliſit animam; relictoq; ante trepidos ſpectatores cadavere, ipſa quoq; ſe oculis ſubduxit, auctior reditura ad orcum:quia animam capitalis inimici habuit in comitatu.

XVII. Veriſſimè omnino jam dudum edixit B. Cæſarius : *dum nos invicem odio habemus, ita muros civitatis Ieruſalem contra nos claudimus, vt nobis nullus aditus remaneat, per quem intrare poſſimus: nam qui charitatem habere noluerit, quâ fronte ad DEUM, qui charitas eſt, praſumit accedere?* Ita ſibi vterque (quos modò memoravi) Religioſi, parum religioſè, occluſêre aditum ad cœlos, quando neuter alteri veniam ſuper offenſis dare voluit. Juſtus hic metus, omnes illos debet invadere, quibus mos eſt, poſt injuriam coquere longas iras, nutrire in ſenium inimicitias, æternas vindictas meditari. Iſtis ego repeto,iterumq; inculco illud Numinis verbum : *ſi mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* O! quot quantoſque mortales, hoc vnum in morte ſua perdidit, aſſueviſſe per omnem vitam gravibus odijs,nec didiciſſe *Ignoſcere.* Quiſquis cùm moriturus eſt, optat facilis eſſe ad ignoſcentiam, eandem ſæpius exerceat, cùm ſanus eſt; imitaturus laudabiliſſimam Theodoſij Imperatoris conſuetudinem, de quo S. Ambroſius hæc refert: *beneficium ſe putabat accepiſſe, auguſtæ memoriæ Theodoſius,cùm rogaretur ignoſcere; & tunc propior erat veniæ, cùm fuiſſet commotio major iracundiæ. prærogativa ignoſcendi erat, indignatum fuiſſe.*

B. Cæſarius hom.4.

Implacabilitas cœlũ claudit, infernum aperit implacato.

S. Ambroſius in orat. de obitu Theodoſij.

XVIII. Denique ſicut implacabilitas offenſi animi,ac nolentis in gratiam, amicitiamq; redire, cœlum claudit hominibus, inferos aperit: ſic facilitas condonandi injurias, inferos occludit, cœlum adaperit; quod ex ſignatis tabulis oſtendo. Vixit quondam in cœnobio, homo veſte magis, quàm vitâ religioſus. hic vbi ad extrema devenit, circumſtantes ſe fratres,vultu renidenti ſic eſt affatus. Ipſâ hac horâ, longum noxarum mearum catalogum attulerunt ad me boni angeli : quibus ego hoc vnum repoſui. Ex quo monachum indutus ſum, *nullius injuriæ meminiſſe volui.* quæſo igitur, mihi multipliciter reo, patrocinentur verba Domini promittentis: *dimittite, & dimittetur vobis.* Mox igitur pij genij chartam, ſyllabumq; meorũ flagitiorũ,velut nihil roboris habitura apud Chriſtũ Iudicẽ, lacerârunt. Hinc ait,ego plenus optimâ ſpe,ſerenitatẽ mentis ex facie prodo,& placidè occumbo. Vti-

Placabilitas infernum claudit, cœlum aperit placato.

S. Anaſtaſius Sinaita in orat de ſacra Synaxi. Baron. ad ann. Chriſti 599. n. 14.

XIX.

Vtinam tam placidâ morte defungamur omnes! & certè ſpem habemus, ſi ante obitum didicerimus eſſe manſueti. leonibus manum innoxiè magiſter inſertat; tygrim cuſtos ſuus oſculatur; elephantem minimus Æthiops jubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem. nimirum facilia ſunt imperia cicuratis jam feris. Nos ſi per omnem vitam domuerimus brutos affectus iracundiæ, odiorum, vltionis: nihil morientibus turbabit præteritarum memoria injuriarum; erit ab ea parte, quâ plurimi tum intricantur, nobis via libera & expedita ad cœlum.

Et hæc juſta eſt cauſa miteſcēdi, ac feritatem ponendi.

PARAGRAPHVS VIII.

Mali politici, per omnem vitam aſſueti principijs Pſeudo-politicis, Quantùm in ſua MORTE, de ſalute æterna periclitentur, oſtenditur ab exemplo NICOLAI MACHIAVELLI, Pſeudo-politicorum Coryphæi.

I.

LYcurgus inter Legislatores princeps, vt oſtenderet civibus ſuis, magni omnino intereſſe, vtri à teneris aſſueſcerent, otio an labori; duos ejuſdem matris catellos, diverſimode educavit; & alterum quidem mollibus puluillis, alterum venationi aſſuefecit. Iamque vt excreverunt, vtrumque in forum produxit; non tam daturus populo ſpectaculum, quàm documentum. emiſſum enim leporem, alter pernici curſu inſecutus eſt; alter velut prædam aſpernatus, humi conſedit. Tum Lycurgus; videtis inquit,

Plut: in Lycurgo.

Conſuetudinis inveteratæ natura, per canes declaratur.

Digitized by Google

quit, ſicut diſſimiles facit diſſimilis educatio; ita non naturâ, ſed exercitio ac conſuetudine, ad virtutem formamur.

Imbibita Machiavelliſticæ politices principia, piæ mortis ſunt obſtaculum.

II. Et quoniam etiam pleriq; mortales, communiter ad vitium ruunt, impulſi primorum parentum corruptelâ; ita cùm acceſſerit vſus ſceleri, & longa conſuetudo, incredibile eſt, quantùm roboris accipiat, quàm fortiter ſtringat, quàm pertinaciter adhæreat. Plurimi ideò perierunt, quia per flagitia perire aſſueverunt. Et quid dicā de ſæculi noſtri Pſeudopoliticis, qui per omnem vitam nituntur principijs à recta fide, divinis literis, ſanctorum Patrum inſtitutis, ratione, naturâ, veritate alienis? cùm enim iſtiuſmodi homines difficillimè, ac ferè nunquam in morte, imbibita ſemel dogmata repudient; non video, quomodo non maxima ex parte, ſplendidiſſimè intereant: duce Machiavello, cujus ipſi facem ſecuti ſunt ad tartara. Sed vt ſciamus, Machiavellus *qui genus, vnde domo*, quæve ejus doctrina fuerit? congeſta à varijs, probatiſq; authoribus, in eum virum elogia, hîc attexo.

Ribadeneira de Principe Chriſtiano, ex hiſpanico idiomate tranſlatus in latinū, à Ioanne Orano Soc: IESV Theologo.

III. Itaque Petrus Ribadeneira, Societatis IESV Theologus, libro quem ſcripſit de Principe Chriſtiano, ad Lectorem ſequentia de Machiavello præfixit. *Nicolaus Machiavellus in politia, & ea reipublicæ gubernanda, imperijq; regendi ſcientia, quam pleriq; omnes, ſtatûs Rationem vocant, plurimum laboris, ſtudijq; collocavit; eaq; de re libros ſcripſit, & poſteritati reliquit; in quibus hanc civilem, & politici ſtatûs artem explicat; & fortem, magnanimumq; Principem formandum ſuſcipit; præcepta tradens, quæ ad retinendum, augendumq; ſtatum obſervare debeat. Sed vt fuit vir vafer, impius, ac verè atheos; ita & illius doctrina, tanquam ex corrupto, peſtiferoq; fonte deductus latex, ſubdola eſt, turbida & venenata; & ijs, qui ex ea biberint, inficiendis, perdendiſq; accommodata. Illud enim tanquam initium & fundamentum ponit, propoſitum & ſcopum, in quem Princeps collimet, & cætera omnia referat, ſtatûs & imperij conſervationem eſſe: eam proinde in rem adjumenta omnia, ſive ea honeſta ſint, ſive inhoneſta, juſta æquè ac injuſta, dum tamen vtilia, nullo delectu aut diſcrimine, adhibere poſſe. Numerat autem inter ea ſubſidia Chriſtianam religionem, cujus eatenus ſolùm habendam Principi rationem docet, quò ad ſtatui ſuo expedire judicaverit. Quare fronte & vultu ad ſpeciem præſeferre nonnunquam debere pietatem, tametſi ab illa prorſus abhorreat; interdum etiam complecti quamcunq; ſimulatam religionem, quantumvis abſurdam.*

Judicium Ribadeneiræ ſuper Machiavello, & ejus politica.

Et infra idem Ribadeneira, hæc ſubnectit de Machiavello. *Nefarius iſte nebulo, verusq; dæmonis adminiſter, hanc ſuam perniciosam,*

cioſam, deteſtabilem, planeq; diabolicam doctrinam, in Italia primùm diſſeminavit. fuit enim Florentinus civis, & reipublicæ à ſecretis, vt titulus operum ejus indicat. Deinde latiùs longiuſq; ſimul cum hæreſibus propagata, alia regna & provincias pervaſit, eaſq; ſic infecit, vt cùm hæreſis calamitoſum incendium, quo Gallia, Flandria, Scotia, Anglia, & plures aliæ regiones jam diu flagrant, tam multas clades, ærumnaſq; invexerit: nec tot tamen ſint, nec tantæ, quot, quantaſq; exitialis hæc politici ſtatûs diſciplina, & dogma Machiavellicum excitavit. Nam tot diſcipulos habet paſſim peſtifer hic Magiſter, tam multi ſunt Politici, qui ſolo nominis Chriſtiani obtentu, Chriſtum acriter inſectantur, vt ſupra fidem ſit eorum numerus; vixq; credas, quàm multis damnis Reſpublicas afficiant, & miſerando, deplorandoq; loco & ſtatu, hactenus collocârint.

Facilè conijcio, fore non paucos politici nominis homines, quibus hæc cenſuræ acrimonia ſuper Machiavello, videbitur eſſe nimis gravis; neque tamen ſolius eſt Ribadeneiræ, ſed plurium magnorum virorum. Inter quos Antonius Poſſevinus in Bibliotheca ſelecta, quam Clementi VIII. ſummo Pontifici inſcripſit, hæc ad verbum habet. *De Machiavello ſtatuendum eſt, hominem fuiſſe, cujus conſilijs, qui adhibuerit fidem, facillimè ſentiet, non ita multò poſt, quantumcunq; ſolidum principatum, Rempublicam, regnum, Imperium, convelli & cadere. An verò conſilium poterat dari peſtilentius, quàm cum principi ſuadet, vt ſpreto alieno conſilio, ſuæ ipſius prudentiæ innitatur? pietatem & religionem, quam etiam non habet, præ ſe ferat? ſi quid in religione falſum ſit, comprobet ac firmet, dum id proſit fovendæ qualicunq; religioni? religionem ethnicam præferat Chriſtianæ? Doctores Chriſtianæ religionis nihili faciat? de Romana Catholica Eccleſia peſſimè ſentiat? Moyſis authoritatem & leges, vi & armis, non fide ac* DEO *nixas fuiſſe credat? fortunæ & caſui fælicitatem, non virtuti & veræ religioni tribuat? Et hæc quidem ſceleratum illud Sathanæ organum, prioribus duobus libris, quibus de principe agit, ſic inſipienti mundo obtruſit, vt hoc veneno epoto, pleriq; ſe ſe ingentes politicos, & conſiliarios æſtimantes, conſtitutas optimè optimorum regnorum res, facili negotio peſſum dederint.* Digreſſus poſtea author, cùm oſtendiſſet Imperia olim ſtetiſſe, majorum præcipuè ductu, conſilijs piorum, Virtute; præſertim humilitate, veritate, juſtitiâ, denique verâ Religione, & fide Catholicâ, hæc ſubjungit: *Redeo ad labes Machiavelli, vt cognita peſtis, magis caveatur. Neque enim quidquam pernicioſius effari poterat, quàm cùm belli juſtitiam in ea, quam quiſque putat ſibi eſſe neceſſitatem, ſtatuat. quippe*

IV.

Poſſevinus lib. 1. Bibliotheca ſelecta cap. 26. cautione de ſcriptis Machiavelli.

Iudicium Poſſeuini.

Digitized by Google

hac occaſione juſtè inflammaſſe orbem vniverſum Nerones, & impij quiq; hæreticiq; omnes, pro ſua libidine, dicerentur. Nihil item magis venenatum, quàm cùm ait: principi, vt omnem penitus pacis ſpem, ac deſiderium præcidat, inſignibus injurijs violandos eſſe adverſarios. ſtultum eſſe, ſi quis putet veterum injuriarum oblivionem, induci novis benefactis. Principi tyrannum aliquem inſignem imitandum eſſe, temnendamq; crudelitatis famam, dum in officio ſubditos contineat. Expedire vt metuatur plus, quàm ametur. amicitiæ haud fidendum. Si quem plectere velit, ſpecioſum aliquid eſſe prætexendum. Leonis & vulpis induendum ingenium. Immanitatem vno impetu, ſenſim verò exercendam beneficentiam. Factiones eſſe alendas inter ſubditos; tollendos autem de medio boni publici amantes. Peſſima deniq; omnia, arte doloue, & ruinâ ſubditorum eſſe patranda. Hæc & hujuſmodi alia, nebulo ille impius, naturæ, juris, religionis oſor, & Atheiſmi invector. quare & blaſphemans evomuit damnatam animam.

V. *Iudicium Iuſti Lipſij.* *Lipſius in Politicis ſuis, poſt præfationē de conſilio & forma operis.*

Neque hîc omittere poſſum, judicium Iuſti Lipſij, Viri magni & modeſti, quem hoc ſæculo doctorum omnis ſenatus, meritiſſimò ſuſpicit, omnes bibliothecæ ambiunt. Is ergo Machiavelli libros, quos de Principe formando ſcripſit, poſtquam ſine affectu examinâſſet, hunc in authorem calculum tulit. *Machiavelli ingenium non contemno, qui vtinam Principem ſuum rectà duxiſſet, ad templum illud Virtutis & Honoris! ſed nimis ſæpe deflexit, & dum Commodi illas ſemitas intentè ſequitur, aberravit à regia hac via.*

VI. *Thomas Bozius de imperio Virtutis.* Iudicium Thomæ Bozij.

Subjungo Thomæ Bozij, viri inſigniter eruditi, cenſuram, ſuper Machiavelli Principe; nam in libro, quem ſacrum eſſe voluit Clementi VIII. Pont. Max. in epiſtola ad eundem præfixa, vniverſam Machiavelli doctrinam ait, hoc velut palmario ejus axiomate contineri. *Principibus viris, habendam ſemper in ore virtutem quamlibet, ac potiſſimùm Religionem, promiſſorum obſervantiam, liberalitatem, manſuetudinem. Sed omnia nihili facienda, cùm datur occaſio ditionis augendæ, ac lucri faciendi.* Et pauculis interpoſitis, Machiavelli argutias ſic perſequitur. *Concludit homines mediocribus acquieſcere debere, ſed niſi eſſe optimi ac ſanctiſſimi queant, præſtare vt ſint ad flagitia potentiſſimi. Atque ita vult, ex hominibus non ſolùm vulpes eſſe, lupos ac viperas, qui non vnum modò vel alterum necent, ſed peſtilentiſſimos dracones, ac venenatiſſimos baſiliſcos, qui regiones totas, atque humanum genus afflatu ſuo perdant, atque exterminent: optimis namque eſſe pauciſſimis datur.*

VII. Quia igitur Machiavellus novam, atque ante hac inauditam politices diſciplinam invexit orbi Chriſtiano, velut in odium pacis, ſince-

ſinceritatis, Religionis, juſtitiæ, ipſiuſque naturæ; in ſe omnium rectè ſentientium animos, calamoſque eruditorum concitavit, etiam qui à fide Catholica alieni ſunt; vt videatur ſimillimus Iſmaeli, de quo ſacra Scriptura meminit: *hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.* Et quidem inter orthodoxos præter Ribadeneiram, ex inſtituto contra Machiavellum, ejuſq; Principem ſcripsêre, Oſorius, Catharinus, Ioannes Lenſæus, Ioannes Boterus. Huc ſpectat Thomas Bozius, tractatu de imperio Virtutis, de robore belli, de Italiæ ſtatu, de ruinis Gentium & regnorum; Adamus Contzen in politicis, alijque. Quos inter jure merito triumphat S. Thomas Aquinas, qui jam olim aureum opus concinnavit de regimine Principum, & quaſi clypeum adversùs ſecuturas Machiavelli impoſturas oppoſuit.

Gen. 16. 12.

Vapulat politica doctrina Machiavelli à multis Doctoribus.

VIII. Vt mirum ſit, non tantùm ab Acatholicis, ſed etiam orthodoxis, hodie Machiavellum defendi; præſertim poſtquam eum etiam Eccleſia fulmine ſuo damnavit, & ne legeretur, infami proſcriptionis ſtigmate notavit. Nempe verum eſt illud vetus, nullam cauſam eſſe tam abſurdam, quæ non inveniat ſui patrocinium. ſatis eſt multis, quòd aliquando Machiavellus ſit argutus & ingenioſus; quòd ſæpius ſit fallax & pravus, non curant. Denique etiam venenum ſapit, ſi melle circumlitum eſt. fraus quoque & mendacium, habet paſſim applauſum, ſi prætexitur ſpecies aut Veritatis, aut Commodi. Et hæc fortaſſis res peperit defenſores aliquos, ac recentes patronos, dudum ab Eccleſia in ordinem infamium ſcriptorum poſito Machiavello; cujus illi dogmata (ſi rectè accipiantur) putant nullam graviorem cenſuram mereri. Quod ipſum eſt ſummorum Pontificum, Patrumq; purpuratorum violare authoritatem; eorum ſententiam aut iniquitatis, aut erroris damnare; quando Nicolaum Machiavellum in Indice librorum prohibitorum collocarunt, & quidem in fronte, primaq; claſſe; vnde hactenus nunquam exemptus fuit. Cæterùm quàm merito ſuo, hic Vir vapulaverit, cùm velut in Cæritum tabulas relatus eſt, breviter demonſtrabo; vt appareat admiratoribus rerum novarum, id hominis monſtrum, neq; tam pulchrum eſſe, neque tam pretioſum. Denique Machiavellum ſub hedera ſpecioſæ Politices, multam orbi Chriſtiano nequitiam vendidiſſe, plurimum palliatæ impietatis propinâſſe.

Vapulat ab ipſa Eccleſiæ cenſura.

IX. Et initiò quidem certum eſt, ab Ariſtotele olim, tanquam proprium & vltimum finem artis Politicæ, ab eadem naturæ viri-

bus acquirendum, procurandum, & poſſidendum, aſſignatam fuiſſe beatitudinem hujus vitæ; quam ille conſiſtere arbitrabatur in actionibus virtutum, tùm intellectûs tùm voluntatis. Sed poſtquàm vera fides, vltimum finem hominis, oſtendit ſitum eſſe in beatitudine alterius vitæ; Politica, hujus finis proximam adeptionem, & procurationem, tanquam viribus ſuis altiorem, Theologiæ & Chriſtianæ diſciplinæ conceſſit; ita vt ad eundem ſcopum, totam ſuam imperandi ac parendi rationem, deinceps retulerit. Facitque hodie Politica Chriſtiana officium facultatis inferioris, quando Principes monet, vt pij eſſe, & juſti velint, æternæ felicitatis obtinendæ causâ. Vbi noto, honorificam illam appellationem, quâ Philoſophus quondam Metaphyſicam, inter omnes ſcientias vocavit DOMINAM; potiori jure, longèque rectiùs deberi Chriſtianæ diſciplinæ, cujus Theologia interpres eſt, & ancilla moralis Philoſophia: complexa Ethicam, & fere præcipuam ejus partem, Politicam. quæ propterea in moribus, actionibuſque, DOMINÆ ſuæ nutum obſervet, neceſſe eſt. Et velut Logica, Phyſica, Metaphyſica, doctrinam ſuam redigunt in obſequium fidei Chriſtianæ, ab eaque ſumunt regulam veritatis; vt, quòd poſſit accidens ſine ſubjecto, idem pluribus locis, & totum in toto loco, & totum in qualibet parte exiſtere, &c. Ita Politica eidem debet conformare mores ſuos, & ab eadem præcepta virtutis accipere. item prima illa, & moralia omnium humanorum actuum principia, cujuſmodi ſunt: *Bonum eſt faciendum, malum fugiendum. Deus remunerator virtutum eſt, vitiorum vindex. fini vltimo, qui eſt ſalus & beatitudo æterna, nihil præferri debet.* Atq; hæc fuit ante Machiavellum, veteris Chriſtianæ politices, veneranda facies, ſemper ſpirantis ſanctitatem in præceptis ſuis, juxta propriam ejuſdem deſcriptionem, quâ dicitur: *eſſe ars imperandi & parendi in ſocietate civili, ſecundùm regulam rectæ rationis;* adeòque & virtutis; principijs & argumentis pro hac re petitis, non tantùm ex Philoſophia morali, ſed vel maximè ex Theologia, & diſciplina Chriſtiana.

Nec immeritò.

1. Quia Machiavellus Politicam non vult eſſe ſubalternatam Theologiæ, nec dominæ ſuæ ancillari.

X.

Sed quàm turpiter, hanc venuſtiſſimam Chriſtianæ Politices honeſtatem, deformaverit Machiavellus, inde patet; quòd vltimum ejus finem, adeoque ſummum bonum, non ampliùs in æterna beatitudine, ſed in Imperij conſervatione, alijſque fortunæ externis bonis conſtituit, potentia, opibus, gloria. Quia enim jubet Principem *non bonum eſſe*, ſi poſtulet Reipublicæ ſalus, adeoque à virtute diſcedere, & in ſubſidium advocare vitia; item, quia non vult eum; à tuen-

2. Quia vltimum finem Politices invertit.

Machiavel. in Principe c. 18.

Digitized by Google

à tuendæ patriæ libertate, vllâ re avelli, neque etiam *injuſtitiæ aut crudelitatis notâ*; neceſſariò ſentit Imperij causà, omnia agi & ſuſcipi, tanquam propter vltimum finem. nam ex Ariſtotele, id definitur eſſe vltimus finis, & ſummum bonum, *cujus causâ reliqua aguntur, & quod ſemper propter ſe, nunquam propter aliud expetitur.* Quàm verò hæc Machiavelli doctrina, & ipſi naturæ ſit inimica, & humanis officijs adverſa, Cicero jam olim commonſtravit in hæc verba. *Qui ſummum bonum ſic inſtituit, vt nihil habeat cum virtute conjunctum, idq́; ſuis commodis, ſiue imperij potentiâ, & incolumitate metitur; hic ſi ipſe ſibi conſentiat, & non interdum natura bonitate vincatur; fit, vt neque amicitiam colere poſſit; nec juſtitiam, nec liberalitatem*; minimè omnium Religionem, veramq́; pietatem. Et poſt paulò ſubjungit. *Ejuſmodi igitur diſciplinæ, ſi ſibi conſentaneæ eſſe velint, de officio boni hominis aut Politici, nihil queunt dicere.*

Machiavel. lib. 3. diſcurſ. de Rep. c. 41.

Ariſt. 1. Ethic. c. 7.

Cicero l. 1. de offic.

XI. Ex hoc autem pſeudopolitiæ fundamento, quo diximus Machiavellum, Rationem ſtatûs (vt vocant) Reipublicæ ſalute, imperij ſtabilitate, divitijs, ſplendore, viribus, alijſque extrinſecis bonis circumſcribere; negligere autem, vel excludere, aut certè non neceſſariò requirere, bona in veris virtutibus ſita, tanquam à politicis rationibus, & arte imperandi aliena; fit, vt divellatur VTILE ab HONESTO. Siquidem plurima conducunt bonis fortunæ comparandis & ſervandis, quæ cum honeſtate pugnant. Atque hinc manavit, plena illa peſtilentiæ diſtinctio, affirmantium; aliqua non quidem Theologicè & Chriſtianè, politicè tamen fieri poſſe, ac debere; quia conſervando ſtatui ſerviunt. Sed ſi conſulimus Divum Thomam, luculentam Chriſtianæ Theologiæ facem, negabit verè aut eſſe, aut dici aliquid poſſe VTILE, quod HONESTVM non eſt. Suffragatur eidem Cicero, perſpicax aquila inter ſæculi ſui noctuas: *Lapſa* inquit, *conſuetudo deflexit de via, ſenſimq́; eò deducta eſt, vt ab honeſto vtile ſecerneret, & conſtitueret honeſtum aliquod, quod vtile non eſſet, & vtile, quod non honeſtum; quâ nulla pernicies major hominum vitæ potuit afferri.* Et parum inferiùs addit; *quòd, qui parum proſpiciunt, hi ſæpe verſutos homines, & callidos* (Machiavellum puta & Pſeudopoliticos) *admirantes eorum malitiam, ſapientiam judicant. Quorum error eripiendus eſt, omniſq́; opinio ad eam ſpem traducenda, vt honeſtis conſilijs, juſtiſq́; factis, non fraude & malitiâ, ſe intelligant ea quæ velint, conſequi poſſe.* Quæ gentilis hominis doctrina, non diſſimilis eſt illi Chriſtianæ

3. Quia in actionibus humanis permittit Vtile, etiã ſi honeſtũ non ſit.

Cicero lib. 2. de offic.

atq; Ambroſianæ, quando ſuaviſſimus Eccleſiæ Doctor oſtenſurus, vnde Chriſtiani HONESTVM atque VTILE metirentur, ſic ait. *Nos nihil omnino, niſi quod deceat, & honeſtum ſit, futurorum magis quàm præſentium metimur formulâ; nihilq; vtile, niſi quod ad vitæ illius æternæ proſit gratiam, definimus, non quod ad delectationem præſentis.*

S. Ambroſ. lib. 1. offic. c. 9.

XII. Stat igitur hæc inconcuſſa veritas; nullum eſſe verè VTILE, quod contra honeſtatem eſt; neque aliquid in vera Politica licitum eſſe, quod illicitum eſt in Chriſtiana, theologicaque doctrina; quia Religionis noſtræ præcepta, æqualiter omnes obligant, tam qui Rempublicam gerunt, quàm privatos. omnibus ſine diſcrimine dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Cæterùm argutatur hîc Machiavellus, atque vt ſe orbi vendat politico-theologum, aſſerere audet; malum boni causâ admiſſum, ſeu malum medium ad bonum finem (qualem eſſe ſtatuit imperij conſervationem) deſtinatum; bonum eſſe ac licitum æſtimari debere, adeoq; nonnulla ſolùm politicè, & non chriſtianè facta, per rectam intentionem à peccato abſolvi. Quem inſolentiſſimum improbi hominis errorem, jam tum refutavit Apoſtolus, cùm deteſtatus eſt eos, qui dixerunt, *faciamus mala, vt veniant bona.*

Matth. 19. 17.

4. Quia docet malum ex bono fine, bonum fieri, ac licitum.

Machiavel. l. 1. diſcurſ. c. 9.

Ad Rom. 3. 8.

XIII. Eandem quorundam inſaniam, poſtea veritatis ſtylo fixit S. Auguſtinus, in hæc verba. *Intereſt quidem plurimùm quâ causâ, quo fine, quâ intentione quid fiat. Sed ea quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nullâ velut bonâ intentione, facienda ſunt. Ea quippe opera hominum, ſicuti cauſas habuerint bonas, ſeu malas, nunc ſunt bona, nunc mala, quæ non ſunt per ſe ipſa peccata. Sicut victum præbere pauperibus, bonum opus eſt, ſi fit causâ miſericordiæ, cum recta fide. Sicut concubitus conjugalis, quando fit causâ generandi; ſi eâ fide fiat, vt gignantur regenerandi. Hæc atq; hujuſmodi, ſecundùm ſuas cauſas, opera ſunt bona, vel mala: quia eadem ipſa, ſi habeant malas cauſas, in peccata vertuntur: velut ſi jactantiæ causâ pauper paſcitur; aut laſciviæ causâ, cum vxore concumbitur; aut filij gignantur, non vt DEO, ſed diabolo nutriantur. Cùm verò jam opera ipſa, peccata ſunt, ſicut furta, ſtupra, blaſphemiæ, vel cætera talia; quis eſt, qui dicat cauſis bonis eſſe facienda, vt vel peccata non ſint, vel quod eſt abſurdius, juſta peccata ſint? Quis eſt qui dicat, vt habeamus quod demus pauperibus, faciamus furta divitibus, aut teſtimonia falſa vendamus? Quis iſta dicat, niſi qui res humanas, omneſq; conetur mores, legeſq; pervertere?*

S. Auguſt. lib. contra mendaciũ c. 7.

Contra doctrinam. S. Auguſtini, aliorũq; SS. Patrũ.

Digitized by Google

re? Quod quidem inſigni cum impudentia fecit Machiavellus, quando generatim contendit facta damnabilia, per bonum ſcopum,eventumq; à culpa excuſari. Neque hoc aliud eſt, quàm vitijs flagitijſque, apertam concedere licentiam.

Sed videamus, ex hac adeò venenata ſcaturigine,quales rivuli fluxerint; ſeu potiùs, quàm ſcelerati modi, quibus Machiavellus ſpeciatim tradidit, imperium & comparari poſſe, & ſtabiliri. Itaque in libro, quem de Principe formando ſcripſit, an potiùs deformando? affirmat. 1. non poſſe novo principi, meliora dari,quàm Principis Valentini exempla, qui tamen ipſomet teſte, totus ſe ad fallacias ſtruendas convertit; Vrſinos ſimulatâ amicitiâ deceptos ſuſtulit; Nobilium priùs ſpoliatorum, integram ſtirpem excidit. 2. Avaritiam, rapacitatem, ſævitiam, principi non magnopere curandam,ſed parvi faciendam. 3. cùm jus non ſufficit, Principi confugiendum ad vim & fraudem belluinam, ſive leonis & vulpeculæ ingenium. 4. Principem à ſententia ſua,quam ſemel pronunciavit, nunquam amoveri debere; nihil etiam multitudini negare. Quod præceptum erroribus, injurijs, periculis expoſitum eſſe, contrarium etiam rectæ rationi, quis non videt? nam ſi pronunciatum ejus fuerit contra æquitatem, an perſeverabit eſſe iniquus? & plebecula ſi poſtulaverit, quæ ſine ſcelere fieri non poſſunt, an vlulabit cum lupis? Quin etiam iſta Machiavellus, ſuadet idonea conſervandis imperijs media. Provinciâ aliquâ recens ſubactâ, Principis, qui cum poteſtate præfuit, ſtirpem extinguendam. homines illius aut blanditijs eſſe deliniendos, aut prorſus exſcindendos. Principem,impotentiorum in vicinia, caput & defenſorem ſe conſtituere debere, potentiores infirmare, &c. Quæ,aliaq; ſimilia contra hoſtes, aut etiam rebelles ſubditos, eſſe poſſunt licita; erga amicos autem, & qui Principem non læſerunt, vſurpari nunquam poſſunt citra injuriam, notamque crudelitatis.

XIV. Examinatur Machiavelli politica, in libro de Principe.

Machiavel. lib. de Princip. c. 7.

Cap. 17. 18, & 19.

Idem cap. 13.

Ejuſdem pretij, hoc eſt, nullius, illæ ſunt rationes, quas idem Pſeudopoliticorum Phœbus, in libris variorum de Republica tuenda ac promovenda diſcurſuũ,conſignavit. Cujuſmodi ſunt. 1. Quæ Religioni fidem conciliant,fovenda eſſe, tametſi non de omnibus conſtet veritas & certitudo; ſic enim paganos quoq; & gentiles, falſa miracula pro veris approbâſſe,ſtatûs causâ; quaſi mendacium & falſitas, aut Religioni queant patrocinari, aut imperio debeant. 2. Poſſe adversùs confœderatos, belli occaſionem arripi, ſi non contra eos, ſed eorum ſocios, illis amicitiæ fœdere junctos, lis moveatur

XV. Et in libro diſcurſuũ.

Machiavel. lib. 1. diſcurſuum de Rep. c. 9.

Lib. 2. c. 25.

tur & pugna. Sed hoc plus ingenioſæ fraudis habet, quàm ſinceræ fidelitatis. 3. Rempublicam diſcordem poſſe opprimi, ſi te interponas arbitrum, & vtriuſque partis ſimules amicum, neutram autem valde juves; donec vtraque & bellis feſſa, & viribus exhauſta, ſe arbitrio tuo, ac voluntati ſubmittat. Atque hoc eſt artificium illud, quo paſſim quies Regnorum ac Provinciarum turbatur, multiſq; ſua, præter jus & culpam eripiuntur; ingemiſcente etiam hodie orbe Chriſtiano, & deplorante publicas clades, ex malis dolis & perfidiâ natis. 4. Ne rempublicam novis factionibus, turbiſque, à tranquillitate ſua cives deijciant, non permittendos eſſe admodum diteſcere; continuis etiam bellis exercendos. Quod vtrumq; illicitum eſt; neq; enim aut ſubditi prohibendi ab honeſtis lucris, opibuſq; licite augendis; aut perpetuis bellis, neque neceſſarijs frangendi ſunt. 5. Invidos atque æmulos, niſi vitâ citò defunguntur, maturè alijs modis per vim è medio tollendos eſſe. quaſi patriæ aut Reipublicæ bonum, alieno ſanguine poſſet ſtabiliri, cujus fundendi nullum jus ſuppetit. 6. Ea quæ coactus promiſiſti, vt ſerves, non eſſe neceſſe. Quod verum eſt de metu injuſtè incuſſo, falſum de metu juſtè ac rationabiliter injecto. 7. Vt ab altero Princeps quidpiam impetret, ſæpe commodiſſimum eſſe, nullum illi ſpatium concedi ad deliberandum. Hæc autem ratio, ſi adhibeatur erga eum, qui ſui juris eſt, iniquitatem continet; quia injuſtam vim infert, adimendo deliberationem, ſemper ad libera conventa, & reſponſa neceſſariam.

Lib. 2. c. 25.
Lib. 3. c. 16.
Lib. 3. c. 30.
Lib. 3. c. 42.
Lib. 3. c. 44.

XVI. Habet Machiavellus cauſæ, & doctrinæ ſuæ politicæ patronos.

Et hæc omnia tam palpandæ impietatis dogmata, nunquid ſuum authorem Machiavellum, nigro in vrnam injecto calculo, damnabunt? Hoc ſciunt Pſeudopolitici hodierni, atque vt parentem reum eximant vindici ſententiæ, etiam pro ejus innocentia, ſcribunt apologias; & id vnum fortiſſimè contendunt, Machiavellum occaſione tyrannidis, de qua in ſua politica tractavit, tanquam vitioſæ Reipublicæ formæ idem docuiſſe, quod in ſimili materia docuit Ariſtoteles, & D. Thomas, ſecutus Philoſophũ præeuntem. Ea propter tractationem de tyrannide inſertam à Machiavello libris ſuis, lectoris vitio lubricam eſſe, non ſcriptoris; cujus loquendi modus tantùm hypotheticus ſit; ut ſcilicet, ſi quis deniq; viâ tyrannidis, vult invadere imperium, præſcriptis debeat præceptis vti. Cęterùm alibi ſatis à Machiauello improbatam fuiſſe tyrannidem, ut turpem fugiendamque. Et quidem hoc reſponſionis caput, ita quibuſdam Pſeudopoliticis hactenus plauſum fecit, ut putauerint

Ariſtot. 5. polit. c. 9. Et D. Thom. in eundem Ariſtotelis locum.

cauſam

cauſam pro ſuo Magiſtro feliciter peroratam fuiſſe. Quàm verò non continuò abſolvendus ſit Machiavellus, ex eo ſuſceptæ defenſionis argumento, ſequentia convincent.

XVII. Nam tametſi ad perfectam ſcientiæ explicationem, ſpectat etiam de oppoſitis ei ſpeciebus agere, vt eam ob cauſam tractatio tyrannidis, non aliena ſit à politica; id tamen omnes boni jure ſuo poſtulant, ne vitioſæ Reſpublicæ pro legitimis obtrudantur, neque hominum animi earum amore imbuantur. Quod tum fit, cùm politicus vitia, damna, remedia, Pſeudopolitiæ exponit, & in id maximè incumbit, vt ea peſtis arceatur. Ita tam Ariſtoteles, quàm S. Thomas, cùm tyrannidis naturam, moreſq; explicârunt, non ſuaſerunt vt aſſumeretur, neq; ejus vitia docuerunt, ſed potiùs dedocuerunt. Quâ ratione Grammaticus agit de ſolœciſmo, vt dediſcendo; medicus de ægritudine, vt curanda; Theologus de peccatis, vt cavendis. At vero Machiavellus, etſi Tyrannidem alicubi perpetuâ videtur notare infamiâ; tamen alibi totis libris, tum eandem tyrannidem, tum alias Pſeudopolitias, pulchris coloribus pictas, palliatas etiam mille fraudibus, pro legitima politica obtrudit, ſuadetq;. Atq; hoc proprium eſt Magiſtris errorum, mentem improbam ſub bella larva tegere, ſub eſca hamũ: dolos etiam vendere pro artificijs, mendacium pro veritate. Neq; juvant miſerum hominem, conditiones ſeu hypotheſes, tacitæ aut expreſſæ; quando finem totiûs politices, excluſâ virtute depravavit, media abſolutè mala ſæpius præſcripſit, principes multis modis injurios laudavit, in veram Chriſtianam Religionẽ, non ſemel blaſphemus fuit; omnia demũ probitatis fundamenta, aut manifeſtè, aut per cuniculos convulſit. Quò pertinet frequens ejus loquendi ambiguitas, obſcuritas, inconſtantia; nempe vt tectâ malitiâ faciliùs incautos falleret. Atq; hęc cauſa eſt, vt quiſquis Machiavelli ſcripta legit, ſine timore DEI, & plus quàm mediocri doctrina, neceſſariò multum improbitatis hauriat; diſcit enim Chriſtianę pietatis, veręq; virtutis principia contemnere, aut in dubiũ vocare; & quod cõſequẽs eſt, humana jura, divinaq; pervertere.

Sed quì cum ipſo, & ipſa evertuntur.

XVIII. Sed nunc ea breviter ad cenſuram vocanda ſunt, quæ contra veram Religionem, reſque ſacras temerè, imperitè, falsò effutijt virorum profaniſſimus, libro de principe; vt videant omnes quantùm fidei mereatur in politicis Machiavellus, qui de fide Chriſtiana, tam malè, improbeque ſenſit. 1. igitur ex ejus ſententia, nec vitia omnia declinari poſſunt, nec virtutes omnes ſervari; *adverſante* vt loquitur, *humanæ vitæ conditione*. quod eſt dicere,

Machiavellus de fide Chriſtiana malè ſentiens in libro de principe, refutatur.

 præce-

Machiavel. in Principe c. 15. præcepta omnia, hominibus ſervatu eſſe impoſſibilia, juxta mentem hæreticorum, ab Eccleſia anathemate percuſſorum; reclamante interim DEO, atque exprobrante Ieroboamo Regi, cùm excogitato conſilio Pſeudopolitico, *peccare feciſſet Iſraël: non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo.* 2. Machiavellus non ſeriò credidit, mortales quoſcunque, cauſam dicturos ante Chriſtum olim Iudicem; ſi enim ſibi iſtud certè perſuaſum habuiſſet, nequaquam auctor fuiſſet principibus, vt tribunalis ſecuri, *& ſolâ honeſti ſpecie contenti, quibuſvis rationibus imperium ſuum tuerentur.* hortatus potiùs eſſet, tametſi in hac terra, nullam agnoſcerent ſuperiorem inter homines poteſtatem, ſupereſſe tamen aliud Numinis ſolium, vbi *Judicium duriſſimum, his qui præſunt, fiet*; præſertim ſi duntaxat ſpecie honeſti, & vmbrâ virtutis contenti, pietatem ſinceram excuſſerunt. 3. Machiavelli doctrina de fato & fortuna, animos à DEI providentia (quæ diſponit omnia ſuaviter) abducit, inductâ non tantùm ſcelerum licentiâ, ſed etiam neceſſitate. 4. Machiavello doctore, *id bellum eſt juſtum, quod eſt neceſſarium.* Et verum quidem habet, ſi neceſſitas conſervandæ Reipublicæ legitimæ, vel juſti principatûs, aut veræ religionis, bellum exigat. Cæterùm, hanc neceſſitatem non ſolam, intellexiſſe videtur Machiavellus, ſed quamvis aliam impiè ex vtilitate confictam; præſertim cum in eadem belli materia, mox alteram ſubijciat ſententiam, ſcripturæ contradicentem; ait enim, *ea arma pietatem redolere, cùm nulla alia in re, quàm in illis ſpes omnis vertitur.* Quod ſi verum eſt; tyrannorum, aliorumq; improborum, quia bonitate cauſæ deſtituti, ſpem ſuam non in DEO reponunt, arma erunt ſanctiſſima. Sed repugnant ſacræ literæ, quando etiam vniverſim damnant fiduciam *ſuper quadrigis, quia multæ ſunt, & ſuper equitibus, quia prævalidi nimis.* Denique; *maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus.* 5. Affirmat Pſeudopoliticorum Phœnix, cultum Religionis tam præclarè inſtitutum, fuiſſe Romæ à Numa, *vt multis ſæculis nuſquam gentium, tantus timor* DEI *extiterit, quantus apud Romanos.* Vbi miror Machiavello judice, religionem ſacrilegam, quâ docuit Numa, idola, Deos, Deas, ipſosq; dœmones ſuperſtitioſiſſimâ impietate venerari, dici poſſe cultum præclarè inſtitutum. Deinde falſum eſt, multis ſæculis nuſquam gentiũ, tantum timorem DEI extitiſſe, quantus apud Romanos

In Concil. Trid. 6. cap. c. 11. can. 18.

3. Reg. 14. 8.

Machiavel. in principe c. 18.

Sap. 6. 6.

Machiavel. lib. de principe c. 25.

Idem de Principe c. 26.

Iſa. 31. 1.

Ier. 18. 15.

Machiavel. lib. 1. diſc. de Rep.

nos erat ex inſtitutione Numæ; quando eodem Numæ ſæculo, vixerunt in Judæa Ezechias & Joſias, Reges veri Dei cultores egregij, timoriſque divini aut propagatores, aut reſtauratores; vt taceam de alijs Paleſtinæ Regibus, qui & anteceſſerunt Numam ætate, & conſecuti ſunt.

Neque tantùm in Principe ſuo, improbum Cenſorem egit Machiavellus, contra Religionem Chriſtianam; ſed idem quoque egregiè præſtitit in dibris Diſcurſuum de Republica; vt credas ventrem ejus plenum fuiſſe muſto nequitiæ, quam deſpumaret in contumeliam Matris ſuæ Eccleſiæ; profectò ſpurius filius, & degenerans in vipeream indolem. Itaque de Chriſtianæ vitæ inſtitutione ſic ſcribit. *Hæc Chriſtianum orbem, imbellem feciſſe videtur, vt ſceleratis & perfidis principibus, certa præda eſſe ſoleat. Nam pleriq; mortalium, ſpe vitæ beatæ, cogitant potius de tolerandis injurijs, quàm de ijſdem vindicandis.* Et quamquam hanc poſtea opinionem alijs videatur attribuere, eſt tamen credibile, impoſturâ vſum hominem, vt quod ſentiebat, nec planè edicere audebat, metu notæ incurrendæ, alijs affingeret, tutior futurus, ſi latuerit ſub alieno ſcelere, quàm apertè prodatur ſuo. Qualeeſt etiam illud; Fortitudinem Chriſtianæ Religioni, ejus inſtitutione eripi. Quæ ſacrilega audacia, quantam contineat injuriam, inde clarum eſt, quòd cùm fortitudinis ſit, & ſuſtinere ardua, & aggredi; Chriſti Eccleſia myriades integras, & chyliades numeret, ex omni ſexu, ætate, conditione eorum Chriſtianorum, qui pro vera fide, mortem fortiſſimè obiêrunt; quibus ſi Romani ſuos comparare voluerint Brutos, Camillos, Scævolas, Regulos, Fabritios, Fabios, Catones, Scipiones, & quotquot fortis animi documenta dederunt, nempe pauculis actoribus, profana ſcena abſolvetur. Neque etiam minùs Religio noſtra ferax fuit, fortiſſimorum ſemper ac felicium Principum, quàm ſuperſtitioſa Gentilitas. Loquuntur hodie Conſtantinus Magnus, Theodoſius Magnus, Heraclius, Juſtinianus, Carolus Magnus, Henricus Sanctus; alijque tum ſuperiorum ætatum, tum noſtri ſæculi Imperatores, non tantùm à ſe Imperium fuiſſe defenſum adversùs hoſtes, conſervatum, ſtabilitum; ſed plurimis inſuper victorijs, opibus, gloriâ auctum; vt veriſſimè pronunciaverit S. Auguſtinus, contra eos, qui cum Ethnicis Religionem Chriſtianam, velut Reip. noxiam calumniantur: *Qui* inquit, *doctrinam Chriſti, adverſam dicunt eſſe Reipublicæ, dent exercitum talem, quales doctrina Chriſti eſſe milites juſſit; dent tales filios, tales dominos, tales ſervos, tales reges, tales judices, tales* denique

XIX.

Machiavel. lib. 2. Diſcurſ. de Rep. c. 2.

Idem Machiavellus in libro Diſcurſuum, malè ſentiens de Chriſtiana religione, malè plectitur.

S. Auguſt. Epiſt. 5. adverſùs Ethnicos calu-

mniantes Religionem Chriſtianam.

deniq. debitorum redditores, & exactores ipſius fiſci, quales eſſe praecepit doctrina Chriſtiana; & audeant eam dicere adverſam eſſe Reipublicæ; immò verò non dubitent eam conſiteri magnam (ſi obtemperetur) ſalutem eſſe Reipublicæ. Supereſt alia Machiavelli doctrina, Religioni Chriſtianæ inimica: cùm enim hæc animæ humanæ immortalitatem aſſerat, audet tam veracem Magiſtram velut erroris arguere, affirmans abſolutè; *quæ in hoc univerſo continentur, ea* OMNIA *certo vitæ ſpatio terminari.* Cùm ergo inter OMNIA illa, comprehendatur rationalis anima, tacitè concludit eam mortalitati ſubjectam eſſe. Quæ impietas, eò faciliùs imputanda eſt homini, poſtquam jam antea fatum adſtruxit, vitiorum neceſſitatem induxit, principes omni tribunali, etiam divino exemit.

Machiavel. lib. 3. Diſcurſ. c. 1.

XX.

Machiavellus pro vera politica, pſeudopoliticam obtrudens, meritò flagellatur.

Atque hæc demum, ſunt illa ſcelerata dogmata, quibus Machiavellus veterem Chriſtianæ Religionis diſciplinam turpiſſimè fœdavit, obtruſurus orbi pro vera politica novam pſeudopoliticam. Quam, qui penitius inſpicere volet, & ampliùs execrari; legere poterit Vindicias politicas adverſus Pſeudopoliticos, recenter ſcriptas, atque inſcriptas Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali, Guidoni Bentivolo. Et quoniam Pſeudopoliticorum hoc ſæculo patens, ac velut Magiſter habetur Machiavellus, ab eo hic Viro, ita longè attonſus, deſtrictus, pexus & plexus eſt, ſicut ejus merebatur verſipellis improbitas; tantò nocentior, quantò plus cladis intulit Europæ, cum plurium animarum interitu ſempiterno. Quæ cauſa eſt, cur idem Autor, hoc ad finem operis ſui, judicium appoſuerit. *Rectâ ratione, verâ Religione, ſacris literis, & ſummis tum divinæ, tum naturalis veritatis Magiſtris conſentientibus: Machiavellum ſcriptorem impium, naturalis & divinæ veritatis adverſarium, virtutis, veræquè politices everſorem eſſe, jure quàm optimo pronunciamus. Et in eo inter ſcriptores prohibitos referendo, ſummorum Pontificum, & ſanctæ Eccleſiæ, ſaluberrimam cenſuram ac judicium veneramur, & amplectimur; conſpirantibus nobiſcum omnibus, quibus Religio, veritas, & Reipublicæ ſalus cordi eſt.*

Auctore P. Henrico VVangnereck Soc. Ieſu Theologo.

Lib. 3. Vindiciarum politicarũ c. 8. § 2.

XXI.

Et ſanè, quantùm Machiavellus univerſim nocuerit, inde manifeſtum eſt; quòd lymphato ſimilis pro flammâ ſparſerit nocitura dogmata, atque eruptura ſenſim in publicas animarum, provinciarumque clades: ut rectiſſimè illud Sancti Hieronymi dictum de Arrio huc applicare poſſim: *una ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem ejus flamma populata eſt; & ingemiſcens orbis terrarum Arrianum ſe eſſe miratus*

S. Hieron. in epiſt. ad Galat. c. 5.

Orbis nunc

ratus eſt. Ità planè ab improba Machiavelli doctrina, tam brevi exarſit vniverſa pene Europa, vt nunc ſtupeat multis ſe locis, ex Chriſtiana in Machiavellianam tranſijſſe; metamorphoſi tam admirandâ, quàm lamentabili. non tam miratus ſe Arrianum, quam Machiavellianum.

XXII. Vbi adverto, Machiavellum Ethnicis quoque ſcriptoribus deteriorem eſſe; nam & illos falſam ſuperſtitionem tenuiſſe manifeſtum eſt, nec tamen vix vllis ſpeciatim erroribus, Chriſtianæ legi & fidei adverſati ſunt. Cùm interim homuncio ille, ſub ſchemate Chriſtiani, tam generatim quàm particulatim, vt vidimus, Religionis noſtræ fundamenta, impiâ temeritate concuſſerit; quamvis alicubi, aut naturæ bonitate, aut veritatis evidentiâ convictus, meliùs de ea ſentire videatur. Nemini tamen magis nocuit, terrarum portentum Machiavellus, quàm ſibi; quando Poſſevino teſte, *blaſphemans evomuit damnatam animam.* Et quid mirum eſt, malâ morte hinc ſublatum eſſe eum, qui piè vivere erubuit, voluitque impietatis ſuæ quamplurimos eſſe imitatores. Experientiâ diſcimus, non ſemel Hæreſiarchas, ſeu Doctores errorum in Eccleſia novorum, peſſimis fatis caſtigatos, iviſſe ad ſtygem.

Machiavellus creditur mortuus infeliciter, ex cõjectura veterum Hæreſiarcharum.

Supra num. 4. in fine.

XXIII. Ebion, improvisâ balnei ruinâ oppreſſus, eundem locum mortis habuit & ſepulchri. Arrius, cùm in Eccleſiam intrare vellet, ſubito alvi motu, ad latrinas publicas compulſus accedere, ſimul cum excrementis, inteſtina omnia, animamque infelicem effudit. Neſtorius, poſtquam ejus totum corpus putredine conſumptum, linguaque à vermibus exeſa fuit, ex hujus vitæ doloribus, ad æterna migravit ſupplicia. Atque vt ad noſtra veniamus ſæcula; Ioannes Oecolampadius, Apoſtata monachus & maritus, circa annum ferè milleſimum, quingenteſimum, vigeſimum octavum, ſuffocatus à Sathana, mortem ſuis meritis dignam accepit. Et ne teſtis deeſſet infeliciſſimi obitûs, Lutherus olim ſcribebat ſibi exploratiſſimum eſſe, Oecolampadium igneis diaboli telis confoſſum fuiſſe. Carolſtadium quoq; ajunt, anno milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo, ſtrangulatum à Calviniano numine, ad ollas Vulcanias, ſedeſque orcinas perrexiſſe.

Epiphan. Ruffin. lib. 10. hiſtor. c. 13. Evagrius lib. 1. c. 7. Niceph. lib. 14. c. 6. Ita Luther. aſſerit in lib. de Miſſa privata.

Eraſmus Albertus.

XXIV. Et quid dicam de Zvvinglio, Calvino, Luthero, infortunatis recentium ſectarum parentibus? perierunt omnes miſerè; docetque mors eorum, quid ſinguli apud inferos patiantur; nimirum ignem, Vermem, deſperationem. Et Zvvinglius quidem, cùm anno milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo primo, in Helvetia contra Catholicos pugnaturus, in

Imò & recentium.

Zvvinglij.

prima

Martyrologium Sacramentariorum.

prima ſtaret acie, inter plurimos Sacramentarios trucidatus, dein concrematus eſt; relicto victoribus cinere in argumentum perfidiæ, ſtygijs ignibus luendæ. Calvinum Beza memorat (teſtis omni exceptione major) totos quatuor annos, novem graviſſimis morbis, miſerabiliter excruciatum fuiſſe; denique vermibus, ſeu pediculis vndique ſcatentibus, factus præda, turpiſſimè ſimul, infeliciſſimèque obijt; tracturus ſecum ad inferos Vermem Conſcientię, carnificem omnibus illis copijs truculentiorem. Signū eſt, quòd jam moriturus blaſphemam linguam in cœlos armaverit; neque enim ſolùm execratus eſt dies omnes, quos vnquam ſtudijs & lucubrationibus impendit; ſed verò etiam in Numen copioſè maledicta exſpuit. Ad extremum, ne Sanctorum cultor mori velle videretur, ijs diſſimulatis, dœmones invocavit; ſimulq; deteſtabilem animam Orcipotenti commiſit, anno poſt Chriſtum natum milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo ſeptimo. De Luthero Bozius iſta refert. *Audivi haud ita pridem, compertum teſtimonio ſui familiaris, qui tum puer illi ſerviebat, & ſuperioribus annis ad noſtros ſe recepit; Lutherum ſibimet ipſi, laqueo in lecto necem miſerrimam intuliſſe; ſed datum protinus cunctis domeſticis, rei conſcijs, juſiurandum, ne factum divulgarent, ob honorem Evangelij.* Hem tibi, quem ſemel induit Lutherus, deſperationis laqueum, nunquam exuet ampliùs totâ æternitate.

Calvini.

Bolſecus in Vita Calvini, cap. 22.

Lutheri.

Thomas Bozius de ſignis Eccleſia. lib. 23. ſigno 96. c. 3.

XXV. Ex his omnibus conficio iſtiuſmodi rationem. Si fatis tam infelicibus punivit Deus Hæreſiarchas, quòd avitæ Religionis puritatem contaminaverint, integritatem corruperint, recepta à majoribus dogmata antiquauerint, poteſtatem Eccleſiæ imminuerint, falſa pro veris ſuppoſuerint; quātò credibilius eſt, juſto Dei judicio Machiavellum, malâ morte perijſſe? Nam tametſi Sectarij, ſeu errorum primi inventores, ſint quædam tartari ſpuma; ſemper tamen Religionem quandam, & fidem profitentur, ipſiſque erroribus ſuis ſemper aliqua admiſcent, quæ cum veritate conſentiunt. At verò Machiavellus, vi doctrinæ ſuæ, nullam Religionem agnovit, quia inter veram falſamque, diſcrimen omne ac delectum ſuſtulit; eam duntaxat probaturus, quam politico ſtatui profuturam judicaverit; improbaturus iterum, cùm viderit obfuturam; ex illo capite, quòd oporteat in Republica vtilitatem juſtitiæ præponere, vitia ac flagitia Regni causâ probare; denique non imperium Religioni, ſed Religionem imperio accomodare. Accedit quòd homo vaferrimus, etſi quibuſdam in locis pro Deo pugnare videatur, in alijs tamen & fatum admittit, & Numinis providentiâ, nutuque,

De Machiavello, vel atheo, vel religionis veræ everſore, quid ſperare poſſimus?

Prin-

Principatus adminiſtrari negat. Quod aliud nihil eſt, quàm Atheiſmum orbi inferre, & DEVM terrâ, cœloque excludere; audaciâ intolerabili, atque ante Machiavellum in Chriſtianis partibus non auditâ. Itaque ſunt, qui liberè aſſeverant; hunc Virum, ſolo nomine Chriſtianum, animo hæreticum, & minimo minùs Ethnicum, certè atheum fuiſſe; quandoquidem prima virtutis, probitatiſque principia, præcipua etiam Religionis noſtræ capita, ſuſtulit è medio; arbitrij libertatem, animæ immortalitatem, denique Numinis providentiam; quâ ſublatâ, neſcio vbi ipſa divina ac ſempiterna Majeſtas, ampliùs ſubſiſtere poſſit. Et mirum ſit, ſi juſtiſſimus DEVS, ab hoc monſtro hominis, quaſi in exilium relegatus, vindicias exercuerit? & inter blaſphemias morientem, terrâ excuſſerit? cœlo proſcripſerit? orco adſtrinxerit? ſanè timendum eſt, Machiavellum ferro ſuo interijſſe: hoc eſt, ijſdem peſſimæ politices imbutum principijs, quibus infinitos alios perdidit. Sed gradum faciamus à parente ad filios, à Magiſtro ad diſcipulos, inſpecturi & profectum, quem faciunt mali Politici ſub Doctore Machiavello, & prœmium laboris, quod accipiunt; aliquando mortem, ſæpe exitium vltimum.

PARAGRAPHVS IX.

Principia Pſeudopolitica. De Hypocriſi, Dominatu, Eccleſiaſticorum invaſione bonorum, Licentia vitæ, Affluentia voluptatum; Quàm pernicioſa ſint alijs, quàm ſub MORTEM periculoſa ſuis aſſertoribus, ipſis Pſeudopoliticis, Machiavelli diſcipulis.

I: HVmanæ ſit infelicitatis culpâ, vt raro ſocietas abſq; omni ſit labe, & planè depurata. Etiam inter ſeptem primos Eccleſiæ Diaconos, ſub tempora Apoſtolorum, Nicolaus quidam fuit, à quo Nicolaitæ & nomen ſuum, & hæreſin acceperunt; cò turpiorem, quòd docerent licentiam fornicandi, & promiſcuè fœminis vtendi. Quamquam autem ſpurciſſimum hoc ſectæ monſtrum, viſum eſt poſtea mortalibus dignum eſſe, vt tenebris ſepeliretur ac humo; revixit tamen iterum, recrudnitque Ludovico Pio imperante, filio Caroli Magni. cui malo, quia Ludovicus non tam ſtrenuè, quàm par erat reſtitit, triginta ipſis annis, acerbiſſimas poſt mortem pœnas dedit, ad flammas piaculares damnatus. Denique Nicolaitæ, cum ſui erroris turpitudine, penitus extincti ſunt.

Epiphan. lib. 1. hæreſi 25. Iren. Tertul. alij apud Baron. ad annum Christi. 68.

Nicolaitarum hæreſis, à Nicolao Diacono orta. *Baron. ad annum Christi 874.*

Sed

Sed heu! magnum ingens malum! auſim jurare hoc noſtræ ætatis ſæculo, novos prodijſſe Nicolaitas, non ampliùs ſobolem Nicolai Diaconi, ſed Nicolai Machiavelli, peſſimi parentis fœcundam ſimul, & infortunatam progeniem. Nam plurimis jam regnis ac provincijs, longè diffuſa, ſeque ipſam quotidie cum fœnore copioſo, latiùs proſeminans, dum principijs, erroribuſq; magiſtri ſui adhæret, quid aliud facit, quàm vnà ſecum infinitos trahere in ruinam? Profectò enim, quia Machiavelli doctrina, è diametro pugnat cum ſcriptura, ſanctis Patribus, Eccleſiaq; Chriſtiana ac Catholica, non poteſt niſi ad ſcelera, flagitia, tartara ducere ſequaces; nempe ad Vulcani oſſam atq; incudem, vbi inter ſtygiorum malleos fabrorum, cuſa fuit in perniciem generis humani. Sed lubet inſpicere dogmata nonnulla, quibus mali Politici, velut fundamentis nituntur, ſub diſciplina Machiavelliana, in ſui, aliorumq; interitum. II. Nicolai Machiavelli, cum Nicolao Diacono hæreſiarcha, quæ affinitas?

Et quidem, aut princeps, aut proximum primario, dogma videntur ponere Hypocriſin, ſeu ſimulationem, nempe non tantùm Principi, ſed cuivis privato, ad conſervandum, augendum, promovendum ſtatum ſuum, fortunas, opes, commoda; licere alium ſe fingere, & vendere exteriùs, quàm coram Deo, in cute & corde eſt; poſſe ad omnem fortunæ ventum, vela vertere; & ſive virtuti, ſive vitio ancillari; poſſe aliud dicere, aliud agere; poſſe oviculam pelle mentiri, dentibus lupum eſſe; poſſe cum crocodilo & deflere hominem, & devorare; poſſe foris eſſe Helenam, intus Hecubam; poſſe voce Jacobum ſimulare, manibus Eſau exprimere; poſſe cum Ioabo oſculum dare, ſimulq; à tergo vulnus mortiferum infligere; poſſe cum pomo Sodomis nato, ſplendidas promiſſiones facere, & nihil præter fumum, & vanum pulverem dare; poſſe religionem aliam profiteri, aliam, aut nullam tenere, denique poſſe ſub titulo alicujus honeſtatis palliare impietatem. III. Pſeudopolitici vtilitatis prætextu, licentiam permittunt ad hypocriſin, ſimulationem, fictionem. 1. Reg. 3.

Sed quàm iſta non tantùm decretis Chriſtianæ fidei repugnent, ſed etiam rationi, & placitis veræ philoſophiæ, quis non videt? Sanè ſi credimus Ciceroni; *ficta omnia, celeriter tanquam floſculi decidunt, nec ſimulatum quidquam, poteſt eſſe diuturnum.* Si Platonem audimus; *extrema eſt perverſitas, cùm prorſus juſtitiâ vaces, ad id tamen niti, vt vir bonus eſſe videaris.* Si Hieronymo auſcultamus; *neſcio* (inquit) *quomodo turpiora ſunt vitia, cùm virtutum ſpecie celantur.* Si ad S. Chryſoſtomum advertimus, ſic eum alloquitur, qui opinionem potiùs ſectatur, quàm veritatem, famam potiùs veretur, quàm conſcientiam: *Hypocrita, vt quid* IV. Contra Gentilium & SS. Patrum doctrinam. *Cicero lib. 2. officior. Plato lib. 2. de Rep. S. Hieronym. Epiſt. ad Celant.*

S. Chryſoſt. ſuper Matt. c. 7. *vt quid vis apparere, quod non vis eſſe? ſi malum eſt malum eſſe, vt quid vis eſſe, quod non vis apparere? ſi bonum eſt bonum apparere, meliùs eſt bonum eſſe; ſi malum eſt malum apparere, pejùs eſt malum eſſe. ergo aut apparere ſtude quod es, aut eſto quod appares.*

V.

Adamus Conz. lib. 1. Polit. c. 13. §. 3.

Simulatores, ficti, hypocritæ, Deo ſunt exoſi.

Accedit, DEO magnoperè invisum eſſe ſimulationis crimen, teſte non tantum ſacrâ paſſim ſcripturâ, ſed etiam Alfonſo Rege. Hic enim cùm ex Africa victor, in Ænariam inſulam veniſſet, audiſſetque Antonium Picenum, egregium ſimulandi artificem, à vermiculis corroſum, miſerabili modo vitam finiviſſe; ideò dixit, tam exoſos eſſe Numini hypocritas, *quòd mortales faſcinarent, fallerentq́, & hujus perfidiæ ac ſceleris,* DEUM *facerent mediatorem, & prætextu tantæ majeſtatis facinora ſuſciperent; quocirca non modò æternis poſt mortem pœnis addici, ſed plerumq́ in conſpectu hominum, arte deceptorum, puniri ac cruciari.* Itaque ex Chriſtianæ Religionis doctrina, non tam oportet ſectari vmbram ſolam honeſtatis, aut larvam duntaxat pietatis, aut mortuum virtutis ſimulacrum, quàm ipſam iſtorum omnium veritatem. Et quamquam liceat aliquando dolum dolo, velut clavum clavo pellere, diſſimulando prudenter, quod non teneris continuò revelare: ita tamen plerumque ſua verbis debet eſſe ſinceritas, vt communiter fingere non poſſis, aut dicere, quod contra mentem eſt, ipſamque rei veritatem; niſi velimus omnem inter homines fidem, fidelitatem, confidentiamque tollere. quam quidem jacturam (modo ipſis commoda ſit) cum riſu amplectuntur mali Politici. ſed progrediamur ad aliud eorundem dogma.

Imò & hominibus, quia tollũt omnem ſinceritatem, fidelitatem, cõfidentiam.

VI.

Ribaden. lib. 2. de Principe Chriſtiano. c. 19.

Pſeudopolitici modeſtiam dominandi; mutant in libidinẽ.

Exemplo Achabi Regis.

Et conſiſtit in falſa Dominatûs perſuaſione, quaſi Principes, Reges, alijque rerum potientes, pro arbitrio ſuo, de ſubditorum fortunis diſponere poſſint, eas accidere, imminuere, mutilare, transferre, deniq; in ſuam vtilitatem applicare. Quæ malorum Politicorum doctrina, loco Principum, Regum, Cæſarum, Tyrannos invehit; hoc ipſo damnanda atro calculo, quòd modeſtiam dominandi mutet in libidinem. Et profectò, ſi conceſſum eſt velut ex prærogativa poteſtatis, impunè graſſari in ſubjectorum bona; neq; Naboth jure negare potuit vineam ſuam, quam Achabus Rex aut emptione, aut cõmutatione ſibi vendicare voluit, vtpote horto ſuo opportunè vicinam: neq; hic tenebatur cõtinuò acquieſcere negationi, ſed vi poterat ſuum facere, prætextu Juris regij. Et tamen commendat ſacer hiſtoricus Nabuthi conſtantiam, nolentis hæreditatem

ditatem patrum ſuorum abalienare; ſugillat verò Achabi intemperantiſſimam cupiditatem, qui vt occuparet vineam poſtulatam, non horruit, ſibi per infame homicidij ſcelus aditum parare. Quod ipſum ſignum eſt manifeſtum, Principibus & Regibus nequaquam competere, abſolutum dominium in ſubſtantiam, bona, fortunas ſubditorum, quemadmodum peſſimè docent mali Politici. 3. Reg. 21.

VII. Et Imperatorum, Caligulæ ac Neronis.

Ex quorum adulatione, etiam ſuggeruntur quotidie rationes, imponendi popularibus nova onera, extorquendi nova vectigalia, cumulandi novas veteribus exactiones, & quidem citra vrgentem communis neceſſitatis caſum; ſæpiſſime ad ſupervacaneas largitiones, ad inanem prodigalitatis ſplendorem, ad fovenda publicæ turpitudinis probra. Ita Caligula Imperator, paucis imperij ſui annis, ſexcenties, ſeptuagies, centena millia aureorum inſumpſit, in res planè ludicras, & tantis expenſis indignas. Ita Nero quatuor annis, quibus imperavit, quingenties, quinquagies, centena millia nummorum, lenonibus, ſcortatoribus, miniſtris impuriſſimæ libidinis, carnificinæ ac crudelitatis adjutoribus, largitus eſt. *Sueton. in Calig. c. 37.* *Dion. Caſſ. lib. 58.*

VIII. *Ribad. lib. 2. de Principe Chriſtiano. c. 10.* Nec non cujuſdam Regis Chriſtiani.

Et author eſt Ribadeneira, anno octogeſimo quarto, ſupra ſeſquimilleſimum ab ortu Chriſti, vixiſſe Regem (cujus nomini honorem habet, quia tacet) ſuis paraſitis atque aſſentatoribus adeò calidè addictum, vt ijs vnius anni ſpatio, quingenties, quinquagies, centena milla aureorum, non tam dederit, quàm profuderit. Id autem genus tam prodigæ liberalitatis, ne ipſum deficere poſſet, ſacra profanaque æqualiter traxit in tributum; etiam à recens natis infantibus; & (quod fidem prope ſuperat) à nuper quoque mortuis, vectigal exegit: dignus qui ob ejuſmodi inſolentias, maximum totius regni odium incurrit: frementibus præſertim plebeis, quando ad locupletandos moriones adulatoreſque, ipſi cum paupertina familia expilati ſunt, neſcio majore damno, an injuria.

IX. Dominis licitum eſt ſubditos tondere, non deglubere.

Severa eſt illa Dei correptio, dicta quidem olim ad magna inter Hebræos capita; ſed applicanda etiam hodie Regibus, Principibus, & quotquot grave dominium in ſubditos exercent; neque ampliùs eos tondent, ſed eneruant, exſugunt, deglubunt; potiùs concupiſcentiæ libidine, & habendi deſiderio perſuaſi, quàm boni publici exigentiâ. Hos omnes ferit ex æquo illa Numinis increpatio: *Audite Principes Jacob, & Duces domûs Iſraël: nunquid non veſtrum eſt ſcire judicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum? qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriaverunt,* *Mich. 3. à v. 1. uſq. ad 5.*

Digitized by Google

verunt, & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in lebete; & quaſi carnem in medio ollæ. Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos; & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo, ſicut nequiter egerunt in adinventionibus ſuis.

X.

Itaque grave hoc damnum eſt, & reputandum inter prima mala; non poſſe cùm velis, benevolum habere oculum Numinis, non aures ad exorandum faciles; divinæ januam clementiæ, miſeris omnibus patulam, tibi occludi; quòd ingemiſcentes pauperculos ſub ferro avaritiæ tuæ, abſque commiſeratione, perrexeris indigniſſimis modis tractare. Et Deo inviſum eſt, & hominibus exoſum, quando domini à ſubditis ſuis malunt potiùs timeri vt Tyranni, quàm amari vt patres. Senſit verumque Roboam, inter Judæos Rex, cùm eum populus ſuus, vt aliquid remitteret de tributorum onere (quod à Salomone parente ſupra vires videbatur impoſitum) ſic rogavit. *Pater tuus duriſſimum jugum impoſuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui duriſſimo, & de jugo graviſſimo, quod impoſuit nobis, & ſerviemus tibi.* Sed quia hæc immitiùs reſpondit ſupplicibus Roboam: *Pater meus aggravavit jugum veſtrum, ego autem addam jugo veſtro; pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus*; abalienavit à ſe decem tribus, regno ſuo vehementer imminuto. Vnde apparet, nihil admodum proficere Pſeudopoliticorum conſilia, quibus humana cupiditas, vt prona eſt in fortunas aliorum, ita acuitur in damna pauperum & ſubditorum; emerſura denique ipſis dominis in funeſtos exitus.

Præſtat à ſubjectis Principes, Reges, Cæſares, amari vt patres, quàm timeri vt tyrannos.

3. *Reg.* 12. 4.

Ibid. *v.* 14.

XI.

Quod quidem multò veriùs, ampliùſque contingit, quando ſub titulo Dominatûs, ſeu quocunque politico merè pallio, Eccleſiarum bona cedunt in prædam. Nam hîc quoq; Machiavelli diſcipuli, liberales ſunt in alienis partiendis, ſolaq; vtilitas gaudendi Eccleſiaſticorum opibus, neceſſitatem ipſis ſuadet rapiendi; ſed certiſſimo iterum rapientium malo. Nolo ex profanis auctoribus in hanc rem teſtatiſſima eorum exempla proferre, qui ob direpta, Deorum etiam gentilium templa, ſeveriſſimas dederunt pœnas. Nihil quoq; dicam, de Heliodoro regio miniſtro, quem inter flagellorum ictus ſemianimem reliquerunt Angeli, propter facinus duntaxat meditatum, nondum patratum; quia ſcilicet templum Jeroſolymæ, dives theſauro ſacro, conſtituit ſpoliare; ſcio recentiora placere.

Pſeudopolitici faciles ſunt ad direptiones Eccleſiarum, & eccleſiaſticorum bonorum.

2. *Machab.* 3.

XII.

Et hem! tibi Julianum ſiſto, Juliani illius perfidi Apoſtatæ, & Imperatoris Avunculum, ejuſdemque in turpiſſima defectione ſocium. Hic cùm, ex Antiocheno templo, mancipata divino

Tripart. hiſt. lib. 6. *c.* 32.

divino cultui vaſa, ſacrilegus abſtuliſſet; junxiſſet etiam cum imperatorijs cimelijs, non coitura bene ſacra in profanam ſocietatem: ſævo repente morbo correptus eſt. tandem quoque putrefactis ex vlcere viſceribus, & ebulliente in vermiculos carne, ſtercore inſuper, ac ventris ſordibus per os egredientibus, miſerrimè fœdiſſiméque interijt. Adjungo Juliano, Leonem IV. Conſtantinopoli imperantem, quem aureus ſplendor, & alieni ambitio diadematis perdidit. Nam ejuſdem vrbis princeps templum, Sophiæ, ſive ſapientiæ divinæ, & Chriſto erectum; jam olim donum acceperat, Cæſaris ſui liberalitate dignum; coronam ajo ex auro, cujus pretium excandefecit pretioſiſſimus in paucis carbunculus. Et vſſit hæc gemma vſque adeò oculos, animumque Leonis, vt niſi in fronte ſua ſtaret, deſiderij æſtum extingui nequaquam poſſe crederet. Sed miſerabilis homo ibi pœnas ſolvit, vbi peccavit; vix enim coronam Deo ac templo donatam, capiti ſuo ſacrilegus raptor impoſuit, ſtatimque illud peſtilens tumor (quem carbunculum medici vocant) occupavit, fuitq; exitialis, Leone intra breve ſpatium expedito. & quidem velut lege talionis; nam quia cum ſumma Numinis injuria, ſui juris facere voluit coronam alienam, ſuam cum vita amiſit.

Sed raptoribus inſtat à tergo vltor Deus.

Zonar. tom. 3. Bapt. Egn. in Vita Leonis.

XIII.

Trithem in Chron. Ducum Bavar.

Etiam in vita altera.

Paulus Æmil. lib. 1. Surius in Vita S. Eucherij ad 20 Feb.

Sed triſtius illud longè eſt, cujus meminit Trithemius. nempe divinitus nonnullos accepiſſe, Dagobertum Galliæ Regem, quòd Eccleſias paſſim expilâſſet, de impia hac uſurpatione, ante Numinis tribunal poſtulatum fuiſſe. Et Carolum Martellum, Pipini Patrem, Caroli Magni Imperatoris avum, ſupplicijs æternis ob idem ſcelus deſtinatum. Eucherius certè, Aurelianenſium Divus Antiſtes, dum inter preces, inferorum ergaſtula contemplatus eſt, vidit hunc ipſum Carolum, non jam purpurâ, ſed ignibus ardere; didicitq; ex eo tempore, corpuſculum ejus ſtygem ſentire, quòd ſpolijs pauperum ditâſſet milites, manuſque ſacris injeciſſet. Atque Eucherio, ſi fidem non dedit Gallia, tumulo ſanè debuit dare; qui apertus, præter flammarum veſtigia, vacuæq; tumbæ cuſtodem draconem, nihil aliud oſtendit.

XIV.

Pſeudopolitici in aliorum exitio, velut ſpeculo, inſaniam doctrinæ ſuæ contemplari poſſunt.

Adeſte hîc mali Politici, qui duce Machiavello, jactatis omnia licita eſſe media ad incrementum honoris, opum, ſtatûs; honeſta ſint, inhoneſta; neque ſacrilegium fieri, quando ea rapiuntur, quæ religio pietâſque, aut Numini aſſcripſit, aut locis ſacris, hominibuſque; modò vtilitatem ſecum ferant. Aſpicite Julianos, Leones, Dagobertos, Martellos; nihil illos juvit privati ratio emolumenti, nihil

aut

aut Cæſarei, aut Regij Majeſtas diadematis, ſecutos veſtram diſciplinam: quia facultates Eccleſiæ invaſerunt, acerbiſſimè plexi ſunt, vt judicium facere poſſimus, qualem illi ſunt habituri exitum, quos veſtra conſilia animant ad ſacrilegas rapinas; præſertim cùm ſciamus, temeritatem avaritiamque bona Eccleſiaſtica ſpoliandi, ſemper à Pontificibus, graviſſimis verbis, cenſuriſque prohibitam fuiſſe. Hos inter Pius Papa, verè pius & glorioſus Chriſti Martyr, qui Romanæ cathedram Eccleſiæ, poſt Hyginum conſcendit, ita olim ſcripſit. *Prædia divinis vſibus tradita, quidem humanis applicant vſibus, & Domino Deo, cui tradita ſunt, ea ſubtrahunt, vt ſuis vſibus inſerviant. Quapropter ab omnibus, illius vſurpationis contumelia depellenda eſt, ne prædia vſibus ſecretorum cœleſtiũ dicata, à quibuſdam irruentibus vexentur. Quod ſi quiſpiam præſumpſerit, ſacrilegus habeatur, & ſicut ſacrilegus judicetur.*

Cenſura & fulmen Pij Pontificis, contra invaſores Eccleſiæ, & rerum ſacrarum.

Pius Pontifex in Epiſt. ad Italos.

XV.

Profectò ipſe etiam Alexius Comnenus, Conſtantinopolitanus Imperator, præter ſeveras leges in illos conſcriptas, qui in ſuos vſus vertunt, Deo, ejuſque templis dicata; hæc ingentem zelum ſpirantia appoſuit vota, in aurea, quam vocant bulla. *Quod ſi quis Domine Deus, impoſterum manus injecerit ſacris, & divinis clinodijs, vtenſilibus & vaſis, quæ ſacris olim & venerandis Eccleſijs tuis dicata, vel impoſterum dicanda fuerint; nec ſol illi matutinus illuceſcat, nec tuo hic auxilio, nec tuâ iſtic divinâ protectione gaudeat; ſed vbiq; deſpectus à te, deſertuſq; jaceat.* Similibus execrationum interminationibus, complures Chriſtiani Reges Principeſque, qui pietatis olim, religioniſque in Deum ſtudio permoti, fundos, prædia, aliaque perampla dona templis, eorumque miniſtris contulerunt, cautum eſſe voluerunt humanæ cupiditati, ne quis aut ſignatas donationum tabulas violaret, aut jura Eccleſiarum infringere auderet: Dei ſeveritate in ejus vindictam imploratâ, quem inſana habendi aviditas, ſacrilegum feciſſet transgreſſorem.

Ribad. lib. 1. de Princ. Chriſt. c. 38.

Item Alexij Comneni, Imperatoris Conſtantinopolitani.

XVI.

Et huc credo reſpexit Alaricus, Gothorum Rex, quando Româ captâ, graviſſimis pœnis ſanxit, ne milites Eccleſias ſpoliarent, nec quidquam eorum, quæ in templis erant, contingerent: dicens, ſe cum hominibus, non cum Deo immortali, Diviſque cœleſtibus bellum gerere. Diſcurſantibus verò per vrbem Barbaris, fortè Gothorum vnus, homo Chriſtianus, Virginem Deo conſecratam, jamque ætate provectam reperit: cùmque ab ea aurum expoſceret argentumque (vt ſemper hujus metalli magna ſitis eſt innata militibus) illa ſpopondit, protulitque non pauca eccleſiaſticæ ſupelle-

Oroſius lib. 7. c. 39.

Etiam Alaricus Gothorum

ctilis

ctilis vaſa; quorum ſplendore vbi attonitum vidit Barbarum, ſic allocuta eſt: *hæc Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt. præſume ſi audes; de facto tu videris, ego quia defendere non valeo, neq; tenere audeo.* Hac Virginis dictione, velut fulmine afflatus hoſtis Gothus, ne contra reverentiam Numinis, ac principis inter Apoſtolos peccaret, animum continuit, manuſque. ad Alaricum tamen miſit, ejus ſuper hac re imperium expectaturus, quid fieri vellet. Sed ille quoque temperans, juſſit vaſa omnia ad baſilicam S. Petri reportari. Ipſa ſibi tum Roma applauſit, quando auream ſacramque ſupellectilem, longo ordine, piâque pompâ, inter ſtrictos defendentium barbarorum gladios, vidit templo inferri. Hoc verò ſicut pulcherrimum fuit ſpectaculum, ita nullum aliud ferè luctuoſius eſſe poteſt, quàm cum eccleſias, & ſacrata Deo domicilia, cernimus expilari. Nemo inter has rapinas, niſi impius, caret ſenſu doloris. Quiſquis verò hîc vim facit, perſuaſus à Pſeudopoliticis, ſua augere patrimonia, alienis, ſacriſque cenſibus; & ſacrilegij committit ſcelus, & ſe ipſum inextricabili ſtringit nodo, trahendum ad Numinis tribunal, & plectendum altervtro orbe, aut vtroque.

Rex, diras Numinis metuens, noluit ſacros theſauros, cũ capta Roma venire in ſpolium.

XVII.

Hîc aliud ſubnectam Pſeudopoliticorum dogma, fundatum in licentioſa, voluptuoſaq; vita; quàm cujvis volunt conceſſam, etiam cum diſpendio æquitatis, conſcientiæ & religionis, hominum animis ferè à natura inſitæ. Et quidem hæc, ſimiliaque plena malæ libertatis principia, tum maximè ſol erubuit, quando in libellis gallicis, typo vulgata primùm aſpexit. Duo certè ad Machiavellianæ politices rubricam ducti, & ſeducti politici, præſumpſerunt indigna ſcribere, tum Religione noſtrâ, tum Chriſtiano animo; & quaſi ad præſentis vitæ commoda, corporis delicias, fortunæ bona, mortales eſſemus nati; ac non potiùs culpâ Majorum, condemnati ad hujus mundi exilium miſerabile, infelix humanæ captivitatis ergaſtulum, carcerem veriſſimis refertum miſerijs, commendare auſi ſunt epicuream beatitudinem. Ita enim iſtorum alter affirmat. *Virorum fortium hic ſcopus, hoc ſtudium, hac cura PRIMARIA eſſe debet, vitam lætam & affluentem ducere; quæſtiones autem de religione, togatis hominibus & Monachis relinquere.* Quæ doctrina & Chriſto eſt adverſaria, jubenti: *quærite primùm regnum DEI*, & ſpiritum olet gentilitiæ ſuperſtitionis; nam D. Auguſtino, locupletiſſimo teſte, ſic olim ſentiebant paſſim Ethnici.

Pſeudopoliticorum dogma, licere voluptuoſè vivere, etiã cum vulnere conſcientiæ.

Belloij & Antigniſari.

Matth. 6. 33.

XVIII.

Tantùm ſtet, tantùm floreat copijs referta, victorijs glorioſa; vel quod eſt felicius, pace ſecura ſit Reſpublica. Et quid ad nos? imò id ad nos magis

S. Auguſt. lib. 2. de civit. Dei. c. 20.

pertinet, ſi divitias quiſq; ſemper augeat, quæ quotidianis effuſionibus ſuppetant: per quos ſibi etiam infirmiores ſubdat quiſq; potentior. obſequantur divitibus pauperiores, causâ ſaturitatis; atq; vt eorum patrocinijs quietâ inertiâ perfruantur; divites pauperibus ad clientelas, & ad miniſterium ſui faſtûs abutantur. Populi plaudant non conſultoribus vtilitatum ſuarum, ſed largitoribus voluptatum. Non jubeantur dura, non prohibeantur impura. Reges non curent quàm bonis, ſed quàm ſubditis regnent. Provinciæ Regibus, non tanquam rectoribus morum, ſed tanquam rerum dominatoribus, & deliciarum ſuarum proviſoribus ſerviant. Nullus ducatur ad judices, niſi qui alienæ rei, domui, ſaluti, vel cuiquam invito fuerit importunus, aut noxius. Ceterum de ſuis, vel cum ſuis, vel cum quibuſq; volentibus, faciat quoq; quod libet. Abundent publica ſcorta, vel propter omnes, quibus frui placuerit; vel propter eos maximè, qui privata habere non poſſunt. Extruantur ampliſſimæ atq; ornatiſſimæ domus, opiparæ convivia frequententur; vbi cuiq; libuerit & potuerit, diu noctuq; ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Saltationes vndiq; concrepent, theatra inhoneſtæ lætitiæ vocibus, atq; omni genere, ſive crudeliſſimæ, ſive turpiſſimæ voluptatis exæſtuent. & ille ſit publicus inimicus, cui hæc felicitas diſplicet. Quiſquis eam mutare, vel auferre tentaverit, eum libera multitudo evertat è ſedibus, auferat à viventibus. Illi habeantur Dij veri, qui hanc adipiſcendam populis procuraverunt, adeptamq; ſervârunt. Colantur vt voluerint, ludos expoſcant, quales voluerint, quos cum ſuis, vel de ſuis poſſint habere cultoribus; tantùm efficiant, vt tali felicitate nihil ab hoſte, nihil à peſte, nihil ab vlla clade timeatur.

Deſumptum ex principijs Gentilium, & fontibus Ethnicorum.

XIX. Hic ſenſus veterum Ethnicorum fuit; nunc ævo noſtro Pſeudopoliticorum eſt; eadem omnia (pauculis exceptis) dicentium, probantium, facientium; laborantium etiam regnis, provincijs, vrbibus, aulis, Sardanapalum inferre Regem; ita quondam voluptatibus deditum, vt ſepulchro ſuo inſcribi voluerit, ea ſola habere ſe mortuum, quæ libido ejus, etiam cùm viveret, hauriendo conſumpſerat. Neque dubium eſt, ſi malè politi Politici, hodie ſimilem in ſimilibus haberent ſibi Regem indulgentem, nec cuiquam vllâ ſeveritate adverſantem; ei libentiùs, quàm Romani olim Romulo, templum & Flaminem conſecrarent. Qua in re imitantur reprobum Eſau, primogenita ſua pro viliſſimo lentis edulio, ſtolidiſſimè vendentem. Imò eum longè ſuperant voluntariâ inſaniendi libidine; quando hujus ſæculi felicitatem, poſt primum amplexum brevi expiraturam, cum alterius vitæ beatiſſimæ

Difficilis converſionis cauſa eſt.

Gen. 25.

tiſſimæ

tiſſima æternitate commutant. Neque putes abituros impunè hos tales Pſeudopoliticos; nam ſi verum eſt illud adagium: *malum conſilium conſultori peſſimum*; quia alijs malè ſuadent, quod ipſi peſſimè faciunt; nempe etiam cum aliorum damno, contra æquitatis leges, promovere facultates, poſſeſſiones, fundos, delicias, & omnem laſcivioris, lætioriſque vitæ apparatum; neceſſarium eſt vt luant: & vereor, ne æternùm. Conjecturam accipio ex illo Sapientis oraculo, *perverſi difficilè corriguntur.*

Quia perverſi difficulter emendātur.

Eccleſ. 1. 15.

XX.

Documento eſt Pharao Ægyptius, cujus vt ſaxeam mentem expugnaret DEVS, atque ad voluntatis ſuæ pium obſequium, ſtudiumq; obediendi inflecteret, quibus non modis vſus eſt? Moyſen, virorum mitiſſimum, legatum initiò ſuum miſit, vt perſuaderet Regi, divina capeſſere imperia, populumq; Iſraëlitarum dimittere extra ſuas provincias, Numini vero ſacrificium in monte Sinai, oblaturum. Poſtquam legatio nihil promovit, jam hoſtem Pharaonis ſe DEVS profeſſus eſt. Et quod ſolet obſeſſis in bello fieri, ſi non omnē fortunam Ægyptijs abſtulit, ſaltem puteos eorum ſanguine infecit; vt ſitim nemo aut poſſet extinguere, aut vellet: aquâ in cruorem verſâ, ad faſtidium horrentis naturæ. Quin etiam (quod nemo alius dux militiæ hactenus fecit, defectu potentiæ) ſolem quoq; Pharaoni abſtulit DEVS, eumq; triduanis ita involuit tenebris, vt eâ tam longâ ecclipſi prope fractus, deditionem cogitaret. Sed quia iterum ad duræ frontis ingenium redijt, admoti ſunt exercitus, jamq; loco diverſarum gentiū, variorum animalium ſtabant acies; cyniphum, muſcarum, locuſtarum, ranarum: ridendæ prorſus copiæ, niſi eas cœleſtis vindicta armaſſet in faſtûs humani ruinam. Itaque his tam imbellibus beſtiolis adeo premebantur Ægyptij, vt inducias peterent, fœdera cogitarent, ſuſpirarent pacem. Enimverò, quoniam Rex Pharao toties à DEO vltore victus, ſe ipſum tamen vincere non potuit, vt tandem miſsionem daret populo Iſraël; è cœleſtibus copijs, inſuper deſcendit bellator Angelus, qui Ægyptiorum omnia ſimul primogenita occidit, nocte vnâ, & vno quaſi vulnere; ſed tantò acerbiore, quia cum animantibus, etiam chariſsimas ſuis parentibus proles, ſuſtulit. Neque ſic tamen Pharao manus dedit; etiam cùm interiùs divinis admonitionibus mens ipſius vrgeretur, vt ipſe homuncio miſer DEO cederet, ejuſdem juſſa faceret, Hebræiſque facultatem daret eundi ad imperatum ſacrificium. Sed irritatus hinc magis Rex, indigna hæc repoſuit hortanti: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem ejus, & dimittam Iſraël?*

Patet exemplo Pharaonis Regis.

Ex. 5. 2.

Iſraël? neſcio Dominum, &, Iſraël non dimittam. Profectò quod Sapiens dixit: *perverſi difficilè corriguntur*; plurimi eorum nec corriguntur quidem; exemplo Pharaonis, qui priùs non deſtitit Deo impiè adverſari, quàm hauſtus à mari, vniverſam hoſtilis conatûs facultatem amiſit.

XXI. Ex quibus omnibus deduco, perverſorum & malorum Politicorum, difficillimam, fortaſsis & rariſſimam eſſe emendationem. Quod ſemel intellectus dogma imbibit, pertinaciter ſervat; præſertim cùm ſuaviter afficit, & lucroſum eſt. Metuendum igitur, ne cui vivo & ſano ſemper placuit Machiavellianæ ſcholæ hypocriſis, ſimulatio, violentia, rapina, dolus, etiam morientis occupet affectum. Docetque experientia, cùm ſemel obſtinavit hominis judicium, ferè difficiliùs corrigi voluntatem. Cavete Pſeudopolitici, malarum artium, conſiliorumque Magiſtri; niſi enim vos ſeria in morte ſubeat earum pœnitudo ſtropharum, quibus diu probitati illuſiſtis, & ſimplicitati humanæ; perditi eſtis, & futuri materia riſûs; cachinnaturo ſuper vobis, ſerò lacrymantibus, omni cacodæmonum numero; & gratulaturo, quòd apud Machiavelli diſcipulos, fraus ipſa ſibi fraudi fuerit, *atq. ipſa iniquitas mentita ſit ſibi.*

Et Pſeudopoliticorum experientiâ.

Pſ.26.12.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS X.

RATIO STATÛS CONSERVANDI, Præcipuum dogma Politicorum, ex Machiavello hauſtum: Quantis Eccleſiam malis, quantis periculis involvat morientes Pſeudopoliticos?

EXplicuimus quædam hactenus malorum principia Politicorum, quæ ex impuris Machiavelli fontibus hauſta, alijſque bibenda proponunt cum veneno. Supereſt ea nunc in medium adducere, quibus ipſi pro conſervatione STATûS (vt vocant) in manifeſtam Dei injuriam, & ſponſæ Eccleſiæ luculentam cladem vtuntur. Itaq; hæ nunc paſſim inter Pſeudopoliticos impiæ voces ambulant. I.

Impiorum Politicorum impia dogmata, palliata vtilitate ſtatûs.

Iuſtitiam colendam, cæteraſque omnes virtutes, ſi ſtare poſſint cum bono regni; ſin autem, negligendas; neminem fallendum aut circumveniendum, niſi majus Regni emolumentum, aliud ſuaſerit. omne malum, Reipublicæ incolumitati poſtponendum. nihil exiſtimari debere iniquum, cui aliqua politici ſtatûs vtilitas adjuncta. neminem habendum innocentem, cujus fortunæ, dignitas, vita, Regi aut Reipublicæ poſſint obeſſe. Factum à Judæis, qui Chriſtum damnârunt, vt ipſis, & Palæſtinæ benè eſſet. Hinc illi politici Phariſæorum logi: *ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum;* (Ioan. 11. 48.) nimirum cum imminutione tam venerationis noſtræ, quàm & Synagogæ. Hinc etiam illud Caiphæ fluxit in concilio verbum: *expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo.* (Ioan. 11. 50.) Perindè ſi dicat: quid ſtatis dubij ſuper Chriſti innocentiâ? quid vitæ illius, tam inculpatæ integritas vos habet attonitos? quid ſingularis, divinaq; eruditio Viri? quid tantorum vos prodigiorum movet magnitudo? *expedit vobis vt moriatur, expedit.* & ſatis eſt hoc, vt poſtquam occiſus fuerit, facinus veſtrum orbis probet terrarum.

II. Sed pergunt graviùs inſanire improbi Politici, & hæc æterno ſilentio damnanda axiomata, ſpargere in promiſcuum vulgus. Si imperia mutuò ſibi adverſentur, Eccleſiaſtica & Regia: his adhærendum eſſe, neglectis alteris; Reipublicæ ſtatum & conſervationem, priorem & antiquiorem habendam, quàm Religionis cauſam. ſtatum civilem & politicum, Eccleſiæ ſtatum antecellere. Regum decreta placitaque, primum authoritatis locum obtinere. Conſcientias letaliter vulnerari ab ijs, q in materia Religionis, neceſſitatem obediendi imponunt. Fidem Catholicam, in qua natus educatuſque es, propugnandam, ſi poſſis integris fortunis, regnoque & Rege ſalvo; ſin minus deſerendam; ſeque, regnum, & Regem, quacunque fide potiorem exiſtimandum. Principibus, ſummiſque capitibus ita obtemperandum, vt nihil præ illorum incolumitate ſanctum credatur: Religio nulla, templa nulla, ſacra nulla, fides nulla, Evangelium nullum &c. Sed ſi iſtæ Pſeudopoliticorum regulæ aliquid concludunt, licebit præter vinum, thura quoque, Arabicæ arboris lacrymas, alienis Dijs offerre. etiam placentas Deorum matri pinſere; etiam coronas Iunoni, Veneri, Minervæ, Apollini, Iovi, Saturno imponere; etiam Iſraëlem & Machometum induere, Chriſtum exuere. Demum & Deo renunciare, & tranſire ad idola; ſi nimirum priùs id fecerit Rex, ratus hoc politico ſtatui ſuo convenire. Vnde neceſſe erit condemnare ſtulti erroris, glorioſos Eccleſiæ antiquæ Martyres, qui vt Deo fidē ſervarent, vitam reliquerunt ſub cultris, haſtis, gladijs, rotis, cruce, flam̄a: nihil moti furijs tyrannorū, ſuadentium meras apoſtaſię perfidias.

Eorundem eodē prętextu, etiā ſacrilega & blaſphema principia.

III. Neque tamen delirare ceſſant impij Politici, poſtquam ijs ſemel eſſe cœpit ſacroſancta ratio ſtatûs. Iamq; illud etiam multi aſſerunt, nihil magnopere curandum, tametſi ad conſervāda rerum publicarum, regnorum, imperiorum temporanea bona, ipſi veræ Religioni Catholicæ, Matriq; adeò Eccleſiæ, aut vulnus fiat, aut clades inferatur. Quod eò ampliùs mirandum eſt, quando ipſi quoq; ejuſdem ſe genitricis ſobolem eſſe genuinam, aſſerūt potiùs quàm probant. Itaq; ſi alterutrum neceſſe eſt pati, aut ſtatum politicum, aut Dei ſponſam Eccleſiam; volunt hanc affligi, illum conſiſtere; modò rebus domeſticis accreſcat lucellum, mercimonia fœnerentur, extendantur imperandi limites, reſpublica floreat, fiat formidabilis viciniæ, neminem ipſa timeat potentiorem; Religionis, Eccleſiæ, ſalutis, aut poſtrema, aut ſecunda eſt cura.

Volunt potiùs Eccleſiam pati Catholicā, quàm ſtatum politicum.

IV. Atq; hinc naſcuntur illa fœdera, & heu! deflenda Chriſtiano Orbi,

Digitized by Google

Orbi, quæ ſuaſore Machiavello, conſultoribus Pſeudopoliticis, vt temporalis ſtatus in ſuo flore, vigore, opulentia, libertate, majeſtate conſervetur, nonnunquam cum capitaliſſimis fidei hoſtibus contrahuntur, non ſine luculenta Eccleſiæ injuria; quæ tum optimæ parenti impingitur, quando proles ſua, cum juratis matri hoſtibus, indignâ ſe amicitiâ: parum hoc; etiam ad excidium nociturâ, conjungit. Quòd Gothifredus Dux, & Marchio Tuſciæ, Cadaloum Pſeudopontificem olim hoſpitio accepiſſet, ſic eum reprehendit B. Petrus Damiani. *Dic mihi vir maxime; ſi quis honeſtis, & pudiciſſimis thalamis tuis inferre moliretur injuriam; quis neceſſarius tuus, quis domeſticus auderet illi familiaritate conjungi? quis illorum præſumeret in amicitiæ fœdere copulari? Si ergo homo cum adverſario domini ſui, concordiæ fœdus inire non audet; quo pacto ſublimitas tua, illi communicare non timuit, qui ſponſam Chriſti, ſanctam ſcilicet Eccleſiam, quaſi per obſcœni lenociny ſtuprum violare præſumpſit? Dei quippe hoſtis eſſe convincitur, qui ejus inimico in amicitia ſociatur.*

Hinc fœdera ſuadent cum juratis Eccleſiæ hoſtibus.

B. Petrus Damiani Epiſtolarum lib. 7. epiſt. 10.

V.

Hoc verò ſi certum eſt, *ſi Dei hoſtis eſſe convincitur, qui ejus inimico in amicitia ſociatur*: quomodo obſecro amici erunt magni Numinis, illi Machiavelli diſcipuli, Politici mali, qui conſilia commodis temporalibus aptantes, hoc vnum agunt, vt ſumma rerumpublicarum, regnorumque capita, cum adverſarijs rectæ fidei (conſequenter etiam Dei hoſtibus) eâdem involvantur ſocietate: neceſſariò erupturâ in deplorandas tandem Eccleſiæ calamitates, horrenda ſacrilegia, exitia clericorum, proſcriptiones Religioſorum, cœnobiorum ſolitudines, catholicarum academiarum vaſtitates, ſeductiones ſimplicium, deprædationes inſontium, cædes, funera? nam quantumvis fœderatæ aut hæreſi, aut ſectæ injungatur, nihil vt Religioni officiat, attenta ſoli politicæ cauſæ, jurique ſuo, aut ſociorum vindicando; imperare tamen ſibi non poteſt, portentum mundi; natum atque educatum à ſtyge, in cladem Matris Eccleſiæ Orthodoxæ.

Sed iniqua ipſi Eccleſiæ, vt patet ex damnis conſequentibus.

VI.

Conſiderare hîc proderit, quæ olim ſaluberrimè Fulco, Rhemenſis ArchiEpiſcopus ſcripſit, Carolo Simplici, Francorum Regi, cùm anno poſt Chriſtum natum 898. ſibi ab Odone metuens, de Northmannorum (tunc nondum Chriſtianorum) fœdere cogitationem ſuſcepit. Verba ejus plena animoſæ ſunt libertatis, planèque oſtendunt, quàm pernicioſa eſſe oporteat ſceptris ac coronis, illa pſeudopoliticorum conſilia, quibus trahuntur ad indignas Catholicâ religione amicitias, ibi damnũ facturas ingens, vbi grandia

Flodoardus lib. 4. c. 5.

Imò & paciſcentibus.

lucra

lucra ſperabantur. Epiſtola Fulconis ad Carolum Regem, malè à politicis conſultoribus perſuaſum, ſic habet.

VII. *Quis qui vobis (ſicut oportet) fidelis eſt, non expaveſcat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, & in cladem ac ruinam Chriſtiani nominis, pagana arma, & fœdera deteſtanda ſuſcipere? nam, ſi (vt Apoſtolus ait) bonos mores colloquia prava corrumpunt; quantò magis corrumpitur caſtitas animæ Chriſtianæ, inimicorum ex conſilijs & ſocietate? neq; enim poterit non imitari, quod aſſiduè viderit; quin potiùs aſſueſcet paulatim, & quaſi vinculo malæ conſuetudinis, trahetur ad facinus. Certè progenitores veſtri Reges, depoſito gentilitio errore, divino cultui ſe humiliter ſubdiderunt, & à Deo ſemper auxilium expetierunt; propter quod & feliciter regnârunt, & regni hæreditatem ad ſuos poſteros tranſmiſerunt. Vos è contra, nunc* DEVM *relinquitis (dicam certè, licet nolens, quia* DEVM *relinquitis, cùm vos ejus hoſtibus ſociatis) vnde & meritò prophetica illa vox ad vos dirigitur, quæ quondam ad Regem Iſraël, ſimilia facientem, directa eſt: Quia impio præbes auxilium, & his, qui oderunt* DEVM, *amicitiâ jungeris.*

1. ad Corinthios 15.33

Fœdera & ſocietas belli cum Gentilibus, Chriſtiano Principi inhoneſta ſunt.

2. Paralip. 19.2.

VIII. Et pauculis interjectis, ſic argumentum ſuum proſequitur, imperterritus inter metuendas purpuras Fulco. *Credite mihi, quia nunquam ſic agendo ad regnũ pervenietis, imò velociter diſperdet vos Deus, quem irritatis. Hactenus quidem de vobis meliora ſperabam, nunc vos video, cum omnibus conſentaneis veſtris perituros: ſi tamen vultis verè agere, & talibus conſilijs acquieſcere.* Nunc aures erigite Pſeudopolitici, qui ſub pallio ſtatûs conſervandi, ſuadetis fœdera Eccleſiæ injuria, Deo inviſa, quia cum Dei hoſtibus contrahenda; aures inquam date, ſed fulmini; jam enim vos petit ſacer Pontifex, & quantum conſilijs veſtris inferatis nocumenti, ijs ipſis, quos cupitis maxime adjutos, palam mundo facit. *Revera, qui tale dant vobis conſilium* (ait Fulco ad Regem) *non fideles, ſed per omnia infideles eſſe comprobantur: quos ſi audire volueritis, terrenum ſimul & cæleſte Regnum amittetis.* Brevis ſententia, ſed pondere plena; quam vbi ſuis momentis libraverint mali Politici, & materiam invenient erubeſcendi, & occaſionem errores ſuos emendandi.

Periculoſa quoque.

IX. Denique ne Carolus Rex, ſocietatem improbam cum Northmannis tum Ethnicis iniret, ſtabiliturus ſibi hoc adjumento regnum adversùs Odonem, jam tum viribus & robore formidabilem, quâ precibus, quâ minis, ſic eum vir ſanctus dehortatus eſt. *Deprecor itaque vos per Deum, vt tale dimittatis conſilium, neq; velitis vos in æternum præcipitare interitum, & mihi cæteriſq; qui ſecundùm Deum vobis fideles ſunt, æterni doloris adferre diſpendium. Melius enim fuerat vos*

Quin etiã multis capitibus noxia & funeſta.

non

non naſci, quàm diaboli patrocinio velle negare, & illos juvare, quos deberetis per omnia impugnare. ſciatis enim, quia ſi hoc feceritis, & talibus conſilijs acquieveritis, nunquam me fidelem habebitis; ſed & quos vtcumq; potuero, à veſtra fidelitate revocabo, & cum omnibus Coëpiſcopis meis, vos, & omnes veſtros excommunicans, æterno anathemate condemnabo. pro fidelitate, quam vobis ſervo, hæc gemebundus ſcribo; quoniam vos cupio ſecundùm Deum, & ſecundùm ſæculum ſemper eſſe honoratum; & non Sathanæ, ſed Chriſti adjutorio, ad debitum vobis conſcendere regni faſtigium. Regnum enim, quod Deus dat, firmum habet fundamentum.

Attexit verò etiam huic Epiſtolæ, ſuam cenſuram Cardinalis Baronius, & quem ſortita ſit fructum, exponit totidem verbis. Procul longè abeſt, vt eidem Regi ſuaſiſſent iſta Politici Novatores noſtri temporis, qui regnandi jure proſternunt omnia, fidem, juſtitiam, ipſamque etiam Religionem; ita peſſimè regnis & regibus conſulentes. Quàm enim præſtet, quamque proficuum ſit, in regnandi jure, Religionis imprimis præ cunctis rationem habere, eamque cæteris humanis, & quæ ſuadet prudentia carnis, rationibus præferre, cuſtodire, illibatamque conſervare, præter innumera annis ſuperioribus recenſita, docet præſens exemplum. Etenim cùm Carolus ſalutaribus monitis, ſanctiſſimi ſacerdotis juſta, digna, honeſta & vtilia ſuadentis, in omnibus acquieviſſet: protinus auxiliator adſtitit Deus ipſi, qui auxilia rejecit infidelium; ſuſtulit ſiquidem adverſarium quàm citiſſimè, quem nec copiæ Northmannorum vnquam, vel multo tempore debellâſſent. Etenim teſte etiam Reginone, anno eodem ſalutis octingenteſimo, nonageſimo octavo, idem Odo, quem vocat Ottonem, diem clauſit extremum. Hæc Baronius; addit Carolum poſtea tenuiſſe regnum quietum, vſq; ad annum nongenteſimum, vigeſimum tertium: futurus vtiq; ſemper felix ſolij ſui poſſeſſor, ſi ſemper didiciſſet Fulconi obedire. ſed quia iterum periclitatus de corona, quos priùs optimè repudiaverat, tum peſſimè in fœdus auxiliumq;, Northmannos ſibi ethnicos adjunxit, adverſùs Robertum Comitem Regni inſidiatorem; ſubtrahente DEO manum ſuam, citò ſuccubuit. Deniq; ſocietatis factæ exitus fuit, coronæ, libertatis, vitæ jactura; & quod infelicitatem auget, mors carcere ſuo infamis. X.

Baron: anno Christi 898.

Senſus Cardinalis Baronij, ſuper hujus temporis Politicis.

Baron: anno Christi 923.

Ex quibus omnibus clariſſimum fit, quantopere olim, & ſancti viri horruerint amicitias Chriſtianorum cum Ethnicis initas, & XI.

quàm graviter DEVS caſtigaverit, cum iiſdem velut hoſtibus ſuis (veræ adverſarijs fidei) ſancitum fœdus, etiam pulcherrimâ ſpecie, juris defendendi palliatum; vt excuſari non queant, qui politiæ prætextu, & ſtatûs conſervandi, docent cum juratis Religioni catholicæ inimicis, in communem amicitiæ ſocietatem coiri poſſe. Nam præterquam quòd indignum eſt, aurũ miſcere luto, gemmam ſtercori, genuinos DEI filios ſpurijs; etiam ſcelus fit execrabile, ſi ejuſmodi mixtura cedat in notabile detrimentum ſponſæ Chriſti, Eccleſiæ orthodoxæ: quod Machiavelli diſcipuli, mali Politici, aut nolunt advertere, aut pro rei gravitate negligunt æſtimare. Nempe eorum conſilia errant, quia actionibus ſuis, non legitimum præfigunt ſcopum. Nemo etiam apud paratos colores ſimilitudinem reddet, niſi prototypon aut ante oculos, aut in mente habuerit. qui ſagittam vult ſine errore mittere, nunquam rectè moderabitur, ſi metam neſciverit. ignorantem etiam quod littus, quem portũ petat, nullus juvabit ventus. Itaq; quoniam Pſeudopolitici, civilis ſtatûs primam, ſecundam aut poſtremam Religionis, veræq; fidei rationem habent; etiamſi hæc patiatur, modò ille indemnitatem ſervet, & quotidiana faciat fortunarum incrementa, parum laborant. Sed perverſum illorum judicium, & plenum fatali peſtilentiâ ſenſum, egregiè refellit Ribadeneira, atque in hanc ſententiam.

Horum pleriquè errant à ſcopo, dum ſtatûs rationem præponunt Religioni.

XII.

Opinantur Politici eò maximè tendendum, Reipublicæ gubernatoribus, vt ſuæ dignitatis gradum, ſartum, tectum ab omni detrimento conſervent: & ſubditorum, ſibiq; parentium animos, civili ſocietate conjungant; vnde Religionis vſum eatenus ſolùm probant, quoad principatûs conſervatio, civiumq; pax & concordia poſtulat. At volumus nos, intelligat Chriſtianus princeps, quidquid poteſtatis habet, à ſupremo Numine profectum eſſe; nec alium in finem, quàm vt quibus imperat, humana in terris felicitas obtingat; ad quam aſſequendam, civilis ſpectat procuratio; iiſdem vitâ functis, ſempiterna beatitudo (quo terrena, caducaq; dirigitur) in cœlo obveniat. DEVM proinde ſibi imprimis ob oculos ponat, ejuſq; caſtiſſimam Religionem (Catholicam, ſolam in terris veram) quæ purè ſuſcepta atq; cuſtodita, mortales in omnem æternitatem beatos facit, regna ſtatuſq; civiles conſervat, ſubditos in obedientia retinet, pace atq; tranquillitate donatos; neglecta verò, tam ſolido fundamento deſtitutam Rempublicam, in ruinam impellit. Hæc ſi Machiavelli, Doctoris mali, non degeneres filij, Pſeudopolitici, vt dignum eſt, ponderarent, nimirum cum hoſtibus

Ribadeneira de Principe Chriſtiano lib. 1. cap. 2.

Suffragante etiam Ribadeneira.

bus

bus fidei, nunquam tam facilè paciſcendum eſſe affirmarent, præſertim in Eccleſiæ fraudem, cujus ſe partem profitentur, vtinam ſinceram, & non ad vanam ſpeciem, artificioſumque fucum, alia omnia mentientem.

Sed objiciet non nemo, olim quoque inter Hebræos (populum DEO amatum) & gentiles (ob ſuperſtitionem exoſam Numini gentem) fœdera ſancita fuiſſe, ſacramento etiam inviolabili roborata. Ita Ioſaphath Rex Iuda, à pietate celebris, cum Achabo Rege Iſrael, propter idololatriam famoſo, ſocietatem belli contraxit. Idem fecerunt poſtea Machabæi cum Romanis; neque alia ex cauſa, quam ſtatûs conſervandi, promovendi, augendi: ergo pariter, abſque omni nota, licebit paciſci fidelibus orthodoxis, cum religionis ſuæ adverſarijs, ob parem rationem. Hic nempe aheneus ille aries eſt, quo malè culti Politici, religioſiores conſcientias jurant nullo ſe negotio ſubruere, ac convincere poſſe. Sed quantùm fallant ac fallantur, faxo vt videant. XIII. Neq; officit contra ſuperiùs dicta, Ioſaphathi Regis fidelis, cum Achabo Rege idololatra, confœderatio militaris. 3. *Reg.* 16. 29 2. *paralip* 19. 2. 1. *Mach* 8.

Nam Ioſaphat Rex, quem in doctrinæ ſuæ patrocinium adduxerunt, nihil admodum laudis apud DEVM obtinuit, plurimum vituperij abſtulit, quòd mutuæ amicitiæ leges, & communia ſocietatis fœdera, acceptaverit ab Achab Rege, ſuperſtitioſo Idololatra, & à Iudeorum ſacris, ac religione alieniſſimo. Neq; Machabæi (quemadmodum viri doctiſſimi adverterunt) poſtquam Romanos, itidem gentilium erroribus implicatos, ſibi belli paciſque ſocios adjunxerunt, quidquam ferè ampliùs memorabile præſtiterunt; offenſis nimirum Superis, & veteres favores ſubtrahentibus, ad ſimiles prioribus conatus. Deniq; ex ſacra pagina certum eſt, DEVM non ſemel, graviſſimeq; populo Hebræo interdixiſſe matrimonia cum infidelibus, ſive ob periculum ſeductionis, ſive ob diſparitatem religionis. Accedit palmarium illud: quod tametſi Iudæi olim cum Ethnicis, quandam amicitiã ſtabiliuerunt, etiam tabulis publicis ſignatam; nequaquã tamen hęc fœdera in gentis ſuæ fraudem ceſſiſſe; nam aucti alienis viribus, ita conſpirârunt in eandem belli ſocietatem, vt ſuos nunquam peterent, ſemper à ſuis populos diverſos, & gentilitijs ſuperſtitionibus perverſos. Sed heu! longè alia ſunt hoc tempore conſilia Pſeudopoliticorum: qui, vt ſtatum temporalem catholici principes tueantur, affirmare audent, licitum eſſe, juratis fœderibus ſibi adjungere fidei catholicæ hoſtes; etiamſi inde per accidens (vt loquuntur) ipſi Matri Eccleſiæ, multiſque inſontibus, religionis ſuæ hominibus, clades inferatur; XIV. Tum quia à ſcriptura laudem nõ habet. Tum quia non ivit in viſcera ſua, & veros Religionis cultores. Sicut nunc ſiunt ſocietates bellorum cum Acatholicis, contra Catholicos, & verã Eccleſiam,

ratur; tantò gravior, quia ſæpè præter fortunæ bona, ipſa etiam anima petitur; cùm eidem aut ſubtrahitur fidei libertas, aut occaſio ſuggeritur, ab Orthodoxis maioribus turpiter deficiendi.

XV. Quaſi verò ullus poſſit ſtatus conſiſtere, ſupra innocentium ruinas, ſtrages animarum? Et obſecro, quis furor eſt, velle domum inimici tui ſuccendere, quamvis indubitatò ſcias, te eodem incendio matrem tuam extincturum. Subſumit hîc ex Philoſophiæ regulis B. Petrus Damianus. *At, Eccleſia multò magis nobiliùs atq; ſublimiùs, quàm mater eſt carnis, mater eſt Regis: Illa ſiquidem peperit, vt per ejus traducem revertatur in pulverem: iſta genuit, vt Chriſti ſine fine regnantis, efficiat hæredem.* Et tamen hoc facinus ſuadent mali Politici, quando ajunt, amicitias inire poſſe Catholicos, cum fidei ſuæ hoſtibus; etiam ſecuturâ imminutione veræ Religionis, jacturâ animarum, damno Eccleſiæ; modò contra potentiam vicini, hic modus ſit civilem ſtatum ſervandi in flore ſuo innoxium.

B. Petrus Dam. opuſc. 4. diſcept. ſynod.

Ferè ſolâ formidine, potentiæ alienæ ac vicinæ.

XVI. Nam iſta nunc cauſa datur, quando in mutuas cædes, ejuſdem genitricis Eccefiæ, catholica ſoboles incitata ruit; *vicinarum metus virium, & propinquæ formido potentiæ.* Hoc nempe pulchrum eſt illud mantelum, quo pallantur à Machiavelli diſcipulis odia gentium, & innata quædam nocendi libido, invidia alienæ proſperitatis, ambitio proprij dominatûs; quando.

Perpetuo odij ſeminario.

Lucanus lib. 1.

Nec quenquam jam ferre poteſt Cæſarùe priorem,
Pompeiuſq; parem. Nihil eſt miſeriùs, nec ſtultiùs, quàm ſemper timere. calamitoſus neceſſariò eſt animus, cui ſuſpicionem movent, non tam aliorum è vicinia fortunati progreſſus, quàm imaginatio nociture potentiæ: intemperantia fingit tunc ſuam decreſcere amplitudinem, cùm alijs vires accreſcunt, & opes, & gloria; tantò graviora mala, quantò propinquiora; quibus denique evitandis, putant impij Politici, rationem ſtatûs ac reipublicæ conſervandæ exigere, vt etiam cum detrimento fidei, religionis, Eccleſiæ Orthodoxæ, obviam eatur.

XVII. Ego autem, quod olim Seneca tradidit, de modo tractandi corporis, applico ad rationem ſtatûs. Romani Sapientis, talis eſt philoſophia. *Fateor nobis inſitam eſſe corporis noſtri charitatem. Fateor nos hujus gerere tutelam; non nego indulgendum illi, ſerviendum nego. multis enim ſerviet, qui corpori ſervit,*

Seneca Epiſtolar. lib. 2. epiſt. 14.

vit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, ſed tanquam non poſſimus ſine corpore. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, ſolicitudinibus onerat, contumelijs obijcit. Honeſtum ei vile eſt, cui corpus nimis charum eſt. Agatur ejus diligentiſſima cura; ita tamen, vt cùm exiget ratio, cùm dignitas, cùm fides, mittendum in ignem ſit. Nihilominus quantùm poſſumus, evitemus incommoda quoq; non tantùm pericula; & in tutum nos reducamus, excogitantes ſubinde, quibus poſſint timenda depelli: quorum tria, ni fallor, genera ſunt. timetur inopia, timentur morbi, timentur quæ per vim potentioris eveniunt. Ex his omnibus nihil magis nos concutit, quàm quòd ex aliena potentia impendet.

Quæ moderatio corpori ſervando adhibetur:

XVIII. Accipio digniſſimam ære doctrinam, & ajo: etiam Reipublicæ ſuæ, ſtatûſq; civilis, omnibus pariter inſitum eſſe affectum; neq; capiti tantùm, ſed membris quoque ejuſdem gerendam tutelam; non tamen illi ſerviendum eſſe indignâ ſervitute. qui immoderatè ei ſervit, multis ſerviturus eſt cum probro. qui rempublicam ac ſtatum nimis perditè amat, facilè honeſtatem habet venalem. qui pro illis nimium timet, qui illuc omnia tanquam ad vltimum ſcopum refert, citò à recto exerrat. non nego vtriuſq; conſervandi curam eſſe habendam: *ita tamen, vt cùm exiget ratio, cùm dignitas, cùm fides, mittenda ſint in ignem.* Certè, quoties Eccleſiæ catholicæ bonum, quoties cauſa Religionis veræ, animarumque ſalus periclitatur, propter fœdera cum hoſtibus fidei ſancita, toties & conciliata malè ſocietas rumpenda eſt, & potiùs ratio habenda Numinis, quàm nominis; potiùs cavendum indemnitati animarum, religionis, Eccleſiæ, quàm temporalibus Reipublicæ nocumentis; quorum tamen eventus, ferè ſemper tantùm eſt in ſuſpicione, perperam metuentis animi.

Eadem teneri debet in affectu erga ſtatum Reipublicæ.

XIX. Et quoniam omnis propemodum cardo vertitur in formidine vicinæ potentiæ; ô vtinam hîc laborarent Politici ingenioſè, vt ſummorum Capitum animos inter ſe conjungerent magis, quàm dividerent; ita neutrobi timendæ eſſent vires alienæ, quia neutrobi forent odia, materia timoris; vtrobique ſurgeret concordia, fælix tranquillæ confidentiæ ſeges. Væ illis omnibus, qui inter ſceptra ac diademata fovent æternas inimicitias, qui coronatos vertices inter ſe collidunt, vſque ad gemitum multorum inſontium, illa doloris pleniſſima verba exclamantium; *filij matris meæ* (Eccleſiæ) *pugnaverunt contra me.* Sed parum eſt pſeudopoliticis, armare in prælia fratres, niſi quoque conſilijs ſuis ipſam parentem, ſponſam

Malè illis, qui propter rationem ſtatûs, collidunt Principes ac Reges, cum vulnere matris Eccleſiæ, filiorumq; ejus.

Cant. 1. 5.

Chriſti, indignis vulneribus concîdant. Ea demum eſt hominum iſtorum rabioſiſſima crudelitas, vt nullum illis ſit pulchrius ſpectaculum, quàm videre cum prole genitricem, cognato innatantem ſanguini. Et tamen haberi volunt pij, amantes pacis, juris patroni, alienæ ſalutis defenſores. Porrò, quanto interim ſuam exponant ſalutem diſcrimini, hinc conjecturam poſſunt facere, quia probè non didicerunt vivere, aſſueti peſſimis è Machiavelli ſchola principijs, quæ ſimulatam duntaxat virtutem docent, non ſinceram.

Conijciunt ſe in periculum ſalutis.

XX. Et quomodo iſti promittere ſibi poſſunt, felicem mortis clauſulam, quando tota eorum vita, aut pars major, fuit continuum larvatæ pietatis mendacium? Novi equidem illud Divi Auguſtini: *neſcimus, quis quid futurus ſit, quoniam aut Judæus, aut hæreticus, aut paganus fortè per miſericordiam convertetur ad Deum, & inter ſanctos primum locum habere merebitur.* Solatium hæc ſententia, velut frigidam aſpergere poteſt improbo, ne ſub mole ſcelerum, præceps ruat in foveam deſperationis; ſed certitudinem pœnitentiæ, ejuſque appendicis futuræ gloriæ, dare non poteſt. Oppono etiam ego malis Politicis, æternæ Veritatis verbum: *nunquid colligunt de ſpinis vvas, aut de tribulis ficus? ſic omnis arbor bona, fructus bonos facit, mala autem arbor, malos fructus facit; non poteſt arbor bona malos fructus facere, neq; arbor mala, bonos fructus facere.* Maximum verò portentum foret, ſi arbor mala moritura, jam exſcindenda, quos nunquam tulit (cùm viveret) optimos fructus daret. Ita prodigio ſimile eſt, quem vita ſua ſemper flagitioſum vidit, vt mors inveniat ſanctum. Apertè dico: rara avis in terris eſt, Pſeudopoliticus verè pœnitens de damnis, quæ propter rationem ſtatûs intulit Religioni, Eccleſiæ, membris ejus. Plerumque Machiavelliana dogmata, quem ſemel malè imbuerunt hominem, comitantur ex hoc mundo abeuntem; vt vix eorum ſubeat pœnitudo, quæ ad amuſſim Machiavelli Doctoris ſui, feciſſe ſe arbitratur. Sicut igitur communiter docent mali Politici, illud Siracidis: *noli facere mala, & non te apprehendent, diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te.* item illud Amos: *quærite bonum & non malum, vt vivatis; odite malum, & diligite bonum;* extra Regiam cauſam eſſe, neque in Republica, aut politica locum habere. Ita timeo, cùm invitati fuerint quondam boni Chriſtiani à Servatore, illud ſuggerente Evangelium: *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum;* prædictorum aſſertores dogmatum, extra numerum beatorum futuros, neque habituros locum in cœlo.

S. Auguſt. ſerm. 59. de temp.

Math. 7. v. 17. & 18.

Rara avis in terris, Pſeudopoliticus verè in morte pœnitens de damnis, ratione ſtatûs illatis.

Eccleſi. 7. 1.

Amos 5. v. 14. & 15.

Math. 25. 34.

Vide-

Digitized by Google

XXI. *Quia iiſdē morientes inhærent principijs improbis, quibus aſſueverunt valentes.*

Videbitur hæc nimis cruda quibuſdam aſſertio, atque vt capita impiorum ſervent Politicorum, mitiùs ſentiendum volent, ex capite pœnitentiæ; quæ ſub vltimum vivendi articulum, quemvis ex ſtatu peccati, poteſt transferre ad ſtatum divinæ amicitiæ. Ita nimirum; ſi poſtrema illa pœnitentis animi reſipiſcentia, ſuis ſit numeris, ac conditionibus requiſitis abſoluta; quas inter primum velut locum obtinet, propoſitum efficax, ſeriumq; damnandi veteres culpas, & quidquid vſquam contra Dei leges peccatum fuit. Quæ res, quantam difficultatem creatura ſit Pſeudopoliticis, egregiè docet Cornelius à Lapide, vir lucubrationibus ſuis clariſſimus, cùm inter impedimenta ſalutis, & propoſiti ad pœnitentiam neceſſarij, revocat principia iſta politica: *ante omnia conſulendum eſſe ſtatui, prolibus, familiæ. vt ſtatum retineas, vel augeas, omni modo enitendum, nec curandas leges Eccleſiæ, vel Dei, ſi obſiſtant; vitam & fortunas, tuendas eſſe præ omnibus, etiam cum diſpendio legis Dei. Hæc autem dictamina* (quibus multi à prima infantia imbuuntur, ait Cornelius) *data occaſione, ſæpius actu cogitant, deſtinant, confirmant, ac nunquam deponunt, ne in confeſſione quidem; adeò vt ſi à confeſſario de iis præcisè rogentur, reſpondeant ſe in iis perſtituros; quia vbi agitur de lucro & commodo, non curant conſcientiam, nec Deum, nec infernum. porrò hæc propoſita habitualiter ſemper in iis manentia, ex diametro repugnant propoſito, ſerio cavendi omnia peccata. Deiq; legibus obediendi.* Denique non ſatis eſt Chriſtianum eſſe, dicique. nam ſi interim improbus fueris Politicus, jam Chriſtianum corrupiſti, ſimul & te perdidiſti.

Cornel. à Lapide in epiſtola S. Iacobi c. 11. ad v. 13.

PARA-

PARAGRAPHVS XI.

Atheiſmus ex Machiavelli doctrina fatalis ſurculus: Quantum in MORTE ſalutis faceſſat periculum, tum alijs, tum præſertim Pſeudopoliticis.

I. EXploratiſſimum habeo, quod olim Cicero ſcripſit: *nullam tam barbaram gentem fuiſſe, quàm Deorum religio non imbuerit.* Certè, qui nullum penitus Deum agnoverunt, & pauci fuerunt, & ſemper inter monſtra habiti. quin etiam ob iſtud impietatis genus, non rarò graviſſimè plexi publicis legibus, pœniſq́; contra Atheos latis. Et Lucianum quidem Sophiſtam, ipſi canes vlti ſunt; nam quia hic homo, Chriſtianorum infenſiſſimus hoſtis, quotidie Numini impiè illuſit, illudque vt vanum, novis continuò ſarcaſmis maledicentiſſimè irriſit, à canibus diſcerptus eſt; vt diſceret ideò ſibi inter beſtiarum dentes pereundum fuiſſe, quòd ſuos ipſe contra Deum ſtrinxiſſet; audaciâ nunquam excuſabili, ſemper deflendâ temeritate. Recentius iſtud eſt, quod aliquando me legere commemini. Doctis, pijſque viris in diverſorio quodam cœnantibus, evenit vt profanus Numinis contemptor, non tantùm riſu exciperet, quos de cœleſti vita ſermones faciebant, ſed ſubinde etiam ludibrium hoc evomeret: *cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Illic verò repente diris correptus torminibus, cœpit altiſſimè vociferari, ô Deus! atque vt erat patulo gutture, boatu ſuo replebat totum cœnaculum. Nactus opportunitatem, qui aderat, homo probus, tunc ait, Deum invocas? an Philoſophię tuæ oblitus es? Cur non in ſuo cœlo ſinis Deum quieſcere? aut ſi hîc quoque Numen ſentis, fatere vbique eſſe, & nuſquam impunè illudi DEO poſſe.

Cicero lib. 2. Tuſcul. quæſt.

Valer. Max. lib. 1. Ioſephus lib. 2. contra Apionem. Pollux lib. 10. c. 24.

Athei, à Deo puniti.

Pſ. 113. 16.

Cæterùm

Cæterùm à Patribus communi quaſi appellatione vocantur Athei, tam qui nullum DEVM admittunt, quàm qui plures; aut etiam illi, à quibus, tametſi non negetur DEVS, negantur tamen in ipſo aliqua ejus attributa; potentia, ſapientia, providentia, & ſimilia alia. Quò ſpectat illud Davidis; *dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt DEVS.* ſive inſipiens iſte negaverit omnimodam alicujus Numinis exiſtentiam, ſive tantùm ejuſdem regimen ac providentiam. nam illud, *non eſt DEVS*, ex hebræo textu ſic nonnulli reddunt; *En Elochim, non eſt Elochim.* hoc eſt; non eſt DEVS judex & vindex bonorũ, malorumq;. neq; tantâ valet providentiâ, vt ſciat mundum vtrumque aptè regere, impios pœnis, probos ex æquo afficere prœmijs. II. Quinam ſint verè Athei? *Pſal. 13. 1.*

Et hic ipſe flagitioſorum ſenſus mortalium, de Numinis majeſtate, occaſio eſt præcipitantiæ, caſûſq; in omnia ſcelera; quemadmodum longâ ſerie David, loco quem modo allegavi, poſt illa, *dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt DEVS*: ſic enumerat; *corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum. Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens DEVM. omnes declinaverunt, ſimul invtiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum. quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt; veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognoverunt; non eſt timor DEI ante oculos eorum.* III. Atheiſmus januam aperit ad omnia flagitia. *Pſ. 13. v. 1. & ſeq.*

Et ſanè, ſi evoluere annales noſtri volumus ſæculi, inveniemus improbiſſimos quoſque, & hæreſi juratos fratres, Atheiſmum coluiſſe. Ita Lutherus de Andrea Carolſtadio ſcribit, ſui erroris diſcipulo; eò ipſum abijſſe, ſive dementiæ, ſive malitiæ, vt credere noluerit DEVM aliquem, aut cœlo, aut terræ dominari. Bernardinus Ochinus, docet quidem DEVM eſſe primum motorem, non tamen adorandum, nec ab eo quidquam præſidij expectandum. Beza negavit DEVM omnia poſſe. vt meritò Cardinalis Hoſius Atheiſmum ſemel appellet perfidiæ hæreticæ perfectionem; aliàs centrum; & iterum, ſcalæ ſummitatem. Deniq; Molinæus Calvinum facit Atheorum Principem, qui metus omnes, IV. *Lutherus lib. contra cæleſtes prophetas. Bernardinus Ochinus penult. Dialogo. Cornelius à Lap. in 2. petri 2. v. 1. in fine. Genebrard. in Chronol. Virgil. l. 2. Georg.*

& inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumq; Acherontis avari:

quique ejuſmodi de DEO pronunciat, vt eum hoc ipſo è mundo eliminet; cùm enim Numini, ejuſque pietati, bonitati, ſanctitati,

Calvinus Atheus, quia Deum elidit, hoc ipſo, quòd eum facit injuſtum.

quàm maximè adverſatur impietas, injuſtitia, peccatum, Calvinus autem DEVM faciat impium, injuſtum, omnis ſceleris authorem, naturali conſequentiæ evidentiâ, eundem DEVM elidit, quem in ſpeciem adſtruxit.

V.

Calvin. lib. 1. inſtit. c. 18. §. 1. & lib. 3. cap. 23. §. 1. 4. 5. 6. 7. 8.

vi doctrinę ſuæ de peccatis, eorumq; auctore Deo.

Atq; vt videamus habere verum, quod dixi, nullum dogma vel luculentiùs, vel diligentiùs tradit Calvinus, quàm Deum omnium peccatorum eſſe authorem, & quidem primarium, ac magis principalem. 1. quia ex Calvini doctrina, Deus ipſe ex ſe, pro ſuo beneplacito decrevit, vt homo peccata omnia, quæ facit, faceret, ita vt ex vi hujus decreti, ſuis tēporibus omnia proveniant. 2. quia non externo tantū præcepto, aut conſilio Deus inducit hominem ad peccandum (quod tamen ſatis eſt, vt quis propriè ſit auctor ſceleris) ſed in Calvini ſchola, etiam Deus eūdem interiùs excitat, impellit, flectit, & dirigit in opus; ita vt initium, medium, & finis mali operis, ſit ab ipſo Deo. 3. quia ſecundùm Calvini placitum, Deus in omni opere, adeoq; etiam peccato, habet ſe vt agens principale: ſathan verò & impius, tantùm vt miniſtri & inſtrumenta. 4. quia Calvinus docet, à Deo non ita impelli hominem ad peccandum, vt relinquat ei facultatem reſiſtendi, quemadmodum facit dœmon; ſed cogi ab illo & neceſſitari. Quod ſi ita eſt, ſine injuſtitia, crudelitate, tyrannide, non poteſt Deus æternis pœnis caſtigare culpas mortalium, quia non habent in poteſtate ſua, vt evitare queant. conſequenter, cùm Deus igne ſtygio plectet Iudæ proditionem, tyrannus, crudelis, injuſtus erit: ſi autem injuſtus, etiam nullus erit, & Calvinus Atheus, vtpote cujus dogma Deum elidit.

VI.

Defendunt aliqui Calvinum, per cōtrariam ejus alibi doctrinam.

Sed nimirum, Magiſtri ſui patrocinium ſuſcipiunt Miniſtelli Calvinicolæ; atque vt vindicent authoritatem Calvini, cùm codicem proferre non poſſint, libellum ejus contra Libertinos ſcriptum, in medium adducunt: in quo acerrimè negat, Deum eſſe omnium ſcelerum auctorem, aitque; ſatiùs eſſe affirmare, nullum eſſe Deum, quàm talem. Verùm hi Miniſtelli, ſuum ipſi jugulum petunt, quando Calvinum, infami jam olim inuſtum ſtigmate, defenſum eunt: clariſſimè enim ſignificant inconſtantiam parentis ſui, natam ex ſpiritu vertiginis, quo Deus ſinit Hæreſiarchas huc illuc, velut ebrios agitari; & quod nuper tanquam firmiſſimum ex verbo divino aſſerebant, paulò poſt tanquam blaſphemum errorem damnare. Talis Vertumnus fuit Lutherus, Melanchton, & quotquot Confeſſionem Auguſtanam cudebant; mali fabri; quia inconſtantes, varij, & ſuorum dogmatum hoſtes. vix ferrum eorum

Sed nihil aliud evincūt, quàm, quòd Vertumnus fuerit.

ſub

Digitized by Google

ſub incude vnam recepit formam, vix unam charta doctrinam, juſſaque ſunt veterem cum nova, & peregrina mutare. Quid mirum, ſi hos anteſignanos ſecutus eſt Calvinus, eorumq; exemplo didicit eſſe ſibi contrarius?

VII. Quanquam & alia ratio eſſe poteſt, cur idem neget Deum eſſe ſcelerum omnium authorem; ſcilicet ſtudium fallendi. nam ut argumentatur Leſſius: *ſi apertè dixiſſet, DEVM eſſe authorem omnium ſcelerum, nimis id durum viſum fuiſſet, nec facilè homines in ſuam traxiſſet ſententiam. Itaq; viſum fuit id, ſub iſtis terminis fortiter negare; idem tamen alibi ſpecie commendationis divinæ providentiæ, & efficacis operationis, luculentè & efficaciſſimè tradere.* Hoc denique artificium eſt hæreſeos, venenum falſitatis contegere; & quod maximè docet, minimè docere videri velle, juxta illud receptum apud ſapientem; *fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Atque hinc colligere poſſunt, quotquot Calvini ſequuntur caſtra, quàm præclarum ducem habeant ad Atheiſmum, quàm certum ad inferos anteambulonem.

Et fallendi artifex.
Leſſius in appendice Conſultationis de Relig. c. 3. ad finem.
Prov. 1. 17.

VIII. Sed nunc ab Hæreſiarchis ad Pſeudopoliticos, Machiavelli diſcipulos, me recipio; quorum eò nocentior eſt perverſitas, quòd clam, & velut per cuniculos, ad Atheiſmum ſuam trahunt clientelam. Nam dum enervant Dei providentiam, neceſſariò Numen ipſum orbi ſubripiunt, utpote, cujus nullum poteſt certum ac ſtabile regimen ſubſiſtere, ſine æternæ providentiæ regula. Rectè ad hoc propoſitum Ribadeneira: *Politicorum* (inquit) *artes fraudesq;, ejuſmodi principibus gubernandi præcepta tradunt, vt de medio divinam providentiam tollere videantur, & fortunâ, caſu, calliditate, malitiaq; humana mundum regi opinentur. Vnde etiam fit, vt malitioſi principes, qui præpoſteram hanc, & perverſam doctrinam ſequuntur, cùm DEVM non vt patrem agnoſcunt, neq; vt boni filij in eo ſpem reponunt, media alia exquirant, & quævis quæ cum juſtitia pugnant, moliantur, vt ſtatum dignitatemq; ſuam tueantur.*

Pſeudopolitici ad Atheiſmũ ducunt.
Ribaden. l. 1. de principe Chriſtiano. c. 10.
Quia providentiam DEI è mũdo eliminant.

IX. Planè oppoſitum faciunt, quotquot ſupra vulgus emi-nent, Deumque cum providentia ſua venerabundi agnoſcunt; ſic enim citatus modo auctor ait: *Chriſtianus & pius Princeps, qui de ſumma Numinis majeſtate ſentit, vt par eſt, novitq; quo DEVS obſequio, & obſervantiâ ſit colendus, neque ignorat, quàm providè imperia gubernet, regnaq; & principatus conſervet; adhibet quidem, quantum in ſe eſt, quæ jus faſq; permittunt; ita tamen, vt divinâ*

Quam tamen principes boni agnoſcere debent, & obſervare.

providentiâ nitatur, ejuſdem promiſſis fidem habeat, & in tutela cuſtodiaq; planè conquieſcat. Certum enim illi, indubitatumq; eſt, regna & ſtatus omnes DEI eſſe, ab eodem dari & conſervari, & abſq; eò, nullâ ſapientiâ, aut potentiâ humanâ, conſervari poſſe. Si DEUS votis ac deſiderijs annuat, gratias agit; ſi abnuat vel recuſet, non fert graviter; ſed omnes rerum eventus, qui è divina ſapientia & bonitatis fonte dimanant, convenientiſſimos interpretatur.

X. Vtinam ſummi, medij, imi, de Numine ejuſq; individua providentia ſentirent rectè! quàm illis expeditum foret iter, ad animi ſui tranquillitatem, vitæque alterius felicitatem. Certè hîc ſapere, eſt vtrobique beatum eſſe. Sed nempe ad alienam fortunam, multis viam intercludit cum Pſeudopoliticis Machiavellus, quem & atheum fuiſſe, & publico malo, atheiſmi peſtem chriſtiano orbi invexiſſe, teſtantur authores ſupra memorati. Referam hoc loco particulare ejus magiſterium, quo Comitem quendã formavit, primùm ad leges Atheorũ, tum deinde ad duplicem, corporis animæq; interitum. Audio, italico rem idiomate conſcriptam eſſe. Ego ſanè lugubrem tragœdiam, in theatrum olim publicum productam ipſe conſpexi, præſente frequentiſſimo, doctiſſimoque Ingolſtadienſis Academiæ ſenatu; credo nunquam id argumentum in ſcenam veniſſet, ſi hiſtoriæ ſua non eſſet fides. Aut ſi omnino contendis apologum eſſe, is ſanè luculenter demonſtrat, Machiavelli doctrinam, ex principe formando hauſtam, tandem ducere ad Atheiſmum.

Machiavellus Atheus, & Atheorũ magiſter.

XI. Ajunt igitur, Machiavello adoleſcentem, familiâ Comitem, ætate juvenem, moribus cereum, obtigiſſe in diſciplinam; Leontium comicus appellabat. miſerum enimverò diſcipulum, quia meliorẽ non eſt nactus magiſtrum. Et quid aliud diſcere potuit, quàm vitiũ ex eo, qui totus vitium fuit? quid aliud trahere ex Machiavelli fontibus, præter venenum? eò profundiùs iturum in viſcera, quòd pulchris ad ſpeciem coloribus, peſtilens veteratoris doctrina blandiretur. Itaq; paulatim, velut omni lege ſolutus, vnum libidinis impetum ſequi cœpit; regula illi fuit, nullam pati; actiones ſuas metiri, ſolâ aut voluptate, aut vtilitate. Hinc cùm ſibi voluit ſervire, ſuiſque affectibus facere ſatis, quàm plurimis effectus eſt gravis. Deniq; etiam DEO intolerabilis; cujus ſanctiſſima Majeſtas, ita inter quotidiana ſcelera apud hominem eviluit, vt omnem ejus providentiam, vtroque in mundo, incredibili cum ſtultitia negaret; donec vtroq; orbe, graviſſimis pœnis involutus, ſuo damno didicit

Diſcipulus Machiavelli quantùm in atheiſmo profecerit ad ſuum interitum?

didicit Numen eſſe aliquod, cujus cenſuræ, fulminique humana ſubjaceret perfidia.

Contigit vt Leontius, inſtructo jam dapſili convivio, famem ſibi obſonaturus, ambulatum iret. tranſiverat caſu cœmiterium, & quia juxta viam calvaria jacuit offenſus credo tam triſti aſpectu, initiò eam, pede protrudit; deinde in re maximè ſeria jocabundus, cum inſigni petulantia ſic affatur. Audi teſta arida, quæ nunc interrogo, & reſponde. Verumné illud eſt, quod paſſim credunt mortales, immortalem ſpiritum humano claudi corpuſculo, illudque ab anima, totum vitæ beneficium accipere? quod ſi tibi aliquando etiam talis hoſpes inhabitavit, dic obſecro, poſtquam exceſſit, perijtné totus, an ſupereſt? & ſi quidem ſuperſtes eſt, vbi moratur, & quibus locis? ſalvuſné eſt, an plectitur? num alter orbis æternitatem habet? num Rhadamantos & Æacos? num Deum judicem ad ſeverum tribunal ſedentem? piorum merces hominum, & ſceleratorum ibi pœna, eſt aliqua? an etiam ſemper duratura? Hæc talia, vbi temerarius Comes, non ſine amaro ſplene effutijt, ipſam hominis mortui Calvariam (cui loquebatur) vt inter reliquos convivas menſæ ſuæ adeſſet, juſſit; ad propoſitas quæſtiunculas, velut conviviales, daturam reſponſum, apud pocula & dapes, more veteribus recepto. Ita abijt, & ad expectatos hoſpites ſe domum contulit, convivator Leontius. XII.

Cum Calvaria in cœmiterio, quale colloquiũ habuerit?

Invitat eã ad menſam ſuam.

Iamque vbi mutuis officijs, alternaq; ſalutatione juxta leges amicitiæ præluſum fuit, illata ſunt menſæ fercula, factumque epulo initium, & gaudio communi; quod primæ notæ vinum acuit, domeſticum, peregrinum, varium. nec poterant non eſſe læti, quotquot fœcundos in hilaritatem calices, alijs alijſque invitantibus, liberaliter hauſerunt. Sed, malum! cœptam lætitiam infælix nuncius turbavit. Nam anhelus quidam ex ſervitio famulus, ad Leontium Comitem refert, ante fores palatij ſtare, non tam peregrinum hominem, quàm vivum mortis ſimulacrum, & petere ingreſſum. territis omnibus ad ſuſpicionem, metumque ſpectri; Comes imperat famulo, vt examinaret monſtrum, vnde? aut quid ſibi vellet? id vbi exequitur famulus, intelligit vnum è convivis eſſe; & quidem ab ipſo hero ſuo vocatum hodie, cùm cœmiterium tranſiret; quamquam verò non condixiſſet, venire tamen, vt ſuper graviſſimis quæſtionibus, ſuam, quam rogabatur, ſententiam diceret; materiam vix aliam fore digniorem convivali diſſertatione. Dum hæc Comiti ſuo ſervulus renunciat; nimirùm expalluit herus, XIII.

Siſtit ſe mortualis larva, convivis & convivio.

 memor

memor Calvariæ, quam in matutina ambulatione offendit, petulanterque habuit. Itaque ex famulitio mittit aliquos, qui hominis mortualis larvam, ad corvos ablegarent, & corvorum pabula; nullum illi in tam ſplendida hoſpitum menſa, locum ſupereſſe; alios interim jubet feſtinos currere, ad obſerandas fores, & peſſulum obducendum, ſi vim moliretur ſpectrum. Sed nempè, vana fuit omnis hæc machinatio, & ſine viribus; majori potentiæ quamprimùm, velut ad vnum flatum, ceſſerunt omnia repagula, viamque aperuerunt ſuſpecto hoſpiti. Hic ergo (ſimillima mortis imago) exſucca, exſanguis, pallida, & velut ex oſſe continuò longa fabrica, vt intravit convivij locum, magniſque paſſibus ad Comitem properavit, ejus jam lateri proxima, juſſit omnem conſeſſum proſequi, quã cœperat ante lætitiam, gulamq; raris delicijs paſcere; multum jam temporis fluxiſſe, quando nullum aut cibum, aut potum admiſiſſet, ſolâ ſatur inediâ tunc tamen, velut chorum ducturus, hoſpes, & animaturus alios ad pares hauſtus, præbibere orſus eſt.

Occupat etiam latus Comitis Leontij.

XIV. Nihil tamen admodum perſuaſi ſunt convivæ, vt ſequerentur præeuntem, timebant omnes vicinum malum in præſente monſtro; & hoc vnum ſinguli agebant, quomodo ſe periculo ſubducerent; eò quemque putabant fore tutiorem, quò citiùs ſe ejeciſſet triclinio. Ita factum eſt, vt alij alijs tacitâ fugâ ſuccederent, & denique nemo in menſa ſupereſſet cum Leontio, præter mortualem larvam, ipſumque Machiavellum: qui tamen & ipſe plenus metu, parabat abitum; fruſtra obſecrante Leontio, ne Magiſter in extremo diſcrimine, turpiter deſertum iret diſcipulum, à quo fortunis, honoribus, opibus, copioſè ſemper auctus fuiſſet. Sed cantatum eſt ſurdo. Machiavellus enim, aut præteritorum immemor beneficiorum, aut futuri providus mali, aut ſuæ doctrinæ ſecutus principia (quibus nulla fides ſtabilitur) ſeſe proripuit, relicto velut ſub cultro Comite Leontio.

Diffugiunt metu hoſpites, & menſam deſerunt.

XV. Hic, vbi ſe deſtitutum ab omnibus conſpexit, & ſalutem ſuam crederet in ſolis pedibus conſiſtere, fugam aliorum exemplo meditabatur. Sed ne evaderet, vivum mortui hominis ſimulacrum, manum fugienti injecit; jamque comprehenſum, ita compellavit. Hem! ego ſum ille, quem hodie in calva, invitatione ludificatoriâ, tuum eſſe juſſiſti, non tantùm convivam, ſed etiam Philoſophum ſuper menſa, vt te docerem, poſtquam homines vitâ præſenti defunguntur, an æternitatem adeant? eamque diverſam, pro diſparitate meritorum? Quia igitur,

Solus convivator, diſcipulus Machiavelli, tenetur à monſtro, & mortis ſimulacro.

Digitized by Google

igitur, vt poſtulationi tuæ nunc ſatisfacerem, mihi impoſuit DEVS, & ille DEVS, quem tu cum providentia ſua protervè exſibilas; ſcias velim, per mortem temporaneam, non omnia in homine intermori; vitam ſuam in alterum orbem transfert anima, ſemper ibi victura, vel inter gaudia æternantia, vel inter perpetuos ignes; pro conditione ejus ſententiæ, quam in divino tribunali acceperit. Et ne dubites, tibi fidem meam juro; eò certiorem, quia cognatus ſanguis fallere non poteſt. Ego enim ſi neſcis, ſum avus tuus, tu nepos meus. Sed heu! vterque infelix; ſceleribus meis factum eſt, vt jam dudum ſtygiâ flammâ vrar; vtinam comburat aliquando in ſiccos, mortuoſque cineres. nunc ignis mihi immortalis eſt, vita quoque ſemper renaſcens ad juge ſupplicium; ita vt fiat, Numinis vrget decretum. Idem heu! te nepotem meum jam feriet; poſtquam excuſſâ pietatis diſciplinâ, ſine ratione, ſine lege, ſine DEO, ſine conſcientia, in præceps flagitiorum omnium prolapſus es. Sed adhuc profundiùs cades; mox ad plures, quos jam orcus habet, iturus; para te itineri ſanguis meus; abeundum eſt hinc, commutandus orbis iſte cum ignoto, hæc vita cum æternitate. Et ne tibi grave ſit faciendæ viæ ſpatium, compendio abſolves; meis brachijs illuc portabere. Hæc vbi mortualis larva dicendo finivit, medium complexa Leontium, & trepidantem inter cognatas manus, tam fortiter parieti vicino alliſit, vt ſanguinolentum adhæſerit cerebrum, triſte totiús, quæ peracta eſt, tragœdiæ argumentum. Certè quia reliquum corpus nuſquam comparuit; creditur à ſpectro illo, funus inferis fuiſſe illatum.

Docetur ab eodem, Deum eſſe bonorum remuneratorem, & vindicem malorum.

Experitur etiam malo ſuo, & proprio interitu.

XVI.

Et hæc denique infelix Machiavellianæ coronis diſciplinæ fuit; minerual quod Magiſtro ſuo Leontius copioſum ſolvit, malè diſcipulo compenſatum eſt; errores docuiſſe ignarum, fuit perdidiſſe. Ita fieri ſolet, quando mortales ſub magiſterio Pſeudopoliticorum, diſcunt aut nullum in terris, cœloq; Deum eſſe, aut non metuendum; naſcitur hinc neceſſitate quâdam audacia, vt laxatis quaſi habenis, currat in præcipitium impietas. Præclarè Tertullianus: *de genere converſationis* (inquit) *qualitas fidei æſtimari poteſt; doctrinæ index diſciplina eſt. Negant Deum timendum. Itaq; libera ſunt illis omnia, & ſoluta. vbi autem DEVS non timetur, niſi vbi non eſt? vbi DEVS non eſt, nec veritas vlla eſt; vbi veritas nulla eſt, meritò & talis diſciplina eſt. At vbi DEVS, ibi metus in DEVM, qui eſt initium ſapientiæ. Vbi metus in DEVM, ibi gravitas honeſta, & diligentia attonita, & cura ſollicita,*

Ad quem pariter properant, qui ex Machiavelli aut pſeudopoliticorũ principijs, Deum cœlo, terriſq; excutiunt.

Tertull. lib. de præſcrip. c. 43.

ſollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & ſubjectio religioſa, & apparitio devota, & proceſſio modeſta, & Eccleſia vnita, & Dei omnia. Itaque ex hoc dogmate; Deum eſſe vltorem ſceleris, præmiatorem virtutis, tota pendet ſalutis ratio; atteſtante magno Apoſtolo, cùm ait: *ſine fide impoſſibile eſt placere* DEO; *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe, remunerator eſt.* Quiſquis aut atheus, aut politicus, putat nec improbitatem plecti à Numine, nec ab eodem pietatem foveri, & accendi præmijs; infallibili quadam certitudine negliget Deum, ejuſque cultum aſpernabitur; iturus in obvias libidines, & honeſti contemptor, & voluptatum amator; tantoque promptiùs, quantò nunc manifeſtiùs eſt, multos qui Deum profitentur, & humani ſceleris hoſtem, & vindicem alienæ impietatis: vivere tamen licenter, ac propudioſè.

Ad Hebr. 11. v. 6.

XVII. Brentius, infirmum ruituræ hæreſis fulcrum, hanc olim de ſuis clientibus querimoniam depoſuit. *Etſi nulla apud nos ſit publica profeſſio, quòd anima ſimul cum corpore intereat, & quòd non ſit mortuorum reſurrectio; tamen impuriſſima & profaniſſima illa vita, quam maxima pars hominum ſectatur, perſpicuè indicat, quòd non ſentiant eſſe vitam poſt hanc. Nonnullis enim tales voces, tam ebrijs inter pocula, quàm ſobrijs, in familiaribus colloquijs excidunt.* Neque adeò miror hoc ab hæreticis fieri, quibus oculi caligant ad fidei ſinceram veritatem; iſtud indignor potiùs, eadem omnia facere illos, qui jactant ſe genuinos Catholicæ Eccleſiæ filios.

Brentius in S. Luc. c. 20. homil. 35. Quidam inter Chriſtianos hæretici, vivunt Atheorum morè, quaſi Deus non eſſet.

XVIII. Audivi, quæ horret animus referre, non jam dubitantium, ſed palàm aſſerentium, & religionis noſtræ hominum, & familiâ illuſtrium aliquot perſonarum; mera ſcilicet eſſe deliria, figmenta, ſomnia, fabulas, quæ è pulpito ſacerdotes narrant, de pœnis inferorum æternis, cœlorum etiam perennibus gaudijs. Fortunâ ſi ſuâ his in terris perpetuò, ac ſine perturbatione frui poſſint, nullum ſe aliud cœlum expetere. ſatis hunc orbem fore amplum ſuis cupiditatibus, cùm ad præſentis vitæ commoda licuerit continuò expatiari; præſentia etiam futuris antecellere, quia certiora ſunt, & poſſidentur. Ita denique Pſeudopolitici duce Machiavello, & voluptatibus, blandis deceptricibus: eliſo vno, alteroque fidei myſterio ac principio, reliqua omnia pulchrè negant; donec cum miſerabili Leontio, devolvantur ad atheiſmum, & non emendabilem interitum.

Imò & ex Catholicis nonnulli, quibus omnia, quæ ex pulpito ſacro audiunt, deliria videntur & fabulæ. Denique ex negatione vnius fidei articuli, facilè deſcêdunt ad negationem plurium.

XIX. Huc ego referam, turpiſſimum inſolentis Monachi lapſum, quem

Digitized by Google

quem B. Dorotheus Abbas commemorat, ſequenti hiſtoriâ. *Hic primò quidem, cùm aliquid boni de fratre quopiam quiſquam deprædicaret, ſtatim reſpuebat eum, dicens: quis eſt ille? non eſt qui momenti ſit alicujus, niſi Zoſimas, & qui cum eo ſunt. Poſt cœpit & hunc contemnere, ac nihili pendere, dicens: nemo eſt, qui quidquam valet præter D. Macharium. & non multò poſt ait: quid eſt Macharius? nullus quidquam eſt præter Baſilium & Gregorium. Atque etiam paulò poſt cœpit & hos teruncifacere, dicens, quid eſt Baſilius? quid eſt Gregorius? nemo quidquam valet, niſi Petrus & Paulus. Cui ego dixi. certè frater, & hos etiam contemnes. Credite mihi, non mentior; non multò poſt dicere occæpit, quid eſt Petrus? quid eſt Paulus? nemo eſt alicujus momenti, niſi ſancta Trinitas. Poſtmodum verò, & contra* DEVM *ipſum ſuperbire cœpit & inſoleſcere. Deniq; ad eum modum delapſus eſt in perditionis, & impietatis barathrum.*

S. Dorotheus ſerm. de cordis humilitate.

Sicut monachus quidam, ex contemptu particularium Sanctorum, lapſus eſt in contemptũ ipſius Dei.

XX.

Hic ferè mos eſt, quem Pſeudopolitici tenent cum ſua ſchola, in contemnendis certiſſimis divinæ fidei myſterijs; ex vnius aut pauculorum inficiatione, negant vniverſa. Quid putamus, inquiunt, an ſua eſt animabus noſtris immortalitas? an nullum vnquam interitum ſentient? non eſt veriſimile, corpuſculum à ſpiritu ſuo, tam multùm diſtare conditione; eadem vtriuſque fortuna eſt, eadem vtriq; vita, eadem mors; igitur anima immortalis non eſt. De reſurrectionis articulo, ſimilis apud illos eſt argutatio. Quis ajunt, credere poſſit, aut animo concipere, quotquot fuerunt, ſunt, eruntq; mortalium; poſtquam aut longo mortis ſitu, in vagum ſoluti ſunt pulverem: aut flammis exuſti, conciderunt in cineres: aut aquis hauſti, diffluxerunt; vel (quod ſæpius factum eſt) ceſſerunt beſtijs in pabulum; redituros iterum ad priorem ſui corporis molem? non eſt igitur futura mortuorum Reſurrectio. Quod ſi apud ſemel vitâ defunctos, nullus eſt per reſurrectionem ad eandem reditus, malè cœlum adſtruitur, æternum beatis præmium: malè aſſeruntur inferi, æternum damnatis ſupplicium. Ergo inquiunt, nulla hominibus incumbit æternitas, ſive quæ prœmijs afficiat probos, ſive quæ pœnas inferat ſceleſtis.

Quibus perſuaſionibus Machiavelliſtæ, & mali Politici, inducant ſimplices ad negandam animæ immortalitatem.

Reſurrectionis futuræ myſterium.

XXI.

Iam quantùm ad providentiam Numinis attinet, hæc eſt malorum Politicorum inſipiens philoſophia. Videmus, inquiunt, omnia quaſi mortalia incertis caſibus fluere, omnia hominum ſtudia, conatuſq; aut erroribus involui, aut fati neceſſitate. nemo eſt bene meritus, qui fortunam ſibi ſuam poſſit ſufflaminare; ſemper vaga eſt, ſæpiſſimè etiam indignos beat, tantò iniquiùs, quantò

Numinis in mundo providentiam, ipſumq; Deũ.

conſtantiùs. Non eſt igitur Numinis providentia, quæ hujus orbis, & hominum curam gerat, diverſorumq; habeat rationem meritorum. Quod ſi nulla eſt Numinis providentia, nullus etiam DEVS eſt; iſta enim duo ita ſunt individua, & ſimul; vt poſito vno, aut ſublato, alterum quoq; ponatur, aut tollatur.

XXII. Hæc denique pulcherrima eſt illa ratiocinatio, quæ recto tramite ducit ad Atheiſmum: & Pſeudopoliticos, & eorum ſobolem, Voluptuarios; qui, vt liberè, ac ſine metu, delicijs ſe omnibus poſſint immergere, facilè ſibi perſuadent, nullum terris, cœloque DEUM contineri, aut inſpectorem ſcelerum, aut vindicem. Gerunt interim nomen Chriſtianorum, & profitentur fidem cum cæteris; ſed quibus accommodari poſſit illud, quod olim Lutherus de ſuis dixerat aſſeclis: *credunt vt ſues, vivunt vt ſues, moriuntur vt ſues.* Et ſanè quotidianus teſtis eſt experientia, quos hujus mundi Voluptas, & variæ, jugeſq; illecebræ occuparunt, cùm mors apparitor adeſt, diemq; dicit, parum ſeriò facere, quæ ad felicem abitum lex chriſtiana requirit.

Quidam tenent nomen Chriſtianorum, & vivunt vitam Atheorum.

Refert Cornel. à Lap. in Epiſt. 2. S. Petri c 2. V. 18.

XXIII. Ipſe ego novi, quandam è gynæceo nobilem fœminam, & hoc maximè famoſam capite, quòd omnis ejus vita, ſecundùm mundi leges, vna eſſet Voluptas. hæc non ſemel ſociabus ſuis teſtata eſt, mera eſſe fabulantium ſacerdotum ſomnia, quæ de vitæ alterius æternitate, flammiſque inferorum dicerent. Contigit, vt fatalem denique morbum incurreret; jamq; & viri nobiles ad obſequia decumbentis properabant, & religioſus ad ferendum animæ auxilium; ſed nimirum ægrè admodum hic admiſſus fuit; & poſtquam acceſſum habuit, laborare omnino multum debuit, vt confeſſionem ab ægra extunderet. preces quas ad lectulum ex libello recitabat, tam inſipidæ ipſi accidebant, vt diceret, plus inde faſtidij ſe capere, quàm ſolatij. Vna fœminæ trahentis jam quaſi animam, fuit querimonia, quòd ludere pro more non poſſet, cum adſtantibus è prima nobilitate viris. manus robore ſuo exhauſtæ erant, neq; ſufficientes chartifolijs tractandis. rogabat nihilominus ægra circumſtantes, vt, quod ipſa facere ampliùs non poſſet, alij ſupplerent, oculoſque ſuos chartarum luſu paſcerent. Hæc nimirum ejus fuêre tum ſtudia, quibus ſe ad æternitatem diſpoſuit. hi ejus ingentes conatus, vt DEO ſe reconciliaret offenſo, vt accenderet ad beatitudinem deſideria. Certè hujus argumenti, nullam vnquam facere mentionem audita eſt; ſolus ei mundus, luſus, nugæ, in corde ſimul & ore fuerunt.

Hinc etiã morti vicini, ægrè ſe diſponunt ad obitum chriſtianũ, piumque.

Docetur vnius exemplo, nobili è gynæceo fœminæ.

Ita

Digitized by Google

Ita fieri amat, neque aliter apud eos mortales, quibus totum vitæ tempus effluit inter vanitates, voluptateſque ſæculi præſentis. Tandem, quando mors jubet ſarcinas colligere, ineptijs veteribus aſſueti, prioribus abſorpti illecebris, frigidè ſe parant ad pium ex hac vita abitum, & quod ſupra dixit Lutherus: *credunt vt ſues, vivunt vt ſues, moriuntur vt ſues.* Qua in re gratias debent & Pſeudopoliticis, & Atheiſmo: ex fontibus his tam pulchri veniunt canales: turpis in morte oſcitantia, frigidi pro æternitate conatus, negligens ſalutis promovendæ cura, diſſimulatio ſacramentorum, aut ſuperficialis vſurpatio, demum non rarò & blaſphemia, & deſperatio. Qualis illa fuiſſe deſcribitur hominis vnius, patriâ Florentini, profeſſione Athei; hic jam mortalitatem deſerturus, paulò ante obitum ſuum, ſe commendavit *potentiori,* ſive DEVS ille, ſive dœmon eſſet; cum hoc epiphonemate: *qui plùs poteſt, plùs auferat.* XXIV.

Deniq; ex talibus cõplures, moriuntur vt ſues.

Baptiſta Gellus dialogo 2. Chimerico de Botaio.

Cavete mali, quibus aut Machiavellus impius, aut illecebroſa voluptas, DEVM ſuum extorquet, vt inſtillet Atheiſmum. Certè hic error difficulter in morte deſeritur: iiſdem ferè ſemper veſtigijs inſiſtimus mortales. ſimiles illi vulpeculæ quæ cùm ad furcam duceretur, ſuſpendio luitura rapinas; vltimùm adhuc plateam anſeribus frequentem cupiebat tranſire. Ita homines, veteres amamus vias, iiſdem nitimur principijs morientes, quibus vivi aſſuevimus. nunquam mali ſeminis, bona meſſis eſt. Et affirmare auſim, monſtro ſimile eſſe, eum qui diu fuit, vixitq; Atheus; cùm moritur, poſitâ ſincerè perfidiâ, ad ſe, DEVMq; redire. XXV.

Atheiſmũ difficulter in morte ponit, qui eum tenuit in vita.

Digitized by Google

PARAGRAPHVS XII.

Securitas de Salute in quacunque Fide ac Religione, Pſeudopoliticorum Dogma; Damnationis periculo eoſdem cum aſſeclis ſuis exponit, quando hinc migrandum eſt.

I. Facilè ſibi perſuadet homo cupita & deſiderata.

NIhil faciliùs eſt, quàm ſibi perſuadere cupita; deſiderium rei amatæ, etiam ex ſomnijs cudit vaticinia. Ab Aſſuero Rege conſultus Aman, quo genere compenſationis, aut publico ſingularis gratiæ teſtimonio, afficeret vnum de aula ſua, probatiſſimæ fidei ſervum: jam ſomniabat, præ ſe nullum alterum, magis de Aſſuero meritum. itaque à ſe ipſo Aman perſuaſus, de carpendis regijs favoribus, prævolante animo ac linguâ, reſpondit. *Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus regiis, & imponi ſuper equum, qui de ſella regis eſt, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum; & primus de regijs principibus ac tyrannis teneat equum ejus, & per plateam civitatis incedens, clamet & dicat: ſic honorabitur, quemcunq; voluerit Rex honorare.* Sed quàm turpiter à perſuaſione propria eluſus fuerit Aman, tunc didicit; quando ipſe primus aulæ Palatinus, Mardochæum ad fores palatij miniſtrum, purpurâ induere, regio imponere equo, ſedenti ad latus ire, & velut in publico triumpho, plauſum facere debuit; non ſine ingenti ſuo rubore, apud alienam tam vilis animæ gloriam. Denique confuſionem ejus, laqueus excepit, & vltima patibuli coronis; cogitati ſceleris, & detectæ perfidiæ digniſſimum prœmium; poſtquam contraria omnia ſibi perſuaſiſſet vaniſſimus homo.

Eſther. 6. 8. & ſeq.

Patet in Amano, turpiter eluſo.

II. *Ariſtot lib. 7. de rep. c. 3.*

Et quid aliud nos appetimus vniverſi, quàm felicitatem? Ita jam olim pronunciavit Ariſtoteles; *illud quidem perſpicuum eſt, bene*

bene beatéq; vivendi cupiditate, incenſos eſſe omnes. Maximè verò animos mortalium afficit, ſola illa, veri nominis beatitudo æterna apud ſuperos, quæ fide divinâ, velut fundamento nititur. Et quia hoc tempore, fides in varias, planè contrarias credentium turmas, ſeſe diffundit; Politicorum doctrina eſt, quemque in ſua fide ac religione, ſalvari poſſe. Sic, quam Arianus, Lutheranus, Calviniſta, Zvvinglianus deſiderat cœleſtem, perennemque futuri ſæculi gloriam, jam certò perſuaſus eſt, in ſua fide eam ſe conſecuturum. Qua in re, video renovari Simonis Magi præſtigias, quando Selenen fœminam, impuri amoris appendicem, ſecum circumduxit. Nam, vt lego in libris Recognitionum, qui Clementi Romano Pontifici, Martyri, ac S. Petri diſcipulo adſcribuntur; cùm in vrbe quadam, ad ſpectandam Selenen confluxiſſet populi multitudo; ea ſe ex turri contemplandam dedit, multiplici quidem, ſed ſimili vultu; viſa eſt enim ſpectatoribus, per omnes turris feneſtras, faciem ſuam exponere, quaſi plures ramos in eodem trunco, aut lernæi monſtri reſeminata capita. Itaque ſicut vna tantùm ejus ſpecies, vera ac genuina fuit; ita reliquæ erant fictitiæ larvæ, & mera oculorum ludibria, artificio magiæ profecta, & Simonis magiſterio.

Appetimus vniverſi beatitudinem æternam.

Et ajunt Pſeudopolitici, quéq; hæreticorum etiam, in ſua eam fide conſequi poſſe.

Clemens Rom. lib. 2. recognit. poſt initiũ.

Selene, cum vario vultu fœmina.

III.

Nunquid verò etiam mali dœmonis amaſia eſt Hæreſis? nunquid Selene, hoc eſt (ſecundùm nominis interpretationem) luna? eaque varia, mutabilis, incerta, & nunquam ſibi ipſi conſtans? Quis neſciat, ſæpe eandem ſibi contradixiſſe hæreſin, & ejuſdem fabrum hæreſiarcham? quis non videat Lutheri ac Calvini dogmata, à diametro oppoſita, continuum movere bellum, vt partes in contraria ſtudia abreptæ, ſe invicem anathemate feriant, quà verbo, quà calamo? Et tamen tam ſimilem vultum affingunt Pſeudopolitici diverſiſſimis hæreſibus, vt aſſerere audeant, vnumquemque mortalium in fide ſua ſalvari; ſive ſentiat cum Luthero, ſive cum Calvino, ſive etiam denique cum Papa: modò ſit tinctus ſacro baptiſmo, fidem in Chriſtum, ac Symbolum Apoſtolorum teneat. Et ne videantur ludificandis hominibus, excogitare *vanitates, & inſanias falſas,* ſtabiliunt aſſertionem ſuam, illo Salvatoris verbo: *vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Tum deinde hoc S. Auguſtini teſtimonio: *Apoſtoli certam regulam fidei tradiderunt, quam ſecundùm numerum Apoſtolorum, duodecim ſententijs comprehenſam, ſymbolum vocaverunt.* Igitur, qui poſt baptiſma in Chriſtum credit, & ſymbolum Apoſtolicum, velut certam fidei regulam amplectitur, cujuſcumque ſit demum religionis, neceſſe eſt vt cœlo adſcri-

Genuina hæreſeos imago.

Pſ. 39. 5.

Ioan. 3 15.

S. Auguſt. ſerm. 181. de temp.

Digitized by Google

adſcribatur. Ita Politici hujus ævi, ſecuritate falsâ beatitudinis futuræ, & amore boni æterni, deſiderioque perſuaſi, plauſibilius quàm veriùs concludunt.

IV. Habent etiam dogmatis ſui everſorem D. Paulum, qui velut obviam iturus ſecuturo errori, tam ſeriò Epheſijs aſſeveravit: *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma.* quaſi diceret; ſicut in hoc aſpectabili mundo, non eſt niſi vnus atque vnicus Deus, omnium dominantium ſupremus dominator; neq, alius baptiſmus ad ſalutem neceſſarius, præter vnum illum à Chriſto inſtitutum; ita pariter non niſi fides vnica, ad beatitudinem Chriſtianos perducit. Et quidem hæc olim doctrina, apud majores noſtros, primos Eccleſiæ fideles, adeò recepta fuit, vt eſſent loco teſſeræ verba illa apoſtolica: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* quemadmodum apud Turcas ſententia iſta: *vnus eſt Deus, & Mahomet conſiliarius ejus.* Memorant acta S. Cæciliæ; cùm hæc Virgo Valerianum haberet nobiliſſimum ſponſum, neque ei nubere vellet, priuſquàm Deo & Chriſto, in obſequium fidei Chriſtianæ, manus ſuas daret; tandem poſt congruam inſtructionem, ad S. Vrbanum Pontificem miſiſſe, pro ſuſcipiendo regenerationis lavacro in baptiſmatis fonte: viſum autem tùm à Valeriano, ſenem canitie venerandum Vrbano aſſiſtere, & hanc velut Chriſtianorum teſſeram, literis deſcriptam aureis præferre: *vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.*

Ad Epheſ. 4. 5.

Vnâ ſolâ fide, & non pluribus diverſis, ſalvari homines, apoſtolica eſt doctrina. Et hoc primorum Chriſtianorum teſſera docet.

Cornel. ad Epheſ. 4. 5.

V. Cùm igitur vniverſus orbis Chriſtianus, in diverſiſſimas jam abierit ſectas; juſtiſſima eſt dubitandi ratio, quæ nam inter omnes, ſincera illa ſit, & vnica ad ſalutem neceſſaria fides ac Religio. Itaq; non tantùm Turcæ & Judæi, ſed etiam Hæretici quicumque, tenentur viros doctos in Catholica Eccleſia (vtpote cujus Religio antiquiſſimam inter Chriſtianos poſſeſſionem habet) conſulere, & de rebus, articuliſque fidei conferre, parati veritatem amplecti, ſi legitimis modis acceperint. Quod ſi non faciunt, ſed mentem ab hujuſmodi tam ſalutari ſtudio, conatuque avertunt, ſive odio fidei Catholicæ, ſive alia ex cauſa, *ſe ipſos* (Leſſij verba adfero) *reddunt coram Deo inexcuſabiles.* Et cauſam adjungit ſequentem. *tanti enim momenti eſt negotium Religionis & ſalutis, vt omnibus alijs rebus anteponi, & ſummo ſtudio, cùm juſta ratio dubitandi ingeritur, debeat perveſtigari, etiamſi in remotas regiones eſſet abeundum.*

Ergo inter tot hodie ſectas, vnicuique incumbit, de fide & religione ad ſalutem neceſſaria, inquirere.

Leſſius in appendice conſultationis de Religione. c. 1. q. 1. ad finem.

VI. Neque obſtat privatum tibi ſpiritum dicere, quòd rectè ſentias, cùm ſectæ tuæ credis. nam ſub hoc pallio nihil proficere ſectarios, inde patet, quia inter diverſiſſimas factiones & hæreſes, ſingulis

Digitized by Google

gulis' ſua quoque ſententia certa eſt, atque evidens', teſtimonio privati ſpiritûs, qui ſingulos interiùs de pura, puta veritate doceat. Ex quibus manifeſtum eſt, ſpiritum illum, quem interiùs ſentiunt, non eſſe ſpiritum Dei, cùm ſectæ omnes, inter quas' tanta maximorum dogmatum eſt diſſenſio. hujus ſpiritûs teſtimonium æquè ſentiant, jactent, ſequantur, eodem in aſſerendis articulis plurimùm repugnantibus, innitantur. Cùm ergo ſpiritus ille, nequaquam ſit Spiritus ſanctus, Spiritus Veritatis (quia contraria docere, & ſibi ipſe adverſari non poteſt) convincitur eſſe ſpiritus' falſitatis & erroris, de quo Apoſtolus vaticinantis more dixit: *in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.*

Spiritus privatus ad probandã fidem & religionem, nihil valet, quia ſibi contrarius eſt.

1. ad Timoth. 4.

VII. Soli Eccleſiæ Catholicæ, veram fidem ac religionem alligatam eſſe, SS. Patrum eſt ſententia.

Decipiunt ergo mali Politici, & decipiuntur graviter, quando ajunt, vnumquemque mortalium in ſua fide, qualis qualis illa fuerit, ſalutem conſequi poſſe. Ego autem prorſus contrarium aſſero, affirmoque; neminem vnum inter homines, extra Eccleſiam Catholicam, (cui ſoli vera fides, religioq; alligata eſt) ſalvari, ſervarique poſſe. Quæ fuit totius venerandæ jam olim antiquitatis' receptiſſima doctrina. cujus meminit S. Fulgentius, dum cõmunes fidei regulas traditurus, ſic ſcribit. *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, non ſolùm omnes paganos, ſed etiam omnes Judæos, Hæreticos, atq; Schiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam, præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Et paulò inferiùs de Hæretico & Schiſmatico (puta formaliter talibus, vt loquuntur in ſcholis docti, & quos pertinax malitia fecit obſtinatos) hæc memoranda attexit. *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum ſive Schiſmaticum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcumquè eleemoſynas fecerit; etſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſalvari. Omni enim homini, qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neq; baptiſmus, neq; eleemoſyna, quamlibet copioſa, neq; mors pro Chriſti nomine ſuſcepta, proficere poterit ad ſalutem, quamdiu in ea hæretica, vel ſchiſmatica pravitas perſeverat, quæ ducit ad mortem.* Similia habet Divus Auguſtinus, & planè ad ſcopum eundem. *Conſtituamus*, inquit, *aliquem caſtum, continentem, non avarum, non idolis ſervientem, hoſpitalitatem indigentibus miniſtrantem, non cujuſquam inimicum, non contentioſum; patientem, quietum, nullum æmulantem, nulli invidentem, ſobrium, frugalem, ſed hæreticum; nulli vtique dubium*

S. Fulgent. lib. de fide apud Petr. Diacon. c. 38.

Idem loco cit. c. 39.

S. Auguſt. lib. 4. contrà Donat. c. 8.

dubium eſt, propter hoc ſolum, quòd hæreticus eſt, regnum Dei non poſſeſſurum.

VIII. Quia verò (quæ hujus ſæculi eſt miſeria) magna Religionum ſuccrevit varietas, & quod Hebræi olim de fano ſuo Ieroſolymæ clamabant; *templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt*: id omnes hæreſiarchæ, ac præſertim hoc ævo aſſeverant Lutherus & Calvinus, ſuam quiſque Eccleſiam, eſſe genuinam Chriſti Eccleſiam; operæ pretium duxi, fluctuantibus in tanta opinionum diverſitate, prælucere facem, atque certis argumentis oſtendere, nullam aliam verè eſſe Chriſti Eccleſiam, Religionemque, præter Catholicam, Romanam, hodieque extantem, & à S. Petro, atq; Apoſtolis, eorumque legitimis ſucceſſoribus, hucuſque propagatam. Et quidem loco fundamenti præmitto. Chriſtum non tantùm Eccleſiam, ſeu Fidelium communitatem, ſub nomine ſuo in terris erexiſſe; ſed etiam perpetuam eſſe voluiſſe, quæ ſe ad finem hujus mundi extenderet; & ex militante tandem tranſiret in triumphantem, felici permutatione. Quoniam autem Chriſti fideles, adeòque ipſa ab eo fundata Eccleſia, viſibilis erat; neceſſe fuit, caput ei viſibile præficere, ſeu Vicarium aliquem ſuum, poſtquam per glorioſam in cœlos aſcenſionem, ejus nobis aſpectabilis præſentia ſubtracta fuit. Nam quia juxta Apoſtolum: *Oportet hæreſes eſſe*, & juxta mentis humanæ ſive curioſitatem, ſive inſtabilitatem, novas in fide opinationes, dubia, controverſias naſci; debuit omninò aliquis à Chriſto ſtatui, qui vices ſuas jam abſentis, cum ſubordinata poteſtate ſuppleret; dubioſque, aut errantes, in religione, ac fidei articulis inſtrueret; & recens excogitata dogmata vel reijceret, vel approbaret credenda. Is autem fuit Petrus Apoſtolus, cui ſæpiùs Dominus oves, agnoſque ſuos paſcendos commendavit. Denique & illud velut ſupremæ voluntatis ſuæ luculentum reddidit teſtimonium: *tu es Petrus, & ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam.* Quibus verbis ſupra cæteros Apoſtolos, primatum accepit Petrus; teſte Leone M. Pontifice, cùm ait; *Apoſtolo Petro ſupra cæteros, poſt regni claves, ovilis dominici cura commendatur.* Et S. Cyprianus: *primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & cathedra una monſtretur*; ſcilicet Magiſtra veritatis, doctrix ſanorum in fide articulorum, judex controverſiarum.

Ier. 7.4. — Et probatur ex ipſa inſtitutione Eccleſiæ, à Chriſto ſupra Petrum fundatæ. — *1 ad Cor. 11. 19.* — *Matth. 16.* — *S. Leo ſerm. de aſcenſ.* — *S. Cypr. de unitate Eccleſiæ.*

IX. Sequitur hinc, non ſatis eſſe, quod volunt mali Politici; credere in Chriſtum, & tenere ſymbolum Apoſtolicum; ſed omne inſuper id credendum eſſe, quod S. Petrus, ejuſque Eccleſia, aut jam

pro-

propoſuit, aut deinceps proponet, tanquam fidei dogma. Sicut enim Chriſtus, ita ex humanitate & Divinitate; baptiſmus verò ejus ſic ex materia certa ac forma integratur, vt qui neget alterum de Chriſto, in Baptiſmo alterum tollat, & Chriſtum, & Baptiſmum evertat; ita pariter fides vna ad ſalutem neceſſaria, ex ſuis articulis tam integrè componitur, vt qui vnum cum pertinacia negaverit, totam penitus fidem tollat, jamque ex fideli evadat infidelis. Simile eſt in mandatis divinis; in quorum vno ſolo (puta gravi) ſi offendat homo, *factus eſt omnium reus*, ſecundùm Iacobi Apoſtoli pronunciatum; quin etiam totam juſtitiam perdit, tametſi reliqua præcepta ad amuſſim ſervet. quia ſcilicet legislatorem ipſum, qui totam legem tulit, contemptui habet, non obediendo in omnibus. Neque aliter, qui vnum fidei articulum pertinaciter negat, eſto cæteris aſſenſum præbeat; & totius reus eſt religionis, & cum illa totam fidem amittit, quia ejus auctorem contemnit. Cùm enim ſit eadem prima & ſuprema Veritas, quæ vniverſa fidei capita revelavit, & per Eccleſiam Chriſti, ſponſam ſuam, *columnam quoq; ac firmamentum veritatis*, credenda propoſuit; qui articulum vnum cum obſtinatione excludit, nolens Eccleſiæ teſtimonio acquieſcere: hoc ipſo primæ Veritatis, cujus Eccleſia eſt præco atque interpres, flocci pendit authoritatem, totâq; adeo divinâ, ad ſalutem neceſſariâ fide, ſe ipſum exuit. Et quamquam jactet, alia omnia, & principalia ſe Religionis, Eccleſiæq; dogmata tenere, fides tamen ea non divina eſt, quæ ſoli authoritati divinæ innititur; ſed duntaxat humana, ad ſalutem invtilis; quia privato hominis judicio fulcitur, præſumentis diſponere, circa credenda myſteria.

Ad ſalutem non ſatis eſt credere ſymbolum Apoſtolorum, ſed quidquid Eccleſia propoſuit tanquam fidei dogma.

Iacob. 2. 10.

1. ad Thimoth. 3.

Qui unum articulum fidei cum obſtinatione negat, totam fidem amittit.

X.

Sed quoniam & S. Petrus homo fuit mortalitati ſubjectus, ne cum ipſo interiret Monarchicum Eccleſiæ regimen, neceſſe erat Petro ſuccedere alterum, & huic tertium; deniq; ſic continuatâ ſemper ſerie, ad nos vſque perducta eſt Pontificum ſucceſſio. Dicet adverſarius, Romanam Eccleſiam, fuiſſe olim Petri Eccleſiam, primis ſcilicet Chriſtianorum ſæculis; jam non eſſe ampliùs, poſtquam deſcivit à prima fide, atque in errores varios lapſa eſt. Sed iſta effutire non poſſunt ſine gravi injuria Chriſti, qui exertè promiſit Petro, de Eccleſia ſuper ipſum fundanda (nempè primitiva illa, quæ Romana fuit) *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* prævaluiſſent autem quam maximè, ſi falſis in fide dogmatibus contaminata fuiſſet. Facit etiam aſſertio iſta adverſarij, vim alteri promiſſioni divinæ, vt cùm Dominus jam ad cœlos aſcenſurus, de Spiritu

Calumniâ Romanæ Eccleſiæ, ſupra Petrum fundatæ, & poſterioribus ſeculis adulteratæ, refutant Chriſti promiſſiones.

Matth. 16. & 7. & 13.

Matth. 16. v. 7. & 13. Sancto Apoſtolis dixit: *ſi abiero mittam eum ad vos. cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* In qua ſententia Tò VOS, extendi debet neceſſariò ad ſucceſſores Petri, aliorumq; Apoſtolorum, in viſibili nempè Eccleſia, ad quam ſemper recurſus eſſe debuit in fidei controverſijs. Quod magis confirmat illa Salvatoris aſſeveratio: Matth. 28. 20. *& ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſq; ad conſummationem ſæculi*; vtique non corporis, neque ſolùm divinæ præſentiâ naturæ; ſed per aſſiſtentiam Spiritûs ſancti, qui Apoſtolos & ſucceſſores eorum, in Eccleſia ſupra Petrum erecta, in vera fide ac Religione conſervaturus eſſet, vſque ad mundi interitum. Vt proinde alterutrum ſit neceſſarium, aut Romanam Eccleſiam, quæ etiamnum habet à Petro ſucceſſionem; ſalvam, ſanamque in doctrina ſubſiſtere, aut verba æternæ Veritatis, eſſe falſa. Patrocinantur inſuper Romanæ (quæ hodieque ſupereſt) Eccleſiæ, genuinæ illæ, veræ fidei ac Religionis Notæ, quarum plures adversùs Calvini & Lutheri errores, collegit Leſſius; ego aliquas breviter delibabo.

Doniq; aut Romana Petri Eccleſia, ſalva ſemper in doctrina ſubſiſtit, aut non ſunt vera æternę Veritatis verba.

XI. Eſt igitur prima veræ Religionis Nota, PERFECTIO VITÆ. Nam finis præcipuus religionis eſt, mentes hominum ab infimis & temporalibus abducere ad cœleſtia, æternaque; quod quidem ſola perfectiſſimè facit Religio Catholica, dum ſuadet non tantùm abſtinere à voluptatibus carnis, vitæque illecebris; ſed etiam honores cum divitijs ſpernere, & vtriſque propter Chriſtum, generosâ animoſitate renunciare; quin & varijs corporum afflictionibus, carnem ancillam, ſubijcere hero ſpiritui. Sunt etiam innumeri in eccleſia Catholica, quibus olim ſuave fuit, amore Dei ſui, ſæculo nuncium remittere, & mutare cum ſolitudine publicos applauſus, cum ſpeluncis prima ſubſellia, cum ſago purpuram, cum inopia abundantiam, cum aſperitate delicias. Et hæc omnia conformiter doctrinæ Chriſti, qui tametſi paupertatem, caſtimoniam, vitam cælibem, ſimiliaque alia, humanæ infirmitati ardua virtutis ſtudia, non imperavit; ſuaſit tamen, magniſque prœmijs invitavit exempli ſui imitatores.

Signum I. fidei & Religionis veræ, conſiſtit in eximia perfectione, ad quam doctrina ejus ducit.

Reperitur in fide, religione, & Eccleſia Catholica.

XII. Quid verò Lutherana & Calviniana Religio? ſic enim liceat compellare; an paria docet ſanctitati promovendæ adjumenta? corpuſculi macerationem, terrenorum & voluptatum, ſpontaneum piè faſtidientis animi contemptum? minimè gentium. hinc jejunium vocant traditionem humanam, quâ Deus fruſtra colatur;

Non Lutherana aut Calviniana.

tur; abſtinentiam carnium, ſuperſtitionem; vota monaſtica, impietatem; caſtitatis obſervantiam, impoſſibilitatem; vt authore Luthero, tam neceſſarium ſit rei vxoriæ dare operam, quàm eſui, potui, ſomno. Nec difficile eſt perſuadere hæc talia, ruentibus in corruptelam naturæ mortalibus. Nemo enim inter Lutheri, Calvinique aſſeclas reperietur, qui vel jejunijs ſe multùm affligat, vel perpetuæ ſibi continentiæ legem dicat, vel repudiatis facultatibus, Chriſtum pauperem æmuletur. Neque ſolùm eximiam illam ſanctimoniam averſantur, ſed etiam omne ſtudium bonorum operum; ſic docti à magiſtris ſuis, nimirum: *hominem in omnibus ſuis operibus peccare, quamvis hoc peccatum credentibus non imputetur.* Item: *hominem per omnia ſua bona opera, nihil apud* DEVM *mereri, nihilo fieri ipſi gratiorem, nihilo juſtiorem, nihil ampliùs præmij habiturum; ſive plurima, ſive pauca, ſive nulla bona opera fecerit; ſolam fidem apud* DEVM *æſtimari & coronari.*

Lutherus lib. de Vita conjugali.

Quia ab utraq; exſibilantur evangelica conſilia, cum bonis operibus.

Luther. lib. de libertate Chriſtiana.

Calv. l. 3. Inſtit. c. 12. § 4. & c. 14. § 9. Et l. 3. Inſt. c. 11. § 13. & 14.

XIII.

Qua de re ſic affirmat Lutherus. *Ita vides, quàm dives ſit homo Chriſtianus, ſive baptizatus, qui etiam volens, non poteſt perdere ſalutem ſuam, quantiſcunq; peccatis; niſi nolit credere. Nulla enim peccata poſſunt eum damnare, niſi ſola incredulitas. cætera omnia, ſi credat, vel ſtet fides in promiſſionem divinam, in momento abſorbentur per eandem fidem.* Quis autem non intelligat, per hanc doctrinam, omnem bonorum operum induſtriam extingui. Si enim in ſingulis eſt labes peccati, ſi nihil habeant vtilitatis, meriti vel prœmij; ſi ſola fides ſufficit ad ſalutem; cur fortunas noſtras expendamus in ſubventiones pauperum? cur voluntarijs cruciatibus corpori faciamus ægrè? cur vitæ ſuavioris commoda deſeramus? cur aliquid boni operis præſtemus? Ajunt Adverſarij, DEVM requirere bona opera in teſtimonium fidei, ſeu vt fidei ſigna. Sed nempe hoc colore vtuntur, ne populo videantur omnia penitus bona opera eliminare. Tum deinde; an Deus exigit bona opera, vt in fidei ſignum & teſtimoniũ peccemus? Nam ex Lutheri ſententia, proprijſq; ejus verbis: *Juſtus in omni bono opere peccat.* Et rurſus. *opus bonum*; inquit, *optimè factum, veniale peccatum eſt, ſecundùm miſericordiam* DEI; *ſed mortale peccatum, ſecundùm judicium.* Similia planè tradit Calvinus locis pluribus. Vbi obſerva; ſicut opera quæ dicuntur mala, apertam malitiam continent; ita ab his Pſeudo Doctoribus, bonis etiam juſtorum operibus, tribui malitiam occultam, propter cõcupiſcentiam internam; ratione cujus, coram Deo dicuntur peccata, ſed Ve-

Lutherus de captiv. Babyl cap. de baptiſ.

Et tota ſalus hominis conſtituitur in ſola fide.

Quo ſenſu nunc ſectarij aliqui, bona opera requirant ad ſalutẽ?

Luth. in reſolut. cont. Ekium & in aſſert. a. 31.

Idem in aſſert. a. 32.

Calvin. l. 3. Inſtit. c. 12. § 4. & c. 14. § 9.

nialia in fidelibus, quia propter Chriſti ſatisfactionem, DEVS illis non imputat, ſed condonat. Vnde apparet ſtudium bonorum operum, non eſſe ſignum fidei ſpecialis, de qua ipſi loquuntur, & cui vim omnem attribuunt; ſed fidei Catholicæ, quæ docet fidem ſolam, non ſufficere ad ſalutem, inſuper etiam neceſſaria eſſe opera, vitæ æternæ meritoria.

XIV. Signum II. fidei & Religionis veræ eſt, ſi per eam via præcluditur ad peccandi licentiam.

Reperitur hoc ſignum apud Religionem & fidem Catholicam.

Secunda veræ Religionis Nota eſt, PRÆCLVSIO LICENTIÆ AD PECCANDVM. Quemadmodum enim Religio, quæ ex DEO eſt, hominum animos excitare debet ad vitæ Chriſtianæ perfectionem, bonorumque operum exercitium, ita pariter neceſſe eſt, vt à peccatis abſterreat; hoc autem ſola facit Religio Catholica, tum per ſacramentum pœnitentiæ, quod difficultate ſuâ, multos abſtrahit à flagitijs; tum per doctrinam de ſatisfactione, purgatorio & inferno; cùm oſtendit remiſsâ culpâ mortali, remanere plerumq; obligationem pœnæ temporalis; quam niſi in hac vita redemeris, luendam deferes in alteram. Item, ad æternam damnationem, ſufficere vnicum lethale peccatum, niſi ante mortem pœnitentiâ verâ deletum fuerit; neque ſine hac, quidquam prodeſſe fidem. Accedit quòd Catholica Religio, conformiter ſcripturæ ac SS. Patribus, nolit homines ſecuros eſſe ſalutis ſuæ, ſed ſemper timidos, ſolicitos, vigiles, bonis operibus intentos; ne aliquando vel tentationi ſuccumbant, vel imparati morte ſubitâ opprimantur. Iſtorũ nihil præſtat Calviniana aut Lutherana religio, quin potius omnem DEI timorem excutiunt, & per vtramque januam, anticam & poſticam, quævis ſcelera admittunt.

Non Calvinianam aut Lutheranam, ob ſequentes rationes.

XV.

Calvin. lib. 3. inſtit. c. 4. §. 38. Luther. in aſſert. a. 5. & 6. Calv. lib. 3. inſtit. c. 5. §. 6. Luther. ſupra & in aſſert a. 5. Calvin ſupra & lib. 3. c. 4. Luth. in aſſert. a. 1. Calv. l. 3. inſtit. c. 11. § 13. & 14.

1. Quia tollunt confeſſionis Sacramentum, ipſamq; pœnitentiæ virtutem, ſeu dolorem de præteritis; quem Catholici, vt neceſſarium ſemper in ſacramento Pœnitentiæ includimus. 2. Quia negant *Satisfactionis neceſſitatem, dicuntq; eam redundare in ſatisfactionis Chriſti injuriam*; quaſi verò propterea Chriſti ſatisfactio non ſit ſufficiens, ſi noſtra aliquid valet ex ejus pretio. 3. quia negant *Purgatorium, & omnem poſt hanc vitam temporalem animarum caſtigationem.* Similiter, *non remanere vllam obligationem pœnæ temporalis remiſſâ culpâ, ſemper enim cum culpa remitti totam pœnam.* 4. Quia docent, *ſolam fidem ſufficere ad remiſſionem omnis culpæ & pœnæ, nec aliud omnino requiri.* 5. quia adimunt *libertatem arbitrij, & docent omnia inevitabili neceſſitate fieri; hominemq; non poſſe vias ſuas bonas facere, aut malas.* Si autem in humanis actionibus nulla eſt libertas, ſed mera neceſſitas; nulla quoque erit propriè culpa, nulla pœna, nullus infernus;

Digitized by Google

nus; niſi DEVM velimus arguere crudelitatis. Quis ergo nolit cordis ſui libidines ſequi? 6. quia tradunt, *omnia hominum opera, tam mala quàm bona, ab æterno eſſe à* DEO *prædefinita; & vt in tempore fiant voluntates hominum, ad omnia illa à* DEO *inclinari, invitari, incitari, impelli, determinari.* Si verò omnia in nobis operatur DEVS, non eſt quod conemur mala vitare, aut eorum timeamus vltionem. DEVS enim ejus non eſt vltor, cujus eſt auctor: neque etiam id punire poteſt, quod ipſe à nobis fieri vult, & facit vt faciamus. niſi iterum DEO (quæ ab eo longiſſimè abeſt) tyrannidem impingere velimus. *Luther. in aſſert. a. 36. Calv. l. 1. inſtit. c. 16. § 8. Luth ſupra Calv. l 1. inſtit. c. 17. § 5. & c. 18. § 1.*

XVI.

Sunt alia duo argumenta, quibus Lutherus cum Calvino, licentiam ſcelerum invehunt inter mortales. Alterum ſumitur ex Decalogo, à quo obſervando æquè abſoluit Chriſti fideles Lutherus, atq; à legibus ceremonialibus & judicialibus. Sicut ergo ex hujus magiſtri ſententia non teneor admittere circumciſionem, edere agnum paſchalem, ſabbata colere, aliamq; implere legem ceremonialem, ita nec moralem ſeu Decalogum. Si autem ſolutus ſum à Decalogo, quid mihi non liceat? nempe omnia facere contraria præceptis ejus. Sicut ea poſſum facere, quæ repugnant legi ceremoniali. Et quanquam Calvinus eandem de Decalogo doctrinam non tradat apertè, ſatis tamen eam inſinuat, cùm affirmat *legem* DEI, *etiam ſanctis eſſe impoſſibilem.* Si autem eſt impoſſibilis, ergo non obligat, nemo enim ad impoſſibile obligatur. *Luth. ſerm. de Moyſe c. 4. in epiſt. ad Galat. in cap. 20. Exodi.* Licentia ſcelerum à Luthero & Calvino inuecta; quia negant Decalogum ſervari poſſe. *Calv. lib. 2. inſtit. c. 7. § 5.*

XVI.

Alterum argumentum accipiunt ex fide, vt cùm ajunt: *omnes qui habent veram fidem, eſſe prædeſtinatos, & id firmiſſimè debere credere.* Quod ſi verum eſt, nemo eorum aſſecla metuere debet, ne ſalute excidat, vt in gehennam detrudatur; quia prædeſtinatio DEI eſt efficax, & immutabilis Eſt etiam illud ſpeciale promovendæ impietatis momentum, cùm aſſerunt hominem per ſolam fidem ſpecialem, eſſe juſtum coram DEO, abſque vllis bonis operibus; neque illis qui fidem hanc habent, vllum peccatum imputari. nullum etiam in mundo, *niſi ſolam incredulitatem peccatum eſſe, & ſolos incredulos damnandos; eum autem qui fidem retinet, damnari non poſſe.* Quæ doctrina ſequitur ex illo eorundem principio, quo ſtatuunt ſolam fidem ſpecialem eſſe cauſam juſtificationis; hoc eſt, hominem eſſe juſtum coram DEO, ideò ſolùm, quòd firmiter credit, Chriſtum plenè ſatisfeciſſe pro ipſius peccatis. per hanc ſiquidem fidem, ipſi applicari Chriſti ſatisfactionem, ejuſq; fieri quaſi propriam; ita vt per illam juſtus reputetur coram DEO, etiamſi voluntas interiùs non mutetur. itaq; manente hac fide, nullum illi pec- *Calvin. l. 3. inſtit. c. 2. § 6. 7. 11. 12. 15. 16. & 38.* Negant etiam ullum in mundo peccatum eſſe, quod hominem damnet, præter INCREDVLITATEM. *Luth. de libert. Chriſt. & de captiv. Babylon.*

Digitized by Google

Hac datâ portâ & apertâ januâ, quis non ruat in omne ſcelus?

catum nocere poteſt, quia manet in juſtitia Chriſti, eamque per fidem tenet firmiter. Hâc doctrinâ poſitâ, aditus omnibus aperitur flagitijs. de his enim nulla vindicta eſt metuenda, cùm Deus illa non imputet ad culpam, propter ſatisfactionem Chriſti, nobis per fidem communicatam. An verò poteſt Atheiſmus majori licentiæ ad peccandum, viam ſternere, quàm hæc talia Lutheri & Calvini dogmata?

XVIII. Signum III. fidei & Religionis veræ, conſiſtit in ſanctitate membrorum ſuorum.

Apparet hoc ſignũ in Eccleſia Catholica, ejuſq; fide ac Religione.

Tertia Nota veræ Religionis eſt, SANCTITAS CULTORUM ET DOCTORUM. quia enim cum prava Religione, non poteſt conſiſtere vera ſanctitas; hinc illa Religio erit ſancta & genuina, in qua plurimi vixerunt ſanctitate conſpicui. Sed talis eſt Religio Catholica, in qua olim vixerunt Antonius Magnus, Hilarius, Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, alijque, omnium confeſſione ſanctiſſimi, & Romanæ Catholicæ addictiſſimi, tum quia ejus fidem profeſſi ſunt, & eandem pariter propagârunt; tum quia ferè omnes Monachi fuêre, & votis obſtricti, monaſticam vitam coluêre, ejuſque colendæ regulas præſcripsêre. Et quis credat Deum viros tam innocentes, tam ſui, & rerum terrenarum deſpicientes, tam ſtudioſos divinæ gloriæ, tam ardentes Numinis amatores, tot ſeculis permiſiſſe decipi in negotio Religionis, adeoq; damnari, cùm ſine vera fide ſit impoſſibile placere Deo; & vel maximè, poſtquam nihil illi ex ſua parte prætermiſerunt, ad impetranda ſaluti neceſſaria. In qua materia, veriſsima eſt illa Chriſti promiſsio: *omnis qui petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* *Luca* 11. 10.

XIX. Non Lutherana aut Calviniana, earumque Architectis. Tum quia Lutherus, homo tumidus, arrogans, maledicus, venereus, & quod caput eſt, Apoſtata fuit votifragus.

Iam ſi Lutherum & Calvinum, novarum vt ajunt religionum architectos, vel ſaltem veteris reſtauratores, inſpicere velimus; non tantùm nihil ſupra vulgus habuerunt in pietate, ſed etiam maximis vitijs obnoxij fuerunt. Certè, cùm quædam indulgentiæ per Germaniam eſſent promulgandæ, idq; munus delatum fuiſſet PP. Dominicanis, non vt priùs, familiæ S. Auguſtini, cujus membrum erat Lutherus; tantopere eum vſsit, ſuum Ordinem pertranſitum eſſe, vt primùm contra indulgentias, tum alia fidei capita, indignè multa effutierit; demum ſummi Pontificis authoritatem non ſit veritus convellere. Ab hoc ſuperbiæ gradu, ad ſacrilegium aſcendit; quando & monachum cum cucullo exuit, & monialem Deo ſacratam, è clauſtro abduxit, ſibiq; per inceſtas nuptias copulavit. Factus deinde ventris ſui, & libidinis ſervus, non tantùm frequens erat in compotatio-

potationibus, ac pergræcationibus homo germanus, ſed etiam aſſerebat; ſi vxor debitum negaverit, cum ancilla venerem licitè extingui poſſe. Maledicentiæ verò tum ſingulare edidit ſpecimen, quando contra Regem Angliæ ſcribens, Principes, Reges & Imperatores Christianos, appellat Tyrannos, moriones, fatuos, ſtultos, feras beſtias, carnifices, Dei inimicos, nequiſsimos nebulones. Eodem libro ait; Principes, Reges, Pontifices, non eſſe dignos, qui ſolvant ipſius corrigiam calceamenti; ſe pro ſancto viro haberi velle, nolint velint homines. Ibidem ait; ſe non magni facere mille Cyprianos, mille Auguſtinos, præ ſua authoritate. Eſt & illud ſive odij, ſive inſigne vindictæ teſtimonium, cum in materia S. Euchariſtiæ iſtud de Eccleſia Catholica affirmavit. *Si quod Concilium ſtatueret, aut permitteret vtramq; ſpeciem, nos nequaquam vtraq; vti vellemus; ſed in deſpectum Concilij, ejusq; ſtatuti, aut vna, aut neutrâ vti vellemus, maledicturi vniverſos, qui ex ſtatuto Concilij vtraq; vterentur.* Itaque Lutherus, vt contemptu ſe vindicare poſſet de Eccleſiâ, etiam ſtatuit re ad ſalutem neceſſariâ abſtinere, puta vſu vtriuſque ſpeciei.

Luth. lib. de matrim.

Luth in lib. contra Regem Angliæ.

Luth. de formula miſſandi.

XX.

Neque Luthero Calvinus multò eſt pulchrior. Eum coloribus ſuis depinxerunt, ſive facinoribus plenum, falſis inquam criminationibus, homicidijs, furtis, impuritatibus, propoſuerunt Hieronymus Bolſecus, Iulius Brigerus, & alij. Novioduni certè, jam actis judicialibus convictus de nefando crimine, jam per ſententiam damnatus ad rogum fuit; niſi precibus Epiſcopi, pœna ignis fuiſſet commutata in ſupplicium virgarum, & ferri candentis lilium, infami tergo inuſtum. Auſus tamen fuit vir improbus, poſtea non tantùm Doctores Scholaſticos vocare ſophiſtas, ſanctos Patres accuſare erroris, ſed etiam in iſtiuſmodi turpis inſaniæ verba prorumpere. *Ego propheta ſum; ego DEI ſpiritum habeo; ego ſi erro, tu es DEVS, qui me propter peccata populi in errorem mittis, & decipis.* Et erit adhuc aliquis tam fungus, vt credat DEVM ad reformationem Eccleſiæ ſuæ, voluiſſe vti Luthero & Calvino, quibus pro ſanctitate morum, lingua fuit effrenis & maledica, animus tumidus & ambitioſus, tota vita ſcelerata & infamis? An, qui per infamiam jure cæſareo, non poterant admitti ad vllam dignitatem, ad ullum officium, ſive Eccleſiaſticum, ſive ſeculare; imò nec ad accuſandũ, nec ad poſtulandũ; admiſſi ſunt à DEO, vt Reformatores Religionis vt architecti Eccleſię, ut Iudices Epiſcoporum, Pontificum, & Conciliorum

Bolſecus in Vita Calv. c.6. Brigerus pag. 59.

Tum quia Calvinus, non tantũ inſolenter ſuperbus, ſed inſuper propter nefandum crimen, candentis lilij ſigno, inuſtus fuit.

Et hoc tam ſanctum, tam NOBILE PAR FRATRUM, reformaverunt Eccleſiã Dei?

Horat. lib. 3. carm. Ode 6.

ciliorum œcumeniorum? Apud hos igitur impios reformatæ Religionis auctores, tametſi non dico ſecutam eſſe *progeniem vitioſiorem*; ſanè tamen nullum dare poſſunt ex omni numero, ne dicam plures, qui totiûs orbis judicio, verâ vitæ ſanctimoniâ floruerint; cùm tamen adverſarij noſtri minimè negent, quos ſupra citavi ex Patribus, verè olim ſanctos fuiſſe, & nunc beatos in cœlo gaudere.

XXI. Signũ IV. veræ Religionis & fidei, ſunt Miracula, veritatis teſtimonia.

Reperta olim in Eccleſia Catholica, pro ejus fidei articulis ſtabiliendis.

Conſcripta etiam à doctiſſimis & ſanctiſſimis viris; quibus fraus & figmentum, ſine crimine impingi non poteſt.

Inueniuntur & hodie in Catholica Eccleſia, Miracula ſæpius palpanda.

Quarta Religionis Nota, ſunt MIRACVLA, velut ſigilla quædam, & divina teſtimonia, quibus à DEO Religio comprobatur, ejuſque credenda dogmata. Sola autem Eccleſia & Religio Catholica gaudet miraculis, & quidem inde à temporibus Apoſtolorum, huc vſq; continuatis per plurima ſæcula; quod ex communi ſenſu Chriſtiani orbis, perſuaſiſſimum eſt omnibus fidelibus, conſtatque varijs hiſtorijs, regnorum annalibus, geſtis, vitiſque ſanctorum. Et negare hæc vniverſa velle, eſt tollere omnem omnium hiſtoricorum fidem. Accedit quod miracula à ſanctiſſimis Viris in confirmationem fidei ac doctrinæ catholicæ facta, graviſſimi & ſanctiſſimi quoque ſcriptores conſignârunt. velut illa Gregorij Thaumaturgi, Gregorius Nyſſenus & Baſilius; Antonij, Athanaſius & Hieronymus; Martini, Severus Sulpitius; Benedicti, Gregorius Magnus; Franciſci Seraphici, Bonaventura; aliorum alij, tantâ authoritate & pietate homines, vt credibile non ſit, per vanitatis figmenta voluiſſe eos mundo imponere, in perniciem animæ ſuæ, æternumque nominis probrum, ſi quis conficta mendacia, potuiſſet contrariâ veritate explodere. Et illud quoque obſervatione dignum, nova miracula nunquam in Eccleſiâ Catholica approbari, niſi præceſſerit accurata diſcuſſio, & juratorum teſtium examen. Inſpicitur tum quàm diligentiſſimè ipſum factum, quomodo, quo ordine, loco, tempore; quâ occaſione, quo fine, coram quibus, & circa quos miraculum patratum; an id vel ſoliûs naturæ viribus, an etiam ope dœmonum fieri potuerit. Et profectò ad divinam providentiam ſpectat, non permittere, vt homines tam miſerè deludantur, poſt tantam curam indagandę veritatis, in cauſa Religionis adhibitam. Pręterquam etiam certum eſt, miracula ad ſtabiliendum cultum reliquiarum, imaginũ, ſanctorum, ſimiliumq; aliorum fidei articulorum, tam manifeſta fuiſſe, & eſſe hodieque, vt à pluribus & oculis cerni, & manibus palpari poſſint, accedente non ſemel vtriuſque Magiſtratûs authoritate, & publicis tabulis.

Quę

Digitized by Google

Quæ tamen miracula deficiunt apud Lutheri & Calvini aſſeclas, cùm vel maximè in ortu ſuarum Religionum eſſent neceſſaria; ſcilicet vt oſtenderent earum Primipili, ſe non eſſe impoſtores, & à DEO legitimè miſſos (quod jactabant) ad extinctum quaſi regnum Chriſti, reſuſcitandum; collapſam ejus Eccleſiam, à caſu erigendam; antiquæ Religionis rugas abſtergendas, & quos ſenio ſuo contraxerat, errorum nævos. Ita ſanè prophetæ omnes, vel miraculis, vel vaticinijs ſuam miſſionem probârunt. Neq; aliter Moyſes Pharaoni, perſuadere conatus eſt, ſe Numinis imperio educturum ex Ægypto Hebræos, quàm prodigiorum potentiâ. Et Chriſtus, quando Religionem veteris teſtamenti, apud Iudæos mutavit ex vmbra ad veritatem, ex typo ad exemplar; etſi ſcripturæ teſtimonijs clariſſimè evinceret, à DEO ſe miſſum eſſe ad hanc mutationem; nihilominus, ne relinqueretur occaſio tergiverſandi apud Hebræos, miracula quoque adhibuit, faciendæ fidei efficaciſſimum argumentum. Quantò igitur magis his erat opus, cùm de ipſa Religione novi teſtamenti mutanda, agebant Lutherus & Calvinus? Quis prudenter eorum doctrinam, tam novam, tam paradoxam, tam ſcripturis & judicio omnium Patrum adverſantem credat, ſine maximis miraculis? Præſertim cùm Catholica Religio, quæ nunc viget, fuerit in poſſeſſione à mille circiter annis, vt à toto mundo haberetur pro vera Religione, & qui ab ea receſſiſſent, pro hæreticis. Ergo ſine evidentiſsimis ſignis, & divinis portentis, oſtendentibus ejus poſſeſſionem fuiſſe iniquam, non poteſt deturbari ab illa. Nec refert quod Ioannes Baptiſta miraculis non claruerit. nam & DEUS multa circa ipſum mira ac ſupra naturam operatus eſt; & ipſa quoque ejus ſanctitas, vitæq; auſteritas, tota miraculum fuit, vt de illius miſſione nemo ambigeret. Sed ad novum Evangelium, ſeu reformatam Religionem, brevi tempore plurimi ſe adjunxerunt. Hoc autem tam parum habet admirationis, quàm amoto impedimento, lapidem deorſum cadere; & ſublato obice flumen properare ad mare. Si Lutherus & Calvinus, invitâſſet homines ad aſperiorem & ſeveriorem Catholicâ Religionem, id enimverò ſpeciem habuiſſet portenti, ſi illuc magno numero confluxiſſent mortales, adversùs naturæ jam corruptæ impetum. Nunc autem utrique reponimus, illud Ioviniano hæretico, veriſſimè dictum à S. Hieronymo: *quòd multi acquieſcunt ſententiæ tuæ, indicium voluptatis eſt; non enim tam te loquentem probant, quàm ſuis favent vitijs. pro magna ſapientia deputas, ſi plures porci poſt te currant, quos gehenna nutrit.*

XXII. Qualia verò apud Lutheranos & Calviniſtas?

Neq, Lutherus ipſe aut Calvinus, miſſionem ſuam doctrinamque, miraculo vno probavit.

Et quis prudenter, eorum doctrinam tam novã, paradoxã, ſcripturis & SS. Patribus adverſantem, amplecteretur ſine teſtimonio miraculi?

Niſi hoc miraculum ſit, miſeras animas, ſecundùm impetum naturæ corruptæ, præcipitaſſe in devia.

S. Hieron. lib. 2. contra Iovinian. in fine.

Digitized by Google

Horat. lib. 3. carm. Ode 6.

ciliorum œcumeniorum? Apud hos igitur impios reformatæ Religionis auctores, tametſi non dico ſecutam eſſe *progeniem vitioſiorem*; ſanè tamen nullum dare poſſunt ex omni numero, ne dicam plures, qui totiûs orbis judicio, verâ vitæ ſanctimoniâ floruerint; cùm tamen adverſarij noſtri minimè negent, quos ſupra citavi ex Patribus, verè olim ſanctos fuiſſe, & nunc beatos in cœlo gaudere.

XXI.

Signũ IV. veræ Religionis & fidei, ſunt Miracula, veritatis teſtimonia.

Quarta Religionis Nota, ſunt MIRACVLA, velut ſigilla quædam, & divina teſtimonia, quibus à DEO Religio comprobatur, ejuſque credenda dogmata. Sola autem Eccleſia & Religio Catholica gaudet miraculis, & quidem inde à temporibus Apoſtolorum, huc vſq; continuatis per plurima ſæcula; quod ex communi ſenſu Chriſtiani orbis, perſuaſiſſimum eſt omnibus fidelibus, conſtatque varijs hiſtorijs, regnorum annalibus, geſtis, vitiſque ſanctorum. Et negare hæc vniverſa velle, eſt tollere omnem omnium hiſtoricorum fidem. Accedit quod miracula à ſanctiſſimis Viris in confirmationem fidei ac doctrinæ catholicæ facta, graviſſimi & ſanctiſſimi quoque ſcriptores conſignârunt. velut illa Gregorij Thaumaturgi, Gregorius Nyſſenus & Baſilius; Antonij, Athanaſius & Hieronymus; Martini, Severus Sulpitius; Benedicti, Gregorius Magnus; Franciſci Seraphici, Bonaventura; aliorum alij, tantâ authoritate & pietate homines, vt credibile non ſit, per vanitatis figmenta voluiſſe eos mundo imponere, in perniciem animæ ſuæ, æternumque nominis probrum, ſi quis confictа mendacia, potuiſſet contrariâ veritate explodere. Et illud quoque obſervatione dignum, nova miracula nunquam in Eccleſiâ Catholica approbari, niſi præceſſerit accurata diſcuſſio, & juratorum teſtium examen. Inſpicitur tum quàm diligentiſſimè ipſum factum, quomodo, quo ordine, loco, tempore; quâ occaſione, quo fine, coram quibus, & circa quos miraculum patratum; an id vel ſoliûs naturæ viribus, an etiam ope dœmonum fieri potuerit. Et profectò ad divinam providentiam ſpectat, non permittere, vt homines tam miſerè deludantur, poſt tantam curam indagandę veritatis, in cauſa Religionis adhibitam. Pręterquam etiam certum eſt, miracula ad ſtabiliendum cultum reliquiarum, imaginũ, ſanctorum, ſimiliumq; aliorum fidei articulorum, tam manifeſta fuiſſe, & eſſe hodieque, vt à pluribus & oculis cerni, & manibus palpari poſsint, accedente non ſemel vtriuſque Magiſtratûs authoritate, & publicis tabulis.

Reperta olim in Eccleſia Catholica, pro ejus fidei articulis ſtabiliendis.

Conſcripta etiam à doctiſſimis & ſanctiſſimis viris; quibus fraus & figmentum, ſine crimine impingi non poteſt.

Inueniuntur & hodie in Catholica Eccleſia, Miracula ſæpius palpanda.

Quę

Quæ tamen miracula deficiunt apud Lutheri & Calvini aſſeclas, cùm vel maximè in ortu ſuarum Religionum eſſent neceſſaria; ſcilicet vt oſtenderent earum Primipili, ſe non eſſe impoſtores, & à Deo legitimè miſſos (quod jactabant) ad extinctum quaſi regnum Chriſti, reſuſcitandum; collapſam ejus Eccleſiam, à caſu erigendam; antiquæ Religionis rugas abſtergendas, & quos ſenio ſuo contraxerat, errorum nævos. Ita ſanè prophetæ omnes, vel miraculis, vel vaticinijs ſuam miſſionem probârunt. Neq; aliter Moyſes Pharaoni, perſuadere conatus eſt, ſe Numinis imperio educturum ex Ægypto Hebræos, quàm prodigiorum potentiâ. Et Chriſtus, quando Religionem veteris teſtamenti, apud Iudæos mutavit ex vmbra ad veritatem, ex typo ad exemplar; etſi ſcripturæ teſtimonijs clariſſimè evinceret, à Deo ſe miſſum eſſe ad hanc mutationem; nihilominus, ne relinqueretur occaſio tergiverſandi apud Hebræos, miracula quoque adhibuit, faciendæ fidei efficaciſſimum argumentum. Quantò igitur magis his erat opus, cùm de ipſa Religione novi teſtamenti mutanda, agebant Lutherus & Calvinus? Quis prudenter eorum doctrinam, tam novam, tam paradoxam, tam ſcripturis & judicio omnium Patrum adverſantem credat, ſine maximis miraculis? Præſertim cùm Catholica Religio, quæ nunc viget, fuerit in poſſeſſione à mille circiter annis, vt à toto mundo haberetur pro vera Religione, & qui ab ea receſſiſſent, pro hæreticis. Ergo ſine evidentiſsimis ſignis, & divinis portentis, oſtendentibus ejus poſſeſſionem fuiſſe iniquam, non poteſt deturbari ab illa. Nec refert quod Ioannes Baptiſta miraculis non claruerit. nam & Deus multa circa ipſum mira ac ſupra naturam operatus eſt; & ipſa quoque ejus ſanctitas, vitæq; auſteritas, tota miraculum fuit, vt de illius miſſione nemo ambigeret. Sed ad novum Evangelium, ſeu reformatam Religionem, brevi tempore plurimi ſe adjunxerunt. Hoc autem tam parum habet admirationis, quàm amoto impedimento, lapidem deorſum cadere; & ſublato obice flumen properare ad mare. Si Lutherus & Calvinus, invitâſſet homines ad aſperiorem & ſeveriorem Catholicâ Religionem, id enimverò ſpeciem habuiſſet portenti, ſi illuc magno numero confluxiſſent mortales, adversùs naturæ jam corruptæ impetum. Nunc autem utrique reponimus, illud Ioviniano hæretico, veriſſimè dictum à S. Hieronymo: *quòd multi acquieſcunt ſententiæ tuæ, indicium voluptatis eſt; non enim tam te loquentem probant, quàm ſuis favent vitijs. pro magna ſapientia deputas, ſi plures porci poſt te currant, quos gehennæ nutries.*

XXII. Qualia verò apud Lutheranos & Calviniſtas? Neq; Lutherus ipſe aut Calvinus, miſſionem ſuam doctrinamque, miraculo vno probavit.

Et quis prudenter, eorum doctrinam tam novã, paradoxã, ſcripturis & SS. Patribus adverſantem, amplecteretur ſine teſtimonio miraculi?

Niſi hoc miraculum ſit, miſeras animas, ſecundùm impetum naturæ corruptæ, præcipitaſſe in devia.

S. Hieron. lib. 2. contra Iovinian. in fine.

Horat. lib. 3. carm. Ode 6.

ciliorum œcumeniorum? Apud hos igitur impios reformatæ Religionis auctores, tametſi non dico ſecutam eſſe *progeniem vitioſiorem*; ſanè tamen nullum dare poſſunt ex omni numero, ne dicam plures, qui totiûs orbis judicio, verâ vitæ ſanctimoniâ floruerint; cùm tamen adverſarij noſtri minimè negent, quos ſupra citavi ex Patribus, verè olim ſanctos fuiſſe, & nunc beatos in cœlo gaudere.

XXI.

Signũ IV. veræ Religionis & fidei, ſunt Miracula, veritatis teſtimonia.

Quarta Religionis Nota, ſunt MIRACVLA, velut ſigilla quædam, & divina teſtimonia, quibus à DEO Religio comprobatur, ejuſque credenda dogmata. Sola autem Eccleſia & Religio Catholica gaudet miraculis, & quidem inde à temporibus Apoſtolorum, huc vſq; continuatis per plurima ſæcula; quod ex communi ſenſu Chriſtiani orbis, perſuaſiſſimum eſt omnibus fidelibus, conſtatque varijs hiſtorijs, regnorum annalibus, geſtis, vitiſque ſanctorum. Et negare hæc vniverſa velle, eſt tollere omnem omnium hiſtoricorum fidem.

Reperta olim in Eccleſia Catholica, pro ejus fidei articulis ſtabiliendis.

Accedit quod miracula à ſanctiſſimis Viris in confirmationem fidei ac doctrinæ catholicæ facta, graviſſimi & ſanctiſſimi quoque ſcriptores conſignârunt. velut illa Gregorij Thaumaturgi, Gregorius Nyſſenus & Baſilius; Antonij, Athanaſius & Hieronymus; Martini, Severus Sulpitius; Benedicti, Gregorius Magnus; Franciſci Seraphici, Bonaventura; aliorum alij, tantâ authoritate & pietate homines, vt credibile non ſit, per vanitatis figmenta voluiſſe eos mundo imponere, in perniciem animæ ſuæ, æternumque nominis probrum, ſi quis conficta mendacia, potuiſſet contrariâ veritate explodere.

Conſcripta etiam à doctiſſimis & ſanctiſſimis viris; quibus fraus & figmentum, ſine crimine impingi non poteſt.

Et illud quoque obſervatione dignum, nova miracula nunquam in Eccleſiâ Catholica approbari, niſi præceſſerit accurata diſcuſſio, & juratorum teſtium examen. Inſpicitur tum quàm diligentiſſimè ipſum factum, quomodo, quo ordine, loco, tempore; quâ occaſione, quo fine, coram quibus, & circa quos miraculum patratum; an id vel ſoliûs naturæ viribus, an etiam ope dœmonum fieri potuerit. Et profectò ad divinam providentiam ſpectat, non permittere, vt homines tam miſerè deludantur, poſt tantam curam indagandę veritatis, in cauſa Religionis adhibitam.

Inueniuntur & hodie in Catholica Eccleſia, Miracula ſæpius palpanda.

Prętterquam etiam certum eſt, miracula ad ſtabiliendum cultum reliquiarum, imaginũ, ſanctorum, ſimiliumq; aliorum fidei articulorum, tam manifeſta fuiſſe, & eſſe hodieque, vt à pluribus & oculis cerni, & manibus palpari poſsint, accedente non ſemel vtriuſque Magiſtratûs authoritate, & publicis tabulis.

Quę

Quæ tamen miracula deficiunt apud Lutheri & Calvini aſſeclas, cùm vel maximè in ortu ſuarum Religionum eſſent neceſſaria; ſcilicet vt oſtenderent earum Primipili, ſe non eſſe impoſtores, & à Deo legitimè miſſos (quod jactabant) ad extinctum quaſi regnum Christi, reſuſcitandum; collapſam ejus Eccleſiam, à caſu erigendam; antiquæ Religionis rugas abſtergendas, & quos ſenio ſuo contraxerat, errorum nævos. Ita ſanè prophetæ omnes, vel miraculis, vel vaticinijs ſuam miſſionem probârunt. Neq; aliter Moyſes Pharaoni, perſuadere conatus eſt, ſe Numinis imperio educturum ex Ægypto Hebræos, quàm prodigiorum potentiâ. Et Chriſtus, quando Religionem veteris teſtamenti, apud Iudæos mutavit ex vmbra ad veritatem, ex typo ad exemplar; etſi ſcripturæ teſtimonijs clariſſimè evinceret, à Deo ſe miſſum eſſe ad hanc mutationem; nihilominus, ne relinqueretur occaſio tergiverſandi apud Hebræos, miracula quoque adhibuit, faciendæ fidei efficaciſſimum argumentum. Quantò igitur magis his erat opus, cùm de ipſa Religione novi teſtamenti mutanda, agebant Lutherus & Calvinus? Quis prudenter eorum doctrinam, tam novam, tam paradoxam, tam ſcripturis & judicio omnium Patrum adverſantem credat, ſine maximis miraculis? Præſertim cùm Catholica Religio, quæ nunc viget, fuerit in poſſeſſione à mille circiter annis, vt à toto mundo haberetur pro vera Religione, & qui ab ea receſſiſſent, pro hæreticis. Ergo ſine evidentiſsimis ſignis, & divinis portentis, oſtendentibus ejus poſſeſſionem fuiſſe iniquam, non poteſt deturbari ab illa. Nec refert quod Ioannes Baptiſta miraculis non claruerit. nam & Deus multa circa ipſum mira ac ſupra naturam operatus eſt; & ipſa quoque ejus ſanctitas, vitæq; auſteritas, tota miraculum fuit, vt de illius miſſione nemo ambigeret. Sed ad novum Evangelium, ſeu reformatam Religionem, brevi tempore plurimi ſe adjunxerunt. Hoc autem tam parum habet admirationis, quàm amoto impedimento, lapidem deorſum cadere; & ſublato obice flumen properare ad mare. Si Lutherus & Calvinus, invitâſſet homines ad aſperiorem & ſeveriorem Catholicâ Religionem, id enimverò ſpeciem habuiſſet portenti, ſi illuc magno numero confluxiſſent mortales, adverſùs naturæ jam corruptæ impetum. Nunc autem utrique reponimus, illud Ioviniano hæretico, veriſſimè dictum à S. Hieronymo: *quòd multi acquieſcunt ſententiæ tuæ, indicium voluptatis eſt; non enim tam te loquentem probant, quàm ſuis favent vitijs. pro magna ſapientia deputas, ſi plures porci poſt te currant, quos gehennæ nutrias.*

XXII. Qualia verò apud Lutheranos & Calviniſtas?

Neq. Lutherus ipſe aut Calvinus, miſſionem ſuam doctrinamque, miraculo vno probavit.

Et quis prudenter, eorum doctrinam tam novâ, paradoxâ, ſcripturis & SS. Patribus adverſantem, amplecteretur ſine teſtimonio miraculi?

Niſi hoc miraculum ſit, miſeras animas, ſecundùm impetum naturæ corruptæ, præcipitaſſe in devia.

S. Hieron. lib. 2. contra Iovinian. in fine.

Horat. lib. 3. carm. Ode 6.

ciliorum œcumeniorum? Apud hos igitur impios reformatæ Religionis auctores, tametſi non dico ſecutam eſſe *progeniem vitioſiorem*; ſanè tamen nullum dare poſſunt ex omni numero, ne dicam plures, qui totiûs orbis judicio, verâ vitæ ſanctimoniâ floruerint; cùm tamen adverſarij noſtri minimè negent, quos ſupra citavi ex Patribus, verè olim ſanctos fuiſſe, & nunc beatos in cœlo gaudere.

XXI.

Signũ IV. veræ Religionis & fidei, ſunt Miracula, veritatis teſtimonia.

Quarta Religionis Nota, ſunt MIRACVLA, velut ſigilla quædam, & divina teſtimonia, quibus à DEO Religio comprobatur, ejuſque credenda dogmata. Sola autem Eccleſia & Religio Catholica gaudet miraculis, & quidem inde à temporibus Apoſtolorum, huc vſq; continuatis per plurima ſæcula; quod ex communi ſenſu Chriſtiani orbis, perſuaſiſſimum eſt omnibus fidelibus, conſtatque varijs hiſtorijs, regnorum annalibus, geſtis, vitiſque ſanctorum. Et negare hæc vniverſa velle, eſt tollere omnem omnium hiſtoricorum fidem. Accedit quod miracula à ſanctiſſimis Viris in confirmationem fidei ac doctrinæ catholicæ facta, graviſſimi & ſanctiſſimi quoque ſcriptores conſignârunt. velut illa Gregorij Thaumaturgi, Gregorius Nyſſenus & Baſilius; Antonij, Athanaſius & Hieronymus; Martini, Severus Sulpitius; Benedicti, Gregorius Magnus; Franciſci Seraphici, Bonaventura; aliorum alij, tantâ authoritate & pietate homines, vt credibile non ſit, per vanitatis figmenta voluiſſe eos mundo imponere, in perniciem animæ ſuæ, æternumque nominis probrum, ſi quis conficta mendacia, potuiſſet contrariâ veritate explodere. Et illud quoque obſervatione dignum, nova miracula nunquam in Eccleſiâ Catholica approbari, niſi præceſſerit accurata diſcuſſio, & juratorum teſtium examen. Inſpicitur tum quàm diligentiſſimè ipſum factum, quomodo, quo ordine, loco, tempore; quâ occaſione, quo fine, coram quibus, & circa quos miraculum patratum; an id vel ſoliûs naturæ viribus, an etiam ope dœmonum fieri potuerit. Et profectò ad divinam providentiam ſpectat, non permittere, vt homines tam miſerè deludantur, poſt tantam curam indagandę veritatis, in cauſa Religionis adhibitam. Pręterquam etiam certum eſt, miracula ad ſtabiliendum cultum reliquiarum, imaginũ, ſanctorum, ſimiliumq; aliorum fidei articulorum, tam manifeſta fuiſſe, & eſſe hodieque, vt à pluribus & oculis cerni, & manibus palpari poſſint, accedente non ſemel vtriuſque Magiſtratûs authoritate, & publicis tabulis.

Reperta olim in Eccleſia Catholica, pro ejus fidei articulis ſtabiliendis.

Conſcripta etiam à doctiſſimis & ſanctiſſimis viris; quibus fraus & figmentum, ſine crimine impingi non poteſt.

Inueniuntur & hodie in Catholica Eccleſia, Miracula ſæpius palpanda.

Quę

Digitized by Google

Quæ tamen miracula deficiunt apud Lutheri & Calvini aſſeclas, cùm vel maximè in ortu ſuarum Religionum eſſent neceſſaria; ſcilicet vt oſtenderent earum Primipili, ſe non eſſe impoſtores, & à DEO legitimè miſſos (quod jactabant) ad extinctum quaſi regnum Chriſti, reſuſcitandum; collapſam ejus Eccleſiam, à caſu erigendam; antiquæ Religionis rugas abſtergendas, & quos ſenio ſuo contraxerat, errorum nævos. Ita ſanè prophetæ omnes, vel miraculis, vel vaticiniis ſuam miſſionem probârunt. Neq; aliter Moyſes Pharaoni, perſuadere conatus eſt, ſe Numinis imperio educturum ex Ægypto Hebræos, quàm prodigiorum potentiâ. Et Chriſtus, quando Religionem veteris teſtamenti, apud Iudæos mutavit ex vmbra ad veritatem, ex typo ad exemplar; etſi ſcripturæ teſtimoniis clariſſimè evinceret, à DEO ſe miſſum eſſe ad hanc mutationem; nihilominus, ne relinqueretur occaſio tergiverſandi apud Hebræos, miracula quoque adhibuit, faciendæ fidei efficaciſſimum argumentum. XXII. *Qualia verò apud Lutheranos & Calviniſtas?* *Neq. Lutherus ipſe aut Calvinus, miſſionem ſuam doctrinamque, miraculo vno probavit.*

Quantò igitur magis his erat opus, cùm de ipſa Religione novi teſtamenti mutanda, agebant Lutherus & Calvinus? Quis prudenter eorum doctrinam, tam novam, tam paradoxam, tam ſcripturis & judicio omnium Patrum adverſantem credat, ſine maximis miraculis? Præſertim cùm Catholica Religio, quæ nunc viget, fuerit in poſſeſſione à mille circiter annis, vt à toto mundo haberetur pro vera Religione, & qui ab ea receſſiſſent, pro hæreticis. Ergo ſine evidentiſsimis ſignis, & divinis portentis, oſtendentibus ejus poſſeſſionem fuiſſe iniquam, non poteſt deturbari ab illa. Nec refert quod Ioannes Baptiſta miraculis non claruerit. nam & DEUS multa circa ipſum mira ac ſupra naturam operatus eſt; & ipſa quoque ejus ſanctitas, vitæq; auſteritas, tota miraculum fuit, vt de illius miſſione nemo ambigeret. Sed ad novum Evangelium, ſeu reformatam Religionem, brevi tempore plurimi ſe adjunxerunt. Hoc autem tam parum habet admirationis, quàm amoto impedimento, lapidem deorſum cadere; & ſublato obice flumen properare ad mare. Si Lutherus & Calvinus, invitâſſet homines ad aſperiorem & ſeveriorem Catholicâ Religionem, id enimverò ſpeciem habuiſſet portenti, ſi illuc magno numero confluxiſſent mortales, adversùs naturæ jam corruptæ impetum. Nunc autem utrique reponimus, illud Ioviniano hæretico, veriſſimè dictum à S. Hieronymo: *quòd multi acquieſcunt ſententiæ tuæ, indicium voluptatis eſt; non enim tam te loquentem probant, quàm ſuis favent vitiis. pro magna ſapientia deputas, ſi plures porci poſt te currant, quos gehennæ nutris.*

Et quis prudenter, eorum doctrinam tam novã, paradoxã, ſcripturis & SS. Patribus adverſantem, amplecteretur ſine teſtimonio miraculi?

Niſi hoc miraculum ſit, miſeras animas, ſecundùm impetum naturæ corruptæ, præcipitaſſe in devia.

S. Hieron. lib. 2. contra Iovinian. in fine.

catum nocere poteſt, quia manet in juſtitia Chriſti, eamque per fidem tenet firmiter. Hâc doctrinâ poſitâ, aditus omnibus aperitur flagitijs. de his enim nulla vindicta eſt metuenda, cùm Deus illa non imputet ad culpam, propter ſatisfactionem Chriſti, nobis per fidem communicatam. An verò poteſt Atheiſmus majori licentiæ ad peccandum, viam ſternere, quàm hæc talia Lutheri & Calvini dogmata?

Hac datâ portâ & apertâ januâ, quis non ruat in omne ſcelus?

XVIII. *Signum III. fidei & Religionis veræ, conſiſtit in ſanctitate membrorum ſuorum.*

Tertia Nota veræ Religionis eſt, SANCTITAS CVLTORVM ET DOCTORVM. quia enim cum prava Religione, non poteſt conſiſtere vera ſanctitas; hinc illa Religio erit ſancta & genuina, in qua plurimi vixerunt ſanctitate conſpicui. Sed talis eſt Religio Catholica, in qua olim vixerunt Antonius Magnus, Hilarius, Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, alijque, omnium confeſſione ſanctiſſimi, & Romanæ Catholicæ addictiſſimi, tum quia ejus fidem profeſſi ſunt, & eandem pariter propagârunt; tum quia ferè omnes Monachi fuêre, & votis obſtricti, monaſticam vitam coluêre, ejuſque colendæ regulas præſcripsêre. Et quis credat Deum viros tam innocentes, tam ſui, & rerum terrenarum deſpicientes, tam ſtudioſos divinæ gloriæ, tam ardentes Numinis amatores, tot ſeculis permiſiſſe decipi in negotio Religionis, adeoq; damnari, cùm ſine vera fide ſit impoſſibile placere Deo; & vel maximè, poſtquam nihil illi ex ſua parte prætermiſerunt, ad impetranda ſaluti neceſſaria. In qua materia, veriſsima eſt illa Chriſti promiſsio: *omnis qui petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.*

Apparet hoc ſignũ in Eccleſia Catholica, ejuſq; fide ac Religione.

Luca 11. 10.

XIX. *Non Lutherana aut Calviniana, earumque Architectis. Tum quia Lutherus, homo tumidus, arrogans, maledicus, verecus, & quod caput eſt, Apoſtata fuit votifragus.*

Iam ſi Lutherum & Calvinum, novarum vt ajunt religionum architectos, vel ſaltem veteris reſtauratores, inſpicere velimus; non tantùm nihil ſupra vulgus habuerunt in pietate, ſed etiam maximis vitijs obnoxij fuerunt. Certè, cùm quædam indulgentiæ per Germaniam eſſent promulgandæ, idq; munus delatum fuiſſet PP. Dominicanis, non vt priùs, familiæ S. Auguſtini, cujus membrum erat Lutherus; tantopere eum vſsit, ſuum Ordinem pertranſitum eſſe, vt primùm contra indulgentias, tum alia fidei capita, indignè multa effutierit; demum ſummi Pontificis authoritatem non ſit veritus convellere. Ab hoc ſuperbiæ gradu, ad ſacrilegium aſcendit; quando & monachum cum cucullo exuit, & monialem Deo ſacratam, è clauſtro abduxit, ſibiq; per inceſtas nuptias copulavit. Factus deinde ventris ſui, & libidinis ſervus, non tantùm frequens erat in compotatio-

potationibus, ac pergræcationibus homo germanus, ſed etiam aſſerebat; ſi vxor debitum negaverit, cum ancilla venerem licitè extingui poſſe. Maledicentiæ verò tum ſingulare edidit ſpecimen, quando contra Regem Angliæ ſcribens, Principes, Reges & Imperatores Chriſtianos, appellat Tyrannos, moriones, fatuos, ſtultos, feras beſtias, carnifices, Dei inimicos, nequiſsimos nebulones. Eodem libro ait; Principes, Reges, Pontifices, non eſſe dignos, qui ſolvant ipſius corrigiam calceamenti; ſe pro ſancto viro haberi velle, nolint velint homines. Ibidem ait; ſe non magni facere mille Cyprianos, mille Auguſtinos, præ ſua authoritate. Eſt & illud ſive odij, ſive inſigne vindictæ teſtimonium, cum in materia S. Euchariſtiæ iſtud de Eccleſia Catholica affirmavit. *Si quod Concilium ſtatueret, aut permitteret vtramq; ſpeciem, nos nequaquam vtraq; vti vellemus; ſed in deſpectum Concilij, ejusq; ſtatuti, aut vnâ, aut neutrâ vti vellemus, maledicturi vniverſos, qui ex ſtatuto Concilij vtraq; vterentur.* Itaque Lutherus, vt contemptu ſe vindicare poſſet de Eccleſiâ, etiam ſtatuit re ad ſalutem neceſſariâ abſtinere, puta vſu vtriuſque ſpeciei.

Luth. lib. de matrim.

Luth in lib. contra Regem Angliæ.

Luth. de formula miſſandi.

XX. Neque Luthero Calvinus multò eſt pulchrior. Eum coloribus ſuis depinxerunt, ſive facinoribus plenum, falſis inquam criminationibus, homicidijs, furtis, impuritatibus, propoſuerunt Hieronymus Bolſecus, Iulius Brigerus, & alij. Novioduni certè, jam actis judicialibus convictus de nefando crimine, jam per ſententiam damnatus ad rogum fuit; niſi precibus Epiſcopi, pœna ignis fuiſſet commutata in ſupplicium virgarum, & ferri candentis lilium, infami tergo inuſtum. Auſus tamen fuit vir improbus, poſtea non tantùm Doctores Scholaſticos vocare ſophiſtas, ſanctos Patres accuſare erroris, ſed etiam in iſtiuſmodi turpis inſaniæ verba prorumpere. *Ego propheta ſum; ego* D E I *ſpiritum habeo; ego ſi erro, tu es* D E V S, *qui me propter peccata populi in errorem mittis, & decipis.* Et erit adhuc aliquis tam fungus, vt credat D E V M ad reformationem Eccleſiæ ſuæ, voluiſſe vti Luthero & Calvino, quibus pro ſanctitate morum, lingua fuit effrenis & maledica, animus tumidus & ambitioſus, tota vita ſcelerata & infamis? An, qui per infamiam jure cæſareo, non poterant admitti ad vllam dignitatem, ad ullum officium, ſive Eccleſiaſticum, ſive ſeculare; imò nec ad accuſandũ, nec ad poſtulandũ; admiſſi ſunt à D E O, vt Reformatores Religionis vt architecti Eccleſię, ut Iudices Epiſcoporum, Pontificum, & Conciliorum

Bolſecus in Vita Calv. c. 6. Brigerus pag. 59.

Tum quia Calvinus, non tantũ inſolenter ſuperbus, ſed. inſuper propter nefandum crimen, candentis lilij ſigno, inuſtus fuit.

Et hoc tam ſanctum, tam NOBILE PAR FRATRUM, reformaverunt Eccleſiã Dei?

Quæ tamen miracula deficiunt apud Lutheri & Calvini aſſeclas, cùm vel maximè in ortu ſuarum Religionum eſſent neceſſaria; ſcilicet vt oſtenderent earum Primipili, ſe non eſſe impoſtores, & à DEO legitimè miſſos (quod jactabant) ad extinctum quaſi regnum Chriſti, reſuſcitandum; collapſam ejus Eccleſiam, à caſu erigendam; antiquæ Religionis rugas abſtergendas, & quos ſenio ſuo contraxerat, errorum nævos. Ita ſanè prophetæ omnes, vel miraculis, vel vaticinijs ſuam miſſionem probârunt. Neq; aliter Moyſes Pharaoni, perſuadere conatus eſt, ſe Numinis imperio educturum ex Ægypto Hebræos, quàm prodigiorum potentiâ. Et Chriſtus, quando Religionem veteris teſtamenti, apud Iudæos mutavit ex vmbra ad veritatem, ex typo ad exemplar; etſi ſcripturæ teſtimonijs clariſſimè evinceret, à DEO ſe miſſum eſſe ad hanc mutationem; nihilominus, ne relinqueretur occaſio tergiverſandi apud Hebræos, miracula quoque adhibuit, faciendæ fidei efficaciſſimum argumentum. Quantò igitur magis his erat opus, cùm de ipſa Religione novi teſtamenti mutanda, agebant Lutherus & Calvinus? Quis prudenter eorum doctrinam, tam novam, tam paradoxam, tam ſcripturis & judicio omnium Patrum adverſantem credat, ſine maximis miraculis? Præſertim cùm Catholica Religio, quæ nunc viget, fuerit in poſſeſſione à mille circiter annis, vt à toto mundo haberetur pro vera Religione, & qui ab ea receſſiſſent, pro hæreticis. Ergo ſine evidentiſsimis ſignis, & divinis portentis, oſtendentibus ejus poſſeſſionem fuiſſe iniquam, non poteſt deturbari ab illa. Nec refert quod Ioannes Baptiſta miraculis non claruerit. nam & DEUS multa circa ipſum mira ac ſupra naturam operatus eſt; & ipſa quoque ejus ſanctitas, vitæq; auſteritas, tota miraculum fuit, vt de illius miſſione nemo ambigeret. Sed ad novum Evangelium, ſeu reformatam Religionem, brevi tempore plurimi ſe adjunxerunt. Hoc autem tam parum habet admirationis, quàm amoto impedimento, lapidem deorſum cadere; & ſublato obice flumen properare ad mare. Si Lutherus & Calvinus, invitâſſet homines ad aſperiorem & ſeveriorem Catholicâ Religionem, id enimverò ſpeciem habuiſſet portenti, ſi illuc magno numero confluxiſſent mortales, adversùs naturæ jam corruptæ impetum. Nunc autem utrique reponimus, illud Ioviniano hæretico, veriſſimè dictum à S. Hieronymo: *quòd multi acquieſcunt ſententiæ tuæ, indicium voluptatis eſt; non enim tam te loquentem probant, quàm ſuis favent vitijs. pro magna ſapientia deputas, ſi plures porci poſt te currant, quos gehennæ nutris.*

XXII. Qualia verò apud Lutheranos & Calviniſtas? Neq. Lutherus ipſe aut Calvinus, miſſionem ſuam doctrinamque, miraculo vno probavit.

Et quis prudenter, eorum doctrinam tam novã, paradoxã, ſcripturis & SS. Patribus adverſantem, amplecteretur ſine teſtimonio miraculi?

Niſi hoc miraculum ſit, miſeras animas, ſecundùm impetum naturæ corruptæ, præcipitaſſe in devia.

S. Hieron. lib. 2. contra Iovinian. in fine.

XXIII. Signum V. veræ Religionis & fidei eſt, cõverſio Gentilium promiſſa. *Oſee.* 1. *Matt. Marc. et & Lucæ ultimo.*

Quinta eſt veræ Religionis Nota, CONVERSIO GENTIUM, quæ paſſim in ſcripturis promiſſionem habuerunt, quòd ſint ad fidem Chriſti, & verum DEI cultum aliquando tranſituræ. Atqui Religio ad quam prioribus ſæculis, Gentes ſunt converſæ, eſt Religio Catholica & Romana. Patet, quia apud Anglos, Gallos, Hiſpanos, Germanos, Wandalos, Sclavos, Danos, Hungaros, Norvegos, alioſq; populos ſtatim à converſione ſua, altaria, Miſſæ ſacrificium, cultus reliquiarum & imaginum, peregrinationes, ſanctorum invocationes, monaſteria, monachi, obedientia Pontificis, aliaque propria Religionis Catholicæ viguerunt; donec nuperrimè per novitias ſectas fuerunt ſublata. Sed & hoc ſæculo innumerabiles quaſi ex Indis, Iaponibus, Chinenſibus, noviq; orbis habitatoribus, Eccleſiæ Romanæ, ejuſque fidei ſe adjungunt. Cùm interim ad Lutheranam & Calvinianam, nulla vnquam Gentium facta ſit acceſſio; ſed eorum duntaxat Chriſtianorum, qui priſtinæ Religionis & diſciplinæ pertæſi, libertatem carnis, & novitatem mollis doctrinæ ſectati ſunt. Eſt etiam Tertulliano Auctore, hæreticorum Doctorum ſtudium, non tam convertere Ethnicos, quàm Chriſtianos pervertere. Ita enim ſcribit. *De verbi adminiſtratione quid dicam? cùm hoc ſit negotium illis, non ethnicos convertendi, ſed noſtros evertendi: hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi jacentibus elevationem operentur; quoniam & ipſum opus eorum, non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis deſtructione. noſtra ſuffodiunt, vt ſua ædificent. Ita fit, vt ruinas faciliùs operentur ſtantium ædificiorum, quàm extructiones jacentium ruinarum.*

Videre eſt hoc ſignum in Religione Catholica Romana.

Non autẽ Calviniana & Lutherana.

Tertull. l. de præſcript.

Doctores hæretici, non tam convertũt ethnicos, quàm Chriſtianos pervertũt.

XXIV. Signum VI. veræ fidei, & Religionis eſt, eſſe Catholicã ſeu vniverſalem qualis eſt Romana.

Sexta Nota veræ fidei & Religionis eſt, eſſe CATHOLICAM, juxta illud Apoſtolici ſymboli; *Credo ſanctam Eccleſiam, Catholicam.* Eſt autem Catholicum idem quod vniverſale, latiſſimè patens, & ad omnia ſe extendens. Quod quidem ſoli Romanæ Eccleſiæ, & Religioni convenit; tum quia per totum orbem diffuſa, ad omnes gentes & Regna ſe extendit, ita vt nullum fuerit, quod hanc Religionem, vel non habuerit aliquando vel habeat, aut habere incipiat; tum quia ſe extendit ad omnia tempora; omnibus enim ſæculis ab Apoſtolorum ævo, celebrata ſunt feſta, ſervata jejunia, frequentata vota religioſa, invocati ſancti, honoratæ Divorum reliquiæ, ſacrificium Miſſæ, & alia noſtræ Religioni propria in vſu fuere, teſtibus omnium ætatum ſcriptoribus. Et hinc ſola Romana Eccleſia, eiq; adhærens multitudo, jam olim appellata fuit Eccleſia Catholica; & ejus Religio, fides, doctrina, itidem Catholica;

quin

Digitized by Google

quin & ſectatores; Catholici. Cùm interim nec Lutherana, nec Calviniſtica Eccleſia aut Religio, hoc nomen mereatur, vtpote quæ anguſtis terminis claudatur, neq; ſe ad omnia loca, tempora, nationes, extendat.

Non autē Lutherana & Calviniana.

XXV.

Nota ſeptima veræ Religionis, eſt SVCCESSIO MINISTRORVM AB APOSTOLIS. ſic enim conſtabit Religionem illam & Eccleſiam eſſe Apoſtolicam, cujus miniſtri ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, vel ab eorū ſucceſſoribus accipiunt poteſtatem ordinis & juriſdictionis. Sed tales ſunt miniſtri Catholicæ Eccleſiæ ac Religionis; ejus ſiquidem Diaconi, Subdiaconi, Presbyteri, ſic ordinantur ab Epiſcopis, vt & ipſi priùs ab alijs ordinati fuerint, veniendo vſq; ad Apoſtolos, qui à Chriſto acceperunt, alijs quoq; conferendam poteſtatem ordinis, ſeu jus conſecrandi, ſacrificandi, ſacramenta conficiendi, abſolvendi à peccatis, & populum ſanctificandi; item poteſtatem jurisdictionis, quâ datur jus regendi, prædicandi, & omnia paſtoralia munia obeundi. Hæc continuatio miniſtrorum Eccleſiæ, magnum ſemper apud Patres argumentum fuit convincendis hæreſibus. Id confirmans S. Auguſtinus ait: *tenet me in Eccleſia, ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus commendavit, vſq; ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio ſacerdotum.* Sicut enim in veteri teſtamento, nulli erant ſacerdotes, niſi qui deſcendebant ex Levi, per Aaron; ita in novo, nulli ſunt ſacerdotes vel Epiſcopi, niſi qui gradu ordinis, & Iurisdictionis poteſtate, à Chriſto ſummo ſacerdote per Apoſtolos, eorumq; ſucceſſores deſcendunt. At Lutheranorum & Calviniſtarum cœtus, nunquam tales miniſtros habuerunt, neq; apud eos ſunt Epiſcopi legitimè ordinati, ab Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus deſcendentes. Vnde etiam nec ordinis poteſtatem, quâ ſacramenta conficiant, & populum ſanctificent, ad Apoſtolos poſſunt reducere, quia ordinis ſacramentum eliminant; neq; etiam poteſtatem juriſdictionis, quâ populum in ſpiritualibus & cultu divino regant; hanc enim non accipiunt ab ordinarijs Eccleſiæ paſtoribus, vt conſtat. Neq; eam immediatè DEVS contulit Luthero aut Calvino, vt reformarent Eccleſiam. Vbi enim in ſcriptura oſtendere poſſunt, hanc ſe à DEO authoritatem accepiſſe, cùm nihil credendum dicant, niſi quod ſcriptum eſt? deſtituunt etiam eos miracula, teſtimonia extraordinariæ ſuæ miſſionis. Præterquàm quòd de eadem divina ſibi poteſtate conceſsa, omnes Hæreſiarchæ blandiantur; cùm tamen ſibi DEVS non poſſit eſſe contrarius, in diverſis adeo dogmatibus.

Signū VII. fidei & Religionis veræ conſiſtit in cōtinua ſucceſſione Miniſtrorū, à tempore Apoſtolorum.

Quam ſicut in Eccleſia Catholica & Romana ſuſpexerūt Patres:

S. Auguſt. cōtra Epiſt. fundam.

Ita apud Lutheranos & Calviniſtas, oſtendi non poteſt.

XXVI. Signum VIII veræ Religionis & fidei, eſt Conſenſus Doctorũ. Reperitur in fide & Eccleſia Catholica.

Octava genuinæ Religionis Nota eſt, DOCTORVM CONSENSVS; cujuſmodi in Religione & Eccleſia Catholica ſummus ſemper fuit; vt patet ex omnium ſæculorum ſcriptoribus, qui in Græcia olim, Aſia, Ægypto, Africa, Hiſpania, Italia, Gallia, Germania, Anglia, atque alibi de myſterijs fidei tractârunt; nam idem ſenſerunt circa libertatem arbitrij, circa merita bonorum operum, circa ſacrificium miſſæ, pro vivis & defunctis; circa vota, jejunia, feſta, & ſimilia alia. Quòd ſi interdum naſcuntur controverſiæ circa Religionis articulos, habet Eccleſia Catholica pro infallibili Iudice ſummum Pontificem cum Concilio. Ita varijs ſæculis antiquæ illæ hæreſes, ex quibus centonem miſerum concinnârunt Lutherus & Calvinus, vix exortæ, & eliſæ ſunt, Eccleſiæ damnantis authoritate; populuſque fidelis, in vna fide Catholica, in vna Religione ac doctrina, per totum orbem conſervatus. Neque tam pulcher conſenſus eſt, neque tam facilis controverſiarum deciſio, apud Lutheranos, Calviniſtas, Anabaptiſtas, alios ſectarios; vt ſi alicui eorum parti accedere velis, neſcias cui potiùs debeas; omnibus æquè fortiter contendentibus, Verbum DEI (quod habent pro judice in cauſa religionis) à ſe ſtare, ſe ſpiritum DEI habere, ſenſum ſcripturæ pro ſua doctrina eſſe perſpicuum, contraria omnia divinæ paginæ adverſari. Nec aliter id probant, quàm hoc eſſe manifeſtum habenti ſpiritum. Aliter multùm, Catholica Religio ſua probat dogmata, nempe ex ſcriptura, juxta communem Patrum intellectum expoſita; ex omnium ſæculorum Doctoribus, ex ſanctitate, miraculis, ſpiritu prophetico eorum, qui hanc Religionem coluerunt.

Nec Calviniana, nec Lutherana.

XXVII. Sunt aliæ conſiderationes, quæ jugulum petunt Calvinianæ & Lutheranæ fidei.

I. Novitas, ſemper ſuſpecta.

Huc accedunt alia inſuper capita, quibus Lutheranæ & Calviniſticæ Religionis jugulum petitur. 1. Novitas, meritò ſemper hominibus ſuſpecta. Itaq; ante annum Domini 1517. nondum erat Religionum dictarum aliqua. nam prioribus ſæculis, non fuit aliqua Religio habita pro vera Chriſti Religione, præter eam, quam SS. Patres, & Eccleſiæ Doctores tenuerunt. Sed iſti nec Lutheranam, nec Calvinianam tenuerunt. ſignum eſt, quòd confeſſi ſint libertatem arbitrij, neceſſitatem bonorũ operum, merita vitæ æternæ, legis divinæ poſſibilitatem, Romani Pontificis primatum, & talia plura, improbata à Luthero & Calvino. Ajunt aliqui extitiſſe quidem Religiones iſtas ante ſuos authores, multis retro ſæculis, ſed tamen latuiſſe occultas; ſemper enim fuiſſe aliquos, dogmatum Lutheri & Calvini tenaces. Reſpondeo; hæc ina-

inania eſſe delirantium ſomnia, quæ ipſos ſomniatores ſuos in fabulam proſtituunt. Nam cùm Chriſti Eccleſia in hoc mundo ſit manifeſta, & *civitas ſupra montem poſita*, vt ab ea omnis qui cupit, inſtructionem queat petere, hoc ipſo Lutherana aut Calviniana Eccleſia, religioque, ſi occulta fuit tot ætatibus, nulla fuit. 2. Advertenda eſt ſingularis incõſtantia Lutheri & Calvini, qui Cochlæo & Coccio teſte, totâ vitâ varij fuerunt, ſuaq; mutârunt, correxerunt, & in diverſis opuſculis, aut ejuſdem operis diverſis locis, contrarium ſcripſerunt. Ajunt aliqui id eos feciſſe initiò, cùm nondum Spiritum DEI plenè haberent. Sed quia dixerunt principiò ſtatim, ſe à DEO immediatè miſſos eſſe, quomodò potuerunt errare? aut ſi errarunt, miſſi non fuerunt. Deinde quæſtio eſt, quando tandem plenitudinem Spiritûs aſſecuti ſint, vt errare ampliùs non quiverint? Quomodo id mundo conſtare potuit, vt homines ſcirent, in poſterioribus illis fidem habendam eſſe, in prioribus minimè? Niſi enim hoc conſtet, meritò præſumentur etiam deinceps errare potuiſſe, vt antea. 3. Conſideranda fraus & dolus, quibus utitur Lutherus & Calvinus ad ſtabiliendam ſuam Religionem, per infamiam Catholicæ. Dicunt enim Papiſtas adorare ligna, ſtatuas, truncos, ſaxa, vt ethnici ſua Idola; item fiduciam ponere non in Chriſti meritis, ſed in ſuis, & in ſanctis; item hominem non juſtificari per fidem Chriſti, ſed proprijs meritis; & talia plura, quæ omnia falsò imponunt Catholicis. Vt etiam ſua dogmata confirmarent, non veriti ſunt ſcripturarum & Patrum ſententias corrumpere, aliquid addendo, detrahendo, immutando, vel omiſſis perſpicuis, obſcuras proponendo, materiam litis. 4. Examinanda Regula credendi apud Lutheranos & Calviniſtas, ex qua ſtatuunt, quid ſit credendum, quid ſecus. Hanc autem Regulam ponunt ipſam, & ſolam Scripturam. Sed non ſufficere, patet; quia per hanc regulam non poſſumus judicare de ipſa ſcriptura, & ejus libris: an ſit vera ſcriptura, an non ſuppoſititia, an non conficta ab aliquo, an non ſit aliquid additum aut detractum, pertinens ad ſubſtantiam doctrinæ. Certè, qui antiquam Eccleſię traditionem excludit, convincere non poteſt ex ſcriptura, quatuor recepta Evangelia, eſſe vera & canonica. Pręterea ſcriptura non conſiſtit in ſono verborum, ſed in ſenſu. de hoc autem ſemotâ traditione, & Patrum Eccleſięq; expoſitione, ſunt multæ controverſiæ aliquando; vt conſtat ex illo; *hoc eſt corpus meum*. Dicit Calvinus, judicium de ſcriptura, ejuſq; ſenſu, pertinere ad

Matth. 5. 15.

2. Inconſtantia Lutheri & Calvini in doctrina.

3. Fraus eorundem, & varius dolus.

4. Non ſufficiens regula credendi, ſcriptura eſt.

Matth. 26. 26.

Etiam adjuta ſpiritu interno, ſeu privato cujuſq; judicio.

ſpiritum internum· Sed hoc nihil aliud eſt, quàm dictamen ſpiritûs interni, ſeu privatum cujuſque judicium, primam credendi regulam conſtituere. Quare iterum certa eſſe non poteſt; cùm omnes hujus temporis ſectæ, dicant ſe verum habere ſpiritum Dei. Accedit, quòd ſcriptura homines privatos in dubijs fidei, non remittat ad ſcrutandas ſcripturas, ſed ad Eccleſiam, & eos qui in ea præſident; vt rectè hæc, pluraque alia advertit Leſſius, in conſultatione de fide & religione capeſſenda.

XXVIII.

Ergo contra hæreſin concluſum eſt, pro fide & Religione Catholica.

Ex quibus denique omnibus manifeſtè concludo, quia vnica tantùm fides ac Religio, ad ſalutem homini neceſſaria eſt, eam ſolam eſſe Catholicam Romanam. quod vtinam accuratè perpenderent, qui in varias diviſi ſectas circumerrant! vtinam Pſeudopolitici pro dignitate examinarent! intelligerent profectò, quàm alijs periculoſi, ſibi exitiabiles eſſent; nempè illis ſimiles, de quibus olim ſub alieno nomine Chriſtus dixit: *cæci ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Cavete improbi Politici, malum ovum mali corvi, impia Machiavelli ſoboles, & nata ad impoſturas; quotquot vobiſcũ ſentiunt, quavis ſe fide ſalvandos, vobiſcũ ſtant in lubrico: vtroſq; excipient caſuros inferi, niſi ante mortẽ didiceritis Eccleſiâ Magiſtrâ, errores veſtros ponere.

Matth. 15. 14.

XXIX.

Sed quid ſi ignorantes aliqui & ſimplices, in media Anglia, Dania, Svecia, Hollandia, aut hæreticis Germaniæ provincijs nati, de fide, Eccleſiaque Catholica, nihil aliud audiverint vnquam à pſeudo Doctoribus, niſi quòd ſit meretricia, adulterina, idololatrica & Anti-Chriſtiana, an ideò defectu noſtræ fidei perituri ſunt? His (pro ſolatio ſimilium ex ſimplici tribu mortalium, qui erroribus circa fidem imbuuntur ab hæreticis magiſtris, iiſque credunt tanquam veracibus; neque tamen aut ſuſpicionem habent impoſturæ, aut occaſionem falſum dediſcendi) non continuò cœlum occludo, ſi cæteroquin & bonæ vitæ, & bonę mentis ſint; parati nempe, vbi quis oſtenderet veritatem, amplecti, ejurare errorem. De iſtis talibus accipio illud S. Auguſtini: *qui ſententiam ſuam, quamvis falſam & perverſam, nullâ pertinaci animoſitate defendunt; præſertim quam non audaciâ præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis, atq; in errorem lapſis parentibus acceperunt: quærunt autem cautâ ſolicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* niſi illos tantùm, quos Theologi appellant Materiales, quibus ſcilicet hęreſis ſua non imputatur ad peccatum, cùm non cenſeatur voluntariè culpabilis. Et quidem mihi perſuadeo, eos, qui in medio nationis

S. Auguſt. epiſt. 162.

Qui inter medios hæreticos, eorum erroribus imbuti, nihil

tionis pravæ & hæreticæ, cum lacte materno falſam doctrinam imbibunt: ſi vitam nihilominus honeſtam conjungere ſtuduerint, cum animo veritatis audiendę parato; in fide vera illuminatum iri; neque enim DEO deſunt media, viæ, occaſio. Similem de Gentilibus doctrinam tenet Lyranus, nimirum ſi quis eorum, etiam in media barbarie conſtitutus, vi luminis, quo DEUM naturaliter agnoſcit, conetur inſuper ad ductum rationis, honeſtè vivere; neque peccatis gravibus obicem ponere divinæ illuſtrationi; DEUM vel ſe ipſo immediatè, vel per Angelum, aut (quod veriſimiliùs eſt) per hominem, eidem revelaturum neceſſaria ad ſalutem fidei myſteria; quemadmodum fecit cum Cornelio Centurione, Joſaphat, Regis Indi filio, alijſque.

audiunt de veritate fidei catholicæ, ſunt tamen bonæ vitæ & mentis, probabiliter ſalvantur.

Lyranus in Actis Apoſt. 10.

XXX.

Aliter ſentio de ijs hęreticis (idem eſt cum Schiſmaticis, Iudæis, Turcis, Gentilibus) qui permixti Chriſtianis & Catholicis, poſt juſtam dubitandi rationem de religione ac fide, audire quidem poſſunt ſanam doctrinam, neque tamen in re tanti momenti, neceſſariam ſaluti indagare volunt ſcientiam; præoccupati ſcilicet fide & religione parentum ſuorum, velut hæreditariâ; quaſi patri, & avo, & proavo, qui ad hęreſin nuper deflexerunt, non pręponderent omnes illi priores, tot ſęculis Catholici Majores? Quoſdam alios, quò minus veritatem inter Orthodoxos quęrant, abſtrahit proprij judicij arrogans ſuperbia. Cùm enim ſibi videantur eſſe ſapientiſſimi, erudire in rebus fidei, alios volunt, à nullo inſtrui, verbo; alijs ex ſua tripode oracula pandere, non accipere aliunde precariò. rectiùs multò facturi, ſi in tanta religionum diſcrepantia, humillimis precibus à Deo, patre luminum, illuminari poſtularent. Sed his omnibus cauſis potior eſt, propria ſcelerum conſcientia, cur multi in medio Doctorum Catholicorum hęretici, ſalubres de fide inſtructiones repudient; nolunt animo affligi, & carnificinã mentis pati, quando à legę, & pręceptis Eccleſię Romanę, ſibi audiunt interdici, quibus jam dudum aſſueverunt delicijs, vitijs, voluptatibus, licentiæ, cupiditati. Simillimi Herodi Regi, qui ne audiret à Joanne Baptiſta, ſibi non licere, quod maximè amabat, linguam ei cum gulâ præſcindi juſſit. quæ merces, ſi hodie in omnibus principum aulis, penderetur Veritati, nullus ſupereſſet paulò pòſt Orator. Mitiùs cum Paulo Apoſtolo egit Felix, Iudęę pręſes homo crudelitate ſuâ, & libidine famoſus; cùm enim nactus dicendi occaſionem, diſputaret *de juſtitia, & caſtitate, & judicio futuro* Paulus, non quidem contra eum, Felix gladium ſtrinxit, dixit tamen:

Aliter res habet cum hæreticis illis, qui inter catholicos degunt, & veritatem fidei catholicæ indagare nolũt, cùm etiam poſſunt & debent.

Potiſſima cauſa, cur hæretici aliqui nolint ſuſcipere fidem & doctrinam catholicam, eſt vitioſa eorum vita.

Act. 24. 25.

quod

Act.24.24. *quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno, accerſam te.* Itaque tacere Felix Apoſtolum voluit, quia noluit iteratâ ſcelerum ſuorum exprobratione, conſcientiam ſibi exaſperari, aut legis chriſtianæ veritate, inveteratas improbæ mentis concupiſcentias conſtringi. Eadem hodieque eſt hæreticorum, ſubinde hominum conſuetudo, vt nolint Catholicos audire Doctores, ne vel continuis fodicentur ſtimulis, ſi veritatem agnitam excuſſerint; aut ſi admiſerint, juge bellum cum vitioſis affectibus cogantur ſuſcipere. Deniq; ſibi quietem aliquam conciliaturi, cum Pſeudopoliticis, illam eorum ſibi, jam exploſam cantilenam occinunt: poſſe quemvis in ſua fide ſalvari. Vel certè, in iſta moroſa adeo materia, quæ fides ex omnibus ſit homini amplectenda, proponunt ſe tum vigiles Argos futuros, quando jam jam in morte obdormiſcendum erit.

XXXI. Verum quàm difficile, quàm arduum ſit, cùm vltima fata à tergo inſtant, non tantùm recepta ſemel dogmata antiquare: ſed etiam priùs toties, tamque acriter propugnata, damnare falſitatis; experiuntur cum ingenti ſuo periculo, quotquot & docuerunt, & didicerunt Pſeudopoliticorum artes, fraudes, inſanias; præſertim illud eorum axioma, quemvis in quacunq; fide, ſuæ ſalutis certum eſſe. Hinc etiam naſcitur (quod ſæpius vidi) vt nolint multi, cùm morti propinqui ſunt, vllum circa veram Religionem capeſſendam admittere inſtructorem. Hîc aditus negatur, via præcluditur, peſſulum opponitur, ſana & neceſſaria monituris: neque tantùm vno loco, pervigilant dracones in excubijs diſpoſiti, ne Iaſon aliquis vellus aureum rapiat; volo dicere: ſacerdos DEI, animam Christi ſanguine tinctam, Redemptori ſuo lucrifaciat. Sic miſeri paſſim homines, ſine veræ fidei lumine, obeunt, abeunt, pereunt.

Sub finem vitæ, deliberare velle, quæ fides ſit amplectenda, operoſum & periculoſum eſt negotium.

PARAGRAPHVS XIII.

Genethliaci, Aſtrologiæ Iudiciariæ aſſueti, Magnum in MORTE ſalutis impedimentum obijciunt, tum ſibi ipſis, tum alijs vaniſsimè credulis mortalibus.

BArlaam, Eremitarum nobiliſſimum decus; poſtquàm Ioſaphatum Indiæ Regem, patrijs, gentiſque ſuæ quam plurimis erroribus expedivit, ſacro etiam baptiſmatis fonte tinxit; ad futura porrò contra Sathanam certamina, his cum documentis, novum ſacræ militiæ tyronem munivit. *Summo ſtudio in hoc enitere, vt omni vitioſâ cogitatione, ex animo tuo extinctâ & deletâ, optimas quaſq; cogitationes in eo inſeras, templumq; Spiritûs ſancti te ipſum efficias. Siquidem per cogitationes, ad actiones ipſas venimus; atq; omne opus à cogitatione, animiq; agitatione progrediens, parvum primò initium arripit, ac deinde tacitis incrementis augeſcens, ingens ad extremum efficitur. Ob eamq; cauſam nullo modo permitte, vt improba Conſuetudo tibi dominetur; verùm donec recens eſt, parvam radicem è pectore tuo evelle, ne alioqui cùm pullulârit, ac radices ſuas altè infixerit, poſtea non niſi longo tempore, ac magno cum labore extirpari poſſit. Ob id enim majora peccata, quotidie ad nos aditum habent, atq; in animas noſtras imperium obtinent; quoniam ijs, quæ minora eſſe videntur, hoc eſt, improbis cogitationibus, inhoneſtis ſermonibus, maliſq; colloquijs, conſentanea correctio minimè adhibetur.* I.

S. Damaſcenus in Vita Barlaam & Ioſaphat cap. 19.

Conſuetudo prava diſſuadetur à Barlaamo Eremita.

Atque vt clarior ſit præſens Barlaami doctrina, familiari ſimilitudine ſic porrò eam illuſtrat. *Quemadmodum enim in corporibus, qui parva vulnera negligunt, ſaniem plerumq; ac mortem ſibi ipſis accerſunt; ad eundem modum, etiam in animis hoc vſuvenit;* II.

Conſuetudo parvorũ vitiorum, ducit ad magna.

vt qui minima vitia ac peccata nihili pendunt, graviora ſibi invehant. quatenus autem graviora peccata ipſis oboriuntur, contracto Prov. 18. 3. *tandem habitu, anima in contemptum cadit. Impius enim, inquit ille, cùm in profundum venerit, contemnit. Ac deinceps, vt ſus* 2. Petr. 2. *in cœno volutari gaudet; ſic etiam anima illa, prava conſuetudini immerſa, ne peccatorum quidem fœtorem ſentit; verùm potiùs ipſis gaudet, & oblectatur, vitiumq; inſtar boni cujuſpiam arctiſſimè retinet. Atque vt etiam aliquando receptâ meliori mente, ſcelerum ſuorum ſenſu afficiatur; non tamen ſine magno labore ac ſudore, à prava Conſuetudine (cui vltro ac ſponte ſe in ſervitutem addixit) liberatur. Quocirca omnibus viribus, ab omni mala cogitatione, atque omni vitioſa Conſuetudine, te remove, ac potiùs virtutibus aſſueſce, eaſq; ita cole atque exerce, vt earum habitus tibi comparetur.*

Quantum ſit in hominem dominium vitioſæ Conſuetudinis?

III. Tam abſoluta hæc doctrina eſt Barlaami, vt volentibus rectè vivere, feliciter mori, nihil æquè ſit neceſſarium, atque pravos vitiorum habitus cavere, contra ire malis conſuetudinibus. neque ſolùm cùm voluntas detorquetur in pravum, ſed verò etiam quando intellectus nocituris erroribus imbuitur. Nunquàm tutum iter eſt, quod caligini committitur. facilè tenebras ſequitur caſus; per declivia ambulare, cœcus non poterit ſine præcipitio. Ita quoq; error gravis, quem nulla ampliùs expugnat ratio, non ſemel hominem malitioſè obfirmatum, deponit in foveam, & quidem fatalem illam, atque orcinam. Cui quàm propinqui ſint Pſeudopolitici, athea, impiaque Machiavelli ſoboles, ſupra modò ſpectavimus. Ego verò huic genti, etiam Genethliacos aſſocio; homines ſibi, alijſq; graviter pernicioſos; quia per *Aſtrologiam*, quam appellant *Iudiciariam*, neceſſitatem fati invehunt, & quæ conſequuntur dogmata, Catholicæ Religioni contraria, imò & ſaluti. Certè, quotquot divinatrici Aſtromantiæ, & Horoſcopis aſſueſcunt mentem tenaciter adijcere, magnis ſe difficultatibus implicant, ne Chriſtianè, pieq; moriantur. quemadmodum ex dicendis fiet manifeſtum.

Etiam circa inveteratos errores intellectûs.

Quales, nō ſine periculo ſalutis, Aſtrologia Iudiciaria ſolet incautis ſubminiſtrare.

IV. Suppono autem duplicem Aſtrologiam diſtingui. altera eſt naturalis, licita, humanoq; generi multùm vtilis ars, per quam ſitus ac motus aſtrorum obſervantur, atq; ex ijs effectus merè naturales prædicuntur; vel neceſſariò eventuri, vt eclipſes; vel fortuitò tantùm, cujuſmodi ſunt pluviæ, ſiccitas, aëris ſerenitas, terræ motus, nives, pruinæ, grandines, venti, animalium hominumq; morbi;

Eſt autem duplex Aſtrologia hæc, vna licita, quādo ex ſitu aſtrorum,

quæ

quæ omnia propter concurſum aliarum cauſarum, quò minus eveniant, impediri poſſunt. Et propterea, etſi certa ſit vaticinatio futuræ eclipſis apud Aſtrologos, incertiùs tamen alij jam dicti effectus prænunciantur, non obſtante influxu cœleſti; obſervatis etiam ſuperiorum teſtimonio annorum, ijſdemque ſiderum aſpectibus. Sanè illi, qui ephemeridum collectanea perluſtrant, frequentiſſimè hallucinari advertunt Aſtrologorum vaticinia. Vnde etiam tota illorum conjectatio, non niſi probabilis eſſe poteſt; nempe quòd talis aſtrorum ſitus indicet hoc, illudúe; multiplici ſæculorum experientiâ fidem faciente. prædicuntur eclipſes, tempeſtates &c.

V. Item hominum cõplexiones, propenſiones, ſtudiã, &c.

Ad eandem naturalem, licitamq; Aſtrologiam pertinet, obſervato natali die, & notatâ ſiderum conſtellatione, conijcere aliquem, hoc vel illo temperamento præditum eſſe; item ad iram, vel manſuetudinem, hæc, aut illa ſtudia propenſum. Cùm enim hominis inclinatio multùm pendeat à complexione; hæc autem à cœli, aſtrorumq; influentijs; conjectura fieri poteſt de varietate temperamenti & affectuum, pro vario ſtellarum ac planetarum oppoſitu, quibus exceptus eſt infantis partus. Et quoniam in hac tota re, punctum ſive momentum nativitatis, exactiſſimè indagandum ajunt, vt non aberres à vero; hinc ſatis apparet, totam conjecturam, parum probabilitatis, certitudinis nihil, multùm fallaciæ habere. Sed hanc prædictionem nihil habere certitudinis, facit incognitũ nativitatis punctum.

VI. *Picus Mirandulanus in Aſtrologiam lib. 9. cap. 2.*

Egregiè Picus, Mirandulæ Comes, neſcio genere illuſtrior, an rerum ſcientiâ; certè juratus Genethliacorum hoſtis; *momentum* (ait) *quo quis naſcitur, exploratum habere Aſtrologus non poteſt, niſi fortè accinctus (cùm prodit infans) aſtrolabio, cæleſtia metiatur; ſed hoc ſit quàm rariſſimè, nec fieri nobis volentibus ſemper poteſt, vt noctu & aëre nubilo; cùm ſit labi quoq; facillimum. nam ſi non ſit exactiſſimum inſtrumentum (quale forſan nunquam eſt) quod inſpectione, momento egreſſionis ad liquidum reſpondeat, ratio partilis horoſcopi vacillabit. Verùm vt ſit vera per aſtrolabium horæ perſcrutatio, rariſſimè, vt dicebamus, fieri hoc contingit; illud frequens, fereq; perpetuum, vt parentes, dominuſvé genituræ, talem fuiſſe nativitatis horam dicat Aſtrologo; cui fidendum non eſſe nec Aſtrologi diffitentur, fallax enim plerumq;. Quare dicitur apud eos hora exiſtimata, ſeu ſuſpecta, de qua ſcilicet ſuſpicio, certitudo nulla; nam ſolaria mentiuntur; & horologia quidem, ſi nihil fallant; ea tamen, quæ medijs horis cadunt intervalla, non demonſtrant.* Teſte Mirandulæ Comite, Aſtrologo

Stringit eodem nodo validiſſimè Genethliacos D. Baſilius, VII.

 poſt-

Accedente etiam calculo D. Baſilij.

poſtquam ex communi Mathematicorum diſciplina, Zodiacum in duodecim ſigna partitus eſt, quodlibet ſignum in triginta gradus, quemvis gradum in ſexaginta minuta, ſingulum iterum minutum, in alia ſexaginta. Ejus verba ſic habent. *Genethliacæ artis inventores, cùm in temporis amplo ſpatio, complures figuras ſuam ipſorum conſcientiam fugere percepiſſent, in anguſtum admodum temporis contraxêre menſuras, vt minutiſſimo quoq́, & ſubitaneo articulo, quale eſt quod Apoſtolus dicit, in momento, in ictu oculi, plurimum differentiæ ſit inter nativitatem; vt is quidem, qui in momento genitus eſt, tyrannus ſit, civitatum populorumq́ princeps, locupletiſſimus, præpotens: is autem qui natus eſt temporis ſequenti momento, pauper quidam ſit futurus, aut mendicus, circulator, vel præſtigiator, ex oſtijs oſtia permutans, quotidiani conſequendi causâ victûs. Poſito igitur enixu eorum, qui in lucem eduntur, videamus obſecro, ſi hanc exactiſſimam temporis diviſionem, authores ſibi valeant conſervare. Nam ſimul atque editus puſio eſt, mas an femella ſit, obſtetrix explorat: tum vagitum expectat infantis, nimirum indicium vitæ ejus, qui natus recens eſt: Quot hoc tempore vis ſexageſima præterijſſe minuta? Dicit obſtetrix deinde Chaldæo, partum qui editus eſt: quot minutiſſima momenta vis interea dum obſtetrix loquitur, prætercurriſſe? præſertim ſi fortè fortunâ, fuerit non in conclavi mulierum Chaldæus ille præſens, ſed in ædium atrio aut veſtibulo, tempus horamq́ reponens. Et cùm eum, qui definiturus eſt, diligenter tempus ac horam, exploratoria nimirum horarum percipere oporteat, ſive diurna ſint, ſive nocturna: quot minutorum hoc quoq́ tempore, quæſo prætervolat, præteritq́ examen? compertam enim eam eſſe ſtellam, quâ tempus horaq́ ſit exploranda, non ſolùm quanta in parte ſit duodecima, ſed etiam quàm juxta duodecimæ portionem partis, in quoq́ minuto ſexageſimæ, eorum inquam, in quæ dividi diximus portionem: aut vt exactiſſimè comperiatur, quoto in ſexageſimo eorum, in quæ ſubdiviſa ſunt ſingula, ſexageſima illa prima, neceſſe eſt.* Denique ratiocinationem ſuam, ſic pertexit Magnus Baſilius. *Quæ cum ita ſint, ſi fieri non poteſt, vt tempus illud exactiſſimè quiſquam attingat, variatione vel breviſſimi temporis ſit, vt totâ viâ penitus aberretur; decipiendi profectò non mediocriter eſſe videntur, tam ij, qui ſtudio hujus indulſerunt artis, quam in ratione rerum nunquam eſſe conſtat; quàm ij, qui biantes ab illorum ore pendent intenti.*

D. Baſilius in Hexaem. hom. 6.

1. ad Corinth. 15.

Qui in nativitate, vult quoq; minuta minutiſſimè obſervari.

Quod eſt impoſſibile humanæ infirmitati.

Concluſio S. Baſilij.

VII. Sed hinc aliud argumentum formari poteſt contra Aſtrologos

logos Judiciarios. nam ſi cœli aſpectus, certaque ſtellarum collocatio, obſervanda ſunt, ipſo tempore, quo naſcitur homo, vt judicium fiat de ejus complexione ac temperamento; multò magis ſiderum ratio haberi debebit, quo tempore conceptio fit hominis in vtero matris, item formatio, animatio, organizatio; neque enim dum fœtus velut materno ventre ſepultus jacet, incapax eſt ejus influxûs, quem etiam terræ viſcera agnoſcunt ſe à cœlis trahere. At enim, tam fugit Genethliacos punctum animationis, formationis, conceptionis, immò ampliùs, quàm punctum ac momentum nativitatis; ob rapidiſſimum cœli motum, aliaque impedimenta, vt docet S. Auguſtinus. ergo nullo fundamento, ſed tenuiſſimâ ſolùm conjecturâ nituntur, dum inſpectâ nativitatis horâ, divinant de hominis inclinatione ac temperie. Præterquàm, quòd qualitates & conditiones rei generandæ, magis pendeant ex diſpoſitionibus materiæ, ex qua producenda eſt, quàm ex influentia cœlorum. nam licet duo infantes ſub eadem conſtellatione naſcantur, ille melioris erit complexionis, cuius mater habuerit melius temperamentum; ſubminiſtrabit enim meliorem conceptioni materiam: quemadmodum doctiſſimus notat Suarez. Atque hinc accidit, vt plurimi mortalium ſub eodem ſiderum aſpectu nati, complexionibus ſint diverſiſſimi. Eadem ratio fieri poteſt de temperie loci, non ſolùm quæ generatim Provincijs ineſt aut oppidis; ſed etiam ſpeciatim ei loco, in quo naſcitur homo. Itaque hæc etiam temperies ab elementorum contemperatione pendens, tanquam particularis & proxima cauſa, multò eſt efficacior ad compoſitionem & ſtructuram humani corporis, ad imprimendas quoque ſingulares ac determinatas qualitates, quàm influxus cœleſtium corporum; quæ remotiores, & vniverſaliores cauſæ ſunt, ac tales, vt à cauſis proximis facilè impediri poſſint: neceſſariò etiam determinari ac modificari debeant; quod rectiſſimè obſervavit Carthagena.

Neq; ſatis eſt, vt cognoſcas hominis complexionem, attendere ad punctum nativitatis ejus, ſed etiam conceptionis.

Quod non tantùm Aſtrologorum fugit ſcientiam, ſed ſæpe ipſarum Matrum.

S. Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſt. c. 22.

Suarez. lib. 2. de ſuperſtit. cap. 11.

Carthagena in ſacris arcanis Deiparæ. lib. 11. hom. 6. num. 24.

IX.

Sed ne tacere videantur Aſtrologi ad caput objectionis, ajunt; tametſi punctum nativitatis aut conceptionis non ſemper attingant, poſſe tamen per notabile accidens alicujus hominis, puta caſum, morbum, periculum, & hujuſmodi, propè ad illud accedere, & inde futura prædicere. Sed quàm certò & probabiliter? cùm certum non ſit, an pervenerint ad eam ſtellarum poſitionem, ſub qua natus eſt: cui divinationes faciunt. Deinde punctum Nativitatis cùm largè accipi debeat, ſcilicet pro ſucceſſiva partûs ex vtero

Dicunt Aſtrologi, ſe per notabile accidens, poſſe ad punctum humanæ nativitatis & conceptionis pertingere.

Sed dicunt ſolùm, quia ratio aliud ſuadet.

effuſione; ad ſingula corporis prodeuntia membra, ob velociſſimum cœli raptum, alia eſt & alia collocatio ſiderum, conſequenter alia & alia impreſſio. vnde ergo temperamentum accipi debet? ab eo ſtellarum ſitu, quo inchoatur, an quo completur & terminatur nativitas? ſed neque tunc negari poteſt, in eadem prorſus conſtellatione, tametſi plures naſcantur homines, diſtingui tamen qualitate temperamenti, complexionis, morum vitæq; diſparitate. & patet ex Geminis Eſau ac Jacob. alijs item duobus tempore S. Auguſtini, ſimul quaſi natis ac profuſis; vt propterea hujus, & plerumque magnæ diverſitatis, aliæ præter aſtrorum influxum, cauſæ aſſignari debeant; quas cùm Aſtrologi ad vnguem explorare non poſſint, impoſſibile etiam eſt ab ijſdem fieri certum judicium de paſſionibus & affectionibus hominum, varietatem complexionum comitantibus.

S. Auguſt. lib. 5. de civit. Dei c. 4. & 6.

X.

Aſtrologia illicita, eſt illa divinatoria & judiciaria, quando ex ſideribus, velut certò eventura enunciantur, quæ contingenter, aut liberè fiunt.

Nunc gradum paro ad illam alterius ordinis Aſtrologiam, illicitam ajo; quam communiter appellant Divinatoriam & Judiciariam; quando ex ſignis cœlorum & ſiderum aſpectu, enunciantur velut certò eventura, quæ vel merè ſunt contingentia, vel ab humana pendent libertate. Ita nonnunquam Genethliaci, deſcripto quorundam horoſcopo, velut ſacro afflati numine; ille inquiunt, quia ſub tali ſidere in lucem prodijt, confodietur in duello, ſubmergetur aquis, ruinâ domus opprimetur, præcipitio interibit, patibulo affigetur. Alter ajunt, ſub illo aſtrorum ſitu genitus, olim ibit in militiam, evadet in mercatorem, ſtudioſum, latronem; evehetur ad Regum purpuras, Cæſarum diademata, deinde extremâ paupertate damnabitur.

XI.

D. Baſil. in Hexaëm. hom. 6.

Exploditur hæc judiciaria Aſtrologia à S. Baſilio.

Talis inquiunt (verba D Baſilij adfero) *criſpanti decorabitur capillitio, eritq; aſpectu mirè gratioſus. eſt enim editus in lucem Arietis tempore. tali autem ipſum animal aſpectu quodammodo videtur eſſe. At erit & animo grandi, atq; elato, quippe cùm & aries dux ſit gregis; faciet etiam omnia animo prompto; deniq; ad quæſtum ingenio erit ſolerti ac provido; nam hoc animal, & citra moleſtiam vellus laneum deponit, & à natura facilè rurſum eodem veſtitur. Sed in Tauro natum, tolerantem eſſe laborum dicunt, atq; ſervilem; quoniam & Taurus jugo ſubijcitur. Eſt, & qui ortus eſt in Scorpio, propenſus ad feriendum, atq; ad inferendos ictus paratus, ob ſimilitudinem ejus beſtiæ. Et juſtitiâ præditus itidem is, quem enixa eſt ſua parens tempore libræ, non niſi ob trutinam, lanciumq;, noſtri inquam inſtrumenti, quo pondera libramus, æqualitatem. Iſtis quid ineptiùs, aut deridiculum magis?*

Vel

Digitized by Google

Vel enim de his, & ſupra allatis, ſimilibuſque alijs particularibus, ſeu contingenter, ſeu liberè evenientibus, fieri poteſt conjectatio, ſive judicium ex aſtris, quia ſcilicet ipſa ſint ſigna horum effectuum; vel quia ſunt cauſa. Sed neutrum verè affirmatur. non primum; nam ſi dictorum eventuum aſtra ſunt ſigna, vtiq; debent eoſdem ſignificare ex inſtitutione alicujus, & vel maximè ipſius DEI, vt argumentatur Layman. ſed hoc dici non poteſt; tum quia ſigna hæc omnibus ſic idem ſignificare debent; aſtra autem non omnibus Aſtrologis idem, eoſdemque eventus particulares ſignificant, vt infra ex Kepplero oſtendam. & patet ex mutua Judiciariorum digladiatione ac contradictione; tum quia ſidera, & ſiderum poſitiones, non idem conſtanter circa nominatos ſupra effectus enunciant, quod facere deberent, ſi certa ſigna eſſent: & poſſunt vni experientiæ, plurimæ opponi contrariæ; tum quia paſſim in ſcriptura Deus prohibet vanam aſtrorum obſervationem, vt ex infra dicendis clarum fiet. XII.

Refutatur & Ratione.

Aſtra, non ſunt certa ſigna, neq; ex natura ſua, neq; ex inſtitutione, eorum quæ ſiunt liberè & contingenter.

XIII.

Sed opponunt Genethliaci illud ex Geneſi; *fiant luminaria in firmamento cœli, & ſint in ſigna.* nempe vt cœlum ſit quaſi inſtar libri, in quo Deus aſtra, & eventus noſtros, & omnia quæ toto ævi decurſu, futura ſunt, depinxerit. In hunc finem Origenes apud Euſebium, ſic inducit Jacob Patriarcham, filijs ſuis loquentem: *legi in tabulis cœli, quæcunq; contingent vobis, & filijs veſtris.* Sed quis non videt, hæc figmenta, ſcripturæ atque Eccleſię repugnantia, ab ipſa vanitate ſua ſubrui? Neque luminaria aut ſidera in firmamento, pro alijs ſignis data ſunt, quàm conjecturalibus circa pluvias, frigora, calorem, tempeſtates, ventos, morbos, complexionem & alterationem corporum; non autem eventus individuos & particulares, qui pendent ex multis cauſis per accidens, ac fortuito convenientibus, vel ex humana libertate. Supereſt ergo, vt ſi aſtra & ſidera certò effectus ſignificant, id faciant tanquam ſigna diaboli, ex ejus inſtitutione & pacto cum hominibus, tacito vel expreſſo; cui ſententiæ Magnus etiam ſubſcribit Auguſtinus. Ridet quoque Lutherus vanitatem Genethliacorum, ex ſideribus velut ſignis vaticinantium futuros mortalium caſus. Baccâ, inquit, laureâ, & Magiſterij titulo, philoſophus olim donatus fui; poſtea in Monachum attonſus, litem movi Papæ; transfugam deinde monialem accepi in conjugem; ipſa ex me marito, fœcundam ſobolem. nunquid hæc omnia aut ſtellis ſignata erant, aut aſtris inſcripta?

Gen. 1. 14.

Fingunt Aſtrologi cœlum eſſe librum, in quo ex ſtellis, velut literis, legi poſſint hominum eventus.

Euſeb. 6. praparat. c. 9.

Eluditur hoc figmétum.

S. Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſt. c. 22. in fin. Lutherus ſympoſ. c. 70.

Sed

XIV. Neque aſtra poſſunt eſſe cauſa, eorum quæ liberè fiunt ab hominibus. *Layman c. 3. de divinatione.*

Sed neque dici poteſt, ſidera eſſe cauſas allatorum ſupra effectuum. Patet in caſualibus, & merè contingentibus; quia iſti non proveniunt ex vnica cauſa, ſed ex cauſarum fortuito concurſu; quem Aſtrologi neque in ſideribus, neque alio modo, ſecundùm naturalem rationem deprehendere poſſunt, vt ex Gratiano docet Layman. Multò minus aſſeri cum veritate poteſt, ſidera cauſas eſſe illorum effectuum, qui liberè eveniunt: hoc enim eſt tollere libertatem hominis, ipſiuſque opera tribuere fato. denique humanas voluntates, cœlorum influxibus ex neceſſitate ſubijcere, vitiaque ac peccata non mortalibus, ſed aſtris, eorumque authori DEO aſſcribere; quæ omnia nunc ſunt hæretica dogmata, olim gentilium deliria, ſomniantium fato evenire vniverſa. Quam ſententiam ex merito plectit noſter iterum Baſilius, cùm ait: *Chaldaeorum ſtudium & curioſa inquiſitio, Aſtrologia eſt, per quam aſſerunt, etiam cauſas à ſe ipſis dependere, non item à DEO: reſq; omnes lationi ac progreſſui aſtrorum ſubſternentes, providentiam ipſam, rerum humanarum moderatricem, prorſus à ſe ablegant; adeò vt orationem ad DEVM effuſam, & ipſam quâ DEVS colitur pietatem, negent quidvis poſſe; quin potiùs, ſi quæ horum credantur contingere, id omne referunt ad cauſam fatalem.*

Quia inducerent ſecum fati neceſſitatem.

S. Baſil in c. 14. Iſaiæ ad initiũ.

XV. *S. Baſil. in Hexaëm hom. 6. ante medium.* Et Juſtitia fruſtra eſſet, circa remunerãdos pios, impios puniendos.

Et alibi ſtultiſſimam vanitatem Genethliacorum, orbi invehentium fati neceſſitatem, ſic perſtringit. *Deinde, ſi non probarum ac improbarum operationum principia, penes nos ſita ſunt, ſed ex ortu neceſſitudinis emergunt: fruſtra profectò legum latores, agendas res, & non agendas, ſed fugiendas præſcribunt. fruſtra ſunt judices etiam, virtutem honore, vitium pœnis afficientes. Non enim hoc pacto injuria commiſſa, furis eſt aut homicidæ, quippe cui neq; volenti quidem, ob inevitabilem ipſum impellentem ad agendum neceſſitudinem, manum continere licuerit. Vaniſſimi deniq; homines ſunt, & qui dant artibus operam, in ipſiſq; elaborant; quando rectè quidem facturus videtur agricola, ſi neq; ſemen vllum in terram dejecerit, neq; ad meſſem falcem exacuerit ſuam: quin & mercator velit nolit, ſupra modum diteſcet, quando ipſi fatum affatim accumulat luculentas & vberes divitias. Spes porrò magnæ illæ Chriſtianorum evaneſcent omninò nobis, atq; peribunt; quippe cùm neq; juſtitia honoribus vllis afficiatur, neq; peccata puniantur; propterea quod nihil prorſus ab hominibus libero animi propoſito agatur.*

XVI. *D. Thom. 2. 2. q. 95. a. 5. Svarez lib. 2. de ſuperſtit. c. 11. num. 13.*

Rectiſſimè igitur ex doctrina S. Thomæ, & communi Theologorum ſchola, in Genethliacos hanc cenſuram tulit Svarez: prædicere liberè contingentia, ex ſignis cœli & aſtrorum (quaſi certò eventura) ſuperſtitionis peccatum eſſe, omni jure graviſſimè prohi-

prohibitum. Et quidem pro divino jure facit illud Iſaiæ; *ſtent & ſalvent te augures cæli: , qui contemplabantur ſidera, vt ex eis annunciarent ventura tibi.* Vbi ſeptuaginta vertunt: *Aſtrologi cœli.* Et S. Hieronymus addit; *qui vulgò appellantur Mathematici, & ex aſtrorum curſu, lapſuq; ſiderum, res humanas regi arbitrantur.* Ex quo loco intelligimus, inquit Suarez, quoties ſcriptura augures deteſtatur ac prohibet, etiam Aſtrologos & Mathematicos comprehendere; puta Judiciarios, quorum profeſſio eſt ex ſtellis, ſigniſque cœleſtibus facere divinationes.

Iſaiæ c. 47. v. 13. Aſtrologia judiciaria haſtenus explicata, prohibetur jure divino.

XVII. Etiam humano eccleſiaſtico.

Quantùm verò ad jus humanum attinet, non ſolùm huic ſuperſtitioſo hominum generi, antiquorum Patrum Concilia, ſed etiam Canones, graviſſimas jam olim pœnas ſtatuerunt; quod factum fuiſſet nunquam, niſi judiciariæ vſus aſtrologiæ, per ſe opus eſſet malum ac deteſtabile. Quæ etiam cauſa eſt, cur & Sixtus V. & Vrbanus VIII, Pontifices Maximi, non tantùm animadverterint ſeverè, ſed etiam à Magiſtratibus animadverti voluerint in Genethliacos, libris quoque eorum de varia divinatione prohibitis. Sane Tridentinum Concilium, in Indice librorum damnatorum, ſic loquitur. *Epiſcopi diligenter provideant, ne Aſtrologiæ judiciariæ libri, tractatus, indices, legantur vel habeantur, qui de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſvè caſibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid eventurum affirmare audeant.*

C. illos. C. ſed & illud.

In bullis contra Aſtrolog. à ſe latis.

Trid Conc. in Indice lib prohib. Reg. 9.

XVIII.

Crediderim ſanctam Synodum, ad prima Eccleſiæ tempora reſpexiſſe, & illud memorabile non paucorum facinus, quando Paulo Apoſtolo, Epheſi commorante, *multi ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* Quo nomine D. Auguſtinus illos notat, quibus jam tum ſolenne erat ex horoſcopo, nataliq; die, eventuros divinare mortalium caſus. Sed enim ipſa ejus verba dabo, quæ paſchali feſto, pro concione ad populum locutus fuit, cùm Genethliacum abjuratâ ſuperſtitioſæ divinationis nugacitate, jam levitatis ſuæ pœnitentem, atque ad gremium matris Eccleſiæ, velut turpiter deſertæ, ſanctaque ejus placita redeuntem, eò pulchrius reſipiſcentiæ ſpectaculum in templo propoſuit, quò luculentiùs flammis & ſuperſtitionis libros cremavit, & ſcelus ſuum expiavit.

Act. 9. v. 19.

In primitiva Eccleſia, libri aſtrologiæ judiciariæ, cõbuſti.

XIX.

Iſte, inquit, *ex Chriſtiano & fideli, pœnitens redit; & territus poteſtate Domini, convertitur ad miſericordiam Domini. Seductus enim ab inimico cùm eſſet fidelis, diu Mathematicus fuit, ſeductus ſeducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus eſt contra*

S. Auguſt. in Pſal. 61.

Digitized by Google

Judiciarij Aſtrologi, pulchra & memorabilis converſio, tempore S. Auguſtini.

DEUM; qui dedit hominibus poteſtatem faciendi quod bonum eſt, & non faciendi quod malum eſt. Iſte dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria, ſed Venus; & homicidium non faciebat voluntas propria, ſed Mars; & juſtum non faciebat DEUS, ſed Jupiter; & alia multa ſacrilegia non parva. Quàm multis eum putatis Chriſtianis nummos abſtuliſſe? quàm multi ab illo emerunt mendacium? modò ſicut de illo credendum eſt, horruit mendacium, & multorum hominum interitum: ſe aliquando à diabolo ſenſit illectum, convertitur ad DEUM pænitens. Noſtis in actibus Apoſtolorum eſſe ſcriptum, quia multi perditi, id eſt talium artium homines, & doctrinarum nefariarum ſectatores, omnes codices ſuos ad Apoſtolos attulerunt; & incenſi ſunt libri tam multi, ut pertineret ad ſcriptorem, æſtimationem eorum facere, & ſummam pretij conſcribere. Hoc utique propter gloriam DEI, ne tales etiam perditi deſperarentur ab illo, qui novit quærere, quod perierat. Perierat enim iſte; nunc quæſitus, inventus, adductus eſt; portat ſecum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem miſſis, ipſe in refrigerium tranſeat. Sciatis eum tamen fratres, olim pulſâſſe ad Eccleſiam ante paſcha: ante paſcha enim cœpit petere de Eccleſia Chriſti medicinam. Sed quia talis eſt ars, in qua exercitatus erat, quæ ſuſpecta eſſet de mendacio & fallacia, dilatus eſt, ne tentaret; & aliquando tamen admiſſus eſt, ne periculoſiùs tentaretur.

Act. 19. 19.

Etiam ſecum tulit libros Vulcano conſecrandos.

XX.

Aſtrologiæ judiciariæ dediti, olim ab Eccleſia Catholica excludebantur.

Epiph. l. de menſ. & ponder. ad annũ Chriſti. 137.

Exemplo Aquilæ Pontici.

Quibus verbis ſatis apertè inſinuat ſanctus Auguſtinus, antiquam Eccleſiæ Orthodoxæ conſuetudinem, excludentis à ſuo cœtu homines, Judiciariæ deditos Aſtrologiæ. Quod etiam conteſtatur Epiphanius, exemplo Aquilæ Pontici, ſacrarum litterarum non imperiti, & quem miracula, ad ſuſcipiendam Chriſti fidem, ſuo pondere impulerunt. *Aquila igitur* (Verba Epiphanij legis) *mente compunctus, Chriſtianiſmo credidit: & cùm petijſſet progreſſu temporis, ſignaculum in Chriſto, id ipſum aſſecutus eſt. Cùm autem à priſtino ſuo habitu non diſcederet, à credendo videlicet vana Aſtrologia, quam exactè edoctus erat; ſed quotidie poſitionem nativitatis ſuæ ſpectaret, redargutuſquè à Doctoribus, & increpatus eâ gratiâ, ſe non corrigeret, ſed potiùs contentioſè opponeret, & non conſiſtentia confirmaret, fatum videlicet, & narrationes de ipſo; expulſus eſt rurſus ab Eccleſia, velut inutilis ad ſalutem. Ex quo facto amarulentiam, velut ignominiâ affectus, mente concepit, & ad æmulationem elatus eſt, & abnegato Chriſtianiſmo, ipſiuſquè vitâ, proſelytus fit, & circumciditur Judeus. Nunquam miſer excidiſſet fidelium cœtu, nunquam ad Apellas tranſiiſſet, niſi temerarius*

prova-

provocator, tam pertinaciter appellâſſet ad Aſtrologiam illam, omni jure vetitam.

XXI.

Ethnicorũ Cæſarum decreta adverſus Aſtrologos judiciarios.

Quod ſi etiam animus eſt, ſanctiones principum inſpicere, obvia nobis ibunt decreta plurimorum Cæſarum, in eorum lata vindictam, qui geniturarum inſpectionibus, & nativitatum horoſcopis vacârint. Profectò Auguſtus Imperator, Aſtrologos Iudiciarios vrbe olim Româ, velut nocentiſſimam civibus peſtem, exceſſe juſſit. Vitellius Cæſar Genethliacos, etiam omnis alterius ſceleris puros, morte mulctabat; ſatis ei magnum crimen videbatur, publica impoſtura. Itaque teſte Suetonio *nullis infenſior, quàm Divinaculis & Mathematicis; vt quiſq; deferretur, inauditum capite puniebat.* Sed & Claudio imperante; factum eſt Romæ ſenatus conſultum, vt totâ Italiâ pellerentur Aſtrologi judiciarij, genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax; præſertim quia lenocinante vitijs naturâ, plerumque homines liberiùs ſequuntur ea, quæ vi aſtrorum futura didicerunt. Quin etiam hodie jus civile, & Genethliacis artem ſuam, divinationeſq; interdicit, & ſuperſtitioſos codices incendio damnat; vtentes verò ijſdem alios, exilio mulctat. Alibi quoque jubet morte plecti eos, qui aſtrologiæ divinatoriæ adhærent. Atq; vtinam apud ſumma etiam nunc capita, iſtarum legum ratio eſſet; nequaquam graſſarentur vagè tam multi impoſtores, nati in publicas, privataſq; hominum clades, contemptum Religionis, Numinis odium.

Dio. l. 49.

Sueton. in Vitellio. c. 14.

Tacitus lib. 17.

Et hodie Iuris civilis ſtatuta ac pœnæ.

L. 2. C. de Malef. & Mathem. L. Mathematicos. C. de Epiſc. aud. Lib. 5. de malef. & mathem.

XXII.

In Num. hom. 16.

Eleganter ratiocinatur Origenes; *ſi expedit nobis ſcire futura, dicentur à DEO per ſpiritum ſanctum. Si verò non dicuntur, nec denunciantur, ſcito, quia nobis non expedit.* Et tamen nihilominus ſunt, qui nituntur futuros in terris eventus ex aſtris, velut explicato volumine perlegere. miſeri! quia interim ſalutis ſuæ negligentes, non vident, quæ eos fortuna in altero ſæculo comprehenſura ſit. Non pauci Aſtrologi, cùm aſtris affixi ſpeculantur humanos aliorum caſus, ſuos non deprehendunt. Thales philoſophus, die quadam domo egreſſus, contemplandorum ſiderum causâ; cùm cœlum jam inſpiceret, futurorum inde rationes collecturus, in proximam foveam illapſus eſt, non ſine largo ſpectantis vetulæ riſu; & illud maximè exprobrantis, quòd is vellet cœleſtia comprehendere, qui ante oculos ſuos foſſam non vidiſſet.

Aſtrologi judiciarij, dum alijs alienos prænunciant evêtus, ſuos & proprios non vident.

Diog. l. 1. de Vitis Philoſophor. Plato in Thymæo.

XXIII.

Non minùs ridiculi fiunt Genethliaci; nam dum alienas

fortunas ex cœlo metiuntur, plerumq; ad propria cæci ſunt infortunia, Similes galſo gallinaceo, quem apologus memorat, præſagum futuræ ſerenitatis, conſcendiſſe arborem, & viciniam admirantem lætis cantibus impleviſſe. Exciverat ea hilaritas, etiam vulpeculam extra proximæ ſilvæ latibula: quæ vt à gallo intellexit, lætitiæ ſuæ cauſam eſſe, quòd odore præciperet venturam amœniſſimam cœli faciem; nempè verſuta beſtia, choros tripudianti ſimilis infra arborem ducere, & volucri cantanti applaudere, & gratulari vaticinandi ſcientiam; demum & ſummis precibus rogare, dignaretur ſibi, tam ſapiens caput, & futuri eventûs gnarum, porrigere ad amicum oſculum. Quod vbi fecit gallus, ſuam ſtultitiam luit; per collum abreptus à vulpecula, tractuſque ad certam mortem. Ita qui prædicere alijs cœli tempeſtatem voluit, periculum ſibi proprium, nullâ ſagacitate prævidit.

Similes gallo gallinaceo.

XXIV. Atq; hæc eſt noſtrorum quoq; infelicitas Aſtrologorum; poſtquàm alienos longâ ſerie deſcripſerint eventus, in ſuis, & proprijs eſſe turpiſſimos ignorantes. Scio quoſdam ex ſiderum obſervatione, deſcendiſſe ad vaticinandas particularium caſuum minutias, quibus alios monebant, ipſi futurorum vates; eò miſerabiliores, quòd exitia ſua, & carceres, & publicam infamiam, ſimileſque alias fortunæ iniquitates, non deprehenderint, priuſquàm obruerentur. Sed nunquam magis deridiculo fiunt Aſtrologi, quàm cùm ex aſtris, plures ſibi vitæ annos polliciti, ſubitò rapiuntur ad mortem; alia omnia cogitantes, præter æternitatis iter. tum enimverò, periculoſo proximos caſui, tota ſtyx ridet, atq; ad præcipitium vrget. Denique aſſuefactum eſſe divinatoriæ aſtrologiæ, & ſuperſtitioſis Genethliacorum vanitatibus pertinacem aſſenſum præſtare, vehementer incommodat ſaluti promovendæ, cùm moriendum eſt Chriſtiano; id quod nunc magis oſtendam.

Aſſuefactū eſſe divinatoriæ aſtrologiæ, præſertim in morte incommodat.

PARA-

PARAGRAPHVS XIV.

Idem argumentum proſequimur, de Genethliacis judiciariæ Aſtrologiæ aſſuetis; Quantùm ſuæ, aliorumque ſaluti, cùm moriendum eſt, incommodent.

SIcut nunquam deſunt malarum patroni cauſarum, ita reperiuntur, qui Aſtrologos divinatores defenſum eunt; hoc maximè argumento nixi, quia eorum vaticinia non ſemel verum habuerunt, poſtquam natales hominum, ad minutiſſimos horarum articulos, cautiſſimâ numeratione obſervârunt. Itaque ſicut Genethliaci edixerunt, quidam ad magnas fortunas, magnis paſſibus evecti ſunt; alij ad ſummas egeſtates, non tam prolapſi, quàm præcipitati; aliqui ſub ferro, alij ſub laqueo reliquerunt animas; non nemo inter aquas frigidâ morte extinctus eſt, alter inter ignes calidâ. Hinc conficere volunt, non omnino vanam eſſe artem Aſtrologiæ; quæ ex conſtellationibus petitur, pro futuris mortalium eventibus. I.

Genethliaci & Aſtrologi judiciarij, verum dicunt varijs modis.

Sed vt intelligant iſti, quàm fragilis cauſæ patrocinium ſuſceperint, modos ſuggero, quibus fit, vt aliquando Genethliaci vera prænuncient. Et initiò id quidem contingit nonnunquam merè fortuito caſu. Picum Mirandulam audiamus, ſui temporis inter doctos Phœnicem, in hac materia ſic philoſophantem. *Sed eveniunt tamen interdum, quæ prædixerunt; at cùm multò ſint plura, quæ non eveniunt, cur incidiſſe eos caſu in veritatem non arbitremur? Quid, quòd nulla eſt ars, tam anilis, tam vanæ ſuperſtitionis, quæ non eodem argumento vera comprobetur; quia aliquando ſcilicet accidat, quod ex ea prædictum ſit. Quare dicant mihi, qui ratione iſtâ moventur, putentné omnem artem divinatricem veram, an multas potiùs vanas & falſas? ſi multas falſas, probabo ego* II.

Aliquando merè fortuito caſu.

Picus Mirandula in Aſtrolog. lib. 2.

bo ego

bo ego illas veras, eodem argumento. Si omnes veras, pugnantia eos credere demonſtrabo; quia de eiſdem rebus, diverſæ artes divinatrices, idem non reſpondent. Deniq; multũ ſit, ſi peſſimus jaculator, millies toto aberret ſcopo, & ſemel temere punctũ feriat? magnum ſit, poſtquàm apud infelicem aleatorem *Semper damnoſi ſubſiluêre canes*; ſi ſemel Veneris jactus ſuccedat? nunquã tanta fortunæ eſt invidia, vt non aliquãdo caſus adveniat ſecundus. Huc pertinet, quòd Judiciarij ſæpe prædictiones ſuas, obſcuris amphibologijs involvãt, vt quicunq; tandẽ eventus ſequatur, illi verum dixerint. Itaq; verè Phavorinus aſſeruit apud Gelliũ: Aſtrologos non dicere per præcepta, ſed lubricâ cognitione nixos, aliquando & raro, quaſi per tenebras in veritatẽ impingere; ita vt omnia, quæ verè enunciârunt, præ mendacijs pars milleſima non ſint.

Propert. lib. 4.

Ajo te Aeacida Romanos vincere poſſe.

Gell. lib. 14. c. 1.

III.

Permittente Deo triſtium vaticiniorum eventum, in pœnam credulitatis vanæ.

Quamquam eſt alia ratio, cur nonnunquam eos mortales comprehendant triſtia, quibus Aſtrologi fuêre Vates. nempe juſta Dei vindicta, humanam punit curioſitatem, multarum ſemen ſuperſtitionum. Quia igitur aliqui, toti aſtris immerſi, ex ore Genethliacorum pendent, velut Apollinis oraculo; in vanæ credulitatis pœnam, experiuntur ſubindè infortunatos vitæ ſuæ caſus, exituſque, quorum metum fecerunt Aſtrologi & ſidera. Vnum tum Numinis decretum eſt; *ſicut credidiſti, fiat tibi.*

Matth. 8. 13.

IV.

Exemplo vnius in Bohemia, referente hiſtoriam Clariſſimo D. Rechberger, S. C. M. Medico.

Audivi relatione minimè dubiâ, atque ex ipſo velut oculo teſte; noſtrâ memoriâ in Bohemorum metropoli fuiſſe Iuriſconſultum, qui præter Bartholum & Baldum, continuò horoſcopum inſpiciebat, quidque alijs nunciaret, edicebat. Tandem & quid ſibi aſtra promitterent in dies proximos, tum ſignificavit, cùm nihil tale opinantibus collegis, publico in conſeſſu, vltimum vale fecit; ita natalis ſui tabulas, certis ſignatas ſtellis, affirmare, non ſe ampliùs ad ſubſellia, vnde ſententiæ coguntur, rediturum. Et quidem iſta talia aſſeverabat viribus integris, neque vllius morbi indicio ſuſpectis. Sed, ſicut ipſe ſibi Vates fuit, ita intra dies pauculos domi ſuæ expeditus eſt; repetente quaſi illud Deo: *ſicut credidiſti, fiat tibi.* Vbi non excludo naturam. habent enim etiam hoc ferè incommodum, qui credunt ſive cœlo, ſive Genethliacis, triſtia atq; atrocia vaticinantibus, vt facilè melancholicas contrahant apprehenſiones; vnde quidquid eſt boni ſucci in venis, degenerat in noxium phlegma, vehiculum præproperæ, & immaturæ mortis. Certè ſicut alibi caſum facit imaginatio: ita fides adhibita divinantibus Aſtrologis, non ſemel vitam accîdit. arbitror in pœnam vaniſſimæ

credu-

credulitatis, inculcante iterum Deo ſuũ illud: *ſicut credidiſti, fiat tibi.*

V. Et habeo novum augendæ fidei teſtimonium, quod mihi Pruſſia ſubminiſtrat. In ea regione ante annos non adeò multos, homo artis Genethliacæ peritus, ipſe ſibi cautum voluit ex eadem ſcientia. nam quia ſidera, certum ei diem monſtrabant, quo periculum imminebat fatalis ictûs inferendi, domi ſe continuit; vxorem obteſtatus, neminem vnum illâ luce admitteret, ſuæ quietis interpellatorem; ſeu potiùs, authorem ſuſpecti mali. Paulò pòſt, qui inter amiciſſimos ejus numerabatur, adeſt; & quamquam negari intelligeret eâ vice acceſſum, ad fidiſſimum ſibi Achatem; tamen quia per omnia familiaritatis jura rogavit, vt liceret breviſſimo congreſſu, in re maximi momenti, chariſſimum ſibi caput, conſultiſſimumque conſulere, admiſſus eſt. Itaque cupit, vt horoſcopum (quem modo ei quiſpiam deſcripſerat.) examinet.; nam ſi ſuis conſtaret legibus, actum eſſe de honeſto mortis genere, futurum ſe patibuli longam appendicem. Cùm verò nihil vitij appareret, & qui calculum ſubduxit, rationemque horoſcopi, affirmaret ſuſpendij certitudinem; nempe bilem movit animo. Et tu, inquit, mihi tam triſtis fortunæ augur ſis? ego vaticinio tuo, inter cœlum & terram aliquando, infamis ſtipes pendeam? dixit, ſimulque nudato enſe letalem alteri ictum inflixit. Mox & ipſe raptus à Magiſtratu ad quæſtionem, capitiſque ſententiâ damnatus, laqueo facinus expiavit. Ita, quod vtrique horoſcopus dixit infortunium, quod vterque timuit, ſimul experti ſunt. credo in pœnam ſuperſtitionis, juſtitiâ deſuper intonante: *ſicut credidiſti, fiat tibi.*

Et alterius cujuſdam in Pruſſia, ex relatione fide digna.

VI. Neque hîc ſubticendum eſt, ignaros etiam Aſtrologos, vera tamen aliquando dicere; quæ ſcilicet ab ipſo Deo acceperunt neſcientes, & arcano mentis impulſu evulgare juſſi ſunt. Patet in Caiphæ vaticinio, & Balaam Arioli, benedicentis populum Hebræum. Affine iſtis eſt reſponſum, cujuſdam matronæ, cui nomen Ida fuit, & tres filij: Balduinus, Godefridus, Euſtachius. Fortè mater ad laborem honeſtum conſederat, cùm fratres iſti adhuc ex infantia ſua gratioſi, velut pulli ſub alis gallinæ, ita ipſi ſub parentis ſe veſte recipiebant, exertis invicem capitibus pueriliter colluſuri. Supervenit pater infantium jocis: & quoniam non ſatis agnoverat liberos, interrogat conjugem, quos qualeſve conte geret veſte ſuâ? Et illa, Regem inquit vnum, Ducem alterum, & ter-

Aliquandò vera prænunciant Aſtrologi, exemplo Caiphæ & Balaam, ſed ignorantes.

Ioan. 11. 51. *Num.* 23. & 24.

Itẽ exemplo Idę matronæ.

Canſinus in Prælato. parte 2. ſect. 1.

tertium Comitem; nec vanum erat vaticinium. Siquidem Balduinus poſtea Rex fuit Jeroſolymæ; Godefridus ſuo proximè conſanguineo, Magno Godefrido Bullonio, in Ducatu Lotharingiæ ſucceſſit; Euſtachius autem Comitatum Bononienſem adeptus eſt. Veriſimile eſt, ſicut ignarus index, ſignat in horrologio motum interioris rotæ; ita Deum, quæ deſtinavit facere cum filijs tribus, indicaſſe patri, per vxoris inſciæ vaticinium. Idem ferè modus eſt, quo nonnunquam Aſtrologi imprudentes & ignorantes, enunciant ea, quæ à Deo docti ſunt, juſſique dicere. Itaque ad hunc ſenſum Auguſtinus ait: *tu Domine juſtiſſime, moderator vniverſitatis, conſulentibus, conſultiſq; neſcientibus, occulto inſtinctu agis; vt dum quiſque conſulit, hoc audiat, quod oportet eum audire, occultis meritis animarum, ex abyſſo juſti judicij tui.*

S. Auguſt. lib. 7. confeſſ. c. 6.

VII.

Et Aſtrologi, apud Abenner Indorum Regem.

Et quidem tali veritatis teſtimonio (ſi placuiſſet) Abenner Indorum Rex idololatra, emendari poterat, atque ad veri Numinis agnitionem, cultumque venire. Nam vbi ei natus fuerat Ioſaphat, continuò ſapientes Chaldæi, quid aſtra dicerent, à parente ſuper filiolo interrogati, cùm fauſta omnia vaticinarentur, & plenum fore ſemper fortunis, opibus, potentiâ Cornucopiæ aſſererent: *vnus Aſtrologus* (S. Damaſcenum adfero) *qui ſocios omnes ſuos eruditione anteibat, his verbis vſus eſt. Quantum ex ſiderum curſu conijcere poſſum, ò Rex, filij, qui nunc ex te ortus eſt, amplitudo atq; profectus, non in tuo Regno erit, ſed in altero præſtantiore, atq; incomparabiliter excellentiore. Atq; ipſam Chriſtianorum quoq; Religionem, quam tu inſectaris, arrepturum exiſtimo; nec eum ab hoc ſcopo ac ſpe, aberraturum puto.* Super qua ſententia Damaſcenus judicium tale, prudentiſſimus cenſor poſteritati reliquit. *Hæc ſcilicet dixit Aſtrologus, vt olim Balaam: non quòd Aſtrologia veritate nitatur; ſed quòd Deus, vt omnis impijs excuſatio amputaretur, veritatem per ipſos adverſarios oſtenderet.*

S. Damaſc. in Vita Barlaam & Ioſaphat c. 3.

Num. 23.

VIII

Alius modus, quo Iudiciarij Aſtrologi vera prænunciant, nititur ſocietate & commercio cum dæmonibus.

Addamus etiam alium modum, quo Aſtrologi prænunciant hominum caſus. Et nititur deteſtabili cum dæmonibus ſocietate, ſive amico eorundem commercio, jam dudum per Apoſtolum interdicto, cùm ad Corinthos ſcripſit: *nolo vos fieri ſocios dæmoniorum.* Certè divinatores illi, magno Auguſtino ſuſpecti ſunt, quando conjecturis eorum, ſub Aſtrologicæ pallio ſcientiæ, frequens contingit eventuum certitudo. Ita enim S. Pater loquitur: *non immeritò creditur, cùm Aſtrologi mirabiliter multa vera reſpondent, occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum; quorum cura eſt, has falſas & noxias opiniones de aſtralibus fatis, inſerere humanis mentibus, atq; firmare,*

1. ad Cor. 10. 20.

mare, non horoſcopi notati, & inſpecti aliquâ arte, quæ nulla eſt. *S. Auguſt. lib 5. de civit. c. 7.*
Huc ſpectat illud quod narravit viro religioſo, & Aſtrologiæ docto, alius quiſpiam Aſtrologus; Magiſtrum ſuum, ita ſe, alioſque in hac diſciplina inſtruxiſſe diſcipulos, vt cuivis adjungeret ſpiritum familiarem: vnde rerum, quas ſcire vellet, extemporaneam hauriret cognitionem. Sanè cum homine illo, id actum peractumque fuit, vt repudiaret domeſticum ſibi inimicum, angelum atrum, cujus magiſterio non probè vſus erat.

Lactantium addo, cujus opinio eſt; æquè Aſtrologiam (puta Iudiciariam) eſſe à dœmonibus inventam, ac reliquas magiæ diſciplinas. vt probabiliſſimum ſit inter hujus ſcientiæ vſurpatores, ipſoſque ſtygios ſpiritus, magnam ſæpe familiaritatem intercedere; atque vt ajunt, pactum aliquando expreſſum, aliquando tacitum implicitumque, de quibus plura Theologi. Et tum mirum adeo non eſt, Aſtrologos multarum rerum peritiam habere poſſe, ſcilicet beneficio mali dœmonis; & partim earum, quæ geruntur alibi, partim quæ geſtæ ſunt, partim quæ gerendæ. Ita credibile eſt, Thraſyllum Aſtrologum à dœmone accepiſſe, cùm Tiberio Cæſari dixit, ab eo ſibi mortem imminere, quam eidem ille, nemine conſcio moliebatur. Solet etiam malus genius prænunciare homini futura, quæ ipſe facere cogitat. Et quia celerrimi motûs eſt, quæ remotis fiunt regionibus, ad homines defert tanquam futura. Ex clandeſtinis quoq; concilijs, verbis, ſcriptis, & ſignis, quæ exteriùs apparent, poteſt occultas hominum cogitationes, deliberationes, item præſentes & futuras, ſolertiſſimâ conjectatione deprehendere. Neq; minùs ex præparatione cauſarum, multa colligit, ob incredibilem mentis ſublimitatem, longiſſimam experientiam, abſolutamq; rerum naturalium perfectionem. Quoniam etiam temperamentũ hominis penitiſſimè introſpicit diabolus, hinc de liberis ejus in futurum actionibus, ſuſpicari poteſt ac conjectare, certi nihil pronunciare. Si autem ſemel ſuus cliens Aſtrologus, ex aſtris aliquid certò eventurum dixit, tum ſanè omni modo conatur efficere, vt id ipſum eveniat, ſtabiliendæ gratiâ fidei, ſemel factæ, datæque.

IX. *Lactant. li. 2. c. 17.* *Vide Layman. c. 3. de divinat. Delrio in diſquiſit. l. 2. q. 4.* *Dio l. 5. 5.* Varij modi, quibus Cacodæmon & cognoſcere poteſt futura, & prædicere. Tenetur etiam ſuis confœderatis Aſtrologis, fidê ſtabilire & tueri, in factis prædictionibus.

X.
Nec deſunt ad hanc rem documenta. Scio aulam regiam, ex qua vt filium ſuum, ad diem certum ſignatumq; ſubduceret vir quidam primæ nobilitatis, monitus eſt à Genethliaco: quòd diceret ſidera infeſta fore, & grave vulneris malum conciliatura, ſi dictâ luce ac die, filium ejus conſpexerint inter Regis palatinos. Sed

Docetur ex eventu cujuſdam Aſtrologici vaticinij.

parens, re cum alio Aſtrologo, viro docto & religioſo collata, (ex quo ego hiſtoriam accepi) contempſit Genethliaci ſomnium. Qui tamen iteratis precibus, hoc ſaltem vt caveret, rogavit, ne ſtato die (quem ſignaverat) filius viridi colore veſtitus, compareret in aula; neve cum alio ageret, qui ſimili colore inſignitus eſſet. Sed multò magis hac præmonitione riſum fecit Aſtrologus; quaſi verò aſtra ad tincturas veſtimentorum attenderent, & aliud efficerent apud purpuream, aliud apud cæruleam togam. Deniquè ita evenit, vt filius vel inſcius vaticinij, vel contemptor; caput viridi pileo tectus, cum alio palatino ſocio, induto veſtem coloris itidem viridis, ſeu praſini, neſcio quâ ortâ altercatione, congrederetur, & vulnus acciperet in maxilla. Cùm ergo nullâ ſiderum neceſſitate aut inclinatione, iſtud evenire potuerit, ad ſolam coloris vniùs circumſtantiã; eò magis Aſtrologus alter aſſeveravit, quod cœli & ſtellarum naturâ factum non fuit, effectum eſſe dœmonis operâ; id vnum agentis, vt Genethliaco illi futura pronuncianti, fidem ſervaret, nec imminueret authoritatem dicentis, deſtituendo. Quamquam etiam impetrare ſemper non poteſt, quod molitur Sathanas; objicientibus impedimentum aut DEO, aut humanâ libertate.

XI.

Alexander ab Angelis. lib 4. in Aſtrologos. c. 36.

Atque ad declaratam hactenus, eamque variam divinandi rationem, refero omnes illas particulares prædictiones, apud Alexandrum ab Angelis recenſitas. Quas inter maximè plauſum habuit ea, quæ à Iudiciario quodam Aſtrologo, facta eſt Galeatio, Mediolanenſium Duci. nempè illum ex vulnere, per ſubditum quempiam ſuum infligendo, occiſum iri. Graviter accepit vaticinium Galeatius; jamque mortem meditans homini vano, ac Reipublicæ peſtilenti, perturbatori etiam tranquillarum mentium: & tu inquit, quo infortunij genere, hanc vitam claudes? cumque animosè reſponderet, ſe in via publica, ex caſu ſuperlapſuræ trabis, hinc exceſſurum; erras ait Dux: nam gladius & caput tibi improbum, ſimul & linguam mendacem demetet. Iamque ducebatur ad fatalem ictum Aſtrologus, effuſâ omni civitate ad ſpectaculum. Cùm ecce tibi, tranſeuntem in platea reum, trabs ſupernè delapſa ex ædificio, cum carnifice eliſit. Inde complures, malè ominari cœperunt Duci; neque omen fefellit eventus. nam vt ei pronunciatum fuit ab Aſtrologo, ipſo feſto S. Stephani, in ejuſdem Protomartyris Eccleſia, vniverſo adſtante populo, præſente quoque omni Aula, à Vaſallo

Ad prædictos modos divinandi, ſpectat vaticinium ab Aſtrologo datum, Galeatio, Duci Mediolanenſiũ.

suo

ſuo multis vulneribus confoſſus eſt. Stupentibus vniverſis, aſtrologicam prædictionem, duplici cataſtrophe comprobatam fuiſſe. Nunc ſi quæritur, quâ viâ Iudiciarius ille, verum attigerit vaticinando? ajo vno illorum modorum, quos ſupra allegavi, ſcilicet aut caſu & fortunâ: aut à DEO ipſo, permittente triſtium aliquando vaticiniorum exitus; ſive in pœnam variæ ac ſuperſtitioſæ credulitatis; ſive ob alias, ſibi ac providentiæ ſuæ perſpectas rationes; aut certè operâ, ſtudioq; Cacodæmonis, plurima cognoſcentis naturaliter futura; imò etiam adlaborantis, vt ea partim neceſſariò, partim liberè fiant, quæ ſuperſtitioni fovendæ, & regno ſuo amplificando juvant.

XII. Quàm verò noxia, quàm & peſtifera ſit vniverſim Aſtrologia Iudiciaria; non tantùm ſuis ſequacibus, ſed etiam Religioni Chriſtianæ, Picus Mirandula totidem (quæ ſequuntur) verbis demonſtrat. *Sanè luſtranti mihi vndiq; omnia, & Eccleſiæ hoſtes exploranti; non video, vnde omnibus pariter plus copiarum, plus armorum adversùs veritatem ſuppeditetur, quàm ex iſta profeſſione; hinc enim ad impietatem, hinc ad malam religionem, hinc ad hæreſes, hinc ad vanam ſuperſtitionem, hinc ad perditos mores, irrevocabilemq; malitiam, præceps & facillimus lapſus.* Quid ni etiam ad inferos? nam ſic vſuvenire ſolet, vt hic vltimus caſus, priores excipiat, quibus ad ſcelera deſcendimus. Et quidem Aſtrologi pulchros ſibi gradus faciunt, ad fatale præcipitium, quando divinationibus ſuis, & ſuperſtitionis crimen ſubſternunt, & fati, & hæreſeos, & turpiſſimæ cum Sathana conſuetudinis; vt nihil dicam de graviſſimis mendacijs, quibus & veritati illudunt, & juſtitiæ, non ſine ingenti ſimplicium damno; dum enim eorum ſpes augent, certiſſimis vt ajunt, vaticinijs, marſupijs cladem faciunt. quaſi ſatis fuerit fumum pro auro vendere, & mendacium æquiparare argento.

Aſtrologia judiciaria, eſt peſtifera Religioni Chriſtianæ.

Picus Mirandula l. 2. in Aſtrolog. c. 5.

Imò & Aſtrologis, quibus ad ſuum præcipitium gradus ſtruit.

XIII. Sed hîc iterum quæſtio naſcitur, cùm ex aſtris Mathematici liberas hominum actiones, diſpoſitiones, electiones, pronunciant eventuras, non quidem cum abſoluta certitudine, ſed tamen ſub probabili conjectura; an etiam tum ſe culpâ aſtringant? Aſſerit Suarez, nixus bullâ Sixti V. vbi leges ſequentia. *Statuimus, vt contra facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid eventurum affirmare audent, etiamſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur, &c.* inquirant (ſcilicet Epiſcopi) *& procedant, &*

Non tantù peccatum eſt, ex aſtris liberas hominum actiones certò prædicere.

Suarez l. 2. de ſuperſt. c. 11. n. 30.

Digitized by Google

in eos ſeveriùs canonicis pœnis, & alijs, eorum arbitrio animadvertant.

XIV. Itaque de iſtis talibus, etiam probabilem velle conjectionem facere, peccato non caret; tum quia adverſatur prohibitioni Eccleſiæ, quam tacitè ſupponit Sixtus V. tum quia ille modus prænunciandi futura, eſt pernicioſus reipublicæ, & vanarum fomes inveſtigationum; tum quia præſumitur ſub hoc veri ſimilitudinis prætextu, divinationem malitiamq; occultari; tum deniq;, quia Aſtrologus ſupradictos eventus etiam probabiliter ſecuturos affirmans, gravem ſuperſtitionis culpam admittit. Ratio eſt, quòd ex ſolis aſtris, vtpote remotiſſimis cauſis, & homini ſecundùm virtutem ſuam atque influxum, valde ignotis, comparari non poſſit, talium futurorum ita probabilis cognitio, vt ſufficiat ad determinatum judicium, etiam probabiliter ferendum. Accedit hanc ejuſmodi divinationem, etiam ſub ſpecie veriſimilitudinis, tantùm fundari in regulis Aſtrologiæ, artiſque judiciariæ; quæ cùm ex ſideribus ſolis probabilitatem habere non poſſint, rectè damnantur, velut induſtriâ dœmonum excogitatæ, in perniciem mortalitatis noſtræ.

Sed etiam probabilẽ de ijſdem facere velle conjecturam.

XV. Vbi duplex hominum genus diſtinguo; alterum eorum, qui illam, quam hactenus inſectati ſumus, aſtrologicæ vanitatem diſciplinæ profitentur, facturi quæſtum ex vaticinijs; iſtorum alterum, qui divinantibus Genethliacis, tanquam oracula dicturis, faciles aures, benevolaſque accommodant. Sed quantùm vtriq; ſaluti ſuæ incommodent, illi dicendo, auſcultando iſti; hinc planum fit, quòd perpetuò cœlis intenti, quid aſtra velint, jubeantque, ferè imperium mortis non advertunt, ſubitò accelerantis, atque ad æternitatem ducentis, tanti itineris improvidos mortales. Quæ cauſa eſt, vt hinc migrent nondum factis cum DEO rationibus, nondum placatâ Numinis juſtitiâ, nondum muniti ex Catholico more ſacramentis. Cœlum non vnus amiſit, quia cœlo ſemper affixus & aſtris, ac futuris ſibi caſibus: quem maximè debebat, caſum vltimum, non prævidit, non cavit. Ita ruunt miſeri in tartarum, quando imminentium fortunarum (quas ſidera mentiuntur) maximis pleni ſpebus, parant aſcenſum, nunquam ſecuturæ fælicitati.

Aſtrologiæ judiciariæ dediti, periclitantur de ſalute.

XVI. Fidem facit meæ aſſeverationi, diligens in Scripturam commentator, cùm in hac materia ſuum ipſe interponit teſtimonium, experientiamq;, totidem verbis. *Sanè paucis annis, quibus Romæ fui, vi-*

di

Digitized by Google

di plures viros magnos ab Aſtrologis deceptos, dum huic vitam longiorem, illi Cardinalatum, alteri Papatum prædicunt & promittunt; quos omnes vanâ ſpe & mendacio deluſos fuiſſe, eventus docuit, magno eorum periculo & damno. Dum enim ſe non credunt morituros, niſi priùs adepti ſint prælaturam, quam promiſerunt Mathematici, etiam letali morbo icti, ad mortem ſe non parant: quare imparati & improvidi moriuntur. quæ ſanè aperta eſt diaboli fraus, qui per divinationes haſce, animabus ipſorum inſidiatur. Nam ſi hinc exceſſerint nondum reconciliatâ cum Deo amicitia, necdum etiam expiatis per confeſſionis Sacramentum, aut contritionis dolorem ſceleribus, jactura æterna eſt; & tam verè pereunt, quàm certa eſt fides Catholica, neſciaque fallere.

Cornel. à lap. in cap. 19. Act. Apoſt. v. 19.

Quia experientia docet, etiam cùm morti proximi ſunt, non ſe tamen ad mortem legitimè diſponere.

XVII. Et ô! quot quantoſque homines adhuc velut cum aſtris loquentes, & fatis ſiderum, planè imprudentes & ſui oblitos, mors tranſtulit in alium orbem! Hîc mihi in mentem venit Archimedes Syracuſius, quem & Aſtrologicæ ſcientiæ, & geometricæ artis peritia, celebrem fecit. Contigit vt Marcellus, ſupremus Romanæ militiæ dux, in expugnatione Syracuſarum interdiceret, ne Archimedes vnus necaretur; nempe viſa eſt hominis eruditio digna, quæ immortalitati ſervaretur, etiam apud poſteritatem magnis vſibus futura. Et tamen cum iſta quoque cautione interijt. vbi enim Syracuſas jam captas hoſtis diripuit, Archimedes defixis humi oculis ad formas geometricas, quas in pulvere tum ingenioſè aut deſcripſit, aut ſignandas concepit, à milite ignaro quis, quantuſque eſſet, gladio confixus occubuit. Et mihi quidem illud ſemper mirabile viſum eſt, potuiſſe Archimedem, in ea tam miſerabili civitatis neceſſitate, inter ferales tubarum ſtrepitus; quin etiam victoris inſultantis vociferationes, & pereuntis ejulatus patriæ, vicinum ſibi ferrum non perſentiſcere. hæc nimirum ſapientis animi, ac literati eſt felicitas, vt quantumvis

Plutarchus in Marcello.

Archimedes occupatus in formis geometricis & pulvere, obruitur à morte:

Fractus illabatur orbis,
Impavidum feriant ruinæ. Certè Archimedes merſo ſuaviſſimè in Geometriam animo, neſcivit vrbi hoſtem dominari, priuſquàm hoſtilem gladium excepit. tam ſeriò ille occupatus fuit ducendis in terra lineis, atque Romanus miles faciendis funeribus. tandem inſcius totius tragœdiæ, ibi cecidit, vbi conſedit, ex pulviſculo fabricaturus machinas, ipſe brevi pulvis futurus.

Horat. lib. 3. Od. 3.

XVIII. Et hic deniq; multorum exitus eſt, ſive Genethliacorum, ſive vanam Genethliacis habentium fidem. cùm minimè arbitrantur, mors ad limen domûs adrepit; neque tacito ſemper pede; aliquando

Digitized by Google

do velut expugnationem factura, præmittit validam manum, & prodromos morbos, vt ſit ſpatium colligendi animi ad pietatem, veramque de peccatis reſipiſcentiam. Sed nimirum, quemadmodum Archimedes, dum figuris ſuis vacat & fabricis, in pulverulenta humo deſcriptis, interceptus à Romanis eſt, enectuſq; ; ita complures adhuc occupati in aſtrolabio & horoſcopo, non ſentiunt ſibi extremam inſtare lineam, niſi quando intelligunt, eam jam ſe abſolviſſe. adeò illo etiam quaſi momento, quo vita & mors diſtinguuntur, pendent à factis ſibi divinationibus ſecuri; nec credunt ſe ſe mori poſſe, priuſquàm ſidera felici eventu vaticinia ſua comprobaverint, & hiantes ſperatis impleverint fortunis. Quæ etiam cauſa eſt, cur ejuſmodi homines, nihil tum ſanctioris cogitatûs admittant, de ſincera pœnitentia ac Chriſtiana morte; nihil melioris conatûs pro beata æternitate. Itaque cùm vultum in cœlo habent & aſtris, jamque morituri velut linceo intuitu, adhuc ſibi futura proſpiciunt, hoc vnum non vident, ſe ſplendidè perire.

Aſtrologi non pauci, dum occupantur aſtrolabio & horoſcopo.

XIX. Novi ego vnam ex illuſtrium portione fœminarum, cùm circa ætatis ſuæ annum quinquageſimum, ægritudinis malo conclamata jam eſſet, nec tamen quidquam ſeriò pro ſalute ageret; vbi defuncta fuit periculo, & morbo expedita, dixiſſe palam: Certum ſibi fuiſſe, eo ſe tempore non morituram: quòd horoſcopus ſuus octoginta annos promitteret extrahendæ vitæ. Hoc nimirum fuit, ſuperſtitioſæ prætextu fiduciæ, totum cœlum incertiſſimæ mortis aleæ committere, atq; animam in fauces draconis ſtygij, heu! quam delicatum bolum, inſerere.

Horoſcopus cauſa fuit, cur nobilis Domina in morbo, ſe minùs ad mortem pararet.

XX. Infelicior fuit alterius hominis exitus, cujus meminit Medicus, Aſtrologiæ gnarus. Nam anno 1637. Friburgi Briſgoiæ, convenerant eò loci, ambo illi, olim in liberalibus ſtudijs familiares amici. Et quoniam alter à febricula proſtratus fuit in lectum, veterem ſocium per nuncios rogat, adeſſe ſibi velit, & decumbenti longas moleſti temporis horas fallere, alloquio diu intermiſſo. Neque ille tantùm voluit ægrum ſermone recreare, ſed verò etiam conatus eſt conſilio prodeſſe, & ſuadere è medicinæ diſciplina, ea quæ pellendo morbo faciebant antidota. Sed nihil perſuaſit, intento ſemper ad horoſcopum, quem ipſi medicus Argentinenſis quidam conſcripſerat. metiebatur enim inde, quid ſequens dies ei aut promitteret, aut minitaretur circa alexipharmacum. Et quidem jam Saturnus illum torvo aſpiciebat oculo, jam arridebat Jupiter, ſtans in recto; paulò pòſt occurrebat ſidus aliud in tranſverſo

D. VVechtler in Calendario ad annum Chriſti 1639.

Cauſa etiã fuit, cur alius impiè moreretur.

verſo. Hæc verò & ſimilia, cùm præſens amicus tanquam nugas exploderet, & ipſe exploſus fuit ab infirmo, ſed non diu; nam ea in ægritudine, haud multò poſt animam efflavit, ideò miſeram & miſerabilem, quia miſerrimus homo non tanquam Chriſtianus Chriſtianè, ſed Atheus planè hinc abijt. vt diſcerent ex ejus interitu alij, quantùm officiat fidei, religioni, piæque morti, ſemper ad aſtra & horoſcopos affixum ſedere.

XXI. Concludo hunc paragraphum cum Pico, Mirandulæ Comite, cujus hæc eſt aſſeveratio. *Poſſem ego etiam Aſtrologos doctos, & mihi familiares adferre nominatim, quibus fides iſtius vanitatis, ad quam ſcilicet vitæ rationem inſtituerant, vel exitio fuit, vel detrimento non mediocri; ſed nolo homines alioquin bonos infamare, & in re, veritati non admodum neceſſaria, ſanctæ amicitiæ jura violare. Sed vtinam huic quidem patrimonium non abſtuliſſet, illi patriam & vitam; multos ſpe vanâ ſtolidos & inſanos, multos timore miſeros non effeciſſet! Ita mea delicta Deus non videat, vt nullos vidi earum rerum magis egenos, quas ſuis hominibus Aſtrologia promittit, quàm qui Aſtrologiæ penitus ſe devoverunt, & per eam cæli favorem in horas ſingulas aucupantur.*

Picus Mirandula lib. 2. in Aſtrolog. c. 2.

Aſtrologiæ judiciariæ varia damna & incommoda.

XXII. Memorat deinde idem Author, Genethliaci cujuſdam infortunatum ex hac vita tranſitum, cum ſaluberrimâ ad amicos omnes adhortatione. *Obijt* (ejus verba ſunt) *morte valde miſerabili, quam nec à cælo ipſe præviderat. parabat enim multa, & magna moliebatur, vt qui ſibi adhuc longos vivendi fines conſtituiſſet. Poſſem multa hoc genus connumerare, ſed refugit animus narrationem earum rerum, quam vix ſine lachrymis poſſum meminiſſe: & quoniam inciderunt in homines amiciſſimos, commiſerationem potiùs exigunt à me, quàm reprehenſionem. Sed vtinam hæc diſſimulatis nominibus veterum amicorum, invita redargutio amicis viventibus proſit, quos per omnia, quæ mihi cum illis amicitiæ jura intercedunt, per fortunas eorum, per vota fælicitatis, admonitos & rogatos etiam atq; etiam velim, ne vnquam in ſuis rebus vanitatis iſtius conſilio ſe committant. habeant eam (ſi ita libet) quaſi poëticam fabulam, ſuper qua rideant, ludant, jocentur: pro duce, pro magiſtra vitæ, non habeant.*

Lamentatio Mirandulæ, ſuper deceptis amicis à judiciaria Aſtrologia.

XXIII. Malus omnino dux eſt, cujus veſtigia ad Labyrinthum ducunt, vnde te aut nunquam, aut difficulter expedive-ris. peſſima magiſtra fuerit illa, quæ nihil docebit meliùs, quàm interire; & fortunas, vitam, animum perdere. Quiſquis has artes vult diſcere, Aſtrologicæ ſe tradat diſciplinæ; illi inquam, quæ libertatem hominis ſolet ad

Malâ duce & magiſtrâ.

ſide-

ſiderum, fatorumque neceſſitatem arctare, omnemque Numinis providentiam è medio tollere, aut ſaltem labefactare. Hunc talem, etiamſi mors cum imperio interpellaverit, nunquam ſibi abeundum eſſe credet, quamdiu horoſcopus ſpem fecerit aut plurium annorum, aut novarum in divitijs, honoribus, titulis acceſſionum. Ita autem, neque animus morientis ad cœleſtia erigitur, neque apparatus fit ille rerum ſacrarum, operumque divinorum, quem à Chriſtiano homine fides Catholica, totaque æternitas poſtulat. Denique mutis ſideribus majorem adhibere fidem, quàm loquentibus morbis, infirmitatibus, medicis, delirare eſt, imò & inſanire; tantò periculoſiùs, quantò certiùs homini moribundo ſua ſalus periclitatur.

Quæ etiã mortem, cùm adeſt, negat adeſſe.

XXIV.

Confuetudo Aſtrologiæ judiciariæ, hactenus deſcriptæ, periculoſa eſt morientibus.

Quiſquis vult beatâ morte defungi, & novus incola augere cœlum, caveat aſſueſcere divinationibus Genethliacorum. ſicut vbique potens eſt ſemel imbibita conſuetudo, ita firmatum longo vſu judicium, in falſis Aſtrologiæ divinatoriæ objectis, non parvum exhibebit negotium hinc exceſſuro; præſertim ſi apud talem jam olim imminuta fuit divinæ providentiæ æſtimatio; ſi fatum etiam admiſit, ſi ſuſtulit liberum humanæ voluntati arbitrium; ſi denique cum dœmone, infeſtiſſimo Dei inimico, ideò in ſocietatem, fœduſque acceſſit, vt poſſet aſſequi, rerum occultarum, abſentium, futurarum cognitionem. Quis non videt, quantopere hæc omnis impietas hominem ſtringat, impediatque jam morti proximum, ne ab aſſuetis reſiliat, & poſitâ ſuperſtitionum vanitate, ipſiuſque Sathanæ commercio, totus cum ſincera pœnitudine ad Deum redeat?

XXV.

Eccleſi. 3. à v. 22. vſq. ad 27.

Salubris adhortatio de cavenda judiciaria Aſtrologia.

Sed finio hanc materiam cum Siracidæ, immò divini Spiritûs monito. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus. non eſt enim tibi neceſſarium ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. in ſupervacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus ejus, non eris curioſus; plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi. multos quoq; ſupplantavit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Præterquam quòd ſumma ſit ſtultitia, ſollicitè inquirere temporarios pereuntis vitæ eventus, æternitatis cum tota mole imminentis nullam, aut minimam curam gerere. Ergo providentiam optimi Numinis veneremur; & quoniam ęterna Veritas diſertè monet; *Vigilate, quia neſcitis diem neq; horam*, culturam animę noſtrę ac conſcientię ſuſcipiamus; nunquam certi,

Matth. 24. 42.

Digitized by Google

ti, ſemper dubij, ac ſuſpenſi de momento, quo ſemel transibimus ad immortalitatem. Sic inter caſus omnes, velut puluillo ſubſtrato, tranquillitate animi, ſuaviſſimè acquieſcemus; felices futuri orbe vtroque. optimus ille eſt horoſcopus, quem ſua cuique Virtus, pietaſq; fecerit pro æternitate.

PARAGRAPHVS XV.

Adversùs Patronos, & defenſores Iudiciariæ Aſtrologiæ, oſtenduntur inſuper varia ejus damna, tum temporalia, tum maximè ſpiritualia, quibus hominis ſalus fit impeditior in MORTE.

QVantùm ab hinc ſæculo vno, alteroque, ſcientiæ omnes, artes prope vniverſæ, perfectione ſuâ creverint, intelliget is, qui particulatim ſingulas examinaverit. Certè illa nunc apud Belgas, Italoſque, eſt penicilli elegantia, colorum amœnitas, picturæ vita, vt videantur Apelles, Parrhaſij, Protogenes redijſſe, iterumque uvis deceptas allicere volucres, & tranſeuntes equos ad hinnitum invitare, & homines ſpectatores obſtupefacere. Statuariæ verò quanta hoc ævo peritia eſt? ita imagines plurimæ in ære, ſaxo, ligno, non tantùm ſpirant actionem motumque, ſed etiam edunt. Neque jam ſola Architæ lignea columba admirationem parit, quòd artificioſis ponderibus librata, inter domeſticas alias è columbario evolaverit ad campos. Vidi ipſe meis oculis non ſolùm ambulare ſtatuas, ac certis ſpatijs, quaternos menſarum angulos circumſcribere eundo, revertique vnde prodierant; ſed ſimul & oculos emiſſitios circumferre in ſpectantes, & manu tactas cytharæ fides, animare in melos, & capite toto, velut plauſum poſtulare à circumfuſa multitudine. I.

Ars ab vno ſæculo videtur ad ſummum excreviſſe.

In picturis.

In ſtatuis.

II.

In cera for- [illegible] & fingenda.

Iam quoq; ceram, ingenioſi artifices in omnem trahunt formam, tam doctè, vt ars ipſa videatur certare cum natura. Spectavi non ſemel artificioſiſſimi hominis icones varias, quas è cera finxit, raritate pulchri operis, ſtuporem omnibus incuſſuras, peritis ejus ſcientiæ æſtimatoribus. Præterquàm enim, quòd abſq; vllius penicillo pictoris, color variè, & cuiq; rei pro exigentia attemperatus, imagini aliquem vitæ ſenſum adſpiravit; etiam veſtium apparatus ſingularis erat; vnâ eâdemq; cerâ, peramirabilem imitationem diverſa repræſentante; linum, lanam, byſſum, pannum, pellem, purpuram, ſericum, holoſericum; vt juraveris facilè, nihil ibi laboris ſui apes habere, ſed bombyces, oves, martes, mures ponticos; & ſimilia alia hominibus veſtiendis nata animalcula, ſuas ibi exuvias reliquiſſe. Si etiam artefacta, in minutula quantitate magiſtrum ſuum commendant; neſcio an aliquid curioſius eſſe poſſit, illis horologijs, quæ intra annulos nunc ita includuntur, ut digitus vnus ſecum circumferat quadrantes, horas, dies, noctes, menſes, annos. denique integram quaſi officinam Vulcani, inſtructam totis, ponderibus, incude, malleo, ære campano. Neque deſunt magnorum operum ſtucturæ; ut alia omittam omnia, quæ terris inſiſtunt magnifica ædificia; quanta moles eſt navis vna, quæ contra hoſtem expeditur hoc ævo in mari? tot illa malos in altum porrigit, tot vela inde ſuſpendit, tot ænea diſponit per ambitum tormenta, tot remiges annumerat, tot milites ſclopetarios, vt cùm videris advenientem, putes vrbem parvulam inter fluctus natare, explicatiſque ſupra turres vexillis, armatam procedere in hoſtem. Et ne mœchanicas ſolùm artes videar deprædicare; certiſſimum eſt hoc ſæculo, omnes liberales ſcientias, ad ſummum velut apicem eruditionis aſcendiſſe; vt negare nemo auſit, præter ſtudium poëſeos atque eloquentiæ, diſciplinas etiam philoſophicas, & præſertim facultates Medicinæ, Juris, ipſiuſque Theologiæ, quàm excultiſſimas evaſiſſe.

In minutulis horologijs conſtruendis.

In maximis navibus fabricandis.

Creverunt perfectione, aliæ quoq; ſcientiæ intra Seculum.

III.

Hoc mantelo Aſtrologi judiciarij, palliant ſuam ſcientiam, & prædictiones circa particularia.

Atque hoc eſt pulchrum illud mantelum, quod Aſtrologi Iudiciarij, eorumque patroni ac propugnatores, ſuæ cauſæ prætexunt; nimirum hoc eruditiſſimo ævo, aſtrologicam pariter ſcientiam adeo inter alias profeciſſe, vt ex ſiderum aſpectu, ſtellarumque poſitione, ſub qua unuſquiſque extra matris uterum effuſus eſt, velut in patenti volumine deſcripta, recitare poſſint illa omnia, quæ ei homini, etiam in particularibus temporum, locorumque circumſtantijs, eventura ſunt. Et quidem hæc

tam

tam gravis aſſertio, tam ſpecioſa promiſſio, eſt illa hedera, quâ inducitur humana curioſitas, vt emat pro veritate fumos, fucos, mendacia. Itaque jam paſſim vſus obtinet inter copioſos, & primi ſanguinis homines, vt non ſibi tantùm, ſed ſuis quoque horoſcopos pretio curent. Scire volunt, quæ parvulum adhuc in cunis ſuis vagientem, olim fortuna complexura ſit: quis caſus ipſoſmet infantis parentes, fratres, ſorores comprehenſurus. Sed quanta incommoda ſecum vehat, hæc ſuperſtitioſa aſtrologiæ indagatio, ſaxo vt ampliùs intelligamus.

Horoſcopi, qui hominibus fiunt ab Aſtrologis, pro futuris eorum eventibus, variè incómodant.

IV.

Et primùm quidem, vehementer anxium reddit animum ejus, qui vaticinia Judiciariorum credit velut ex tripode veniſſe. *Nam* (quod dilemma eſt Phavorini) *aut adverſa eventura dicunt, aut proſpera. Si dicunt proſpera & fallunt, miſer fies fruſtra expectando. Si adverſa dicunt & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo. Si vera reſpondent, eaq; ſint non proſpera, jam inde ex animo miſer fies, antequam è fato fias. Si felicia promittunt, eaq; eventura ſunt; tum plenè duo erunt incommoda, & expectatio te ſpei, ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum, ſpes tibi jam defloraverit. Nullo igitur pacto vtendum eſt ejuſmodi hominibus, res futuras præſagientibus.* Rationem ipſe palmariam, hanc inſinuat; quòd nimirum ſemper calamitoſa ſit mens, futuri incerta; ſive cùm ſpes promiſſa differendo affligit; ſive cùm incuſſus timor, proximè impendentis mali, ingratus eſt augur. Denique non minimam puto eam homini carnificinam obtingere, quando neceſſe habet, ſtare perpetuò inter ſacrum & ſaxum, ſpem & metum, affectibus in diverſa luctantibus, anxijſque caſuum ſuperventurorum.

A. Gellius lib. 14. c. 1.

Quia ponunt inter ſpem & metum, non ſine lucta animi.

V.

Quod probè intelligens S. Auguſtinus; *nihil* inquit, *tam contra Chriſtianos, quàm ſi arti Matheſeos* (Aſtrologicæ) *adhibeant curam, hæc enim inimica dignoſcitur* DEI; *hanc ipſam aſtutia & ſubtilitas invenit diaboli.* Quo velut fundamento poſito, hortatur omnes Hipponenſis Antiſtes, ne ei ſe diſciplinæ velint diſcipulos tradere, cujus inventor eſt Cacodœmon; illud inter alia damna cauturi ludibrium, ne inter perpetuas ſolicitudines, incertitudine futurorum, velut quodam tormenti genere ſuſpendantur. Tutiùs hîc nihil eſt, quàm ab authore ſuperſtitionis aſtrologicæ Sathana, tranſire ad providentiam DEI, etiam ſuadente ſancto Leone, cujus ſunt ſequentia. *Ille* (dœmon) *mendax eſt ab initio, & in ſola viget arte fallendi, vt huma-*

S. Auguſt. l. 2. de doctrina Chriſtian. c. 21.

Dœmon inventor aſtrologiæ judiciariæ, ex mente SS. Patrū.

Digitized by Google

S. Leo ſerm. 6. de Paſſione.

nam ignorantiam falſa ſcientiæ oſtentatione decipiat, ſitq́, eorum malignus impulſor, quorum pòſt futurus eſt improbus accuſator. Anni vitæ noſtræ, & actionum temporalium qualitates, neque in natura elementorum, neq́, in ſtellarum effectibus, ſed in ſummi & veri DEI *poteſtate conſiſtunt; cujus auxilium & miſericordiam in omnibus, quæ obtinere cupimus, implorare debemus. Sicut enim illo offenſo, nihil eſt quod nobis valeat ſuffragari; ita eodem propitio, nulla nobis nocebit adverſitas.*

VI.

Horoſcopus cauſa fuit in matrimonio, negari debito viro.

Alterum incommodum, quod ſequitur ex divinatione aſtrologica, apparet in matrimonio; vbi illius occaſione, multum inter conjuges ſæpe turbarum ſuccreſcit. Novi illuſtrem Dominam, ideo pluribus annis ſeparatam à thoro maritali, quòd dicerent horoſcopo monitam eſſe, ex proximo partu, tam ſibi quàm proli intereundũ; ita ſidera teſtari & comminari, nec matri, nec ſoboli propitia. Atq; hæc cauſa fuit (vt ajunt) cur abſtraxerit ſe à thalamo conjugali; contra legem matrimonij, & Apoſtoli doctrinam, hæc admonentis: *Vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & vxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. ſimiliter autem & vir, ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Tametſi verò conjux vterq;, abſolvatur ab obligatione perſolvendi debiti conjugalis, metu gravis incurrendi mali; nequaquam tamen ſufficiunt incerta, dubia, & plerumq; fallacia, Genethliacorum præſagia: vt in hac materia conjux alter alteri injuriam facere debeat, eumq; periculo adulterij exponere, ſolâ adductus ſuſpicione, ne Aſtrologi mendacium tranſeat in veritatem.

1. ad Corin. 7. 4.

VII.

Bannes in 1. p. q. 115. art. 5.

Naſcitur & Zelotypia, ex Judiciariæ diſciplinæ vanitatibus. Ita Bannes, è ſancti Dominici familia literatus vir, commemorat fuiſſe maritum, qui deſcriptâ nativitatis ſuæ horâ, Aſtrologum conſuluit ſuper vitæ eventu, ſucceſſuq;. Tum alter, ſi nondum inquit, matrimonij vinculo adſtrictus es, noli te unquam innodare. nam vxor tibi futura eſt adultera. Hîc advertenda ſtupidi divinatoris ignorantia, volentis futurum ſciſcitantis ſtatum prædicere, cujus præſentem non agnovit conditionem; nam ſi ſciviſſet marito ſe loqui, ſententiam ſuam aliter formâſſet. Nihilominus ejus vaticinium, alteri vulnus fecit. Itaq; domum ſe recipit, plenus triſtitiâ homo. Vbi cauſam rogatus à conjuge, & quid tandem amaritudinis, aut mœſtitudinis coqueret; continuò recitavit ex horoſcopo ſuo, Aſtrologi pronunciationem. Quam, vt ſibi iniquam vidit, honeſtiſſimę mulier vitę, primùm indignari Genethliaco;

In alio Zelotypiæ.

deinde

Digitized by Google

deinde etiam marito ſuo ſuccenſere, quòd crederet aſtris imperium eſſe, in fidem conjugij temerandam. Demum & ipſa ſuccubuit vaniloquentiæ. Nam ſollicitata à proco nobili, fluctuare cœpit, & dubitare de veritate Aſtrologicæ prædictionis; fortaſſis oraculum de ſe datum, non omnino inane eſſe; fieri denique poſſe, vt ſideribus multipliciter ſubjecta ſint hominum corpora, affectuſque. his argumentationibus ſe ipſam evicit, vt ſub pallio neceſſitatis deſuper injectæ, jura legeſque matrimonij tranſgrederetur, admiſſo adulterio. Vbi duplicem fructum habes, geminum malum, conſulti Aſtrologi; nempe vxoris perfidiam, & mariti Zelotypiam; ſeu potiùs ſuſpicionem, moleſtiſſimis curis, & anxio timore plenam.

Imò & adulterij commiſſi.

VIII.

Qualis hodieque, ex eodem Iudiciariæ fonte, apud eos ſubnaſci facilè poteſt, quibus omnia ſuſpecta ſunt in fide, amicitia, obſequijs, ſervitijs, thoro. Si quis enim hujuſmodi, in conjugis ſuæ horoſcopo legerit, eam ſub tali natam aſtro, futuram vagæ Veneris, habituram non vnum rivalem, ſublaturam tacitis artibus thalami ſocium; putas Zelotypus hæc talia vt pulverem excutiet? vt fabulam ridebit? & non potiùs oculum figet ad quemvis vxoris greſſum, cum viris alienis? parum hoc, ſuſpectas etiam inſidias obſervabit; aut ne habeat quod timere poſſit, inſidiantem è medio tollet, vitam ſuam redempturus morte vxoris innoxiæ. Idem periculum eſt, cùm talis in aliorum horoſcopo repererit, fore eos fraudulentos, doloſos, duplicis animi homines, invaſores alienarum poſſeſſionum, fortunarum, corporis, vitæ; jam hîc neminem à culpa immunem habebit, omnibus fidem abrogabit, vniverſos damnabit quaſi reos, nullius criminis alterius, præterquam ſuſpectæ, & confictæ improbitatis. Nam quiſquis Aſtrologus, hæc & ſimilia alia, determinatè velut probabilia de eo pronunciat, cujus formavit Genethliacum, *mentitur in caput ſuum*, facitque luculentam & veritati, & innocentiæ injuriam; dubia pro veris, incerta pro veriſimilibus aſſerendo, cum neceſſaria graviſſimarum ſuſpicionum conſequentia, de ijs hominibus, qui nullâ ſuâ culpâ hactenus, extra poſſeſſionem bonæ famæ, extruſi ſunt.

Gravium quoq. ſuſpicionum, intra & extra conjugium, non ſine injuriâ tertij, anſam dat horoſcopus.

Daniel 13. 55.

IX.

Quæ ipſa tam damnoſa deceptio, ſeu deceptionis occaſio, eſt novum incommodum, & ferè conſueta ſuperſtitioſæ divinationis appendix. Atque vt hac in re mentem meam apertiùs exponam; ajo ex cognitione aſtrorum, in quorum poſitione quiſpiam natus & conceptus eſt, poſſe ab Aſtrologiæ perito, de eodem multa contingentia in communi prædici; quæ ſæpe, ſed non infallibiliter even-

Poſſunt Aſtrologi quædam in communi prædicere, homini

Digitized by Google

probabiliter eventura, circa fortunam, valetudinem, longam aut brevem vitam.

ventura ſunt. vt quòd habiturus ſit valetudinem firmam, vel afflictam; quòd futurus ſit pacis amans, aut contentionum; producturus longam vitam, aut brevi eam periodo abſoluturus; quòd fortuna illi ad latus ſit ſtatura, cum apparatu ſuo, tam opulento, quàm ſplendido; aut ſecus. Deſumo hanc doctrinam ex S. Thoma, cùm in præſenti materia ſic loquitur. *Nihil prohibet ex impreſſione corporum cœleſtium, aliquos eſſe habiles ad iraſcendum, vel concupiſcendum, vel aliquam hujuſmodi paſſionem.* Et alibi: *planetæ* inquit, *in circulo periodali poſiti, quando ſunt fortiores, dant plures annos vitæ; & quando ſunt debiliores, dant pauciores.* Atque iterum alio loco hæc aſſerit: *impreſſiones corporum cœleſtium in corpora noſtra, cauſant in nobis naturales corporum diſpoſitiones, & ideò ex diſpoſitione relictâ ex corpore cœleſti, in corpore noſtro, dicitur aliquis bene fortunatus, aut malè.* Ex ea ſcilicet cauſâ, quia cœleſtium corporum impreſſiones in noſtra corpora, diſponunt nos ad aliquas actiones, puta laborem, induſtriam, conatum, audaciam; quibus mediantibus homo prudentiâ, ingenio, dexteritate præditus, facilè aſſequitur artes, ſcientias, opes, favorem hominum: denique & amplas dignitates, ad quas adſpirat.

S. Thom. 1. 2. q. 9. a. 5. ad 3. Et lib. 2. de generat. sexen 58. in fine. Et lib 3. contra Gentes cap. 92.

X.

Item circa mores, ſeu inclinationem aut diſpoſitionem naturæ.

Similis ratio eſt circa mores. Nam Aſtrologi judiciarij cognitâ plus minus horâ conceptionis, eoq; cœleſti ſtatu, quo quiſpiam conceptus fuit, in quo etiam natus horoſcopo, inde ejus temperamentum eliciunt. Siquidem Martis aſpectus, dicitur efficere bellicoſos & fervidos; Saturni ſidus, melancholicos & tetricos, & ſic deinceps. Cùm igitur mores animi, temperaturam ſequantur corporis, teſte Galeno; quoniam etiam magna ex parte, mortales appetitui obediunt, & nativæ ſenſûs inclinationi, quæ habetur quaſi humorum alumna; conſequens erit, vt Aſtrologi ex prædictorum ſiderum obſervatione, futuros in communi mores, probabili conjecturâ deprehendãt; non tamen ratione rectâ & infallibili. tum quia, vt ſupra monui, ad temperamenti alicujus cognitionem, non ſufficit cognitio ſola aſtrorum, vtpote cauſa ejus inadæquata; quando illud etiam maximè variatur per variam materiæ diſpoſitionem, patris etiam ac matris qualitates, ipſiuſq; loci, quo quis natus eſt, temperiem; tum quia *ſapiens dominabitur aſtris*: quod quidem dominium in cujuſq; eſt poteſtate, juxta illud Numinis verbum; *ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* vt veriſſima ſemper, atq; inconcuſſa maneat illa fidei noſtræ veritas: *aſtra inclinant, ſed non neceſſitant.*

Quare de iſtis non detur certa, & infallibilis prædictio?

Gen. 4. 7.

XI.

Dixi ſupra; poſſe Aſtrologum obſervato horoſcopo, quædam in communi, vt probabiliter eventura pronunciare circa valetudinem,

nem, annos vitæ, paſſiones & mores; nam in particulari, atq; individuo, ſingulares hominum actiones, aut alios ſpeciales caſus, qui à libera pendent voluntate, nec probabiliter quidem futuros poteſt prædicere, conſequenter nec debet. Ita ſentit D. Thomas clarè, quando ait: *Aſtrologus non debet dicere rem ſpecialiter, ſed univerſaliter; quia ſcilicet impreſſio ſtellarum, in pluribus ſortitur effectum, qui non reſiſtunt inclinationi, quæ eſt ex corpore, non autem ſemper in hoc vel illo, qui fortè per rationem naturali inclinationi reſiſtit.* Peſſimè igitur faciunt illi Genethliaci, qui obſervatâ aliorum nativitate, ſub veriſimili conjectatione, particularia quædam contingentia, iiſdem olim eventura ſignificant, vt quòd tali loco theſaurum ſint aliquando reperturi; quòd tali anno, in curru, equo, ſaltatione, fatalem caſum ſint facturi; quòd eorum ſubſtantiæ ſint incendio perituræ, ipſi in bello, duello, conflictu, accepturi vulnera numero determinato, & quædam punctim, alia cœſim. Hæc inquam, & talibus ſimilia, Aſtrologi ſub nulla probabilitate poſſunt vaticinari; quia vel pendent ex humana libertate, adeòque facilè evitari poſſunt, vt ſi nolis vnquam ire ad bellum, ſi nunquam ſuſcipias duellum, hoc anno nulli te itineri committas; vel pendent à fortuitis caſibus, & plurium cauſarum, agentiumq; circumſtantijs; quæ proſpicere omnia ex aſtris, ſolâ naturali indagine, non valet Aſtrologus.

S. Thom. 3. cont. Gent. c. 89.

Speciales caſus aut actiones ab humana pendentes libertate, Aſtrologus nec probabiliter quidem poteſt prædicere.

XII. Neque idem vi ſcientiæ ſuæ, ſub vllius veriſimilitudinis ſpecie, prædicere poteſt, acceſſuras alicui dignitates, quæ pendent ex libera aliorum electione; puta Epiſcopalem mitram, purpureum galerum, pontificiam coronam, regium aut cæſareum diadema, eò quòd ſit in domo fortunæ, non deſcendentis, ſed aſcendentis. Vt enim hîc abeſſet præſagitionis vanitas, oporteret priùs vniverſorum eligentium inſpicere deſcriptos natales, & inde ſuffragia eorum colligere, quorſum itura ſint. Quod ſicut ridiculum eſt, ita nequit fieri. Quare, ſi vera eſt Svetonij de Auguſto narratio; Nigidium Figulum, in Aſtrologia apud Romanos expertiſſimum, acceptâ horâ ortûs Auguſti, & natalitijs ejus ſideribus obſervatis, ſubitò exclamâſſe, Dominum orbis natum eſſe; putandus eſt non ſcienter, nec certâ ratione, ſed temere dixiſſe; caſuq; deinde, & planè fortuitò quod dixit contigiſſe; vel certè, Deum arcanis ex cauſis, per eum hominem eſſe locutum; quo modo per Sybillas olim gentiles, plurima verè prænunciavit. Niſi & tertium modum velimus addere, ſcientiæ ex diaboli commercio acceptæ. Ita etiam vnâ, ex tribus

Eadem eſt ratio de dignitatibus, ex libera plurium electione pendentibus.

Svetonius in Auguſto.

Quomodo ſalventur vera Aſtrologorum vaticinia, circa quorundã fortunam aut infortunia.

Digitized by Google

bus iſtis rationibus, ſalvari poteſt cautela eo die ſuaſa Julio Cæſari, quo in ſenatu inter vulnera perijt. Et vaticinium Æſchylo datum, de elidendo ſibi capite. quod contigit, cùm Aquila teſtudinem à ſe elatam in ſublimè, velut eam fractura ſuper ſaxum, impegit ad calvam Æſchyli frontem, ſedentis in aprico, & eliſit.

Plutarchus in Iulio Cæſare. Valer. Max.

XIII. Plerumque enim ſunt vana & falſa.

D. Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſt. c. 11. Idem c. 22. & c. 23.

Idem hom. 6. de Epiph.

Agnovit etiam illuminatiſſimus Patrum S. Auguſtinus, multum fallaciæ erroriſque, ſub larva Aſtrologicæ ſcientiæ, in particularibus committi: vnde hęc ejus verba. *Genethliaci quamvis veram ſtellarum poſitionem, cùm quis naſcitur, conſectentur, & aliquando etiam perveſtigent; tamen quod inde conantur vel actiones noſtras, vel actionum eventa prædicere, nimis errant.* Similia repetit infra, dicens: *ex hac notatione velle naſcentium mores, & actûs eventa prædicere, magnus error, & magna dementia eſt.* Atque iterum: *omnes*, inquit, *hujuſmodi artes, vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitiones, ex quadam peſtifera ſocietate hominum, quaſi pacta infidelis, & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus ſunt repudianda & fugienda Chriſtiano.* Idem aſſerit alibi, vocatque hanc artem ſtultam, indoctam, ſacrilegam, in qua vani homines de genituris aliorum loquuntur, vt volunt, tranſeunte eorum opinatione in regulam veritatis; vnde neceſſe ſit plurima ſubnaſci mendacia. Atque hîc ego cum Catone Majore ſentio, qui dicere ſolebat: *demirari ſe, quòd aruſpex, aruſpicem aſpicere poſſet ſine riſu.* cùm enim impoſtores, aſſueverint ridere multitudinis à ſe deceptæ ſtultitiam, fieri non poſſe putabat Cato, vt conſcij mutuæ impoſturæ, & falſę divinationis aruſpices, cùm ſimul conveniſſent, non ſimul riderent. Idem volo dictum Lector, vt ad Aſtrologos judiciarios applices. Sed qui[illegible]i ipſi, non tam propria rident vaſramenta, quàm Theologorum & Patrum cavillantur argumenta, tanquam innoxiè itura fulmina adversùs ſuam ſcientiam, ex proprio eos armario ſuo, feriam.

Quomodo fieri poſſit, vt Aſtrologus Aſtrologum, impoſtor impoſtorem, aſpiciat ſine riſu?

XIV. Itaque vt orbi pateat, eos Genethliacos mendaces eſſe, & plenos fallacijs, qui ex horoſcopo, ſeu nativitatis conſtellatione, particularia contingentia, atque in individuo determinata, paſſim curioſis mortalibus prędicunt, etiam eventura veriſimiliter: ante 40. & ampliùs annos, demonſtravit Sixtus ab Hemminga, libro integro, quem Franciſco Valeſio Principi inſcripſit, hoc titulo. Aſtrologię ratione & experientiâ refutatę, Liber; continens brevem quandam Apodixin, de incertitudine & vanitate Aſtrologica, & particularium prędictionum exempla triginta (ex totidem magnorum virorum horoſcopis) in lucem editus; contra Aſtrologos, Cy-

Sixtus ab Hemminga Aſtrologus, deſcribit vanitatem & falſitatē Aſtrologorum, circa

Cyprianum Leovitium, Hieronymum Cardanum & Lucam Gauricum. Poſtea Epiſtolę dedicatorię, hęc inſerit. Si rem ipſam accuratiùs expendas, reperies doctrinam hanc, à primis auctoribus Idololatris, ex nativa humani generis ſuperſtitione, primùm excogitatam, ac paulatim coli cœptam; poſtea verò longi temporis tractu, ad quæſtum & inanem gloriam, mille commentis ab impoſtoribus contextam, & ad hæc vſque tempora noſtra derivatam. Tantis autem laudibus tantiſq; præconijs, quibus ad cœlum vſq; attollitur Aſtrologica ſcientia, non aliter, quàm (vt ajunt) etiam vappa ſuſpensâ hederâ opus habet, quò vendibilior fiat; vnam oppono ipſius falſitatem, quam hoc libro firmiſſimis rationibus, certâq; experientiâ declaro. Ne verò quis exiſtimare poſſit, auctorem hunc ex capite ignorantiæ, oſorem eſſe artis aſtrologicæ; fatetur ipſe in Genitura Caroli V. Imperatoris, hujus ſe ſtudio multum temporis & ſumptuum, laboris verò plurimùm impendiſſe. Cùm autem longo vſu, experientiâque rem omnem penitus inſpexiſſet, comperiſſe ſe, Aſtrologorum doctrinam eſſe impoſſibilem, falſam, nullâ fide dignam. Quod ſanè pulchrum eſt teſtimonium Aſtrologi de Aſtrologia; cujus poſtquam primis blanditijs, & toxicato velut poculo, in quandam mentis ebrietatem deductus eſſet: tandem malo antidotum reperit, in officina rationis atque experientiæ.

particularium eventuum prædictiones.

Et convincit ex Ratione atq; Experientia.

XV.

Sed huic homini adjungo, recentioris memoriæ alterum; Ioannem Kepplerum, non tantùm Cæſareum quondam Mathematicum, ſed etiam in Aſtrologia celebrem, apud omnes, quos invidia non excœcavit, aut corrupit maligna æmulatio. Igitur & ipſe, correctis quaſi primæ adoleſcentiæ erroribus, quando ſecum alios duxit & ſeduxit, in vanitatem divinandi ex ſideribus; quid denique jam maturior ſentiret de vniverſo Aſtrologiæ Judiciariæ negotio, demonſtravit in eo libro, cui titulus eſt: *Tertius interveniens.* Nam quia Feſelius, Philoſophus ſimul & Medicus, publico ſcripto invaſit alterius cujuſdam paradoxa, attribuentis ſcientiam judiciariæ Aſtrologiæ, non tantùm in rebus communibus, ſed etiam in particularibus actionibus hominum, fortunis, caſibus, periculis; cùm omnem ille, ſimpliciter & vniverſim prædictionem Aſtrologorum exſibilâſſet; velut altercantibus ſuperveniens Kepplerus, medium ſe ita interiunxit, vt ad neutrius partes totus accederet, de vtriuſque aſſertionibus aliquid participaret, commiſſi vtrinque erroris, modeſtus corrector. Igitur ſicut

Kepplerus Aſtrologus, medio tutiſſimus ivit.

ſicut paſſim eo libro admittit, poſſe quidem in genere & communi, quædam ex aſtris prædici, probabiliter homini eventura, vt ſupra monui de valetudine, longa vita aut brevi, paſſionibus, moribus; ſemper tamen fortiſſimè explodit vaticinia circa ſpeciales actus, individuos & particulares caſus. quemadmodum nunc oſtendam ex propria ejus ſententia, quam optimâ fide, verbis latinis daturus ſum, ex ejuſdem libro, ſeu Tertio Interveniente, germanicè conſcripto.

XVI. Et quidem primò ait: Aſtronomiæ filiam eſſe Aſtrologiam; quoniam verò Mathematicorum ſtipendia ſunt valdè exigua, matrem fame laboraturam, niſi filia lucrum faceret, partim conjecturis, partim fraudibus & mendacijs. 2. fatetur Aſtrologos illos temerarios eſſe, qui deſcripto horoſcopo, audent ex cœlis quaſi certò prædicere, quæ hominibus accident *in individuo*, circa vitam & mortem, fortunam & infortunium, pericula & caſus. 3. Negat judiciarios demonſtrare poſſe aut oſtendere, eum qui ſub certo aliquo ſigno natus ſit, fore luſorem, divitem, ſapientem, violentâ morte interiturum; vel illi, qui tali die otiatus fuerit, laboraverit, domo exierit, eventura hæc aut iſta. 4. Aſſerit omnino fatuas eſſe, nullas, ſuperſtitioſas, omniq; fundamento deſtitutas, prædictiones iſtas: hujus aut illius vxor, quam olim ſibi matrimoniali ſocietate junget, erit talis & talis patriæ, habebit occultum in corpore vitium, marito ſuo fidem non ſervabit, tot fiet liberorum mater. Filium ejus vnum aliquem, tres quatuorúe ducturum conjuges; & eam, quæ nativitatis ſuæ tempore, Jovem habuerit in propria domo, fore divitem; quæ Venerem in domo Saturni, fore vetulam; quæ Martem in domo Veneris, & trino Lunæ, fore libidinoſam; quæ Venerem ſub radijs, fore morbidam. De talibus Domuum dominationibus, ait Kepplerus, ſuper quibus bona, malavé fortuna, ſtruitur, judico eſſe figmenta, nata illudendæ curioſitati humanę. Nam cùm multi multa interrogant, Aſtrologus varia reſpondet, vt ſatisfaciat; ſive eventus conſpiret pręſagijs, ſive non. 5. affirmat temeritatis notâ dignos eſſe illos, qui audent ex aſtris prędicere de felicitate aut miſeria, toti alicui regno, provincię, civitati ſecutura; cujus modi ſunt iſta, quę in Calendario Norinbergę excuſo, ad annum Chriſti 1638. pro ſignatis menſibus ac diebus, rubricâ auctor adſcripſit: Caput magnum, caput Ioviale, Martiale, periculo mortique vicinum eſt; conſilia vana, infructuoſa, ſine effectu;

Kepplerus in tertio Interveniente. num. 7. 37. 101. 104. 117.

Negat ex aſtris Aſtrologos certè aut probabiliter poſſe enunciare alteri, eventus ejus in individuo, circa vitã, mortem, matrimonia, fortunam, infelicitatem.

Neq; Regnis, provincijs, civitatibus, familijs, fortunati aut infortunati eventus, poſſunt ex aſtris veriſimiliter prædici.

Hermãnus de Verve.

fectu, convivium perfidiâ & perfidis plenum; conflictus Domui Auſtriacæ & coronæ Hiſpanicæ periculoſus; civitas famoſa ad hoſtem tranſitura, & talia plura, ſtultæ nugacitatis, & artificioſæ amphibologiæ pleniſſima; quorum ſingula cùm vel à ſolo caſu fortuito, vel à libera voluntate plurium hominum pendeant, quæſo, ex ſolis aſtris quomodo veriſimiliter prædicuntur? Neque hîc jactes experientiam; nam vni alterique, contrarias multas oppono, vt propterea determinatum, & probabile judicium velle facere, circa dubios eventus, idem ſit quod inſanire, & ire contra torrentem rationis, omnemque Philoſophiam ac Theologiam. 6. Affirmat Kepplerus, hominem poſtquam conſtellationis ſuæ characterem imbibit, ab aſtris quidem inclinari ad quoſdam actus, puta ad iram eum, qui natus eſt ſub Marte, calido ſidere, atque ita de alijs: negat tamen aſtra illa inclinare ad quædam alia ſpecialia & individua; cujuſmodi eſt, quòd aliquis cum nigri coloris veſte, ſit infortunijs ſubijciendus; quòd intra, aut extra patriam ſit occubiturus; quòd liberos per immaturam mortem ſit amiſſurus; quòd facturus ſit homicidium, & ſimilia ſomniantium magis deliria, quàm verè divinantiũ præſagia.

Præſertim experientiâ incertâ, dubii, alternante.

XVII. Subjungit ad calcem libri ſui Kepplerus, paratum ſe eſſe ad impetum faciendum contra eos Aſtrologos, qui ſpeciales hos tales eventus, conantur è ſiderum poſitione curioſè indagare, opere planè fruſtraneo. Ceterùm, ſi aliquando verum prædicunt, id vel temere fieri & caſu, vel etiam ex diaboli ſuggeſtu, adjuvantis humanos conatus in pœnam divinatoris. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, quales tandem oporteat eſſe Nugivendos, quantos fabellarum artifices, quantos mendaciorum fabros, Iudiciarios illos, quibus mos eſt, ex deſcriptione horoſcopi, & aſpectu aſtrorum, pro argento auroq; fumum ſciſcitantibus vendere; puta vaticinia de certis & veriſimilibus in individuo actionibus, fortunis, caſibus, periculis; quibus præter inaniſſimas ſpes, & veriſſimos timores, plerumq; nihil veritatis ineſt. Sanè quemadmodum tota Keppleri ratiocinatio, meam (quam ſupra aſſerui doctrinam) in præſenti materia, plurimùm ſuo calculo ſtabilit; ſic Aſtrologos, qui hoc ævo ad particularium rerum prædictiones deſcendunt, vanitatis, fallaciæ, impoſturarum luculentè arguit; & (quod caput eſt) impudentium mendacia fratrum ſuorum, eâdem, quâ ipſi ſe tuentur, Aſtrologicâ ſcientiâ condemnat.

Hinc patet vanitas eorum Aſtrologorum, qui ex ſideribus promittũt vaticinia ſaltem probabilia, circa actiones in individuo, caſus, pericula.

XVIII. Neq; illud diſſimulare poſſum, ſaluberrimum monitum, quod

idem Kepplerus Principibus, Regibus, Cæſaribus, Pontificibus, ad prædicti libelli finem dictat; nempe eos Iudiciarios Aſtrologos, quibus conſuetudo eſt ſpeciales atque individuos eventus, alijs ex horoſcopo & aſtris deſcribere, nullo modo in monarchia tolerandos eſſe. tametſi enim inquit, ſæpius deprehenduntur vani, falſi, mendaces; nihilominus cùm ſemel iterumque, verum enunciaſſe reperiuntur, ambitioſos, qui aſpirant ad dignitates, mirum in modum extimulari: ſæpe etiam cum maxima rerum publicarum ac regnorum clade; vt novis molitionibus factionibuſque, conſequantur honorum faſtigia, dictaturas & imperia: quorum Aſtrologus vates primùm ſpem, deinde amorem & deſiderium injecit. Vtinam igitur, quod veteres olim leges, Juris vtriuſq; ſtatuerunt, proſcripta etiam hodie eſſet Aſtrologia judiciaria; vtinam quod Kepplerus Mathematicus ſimul & Aſtrologus, monuit (neq; tamen noſtræ fidei aut Eccleſię homo) illi ex provincijs & regnis pellerentur, qui turpiſſimo quæſtus genere, lucrum mendacijs faciunt, audentq; ex ſideribus & horoſcopo, ſpeciales actionum, caſuum, fortunarumq; eventus prędicere; non ſemel (vt experientia docuit) cum periculo ſummorum Capitum, ipſiuſq; communitatis ingenti perturbatione, ne dicam multarum paſſim animarum damno.

Aſtrologia judiciaria, occaſioné dat novis molitionibus & factionibus in Republica.

Id ſenſit hoc Seculo, in Germania, non ſine extremo ſui exitij periculo, Domus Auſtriaca.

XIX. Nec ſatisfaciunt Genethliaci, cùm dicunt, ſe vaticinia ſua poſtulantibus, non dare tanquam certitudinem habentia, in ſingulis determinatè particularibus; dicere illud tantùm, quòd aſtra loquũtur futurum, niſi impediatur ſive à DEO, ſive à cauſis ſecundis. Ita Calendario ad Annum 1644. Norinbergæ excuſo, Auctor Aſtrologus titulum præfixit: Anni verè Jubilæi, diu exoptati ab Exulibus bello afflictis, nunc tandem ab iiſdem re ipſa comprehenſi & poſſeſſi, quo pax alma, in Imperio reditura eſt. Hanc tamen propoſitionem ſic abſolutè poſitam, in calce Calendarij limitat modò, ad terreſtria ſidera; hoc eſt, Capita Principum, qui ſi conſpiraverint in vnum, pacem ait futuram, quam ſidera cœleſtia, eorumque benigni aſpectus, pro dicto anno ſpondent. Sed hoc nihil aliud eſt, quàm ignorantię aſylum quęrere, nugacitati mantelum, patrocinium mendaciſſimæ vanitati. Et quis non hîc poſſit eſſe lubrica anguilla, ſemperq, effugere inter manus tenentium? Sunt etiam pauculi ex Aſtrologis, qui fidem prædictionibus ſuis clarè abrogant, eaſq; de falſitate, aut incertitudine ſuſpectas faciunt. Certè pretium tum ſui nullum haberent, tam miſeræ, fallaces, vanæ merces. opus eſt mentito latentis veritatis colore,

Hermannus VVerve.

Inania Aſtrologorũ effugia, ſuos horoſcopos & vaticinia palliantiũ.

vt

vt decipiat nundinator, & decipiatur emptor. Itaq; ſic vſu venire ſolet, vt ferè quotquot ab Aſtrologis divinationes illas ſpeciales accipiunt, certiſſimè putent effectum ſortituras, vitio ignorantiæ, damno animæ. Nam ſæpe, vt hi factas ſibi ſpes, in rem ipſam feliciter deducant, privatum publicumque bonum confundunt; medijs ad conſequendum finem vtuntur illicitis; fatum admittunt; providentiſſimam Numinis gubernationem excutiunt. plerumque apud quem domeſticâ eſt Aſtrologia judiciaria, exulat Dei providentia. Vbi verò divina non hoſpitatur providentia, ibi neque Deus eſt.

XX.

Et profectò, quàm is non amet tum Aſtrologos judiciarios, tum eos, qui illis præſagientibus fidem habent, & quidquid demum pertinet ad ſuperſtitioſæ divinationis genus; oſtendit ſæpiùs in ſcriptura. Itaque ex Oraculo Dei, fluxit illa Moyſis adhortatio, docentis populum Hebræum, à quo potiſſimum abſtinere debeat, intraturus provincias idololatrijs gentium fœdas. *Quando ingreſſus fueris*, inquit Moyſes, *terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium; nec inveniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atq; auguria; nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec divinos; aut quærat à mortuis veritatem. omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo. perfectus eris, & abſq; macula, cum Domino Deo tuo. Gentes iſtæ, quarum poſſidebis terram, augures & divinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.* Porrò hîc docti obſervant; tametſi augures propriè illi olim fuêre, qui ex garritu & volatu avium, futura prænunciârunt; nunc tamen vox Auguris extenditur etiam ad Aſtrologos, qui ex Hebræa dictione, conjunctores & combinatores vocantur; quia ſcilicet quaſi ſtellas combinando & conjungendo, ſeu potiùs obſervando concurſus ſiderum, aſpectus & oppoſitiones, ex iiſdem divinationem faciunt.

Deut. 18. â v. 9.

Deus olim in veteri lege, populo Judaico prohibuit divinationes ex aſtris.

Cornel. in Iſa. c. 47. 13.

XXI.

Sed quidquid illarum rerum ſuperſtitioſi quondam Gentiles admiſerint, populo certè Chriſtiano, quod olim Iſraëlitico, inculcatur iſtud: *tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es*, magiſterio ſcilicet orthodoxæ Eccleſiæ, & ejuſdem quamplurimis Patribus, Doctoribus; vt qui hîc curioſitate ductus, voluerit deflectere ad Aſtrologos, cauſâ indagandorum particularium eventuum; ſe ipſum eâ dignum reddat animadverſione, quam ab Elia propheta, Numinis juſſu accepit Ochozias Rex, quando per cancellos cœnaculi

Multò magis nunc in lege nova, Chriſtianis eſt interdicta.

Digitized by Google

lapſus, conſultum miſit Beelzebub, Deum Accaron, ſuper exitu ſuæ infirmitatis. Nam Angelus ex divino imperio mandavit Eliæ,
4. Reg. 1. 3. vt legatis occurreret, cum iſta increpatione. *Nunquid non eſt Deus in Iſraël, vt eatis ad conſulendum Beelzebub, Deum Accaron? quam ob rem hæc dicit Dominus; de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Eadem hodie multorum pœna eſt Chriſtianorum, qui neglectâ Numinis providentiâ, Judiciarios velut idola, & ſemideos in terris conveniunt, ab iiſdem ſciſcitaturi etiam aliquando eventus conſiliorum, bellorum, conflictuum futurorum. fitq; non raro, vt quo maximè volunt expediti eſſe malo, miſerrimè involvantur; vindicante Deo, fidem prædictionibus Aſtrologicis datam.

XXII. Vrbem Babylonem, qui eleganti calamo deſcriptam legere cupit, Iſaiam adeat; & Reginam inveniet, non tantùm delicioſâ magnificentiâ plenam, ſed etiam multis provincijs latè imperantem. quanquam (vt mortalium conditio plerumque variabilis) non ſemper eâdem fortunæ conſtantiâ; nam deinde ex ſolio dejecta fuit illa majeſtas regia, neque conculcata ſolùm aliorum pedibus, perſicis etiam ignibus ſub Cyro conſumpta. quam Babyloni cladem vaticinatus eſt Deus, ob tria præſertim ejus ſcelera. 1. inſignem in Hebræos crudelitatem. 2. immanem faſtum & arrogantiam. 3. præſtigias divinationum & incantationum; quæ etiam cauſa fuit, cur magos, augures, aſtrologos, eâdem Deus voluerit flammâ comburi cum Babylone, & civibus ejus ſuperſtitioſè credulis. Atque hinc amarus iſte Numinis ſarcaſmus, ad civitatem jàm buſtum factam: *Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua; ſi fortè quid proſit tibi, aut ſi poſſis fieri fortior; defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum. Stent & ſalvent te augures cœli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos, non liberabunt animam ſuam de manu flammæ.*

Iſaia 47.

Vrbs Babylon, cum Aſtrologis ſuis & divinatoribus perijt.

Iſa. 47. à v. 12.

XXIII. Quàm vereor, ne ſupplicium iſtud hodie repetatur cum pluribus, in ſtygia Babylone! Nam (quod credibiliſſimum eſt, non ſemel factum eſſe) ſi Aſtrologus lucelli gratiâ, vaticinijs temere confictis, flabellum alteri fuit, ad comparanda ea malis artibus, vi aut dolo, quorum ipſi ſpem aliquam ſidera videbantur polliceri; ſi Genethliacus prædictionibus varijs, credulorum ſtudia animorum concitare aggreſſus eſt ad factiones, & novitatis machinationes, in patriæ & inſontium viſcera graſſaturus; ſi vterque & deceptor & deceptus, ſopito bonæ mentis igniculo, & excuſſo divini timoris

Quinam hodieque, cum Judiciarijs Aſtrologis

Digitized by Google

moris ſtimulo, potiùs aſtra attenderunt, quàm aſtrorum Dominum, ejuſq; legem, placita, decreta; ſi vtrumque, in jugi ſiderum ac horoſcopi contemplatione occupatum, & nondum ſceleribus ſuis legitimè expiatum, mors improvida hinc abripuit, actum eſt; ſimul deſcenderunt in eundem tormentorum locum, in eãdem cruciatuum ſocietatem, ignis ejuſdem ſupplicium. Nec dubita; ei, quem credulitas ſua, & fides Aſtrologis data perdidit, Deum cum acerbo riſu exprobraturum illud: *ſtent & ſalvent te augures cœli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos, non liberabunt animam ſuam de manu flammæ.*

æternùm intereant?

XXIV.

Deniq; cavenda eſt Aſtrologia illa, quæ verſatur circa prædictiones particularium caſuũ, certò aut probabiliter homini eventurorum.

Et hæc de judiciaria Aſtrologia, illa dico illicita & falſa, quæ verſatur circa particularium actionum, fortunarum, caſuum, periculorum, eventuum divinationes, aut certò, aut ſaltem probabili conjecturâ futurorum, quæ non tantùm non vtiliſſima eſt humano generi (vt quidam affirmat temere) ſed etiam plurimùm damnoſa. Et ſicut non ſcio vllum hactenus Catholicum, publicis typis hanc diſciplinam approbâſſe; ita ſcio eandem à Theologis, qui huc vſq; ſcripſerunt, profligatam eſſe; à SS. Patribus exploſam; ab Imperatoribus antiquis mulctatam; ab Eccleſia prohibitam; à Jure civili & Canonico in exilium miſſam; à Deo in ſacra ſcriptura non ſemel proſcriptam. Neque immeritò; ſi (quod S. Auguſtinus aſſeruit ſupra) auctorem habet dœmonem, ab eodem excogitata in perniciem animarum. Exiſtimo enim tametſi nec Genethliacus aliquis, nec qui eius præſagijs credit, cum malo genio, vllam fœderis communionem inierit, ſeu (vt vocant) pactum implicitum, quod ſolent nonnulli; nihilominus tamen ſatagere dœmonem, vt ſicut ad alia ſolet peccata hominem trahere, ita quoque pelliciat ad periculoſum ſuperſtitioſæ divinationis crimen, ſub ſpecioſo titulo veritatis indagandæ, curioſæque vtilitatis. Sed plerumque hinc majus damnum ſequitur. Raro enim qui dediti ſunt, immerſique Aſtrologiæ judiciariæ, commendationem habent à ſingulari pietate, morum probitate, ſanæ fidei integritate, ſanctitate vitæ; quia etiam ea ſcientia, mortalium mentes valde avocat à providentia Dei, trahitque vi tacitâ ad fati neceſſitatem; hinc metuendum, ne amatoribus artis Aſtrologicæ, in morte ſua fiat impeditior ſalus, cacodœmonis ſtratagemate; cujus ſtudium eſt, ſub illecebra hauriendæ cognitionis, hamum propinare.

Tum præter alias rationes hic aſſignatas; tum quia hominis ſalutem impedit in morte.

PARA-

PARAGRAPHVS XVI.

Aſſueti diu Magiæ homines, rarò bene, plerumque infeliciter moriuntur.

I.

D. Auguſt. lib. 1. confeſſ. c. 16.

Conſuetudo torrens eſt, quo rapiuntur homines in profundum vitiorum.

EXclamare libet cum Sancto Auguſtino: *Væ tibi flumen moris humani, quis reſiſtet tibi? quamdiu non ſiccaberis? quouſq; volves Evæ filios in mare magnum & formidoloſum, quod vix tranſeunt, qui lignum conſcenderint?* Profectò aſpectabilis hic mundus, ingens eſt Oceanus, infamis multarum jam naufragijs animarum: hodieq; inter fluctus natant tabulæ, pereuntium reliquiæ. torrens, quo ad interitum rapimur homines; ſeu potiùs freti turbo, quo ad profundum vitiorum contorquemur, peccandi eſt Conſuetudo; tam potens malum, vt ad guſtatas ſemel flagitij dulcedines, etiam per plagas & verbera trahat. Quo in genere, rem planè portentoſam, ſuis ipſe his verbis conſignavit, ſæpius laudatus Comes Mirandulæ.

II.

Picus Mirandula lib. 3. in Aſtrolog. c. 27.

Conſuetudo Veneris, etiam per verbera & flagra emendicata, quempiam traxit ad carnis voluptates.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem teſta diu.

Vivit adhuc homo mihi notus, prodigioſæ libidinis & inauditæ. Nam ad Venerem nunquam accenditur, niſi vapulet: & tamen ſcelus id ita cogitat, ſævientes ita plagas deſiderat, vt increpet verberantem, ſi cum eo lentiùs egerit; haud compos plenè voti, niſi eruperit ſanguis, & innocentes artus hominis nocentiſſimi, violentior ſcutica deſeruerit. Efflagitat ille miſer, hanc operam ſuis precibus, ab ea ſemper fœmina, quam adivit, præbetq; flagellum pridie ad id officij, aceti infuſione duratum, & ſupplex à meretrice verberari poſtulat. à qua, quantò cæditur duriùs, eò ferventiùs incaleſcit, & pari paſſu ad voluptatem, doloremq; contendit; vnus inventus homo, qui corporeas delicias, inter cruciatum inveniat. Is, cùm non alioquin peſſimus ſit, morbum ſuum agnoſcit, & odit; quoniamq; mihi familiaris, multis jam retro annis, quid pateretur, liberè patefecit. A quo diligenter tam inſolitæ peſtis cauſam, cùm ſciſcitarer; à puero inquit, ſic aſſuevi. Et me rurſus conſuetudinis cauſam interrogante; educatum ſe ajebat cum pueris ſceleſtiſſimis, inter quos conveniſſet, hâc cædendi licentiâ, quaſi pretio quodam, mutuum ſibi vendere flagitioſâ alternatione pudorem. Hoc ego factum, licet grave auribus liberalibus, ideò non ſuppreſſi; vt cognoſcere-

mus

mus evidentiâ ipſâ, quantùm illis affectibus valeat Conſuetudo.

Quod ſi tantum eſt robur Veneri, vt mancipijs ſibi aſſuetis, etiam per ſævos cruciatus, ſuave ſit adire carnis illecebras; velut eò gratiores, quò magis illarum pretium dolor excandeſcecerit; facilè apparet, quantarum virium eſſe oporteat illam conſuetudinem, cùm quis didicit juratus eſſe cacodœmoni ſervus, atque ad ejus obſequia ire, inductus ſpecialis ſacramenti ſponſione. Id quod familiare eſt facere Magis ac Veneficis; quibus, poſtquam in mutua venerunt ſocietatis fœdera, ſanctè affirmat impius Sathan, omnibus ſe eorum votis ſatisfacturum. Ita Proterij ſenatoris famulus, vbi abjurato Chriſto, ſtygij ſe hoſtis devovit ſervitio, impetravit ejuſdem ope, vt erga ſe amoris igne exardeſceret heri ſui filia, quam deperierat. Pari ratione Theophilus, Oeconomus quondam, officio ſuo per injuriam exauthoratus, vt redire poſſet ad priſtinum dignitatis locum, tum demum à dœmone obtinuit, cùm ei ſe mancipavit, adjectâ futuræ ſervitutis ſyngraphâ.

III. Sunt, qui cum Dœmone familiaritatem & cõſuetudinẽ cõtrahunt.

In Vita S. Baſilij Magni, apud Sur. 1. Ian.

In Vita S. Theophili apud Sur. 4. Febr.

Et quoniam Princeps tenebrarum, mille habet modos, tum augendi mortales honoribus, opibus, fortuniſque, ſcientijs, delicijs; tum præſervandi ab imminentibus periculis, ſiniſtris caſibus; hinc etiamnum repetit, quod olim malo ſucceſſu apud Chriſtum tentavit: & non paucis hodie, *oſtendit omnia regna mundi, & gloriam eorum, dicens: hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Tam magnis promiſſionibus ſæpe irretiuntur ſimpliceſque animæ; jamq; vbi capitaliſſimo humani generis hoſti fidem dederunt, velut de tam glorioſo facinore applaudentes ac gratulabundæ, illud ſibi Prophetæ accinunt: *percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno* (veriùs inferorum Rege Lucifero) *fecimus pactum.* Sed heu! & mortiferum paciſcenti homini, & vanum; neque enim, tametſi reciprocâ obligatione ſe obſtringat cacodœmon, à mortalibus cogi poteſt, vt promiſſis ſatisfaciat. Quin etiam docet experientia, mendaciſſimum eum eſſe ſpiritum, & decipiendi cupidiſſimum; ideoque rarò præſtare, quod pollicetur. Cùm tamen fidelitatem ſervat, nihil præter fraudem machinatur; ſive vt veteres ſibi amicos magis devinciat, ſive vt novos aucupetur, in vtrorumque perniciem.

IV. Largis pollicitationibus, ad ſuũ ſervitium aut fœdus, trahit homines Sathan.

Matth. 4. 9.

Iſ. c. 28. 15.

Itaque mali Genij & amuleta, & carmina, & ligamina, Magis largiuntur, in vulgus diſtribuenda; ne vel faſcini, vel præſtigiæ, vel mortalium violentia, vel elementorum inclemen-

V. Ab ejus manu porriguntur,

amuleta, carmina, ligamina magica.

D. Auguſt. tract. 7. in Ioan.

tia, poſſit nocumentum inferre. Qua de re pulchrè diſſerit ſanctus Auguſtinus: *fingunt (* inquit *) Spiritus maligni vmbras quaſdam honoris ſibimetipſis, vt ſic decipiant eos, qui ſequuntur Chriſtum. Vſq; adeo fratres mei, vt illi ipſi, qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, miſceant præcantationibus ſuis nomen Chriſti; qui jam non poſſunt ſeducere Chriſtianos, vt dent venenum, addunt mellis aliquantum.* Tales ſunt nefariæ illæ precum formulæ, quas velut contra vulnera, ignis, aquæ, cæteraque pericula valituras, per mendacium adſcribunt Beato Leoni, alijſque ſanctis; & quemadmodum lamentatur Delrio, multi hodie geſtitant, quibus ait diabolum ſemper tandem imponere; ita vt quos antea non ſemel defenderat, cùm ſunt in peſſimo lethalis culpæ ſtatu, turpiter deſerat, deſertoſque occidi ſinat.

Delrio in diſq. Mag. l. 1. c. 4. q. 3.

VI.

Iob. c. 40. 22.

Vt homines infernali carceri adſtringerent diaboli, ipſi ſe in hoc mundo captivos exhibuerunt.

Hæc nempe ſunt ſacroſancta reciproci fœderis juramenta. næ tu albæ mentis es homuncio, ſi credis tam fidei datæ tenacem eſſe Sathanam, quàm memor eſt. Egregiè Iobus: *nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum quaſi ſervum ſempiternum? nunquid illudes ei quaſi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?* plerumque pollicendo dives eſt Rex Orcinus, pauper exhibendo, quæ promiſit; neq; poteris eum, cùm perfidiæ reus ſit, intermediaſtinos familiæ tuæ, aut vinculis ligare, aut cancellis includere, aut velut aviculam in cavea tenere, ad arbitrium captivum. Quamquam etiam ad has anguſtias deſcendit impius dœmon: nimirum ut mortalium animas, ipſe æterno ſecum poſſit carceri adſtringere, non ſemel permiſit in vitra, annulos, virgatas ſe cuſtodias compingi.

VII.

Quidam ſpecie aviũ in cavea, ad colloquium familiare.

Memorat Ioannes Leo, apud Africanos ſpecie volucrum, ſpiritus malos caveis incluſos ſervari; jamque vbi de futuris eventibus erudiri cupiunt, pecuniæ aliquid objici, velut eſcam pro ſtygijs coruis. Sed poſtquam illi roſtro aurum abſtulerint, paulò poſt reponere ſchedulam, cui reſponſum ſit inſcriptum ad poſtulata. Author eſt etiam Philoſtratus, Apollonium Tyaneum, annulos quoſdam ab Jarcha donatos, inſtar Numinis habuiſſe. certè maligni dœmones ijs comprehenſi, maximorum quotidie ſecretorum, participem fecerunt Apollonium.

Strozius Cigogna in Theatro Magia l. 4. c. 3.

VIII.

Strozius Cigogna. loco cit.

Illud etiam admirabile, quod in oppido Venetæ ditionis, contigiſſe affirmat Strozius Cigogna. Fuit qui Concionatori fatebatur, habuiſſe ſe hactenus domi ſuæ, familiares aliquot ex inferis ſpi-

ritus

ritus, & quidem eodem annulo clauſos, quibuſcum variè ſæpe collocutus, varia didiciſſet. nunc pertæſum impiæ adeo conſuetudinis, conſilium petere, modumq; faciendæ miſſionis tam diſparibus ſocijs. Nec mora; Eccleſiaſtes cum viro in hoſpitium concedit, jubetq; ſuperſtitioſum annulum in fruſta comminui. Et hem! dœmones incolæ, multùm plangere, & vim deprecari; flagitare inſuper annulum ipſe concionator acciperet, effecturos ſe, vt inter oratores longè lateq; celeberrimus fieret, omneſque longo poſt ſe intervallo relinqueret. Sacerdos cùm hæc audijt, fraudem ſuſpicatus & inſidias, ſacris profanos ſpiritus exorciſmis adigit, dicerent quo cum fine, reliquis concionatoribus vellent eminentiorem facere, & dicendi gratiâ, & robore perſuadendi. Tum igitur majoribus coacti imperijs, reſponderunt; eâ ſe id cauſâ acturos, quòd crederent, his velut cuniculis ſubrui Eccleſiaſten poſſe, vt ex tumido faſtu, vanæq; præcellentis ſuadæ complacentia, primùm in hæreſis foveam, tum deinde in ſalutis ſuæ exitium caderet; ruinâ nunquam emendabili. Sed ad hæc, juſtâ indignatione commotus ſacerdos, annulum ipſe ictu vno frangit. optimus profectò faber, quia malarum artifices ſtropharum diabolos, pulcherrimè eluſit, tartaroq; remiſit.

Alicui alteri in annulo, ad vſum quotidianum.

Quem etiã obtulerunt ſacerdoti, in fraudem animæ.

Sed repudiati & eluſi ſunt ab eodem.

IX. Vbi iterum claret, quàm doloſæ ſint amicitię dœmonis cum homine, quàm peſtifera ſocietas, quàm fœdera exitialia; ſiquidem non niſi in excidium, interitumq; animarum ſancita. Vt rectiſſimè D. Leo aſſerat, beneficia dœmonum cunctis eſſe nocentiora vulneribus; & pręſtare illorum odium, quàm pacem meruiſſe. Itaq; etiam, cùm ad obſequia ſibi devotis adſtant, parum ſinceritatis, multùm aſtutię circumferunt, ſemperq; latet hamus in ea pręſentia; quia ſimulata eſt ad faciendam animo cladem, & emendum deniq; longum pœnitere; poſt communicatas breves ſcientias, non ſtaturas diu voluptates, honores mox in fumum, divitias in cinerem tranſituras.

D. Leo hom. 19. de paſſione Domini.

Amicitia & beneficia Dœmonũ, ipſis nocẽtiora ſunt vulneribus, & quare?

X. Quàm verò omnis mortalium cum diabolis, ſive quod idem eſt, fratribus ejus, ſocijſque Magis familiaritas, ſit DEO non tantùm exoſa; ſed ipſis quoque pernicioſa aſſeclis; graviſſimè jam olim Virgo Deipara adſtruxit, quando ſanctæ Brigittę ad hunc modum de Neapolitana civitate teſtificata eſt. *Scias quod in civitate Neapoli, committuntur diverſa, & multa peccata horrida, & occulta, quæ tibi non refero; ſed tamen loquor tibi nunc de duobus generibus peccatorum manifeſtorum, quæ*

In revel. S. Brigittæ l. 7. c. 28.

valde diſplicent filio meo, & mihi, totiq; curiæ cæleſti. Et quia primum non eſt ad propoſitum meum, ego diſſimulato illo, ad alterum facio gradum, de quo Beata Virgo ſic loquitur. *Secundum genus peccati eſt, quod multi homines habent ſecum, eum, & conſulunt aliquos malignos, ſortilegos, & divinatores, & aliquas peſſimas incantatrices, diverſis reſpectibus inordinatis. Nam aliquando petunt ab iis, quòd ipſi faciant aliqua maleficia, ad illum finem, vt poſſint concipere & recipere prolem. Aliqui requirunt eoſdem, quòd ipſi aliquas incantationes faciant ad hoc, vt ab aliquibus hominibus vel mulieribus, ſeu etiam ab eorum dominis temporalibus, diſtrictè amentur, & cordialiter diligantur. Alij verò expetunt ab iiſdem maledictis maleficis, de præſcientia futurorum. Multi etiam quærunt ab eis, vt arte ſuâ incantatoriâ & maleficâ, tribuant ipſis ſanitatem in infirmitatibus ſuis. Qui quidem omnes, tam tenentes eoſdem maleficos divinatores, ſeu etiam incantatrices in familia, quàm omnes petentes à talibus talia conſilia, & remedia diabolica, quàm etiam iiſdem malefici divinatores & incantatrices ſupra dicta promittentes, exoſi & maledicti ſunt apud* DEUM. *Et quamdiu in tali ſtatu ac propoſito perſeveraverint, nunquam aliqua infuſio, ſeu gratia Spiritûs ſancti deſcendet, neq; intrabit in corda ipſorum.*

Magię vſus, Deo inviſus & exoſus, teſtimonio Deiparæ.

Spoliat hominem gratiâ ſpiritûs ſancti.

XI. Quæſo te, an aliquid gravius dici poteſt, & perditioni vicinius, quàm exoſum eſſe & maledictum Numini, neque dignum divinis favoribus? & tamen etiam ſic, nondum ſatis plectitur temeritas Magorum, & quotquot eorum ſtudioſi ſunt amatores. Sævit vlteriùs in nocentes DEI vindicta, & fortunis quoque temporalibus, ipſaq; hujus vitæ vſurâ exuit. Cujus mali ſeveram comminationem, populus Iſraëliticus olim accepit, monitore per Moyſen DEO. *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus* DEVS *tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium; nec inveniatur in te, qui ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia, atq; auguria; nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu ſuo.*

Vitam etiã temporalem accidit.

Deut. 18. à v. 9. & ſq. ad 13.

XII. Certè Saul Hebræorum Rex, ipſe in ſuam cladem ivit, quando depoſitis regiæ majeſtatis inſignibus, habitumque mentitus alienum, pythoniſſam adiit, vt Samuelis ſibi jam ſepulti manes adduceret, accepturus à redivivo conſilium, quod perturbatiſſimũ regni ſui ſtatum, & vndique ab hoſtili potentia afflictum, poſſet

erigere.

Digitized by Google

erigere. Sed nempe, à Samuele omnia votis ſuis adverſa audivit Rex, expertuſque eſt; ſiquidem die altero, inito cum Philiſtæis prælio, & imminente jam victoris ferro, ſuo ſe hauſit gladio Saul, priuſquàm alienum exciperet; & ne ſolus caderet, filiorum adjunxit funera, tantò luctuoſiùs auctarium, quòd ſecum ſpem omnem familiæ propagandæ abſtulerit, ſimulque poſteritatem in regno paterno ſucceſſuram. Denique ſacræ paginæ eſt ſententia, plena divini ſpiritûs ac vigoris: *mortuus eſt Saul, propter iniquitates ſuas, eò quod prævaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud. Sed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperaverit in Domino. Propter quod interfecit eum, & tranſtulit Regnum ejus, ad David, filium Iſai.*

Nec non & fortunam cum vita. Vtrumque expertus eſt Rex Saul, in ſe & poſteritate ſua.

1. Paralip. 10. v. 13. & 14.

XIII.

Sed ſi exempla volumus recentia, divinæ in eos vindicationis, quibus ſemel magicarum curioſitas ſcientiarum, cauſa fuit inhoneſti cum dœmone fœderis, produco Zytonem, celebrem olim Magum, Wenceſlai Bohemorum Regis. Hic poſtquam Sophiam, Ducis Bavariæ filiam, in vxorem duxiſſet, & verò cognoviſſet ſocer, generum ludicris, magicíſque ſpectaculis impensè affici; plenum ſecum præſtigiatorum plauſtrum adduxit Pragam. Ibi dum præſtantiſſimus artificum, ludibria artis ſuæ, ad præmulcendos oculos ſpectantium explicat: Zyto adeſt, Wenceſlai Magus, atque ore immaniter vſque ad aures vtrinque dehiſcente, illum Palatini veteratorem, totum cum omni præſtigiarum ſuarum apparatu glutit; exceptis calceis, quos (quia lutulenti erant) expuit. Inde paulò pòſt ventrem inſolito pondere gravem, in grande vas aquâ plenum exonerat, & quem nuper devoraverat, adhuc madidum, ac velut ex balneo prodeuntem, cum multo riſu ſpectatoribus reſtituit. Et quidem hæc pulchra videri poterat ludificatio; ſed eam, plureſque alias, tandem funeſta cataſtrophe excepit: quemadmodum probatus author in hæc verba meminit. *Ceterum Zyto impoſtor, ad extremum à Cacodæmone cum corpore & anima, de medio hominum ſublatus fuit; injecitq́ Wenceſlao curam, de religioſis deinceps, ac magis ſeriis rebus cogitandi.*

Dubravius in hiſt. Bohemica.

Inſpectante populo, vſq; ad calceos, Magum glutit Magus.

Deniq; ipſe dœmoni ceſſit in bolum.

XIV.

Non abſimilem, hoc eſt, miſerabilem exitum habuiſſe proditur Joannes Fauſtus, qui Cracoviæ olim Magiam doctus, egregia artis ſuæ dedit compluries ſpecimina, ludibriis mirificis, ac faſcinationibus per omnem Germaniam celebris. Denique vbi nondum ſatis illuſerat humanæ ſimplicitati, præſtigias finire debuit, in pago Ducatûs Wirtenbergici, inventus juxta lectum exanimis, facie in dorſum

Dubravius loco citato.

Fauſti præſtigiatoris

Digitized by Google

dorſum retortâ; cùm pridie domus, quam inhabitabat, validè concuſſa eſſet, velut omen præmiſſura ſecuturi caſûs. Ita Fauſtus, minimè fauſtum, nominique ſuo diſſimilem habuit exitum; nam poſtquam ſæpe varia ſpectacula, & ludos exhibuiſſet mortalibus, tandem ſe ipſum dedit Magiſtro ſuo dœmoni fabulam. Omnibus porrò ijs reliquit documentum rumpendi fœderis, quotquot parem cum humani generis hoſte, ſocietatem contraxerunt, non niſi in clades miſeras, & luctuoſa funera deſituram.

XV. Aulæ non ampliùs manifeſtos alunt Magos, vt olim.

C. pervenit C. cont. Idolorum 26. q. 5. L. multo. L. nullus L. etſi. c. de Maleff. & Mathem.

Atque vtinam nulli ampliùs Magi forent! vtinam hæc mala peſtis orbe toto exularet! poſſent noſtra ſibi ſæcula gratulari de nova felicitate, melioribus terræ incolis. Et ſcio quidem, non ampliùs præſtigiatores magicos, tam libero pede circumvagari per Regna & imperia, vt olim; non ampliùs pro hoſpitijs habere aulas principum, vt olim; pro artibus ſuis & Sathanæ ludibrijs, patrocinia Magnatum, vt olim; nemo eſt hoc tempore, qui publicè fateri auſit, ſe magiæ doctum eſſe, ejus & ſpecimen dare, & diſciplinas profiteri velle. Sed nempe, ſicut ingenioſa ſemper eſt malitia; ita jam dudum docuit Magos diſſimulare, & fido ſilentio illas involvere ſcientias: ne ſi in apertum prodierint, tanquam inhoneſtæ factionis cum Sathana rei, plectantur legibus à Iure vtroq; ſtatutis, Canonico & Civili.

XVI. Extra illas tamen paſſim, & clandeſtinè oberrant.

Dicam hîc, quod noſtrâ memoriâ geſtum eſt, ex confeſſione propria illius, ſive Venefici, ſive Magi, ſive vtriuſque; quem credidit Sacerdos reſipuiſſe, antequam Vulcano & igni traderetur exurendus. Novi ego, cujus homo ille conditionis fuerit, fortunæ, opificij: ſed potiſſimùm ei labor erat ſtudiumque, poſtulantibus familiarem dœmonem aſſignare; qualem & ipſe ſibi præſentem habuit, cumque melioris notæ, majoriſque potentiæ, ad omnes caſus individuum comitem, ad omnes quæſtiones peritiſſimum magiſtrum. Hæc res poſtquam clandeſtinis muſſitationibus ad plures pervaſit (vt ſępe hominum curioſitas, vſque ad ſcelus avida eſt ſciendi) ita multis acuit deſiderium impetrandi ab homine Mago, ex orcinis fratribus, fidum ſibi & domeſticum ſocium, cujus opera vterentur variè.

Ad varios fines, diverſi homines, ab vno Mago, diverſos expetierũt familiares diabolos.

Et alij quidem cupiebant, ejus beneficio poſſe hoſtium oculos effugere; alij aſcendere ad honorum faſtigia; quidam profectum facere in opibus; nonnulli exire inimica vulnera; alij maleficia facere, effodere theſauros, invenire deperdita, abſentia atque eventura cognoſcere: nubibus, ventis, cœlo, inferis imperare;

alij

ſilij alia commoda, arteſque ſibi profuturas rogabant. Eratque tantus poſtulantium dœmones numerus, vt cum indignatione ſemel quereretur, vix ſe labori ampliùs ſufficere. Et quod graviùs eſt, non plebei tantū, ſed ferè primi è nobilitate viri, hominis Magi benevolentiam ſollicitabant, atque vt idoneum ipſis diabolum adjungeret, per literas, nomine ſuo ac ſigillo firmatas, efflagitabant.

Heu miſeros mortales! adeóne vobis tota vilis eſt Æternitas? tam nullo in pretio beatorum inter aſtra ſocietas? vt commutationem velitis facere cum dœmonum obſequio, pauculis hujus vitæ annis duraturo, & denique erupturo in perniciem veſtram, eamque ſempiternam? Profectò quæ Magi ſancitis fœdera cum avernalibus inquilinis, plerumque æterna ſunt; neque mutua obligatio ſemper extinguitur ante mortem; etiam volentem reſilire, veteris amicitiæ conſuetudo tenet; ne dicam cacodœmonis minæ, & quę ei ſemel facta eſt ab ipſo cliente, ampliſſima poteſtas, cùm in illius verba juravit, & conditiones dedit, accepitque. Quid? quod mendaciorum pater Sathan, frequenter annos ſervitij ſui imminuat, ſuper quibus conventum erat. Et quia fraudem in promptu habet, facilè comminiſcitur cauſas. XVII.

Commiſeratio juſta cum Magis habenda.

De Zoroaſtre (qui Meſraim, Cham filius putatur fuiſſe, & primus inter homines Magicę artis Magiſter) ajunt quod aſtris multùm intentus, cùm vellet apud homines Deus aliquis haberi, velut ſcintillas quaſdam è ſtellis emungere cœperit, rudeſque in miraculi ſtuporem trahere. Cùmq; iſtud ſępius ageret, & jam importunior eſſet dœmoni, cujus opera ignem cœlo elicuit, ejuſdem crudelitate ſuccenſus, miſerè interijt. Tam facilè, atque inter manus, damnatis ſpiritibus naſcitur occaſio, cùm nocere volunt, & datam violare fidem. Ac, quemadmodum Rex quondam Iſraël, de Syrorum Rege apud ſuos queſtus eſt: *animadvertite & videte, quòd occaſiones quærat adverſum me?* Ita planè nihil frequentius eſt apud Luciferi ſocios, quàm cauſas excogitare, ad rumpenda obſequiorū ſuorum conceſſa ſemel hominibus ſpatia: Neque vnus tantùm, ſed plures Magi, magnis altercationibus cum dœmone expoſtulare ſunt auditi, quando hic promiſſos ſervitij ſui annos acciſurus, jubebat illos violentę mortis imperium acceptare, atque in Luciferi tranſire ſemel Regiam. Tum enimvero, ſicut quędam ferę, tela omnia commordent, & ad mortis Authorem per vulnera ſua currunt: ſic non pauci XVIII.

Clem Rom. in libris recognit.

Facilè Sathan rumpit fœdera, cum ijs inita.

4. *Reg.* 5. 7.

Abrumpit etiam promiſſos ſervitij annos.

in

in accelerata vltimæ pugnæ lucta, ad diabolum victorem, & Magiſtrum ſuum, imò & tyrannum feſtinârunt Magi.

XIX. Quæſo igitur te, quiſquis es, ſapienti auriculam admove, & monenti auſculta: *ne impiè agas multum, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo*, profectò *impiè* agit, & *multum impiè*, qui poſthabito Numine, orco ſe & inferis ſpiritibus mancipat ſervum. *Stultus* etiam nimis eſt, qui pro brevibus obſequijs paciſcitur cum Sathana. Rectiſſimè igitur hortor, atque ex ore Salomonis: *Ne impiè agas multum, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Nam tametſi Mantuanus Vates veriſſimè dixit:

Eccleſ. 4. 18.

Quidam moriuntur in tempore non ſuo.

Virg. 10. Aeneid.

Stat ſua cuiq; dies, & ineluctabile fatum:

quin etiam ſcriptura his Deum verbis compellet: *breves dies hominis ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt; conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*; quod quidem certiſſimum eſt, ſi attendamus divinæ præſcientiæ ac providentiæ regulam. nihilominus ſpectando curſum ſolius naturæ, contingere poteſt, vt quæ protelanda fuerat vitæ tela, juſſu magni Dei præcidatur, in pœnam commiſſorum ſcelerum. fitque adeò, vt moriatur impius, *in tempore non ſuo.*

Iob 14. 5.

XX. Neque exempla deficiunt confirmantia veritatem, quando ante oculos eſt Saul, Achitophel, Abſalon, Amon, Amman, & quot aut aquis diluvij hauſti, aut fluctibus rubri maris abſorpti, aut ſodomitici flammis incendij, exuſti ſunt. Eſt & illud huic propoſito accommodatiſſimum, quod S. Bernardinus in Cataloniæ civitate Sui, prope Valentiam, ætate ſuâ narrat accidiſſe. Duodeviginti annorum adoleſcens, parentum ſuorum non parens monitis, tandem ob latrocinia è patibulo ſuſpenſus eſt, gentis ſuæ, patriæque infame pondus. Ibi mox ei, magnis augmentis ſuccrevit barba, ſenſimque cum capillo ita incanuit, vt tota facies nonagenarium ſenem referret. Epiſcopus ergo de inſolito doctus prodigio, ſimul & divino afflatus ſpiritu, pronunciavit, in eam hominem illum venerandæ ætatis canitiem, venturum fuiſſe, ſi paternæ ſe obedientiæ didiciſſet ſubijcere; verum autem eſſe illud Dei oraculum, *Viri ſanguinum & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos.*

Saul, Achitophel, Abſalon, Amon, Amman, &c.

S. Bernardinus tom. 2. in quadrag. Dom. 2. quadrag. ſerm. 17. a. 3. c. 1.

Quidam etiam juvenis, olim ſuſpenſus in Hiſpania.

Pſal. 54. 24.

XXI. Idem dixero de ijs mortalibus, qui ſplendidis malignorum ſpirituum promiſſionibus, miſerrimè dementati, turpem cum hoſtibus generis ſui conſuetudinem faciunt. Moritur igitur nonnunquam Magus, *in tempore non ſuo*; moriturus in tempore ſuo, ſive victurus diutius, niſi tam turpi fœdere, profligatiſſimorum ſe dæmonum ſocietati conſecrâſſet. Et eſto etiam, hîc talis præter meritum

Sed multò maximè Magi, Sathanæ confœderati.

Digitized by Google

tum ſuum, ſingulari Numinis beneficio eum aſſequatur vitæ ſuæ terminum, quem ei natura fixit; auſim nihilominus affirmare, moriturum illum *in tempore non ſuo*, quando hinc diſcedit nec voluntate libens, nec virtutibus maturus, nec pœnitentiâ inſtructus. O nimis operoſum negotium! poſtquam diabolo aſſuevisti familiaris eſſe, ei cùm moriendum eſt, dare libellum repudij. paucos in cœlo numerabis Cyprianos & Theophilos, qui poſt Magiæ ſcelus, vt ipſi, aut citò reſipuerunt, aut reſipuerunt omnino.

PARAGRAPHVS XVII.
Aſſueti diu multumque Veneficijs mortales, difficillimè in MORTE ad pœnitentiam veram, DEVMq; redeunt.

QVo tempore Philiſthini, contra Iſraelem metati ſunt caſtra ad vallem Terebynthi; erat ex philiſtæo genere, homo prodigioſæ molis, reiq; militaris jam pridem ab adoleſcentia peritus, qui fortiſſimum quemq; Hebræorum, ad ſingulare certamen laceſſebat, eâ lege: vt populus ille, alterius admitteret jugum imperiumque, cujus pars in eo congreſſu ſuccubuiſſet. Et prodijt totus ferro ac chalybe obarmatus, quotidie Vir in campum, adjuncto ad verba provocatoria, procaci liberoq; convitio. Neque inventus eſt ex omni regio Saulis exercitu, niſi vnus David, qui ſe opponeret hoſtili jactantiæ, & gigantæis opprobrijs. Ita vbi David ſuam erga DEVM acuit fiduciam, cujus beneficio non ſemel leones vrſosque, paſtoritius juvenis debellaverat, Regem adit; & quoniam caput ſuum pro patria, communiq; ſalute, jam certus erat offerre periculo, fauſtas apprecationes rogat. I.

Goliath aſſuetus erat pugnare cataphractus.

Continuò igitur Saul, *Vade* inquit, *& Dominus tecum ſit*. Neque contentus pijs votis, vt ſcriptura proſequitur; *Induit Saul David, veſtimentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput ejus, & veſtivit eum loricâ.* Quid tum David, jam non ampliùs inter armenta paſtor, ſed inter milites tyro, & quidem gravis armaturæ, regiæque. Verba audiamus ipſius ſacri codicis. *Accinctus ergo David gladio ſuper* II.

1. Reg. 17.

 veſtem

veſtem ſuam, cœpit tentare, ſi armatus poſſet incedere, non enim habebat conſuetudinem. Dixitq́ David ad Saul, non poſſum ſic incedere, quia vſum non habeo, & depoſuit ea. Et tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus, & elegit ſibi quinq́ limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum, & fundam manu tulit, & proceſſit adverſùm Philiſthæum. Et miſit manum ſuam in peram, tulitq́ vnum lapidem, & fundâ jecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram. prævaluitq́ David adversùm Philiſthæum in funda & lapide, percuſſumq́ Philiſthæum interfecit. Cumq́ gladium non haberet in manu David, cucurrit & ſtetit ſuper Philiſthæum, & tulit gladium ejus, & eduxit eum de vagina ſua, & interfecit eum, præciditq́ caput ejus.

Non autẽ David, ſed fundâ armatus.

III. Tanti eſt habere vſum & conſuetudinem artis. Nunquam cataphractus David ſtraviſſet Goliathum, ſi enſe hoſtem aggreſſus eſſet; ingens loricæ moles, inſolitum galeæ pondus, ipſius ferri prægravis machina, promptam etiam manum tardâſſent ad faciendum vulnus. profuit aſſuetam vſurpâſſe fundam, & lapidem torſiſſe. hic enim felici jactu, fronti impactus hoſtili, docuit faſtuoſum gigantẽ in ſuo tandem ſanguine erubeſcere: poſtquam ſine fronte & verecundia Iſraëlem, DEO amatam gentem, quamplurimis convitijs oppleverat. Et quid arbitramur homines? ſingulis nobis pugna ſupereſt, & ſingulare certamen, tantò periculoſius, quantò major Philiſthæo Gigas eſt, quem aggredi debemus; & quidem eo tempore, cùm vires per morbos imminutæ, ipſa in lucta nos deſtituent.

Cujus etiã beneficio Goliathum ſtravit.

IV. Verbo rem pronuncio. Lucifer eſt Gigantæum illud portentum, quocum decertabimus omnes, tunc maximè quando mors, velut à tergo infeſtus lictor, nos extra iſtam mortalitatem eduxerit, O! quàm diſſimilis congreſſus hominis cum dœmone, ſi naturæ diſparitatem velimus in comparationem vocare. Certè ad illum rectiſſimè applicavero, quod apud Iobum canonicus author ſignavit. *Per gyrum dentium ejus formido. ſternutatio ejus ſplendor ignis, oculi ejus vt palpebræ diluculi. de ore ejus lampadès procedunt, ſicut tedæ ignis accenſa. de naribus ejus procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ atq́ ferventis. halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur. cùm apprehenderit eum gladius, ſubſiſtere non poterit neq́ haſta, neq́ thorax: reputabit enim quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs. non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ: quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam. non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, vt nullum timeret,*

Omnes homines cum Lucifero, ſub mortẽ congredi debent.

Iob c. 41.

Hoſte, fortiſſimo & formidando.

ret. omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.

V.

Neq; formidandæ ſunt nobis tantùm cacodœmonis vires; ſed etiam ingenium, aſtutia, ſtratagemata, exercitatio & peritia ſpiritualis militiæ, quibus infinitos prope mortales expugnavit in morte; fixis longo ordine per orcum trophæis, atq; inter flammas relucentibus, ſingulis velut teſtibus victoriarum ſuarum. Itaq; eo momento, temporiſq; ſpatio, quo moriendũ eſt: feliciter pugnare cum ſathana, eumq; debellare, ars artium eſt maxima; quam tamen vix homo, niſi longo exercitio conſequitur. O! quanto numero ſunt, quibus vltimùm luctantibus inter fata ſua cum malignis ſpiritibus, & quidem pro cœlo, illud aut exclamare neceſſe eſt, aut ſentire; *non poſſum quia vſum non habeo?* nempe qui nunquam didicit vſum pugnandi contra Luciferum, dum vixit: non diſcet quando vivere ceſſabit, incipiet mori, res iſta indiget exercitatione, aut quotidianâ, aut longâ. Hoc verò ſi ita eſt, quid ſpei poſſumus concipere de ſalute eorum hominum, qui ne hoſtes ſint dœmonis, neque illi vnquam inimicum pedem, manumque opponant, infidiſſimę ſocietatis fœdus coëunt; mutuis viciſſim juramentis ſtabilitum? Quo in numero ſunt incantatores, lamiæ, ſagæ, ſtriges, & quotquot initâ cum diabolo pactione, veneficijs vtuntur; genus mortalium ſupra quàm dici poteſt DEO exoſum, hominibus infeſtum, ſibi ipſi exitiabile; propter graviſſima, plurimaque ac velut concatenata inter ſe ſcelera. quibus in fatalem perniciem, æternamque mortem ferè ſemper trahitur.

Peritiſſimo quoq; & aſtutiſſimo.

Aliqui mortalium ignorant morituri certare cũ Sathana, quia in vita ſua non aſſueverũt.

Vt ſunt venefici, ſagę, ſtriges.

VI.

Atque (vt ea ad brevem calculum revocat Tannerus) talia ſunt. 1. Hæreſis ſeu infidelitas. plerique enim hujus farinæ homines, à fide Chriſtiana & Catholica, nonnunquam etiam ab ipſo DEO, & SS. Trinitate, per manifeſtam apoſtaſiam deficiunt; DEVM aut ſaltem Chriſtum, fidemq; Chriſti abnegantes, ac fidei in baptiſmo ſuſceptę abrenunciantes; aut certè non credentes diabolum eſſe malum, & fallacem ſpiritũ, eumq; vnâ cum ſuis aſſeclis, pœnas æternas ſubire. 2. Idololatria in cultu diaboli, cui totos ſe mancipant, & ſacrificia offerunt, alioſq; deferunt honores. 3. Blaſphemiæ in DEVM, Chriſtum, B. Virginem, & omnes Sanctos 4. Omnis generis ſacrilegia, quæ per abuſum Sacramentorum, rerumq; ſacrarum, & ipſius ſacratiſſimæ Euchariſtiæ nefandam dehoneſtationem, ſæpiſſimè committunt. 5 Luxuria infanda, ac nefariæ cum dœmone commixtiones. 6. Damna proximorum, vt homicidia, mortes animalium, vaſtationes ſegetum, aliæq; ſimilia.

Tannerus diſp. 4. de Iuſtitiâ q. 5. dub. 1. n. 4.

Quæ maximè ſcelera committant ſagæ, ſtriges, venefici?

Digitized by Google

VII. Et quoniam Venefici, non ſolùm per libellum ſupplicem, aut tertium aliquem, ſed frequenter etiam ipſi cacodœmoni, corporeâ ſpecie præſenti, homagium fidemq; promittunt, coguntur initiò renunciare baptiſmati, Deoq;, cui per ſacrum fontem initiati fuère. Planè ſimili modo, quo Hyppolitus Martyr ſcribit, multos ſub mundi finem, à ſathana velut coactum iri, vt dicant: *nego creatorem cæli & terræ, nego baptiſma, nego adorationem DEO à me præſtari ſolitam; tibi adhæreſco, in te credo.* Quæ cauſa eſt, cur factâ illâ abnegatione, etiam vnguem ſuum infernalis leo, in miſerorũ illorum frontem injiciat, quaſi chriſma abraſurus, & baptiſmi characterem. Neque hìc ſiſtit tartarei regis inſolentia; ſed quia ſimia eſt, ſtulta magni Numinis imitatrix; ideo familiam jam ſuam novo tingit lavacro, cujus olim Tertullianus ſic meminit: *hic quoq; ſtudium diaboli recognoſcimus, res Dei æmulantis, cùm & ipſe baptiſmum in ſuis exerceat.* Et ne characterem deſideret, ſtigma in aliqua corporis parte, mancipijs ſuis imprimit, quo modo Antichriſtus, extremis perituri mundi temporibus, aſſeclas ſuos, beſtiæ ſigno notabit.

Hyppol. Martyr. lib. de Conſummat. mũdi.

Iuratos ſibi veneficos, dœmon rebaptizat, ſuumq; imprimit characterem.

Tertull. l. de Baptiſ.

Apoc. 13. 16.

VIII. His ita geſtis, vbi jam novis quaſi ſacris inaugurati ſunt, ad dœmonũ obſequia miſerrimi homines, in eorundem verba jurant, ferè ſequentia capita. nunquam ſe diviniſſimam Euchariſtiam, peculiari religionis cultu adoraturos; injurios ſe perpetuò fore in Mariam Virginem Matrem; contumelioſos in Sanctos, eorumq; ſacra lipſana atq; imagines; nunquam ſe crucis ſigno, aquâ luſtrali, ſale benedicto, rebuſq; alijs ab Eccleſia conſecratis, vſuros; confeſſionem peccatorum integram, nunquam ſe facturos ſacerdoti; commercium ſuum cum dœmone pertinaci ſilentio tecturos; ſtatis diebus ad conventicula ſe advolaturos, neq; ſegniter obituros ibidem agenda. Deniq; quotquot poterunt, Luciferi adjuncturos ſervitio, magniſq; acceſſionibus ſtygem aucturos.

Delrio in diſquiſ. mag. l. 2 q. 4.

Capita, quæ Venefici juramento firmata, ſolent promittere diabolo.

IX. Quæ vniverſa vt alacriùs exequantur Venefici, Sagæ, Striges, reciprocâ obligatione, ceu flagello incitat currẽtes ad ſua obſequia malus Genius; quando & ſe illis perpetuò futurum præſto affirmat, votiſq; eorum omnibus, in hoc mundo ſatisfacturum; demũ etiam poſt fata ac mortem, felicibus ſingulos gaudijs beaturum, pulcherrimè mentitur; & *in caput ſuum* (quod Angelus quondam obſcœno dixerat ſeni) & in cladem æternam, temere credentium ſibi clientum. Siquidem non ſolùm Apoſtolus jam olim clariſſimè proteſtatus eſt, *Veneficia* regnum Dei occludere mortalibus; verùm etiam D. Joannes, quam ex Chriſti pectore hauſit veriſſimam doctrinam, pathe-

Reciproca dœmonis obligatio cum Veneficis.

Dan. 13. 59.

Ad Galat. 50. 20.

patheticè aſſeveravit, veneficorum locum, fore *in ſtagno ardenti, & igne, & ſulphure.* *Apocalip. 21. 8.*

Sed nimirum hîc iterum longas ſibi ſpes faciunt deſperati mortales, & poſtquam veneficijs ſe plurimis, per ſuperioris annos ętatis, velut inextricabili labyrintho implicuerunt, credunt morituros facili per reſipiſcentiam operâ, extricari poſſe. Crediderim ego faciliùs hæc ipſos optare, quàm conſequi. felices planè eſſent, ſi ſecuritatis ſuæ tam certam poſſeſſionem haberent, atque ſibi faciunt promiſſionem. Morbi ſunt inveterata vitia; & poſtquam conſuetudine ſui occupârunt animum, perpetua eſſe mala incipiunt, vixq; ampliùs remedij patientia. Diſtillatio vna tuſſim facit; aſſidua & vetus ad phthiſim, & mortem ducit. Itaq; ſi (quod ſupra demonſtravi) operoſum eſt mortalibus, vni vitio gravi per omnem vitam aſſuetis, quando moriendi vrget neceſſitas, ex animo ſincerè pœnitenti, remittere nuncium; quantum erit negotium illo articulo, cum vera reſipiſcentia, omnia illa damnare, improbare, repudiare, deflere ſcelera, quorum Venefici, Sagæ, Striges, longum inveteratumque habuerunt vſum. X.

Aſſuefacti veneficijs mortales, difficulter ſe extricāt in morte.

Condolentis Ieremiæ verbum eſt, ſuper Ieroſolyma ab hoſtibus ſuis miserè ſpoliata, vaſtata, deflorata: *peccatum peccavit Jeruſalem, & ideò inſtabilis facta eſt.* Quâ ſententiâ notatur Idololatria, grande illud, & Deo ſemper execrabile ſcelus, quo ſe turpiſſimè Solymæi cives non tantùm impiârunt: ſed inde etiam velut ex primo perfidię gradu præcipitati, in alia & alia ſenſim flagitia, ſine læſi formidine Numinis, velut excordes defluxerunt. Gravior tamen longè Veneficorum lapſus eſt, quia plus petulantiæ, plus inſolentiæ; imò veriùs, plus habet extremæ malitiæ. poſteaquam enim iſta generis humani peſtis, execrandâ apoſtaſiâ à Deo ſe abjungit, fidemque Chriſto in baptiſmate juratam, petulantiſſimâ negat audaciâ; mox & hęreſeos ſe impietate inquinat, & multiplici Idololatriæ crimine, & inauditis in Numen Divoſq; blaſphemijs, & innumeris ſacrilegijs, rerumq; ſacrarum dehoneſtationibus, & infandis luxuriæ turpitudinibus, & infinitis, inq; communem cladem emergentibus damnis; deniq; ſexcentis alijs flagitijs, inter ſe connexis, & ex vno velut principio longam catenam, ſeu potiùs ex pluribus filis ſparteis, vnum funem texentibus. XI.

Ierem. in Threnis c. 1. 8.

Propter concatenata inter ſe, eaq; graviſſima flagitia.

Quòd ſi verum eſt illud Sapientis, *funiculus triplex difficilè rumpitur*; multò difficiliùs rumpetur, ſi quadrupliciter, pluriesúe intortus, retortuſq; fuerit. fila ſingula ſine magno conatu, & levi labore XII. *Eccleſ. 4. 12.*

Digitized by Google

Cùm etiam funiculus triplex difficulter rumpatur.

bore ruperis; ſed vbi coiverint in vnum corpus, jam difficultatem ſenties. Pervulgatum eſt illud monitum Sciluri, apud Scythas Regis, ſub mortem filios octoginta docentis concordiam, vinci etiam inter inimicas fraudes neſciam; quando initiò faſcem telorum, ſingulos juſſit frangere; cumq; hîc omnes ſuccumberent, ſingulis tela ſingula propoſuit, quæ ad primum eorum niſum, facillimè in partes comminuta ſunt. Itaque etiam à ſingulis peccatis impij, cùm hinc migrabunt, faciliùs ſe expedient; Venefici, Sagæ, Striges, quàm facili ſe negotio innumeris ſceleribus, ijſque graviſſimis, exſolvere olim poterint, neutro oculorum perſpicio.

XIII. *Iudic. 16. v. 9. 13. & 20.*

Rari Venefici Samſonem imitantur, in vinculis ſuis rumpendis.

Quia Deus plerumque cum gratia ſua, ab eis recedit.

Rarus hîc Samſon eſt, qui olim ab inſidiatrice Dalila, ſeptem funibus ligatus, *ita rupit vincula, quaſi fila telarum, & quomodo ſi rumpat quis filum de ſtuppa tortum putamine.* Quamquam etiam Samſon poſtea, prodigioſo quo pollebat robore, deſtitutus, hoſtibus & vinctas, & victas manus dedit; ſuo edoctus tandem damno, vt ſcriptura meminit, *quod receſſiſſet ab eo Dominus.* Et mirum ſit, quòd miſerrimi hominum Venefici, jurata Lucifero mancipia, quibus ſe illigârunt abominabilium noxarum laqueis, trahantur ad tartarum? O! nimis verè ab ijs receſſit Dominus, vacuoſque divinis favoribus, gratijſque dimiſit, quando cum hoſte ſuo, malo dœmone, æternum fœdus icerunt, totique in ejus poteſtatem conceſſerunt; ſignatis in fidem tabulis, non alio ſucco quàm purpureo, proprio ſcilicet novorum clientum ſanguine.

XIV.

Laym. de Iuſtitia. ſect. 5. tract. 5. c. 5. §. Vnico, initio.

Sagæ & Striges, ob ſexûs infirmitatem difficiliùs reſipiſcunt.

Et hæc ipſa cauſa eſt, cur id genus mortalium, tametſi reſipiſcere velint, mille inveniant obſtacula, vt vix ſui ampliùs eſſe poſſint, poſtquàm repudiato turpiſſimè Deo, in obſequium cacodœmoni ſe, ſuamque libertatem conſecrârunt. Certè quoties profugere volunt, à tergo inſtat gravis exhortator; quin etiam minis, terroribus, flagellis vrget, monetque & fidei datæ, & facti ſacramenti. Accedit peculiaris difficultas cum ſtrigibus & ſagis, ob ſexûs muliebris infirmitatem. Vbi ex mente Doctorum, velut indubitatum ſuppono, plures fœminas quàm viros, cum Diabolo propter maleficia paciſci; tum quia mulieres propter judicij, experientiæque defectum, citiùs credunt, & faciliùs decipiuntur; tum quia curioſum animal eſt fœmina, rerumque novarum vehementer appetens; vt taceam, muliebre genus & ad libidinem pronius eſſe, & dejectius in mœſtitia; cujus levandi cauſâ mali, faciliùs impium dœmonis ſolatium, auxiliumque admittit.

XV. Deniq; ſentio, quod non nemo ex eruditorum ſenſu virorum

ſcripſit.

ſcripſit. etſi quidem impoſſibile non ſit, difficilè tamen admodum eſſe, Veneficos è poteſtate diaboli exire, quos ſua ſemel malitia ſtygio veteratori devovit, longorumque conſuetudine annorum, fido in famulatu conſervavit. Quin etiam arbitror, pauculos eorum ad littus æternæ ſalutis appellere, niſi priùs per Rhadamantos & Æacos, ſive potiùs, rigidum civilis magiſtratûs examen, pœnaſque corporis ſeveriores, didicerint ad Deum redire, quem breviſſimi gratiâ lucelli, aut inaniſſimæ causâ voluptatis, indigniſſimè iverunt deſertum. Quamvis neque iſtos omnes ajo, etiam per flammas rogóſque, expiari à ſuis ſceleribus, recuperato iterum jure cœleſtem adeundi hæreditatem. Proh dolor! quemadmodum oculatus teſtis experientia docuit, non pauci in perfidia ſua perſtiterunt, partim minis territi Orcinianis, partim pollicitationibus ſtygijs faſcinati; veriſſimè, quia *inveterati dierum malorum*, omnem rectæ fidei, ſinceræque in Deum religionis vſum amiſerunt. Ita tum maximè vniverſim laborant mali, quando plurimùm vitia miſcuêre, & in vnum collata nequitia eſt, ipſoq; exercitio durata. Denique eorum vſque ad mortem tenaces ſumus, quibus ab infantia, per totam ætatem reliquam aſſueſcimus.

Layman de Iuſtitia ſect. 5. tract. 6. c. 5. num. 17.

Juvantur aliqui ex Veneficis ad reſipiſcentiam, per temporalia corporis ſupplicia; non omnes.

Daniel 13. 52.

XVI.

Documento eſſe poteſt Calanus, vnus de Indorum ſapientibus, qui Alexandrum Macedonem, perſuaſus à Taxile, Indiæ Regulo, ad Perſidem vſque ſecutus fuerat. Hic (quæ mortalitatis noſtræ viciſſitudo eſt) ægrotare cœpit. Iamque Rex ſollicitus, pretioſum ex ſapientibus Indis ſervare hominem, jubebat Medicos, vt pararent morbo antidota, pharmaca, ſorbitiunculas, potiunculaſq;. Sed quoniam alter nunquam medicinis vti conſueverat, ſtatuit priùs mori, & vel ignibus totam mali radicem abſumere, quàm à prioris vitæ receptis moribus deflexurus, morbum alexipharmaco emendare. Ergo Alexander, vt philoſophicæ ſatisfaceret inſaniæ, rogum ſtrui jubet, funereumq; apparatum Calano. Iamq; is ovanti ſimilis, & Indico ex more coronatus, hymnoſq; patriâ modulatus linguâ, poſtquã ad ſupplicij locum devectus eſt, in rogũ deſcendit, mediaſq; inter flãmas tamdiu ſtetit, donec tota hominis moles collapſa eſt in cineres; tantũ obfirmati animi in corpus fuit imperium. Alexander pretioſâ veſte, varijs odoramentis, aureis argenteiſq; vaſis, tubarũ etiam ſonitu elephantorũ barritu, feſtoq; vniverſi exercitûs clamore, honorẽ funeri habuit; quaſi flãmeis in cœlũ quadrigis illata eſſet anima, & non ex rogo vno ad alterum, infelicẽ ſaltũ feciſſet.

Strabo lib. 15.

Sagæ quædam & nõnulli Venefici, obſtinato animo ac hilari, ad flammas eunt, Calani Philoſophi exemplo.

XVII.

Ita eſt, hodieq; luctuoſis docemur exẽplis, Calanos ſupervivere, quo-

Digitized by Google

quoties audimus, legimusq; Veneficos & Striges, artibus ſuis tenaciſſimè adhæſiſſe; neq; Sacramentum Deo primum in baptiſmo datum, poſtea novo cum Sathana fœdere, indigniſſimè violatum, reſarcire voluiſſe. Atq; vt ipſis initiò hęc perfidia materiã dedit complacentiæ; ita ſequens obſtinatæ mentis pertinacia, longè fuit viſa eſſe pulchrior. tandem inter ſuorum fletus, ipſi hilares, ad conſtructam flagitijs ſuis piram, non tam iverunt, quàm cucurrerunt; vaniſſimè perſuaſi, ignem illic aut fatuum fore, aut non magnopere nociturum; quin etiam compendium ſe habituros, ad vitæ alterius felicitatem; cùm potiùs feciſſent præludium ſecuturi incendij, ſed æterni. Itaq; miſeri, & ſibi ipſis nunc miſerabiles, agnoſcunt planè, ex rogo ad rogum ſe tranſijſſe, nullis aquis, nullâ glacie reſtinguendum. Sed vitium omne ipſorum eſt, quorum malitia, author fuit turpis transfugij; perpetua conſvetudo, nutrix. multos perdidit ſemel cœpiſſe fieri impios; plures cœptæ impietati aſſueviſſe.

Sed miſeri & miſerabiles à rogo tranſeunt ad rogum.

XVIII. Deniq;, quod de inſidijs ſive mortalium, ſive fortuitorum caſuum, olim dixit Seneca, ego rectiſſimè ad vitioſam conſuetudinem reſtrinxero. A ſapiente Romano hęc cuivis ſcripta eſt cautela. *Quid iſta circumſpicis, quæ tibi poſſunt fortaſſis evenire? incendium dico, ruinam, aliaq; quæ nobis incidunt, non inſidiantur. Illa potiùs vide, illa devita, quæ nos obſervant, quæ captant. rari ſunt caſus, etiamſi graves, naufragium facere, curriculo everti. Ab homine homini quotidianum periculum. Adverſus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere, nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempeſtas minatur antequam ſurgat; crepant ædificia antequam corruant; prænunciat fumus incendium. ſubita eſt ex homine pernicies, & eò diligentiùs tegitur, quò propiùs accedit.* Liceat hîc mihi dicere, quod longa experiéntia multos cum damno docuit: *à Conſuetudine homini quotidianum periculum. nullum malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Subita eſt ex conſuetudine pernicies, & eò diligentiùs tegitur, quò propiùs accedit.* Sanè longa ſcelerum vſurpatio, domeſticus hoſtis eſt, & hoc nomine ſemper periculoſus, quia propter familiaritatem non timetur. cùm ridet, cùm palpat, cùm aſſueta obtrudit; laqueos ponit, & diſponit exitium. diu etiam ferrum occultat ſub toga, vt improvidum, & nihil hoſtile ſuſpicantem feriat, ſed lethali, æternoque vulnere. Certè vitiata Conſuetudo, facinoroſum non vnum eodem momento, quo mortem adijt, miſit ad tartarum. Cave igitur, ne moriturus à cœlo olim ideò aberres, quia nunc ſanus vivuſq;, ad cœlum & virtutem ambulare non aſſueviſti.

Seneca lib. 18. Epiſtol. epiſt. 104.

Denique Conſuetudo peccatorum gravium, ducit communiter ad exitium.

PRO-

PROMONTORII MALAE SPEI LIBER III.

IN QVO EVERTVNTVR ET SVBRVVNTVR PRAECIPVA CAPITA, SIVE FVLCRA XIV.

Quibus ſpes ſuas Impij fulciunt, & rejectam in MORTIS articulum pœnitentiam.

QVantùm ſemper mortales animos, nominis ſui gloria affecerit, ſatis teſtati ſunt illi, qui inter paria conſultantium vota, eademque diverſorum ſuffragia, ſic olim ex communi ſententia ſtatuerunt; *Venite faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum.* Iamque ut moles lateritia cœpit in immenſam conſurgere altitudinem, nemo ferè (ſi Philoni credimus) operarius erat, qui non lapicida fieret, ſuumq; nomen ſaxo inſculperet, velut æternaturum cum artificis memoria. Neq; DEVS apud Davidem diſſimulavit conceſſum illuſtris famæ honorem, quando inter alia favoris teſtimonia, ſive liberalitatis recenſita beneficia, ait: *feciq; tibi nomen grande, juxta nomen magnorum, qui ſunt in terra.* Itaque attemperaturus ſe DEVS ſtudijs

I. Nominis gloria afficit homines.

Gen. 11.4.

Philo lib. 6. antiquit.

2. Reg. 7.9.

Digitized by Google

dijs hominum (quibus pretioſiſſimum eſſe ſolet famæ pretium) etiam Davidis memoriam, nomenque per orbem vniverſum, voluit eſſe glorioſum.

II. Nomen CHRISTIANI, quàm glorioſum. Tibi verò, ò Chriſtiane omnis, quantò magnificentior accrevit titulus? nominis enim tui author Chriſtus eſt, DEI Filius, idemq; humani generis liberator; vt rectiſſimè Chriſtiani quondam Martyres, ſolâ nominis ſui dignitate, ad indigna quævis tormenta mentē erexerint. Certè inter Divas, nunc fulgentiſſimum ſidus Blandina, cùm olim minimè blandientis, ſed multùm ferocientis barbariem carnificis ſuſtineret, ſolo hoc verbo: *Chriſtiana ſum*, & doloris ſibi acerbitatem lenivit, & muliebri animos imbecillitati addidit; tam egregiâ proteſtatione velut admonita, neminem Chriſtianum eſſe, qui nolit pró Chriſti ſanctiſſima fide, pati fortiter & fortia. Viſa eſt alijs quoq; Sanctis, pulchra eximiaq; eſſe Chriſtiani hominis appellatio; atq; imprimìs magnis Eccleſiæ Patribus, Baſilio & Gregorio Nazianzeno, cujus hæc eſt affirmatio. *Alijs alia quædam cognomenta ſint, vel à parentibus accepta, vel ex ſe ipſis; hoc eſt, proprijs vitæ ſtudijs, inſtitutiſq; comparata. Nobis, id eſt mihi & Baſilio, magna res, & magnum nomen erat, Chriſtianos eſſe, & nominari.* Similia Gregorius Nazianzenus, de fratre ſuo Cæſario ipſe commemorat. *Cùm multa*, inquit, *& magna ipſi ſuppeterent ad dignitatem, tamen hoc primum erat, quod Chriſtianus & eſſet, & nominaretur.* Nempe abſurdum eſt dici Chriſtianum, & non eſſe; Chriſtũ profiteri in nomine, abnegare in vita; circũferre ore, excludere corde. nulla ignominioſior eſt fabula, quàm cùm mortales ſe mentiuntur aliós huic mundo, atque coram DEO ſunt. Demum perſonatæ hæ Simiæ, ridiculas ſe ipſas faciunt ſpectatoribus ſuis, & totum ſuæ deceptionis genus exponunt probro. Id tu diſces ex alia ſimia, de qua Gregorius Nyſſenus narrat ſequentem in hiſtrionia ludum.

Euſeb. l. 5. Eccleſ. hiſt. cap. 1.

D. Gregor. Naz. in orat. de laudibus S. Baſilij.

D. Greg. Naz. in oratione funebri de Cæſario fratre.

III. *Ajunt quendam in vrbe Alexandrina circulatorem, docuiſſe ſimiam, vt agilitate quadam in habitum ſaltatricis ſe componeret, eiq; ſaltatricis appoſuiſſe perſonam, ac veſtem circumdediſſe convenientem: & cùm chorũ ei adhibuiſſet, placuiſſe, ac celebratum hominum ſermone, in pretio fuiſſe propter ſimiam; quæ ad cantilenæ modos ſe flecteret, ac per omnia naturam occultaret. Cùm autem capti eſſent rei novitate ſpectatores, quendam aſtutiorem cæteris ibi fuiſſe, qui oſtenderit Simiam eſſe Simiam. Acclamantibus enim cunctis, projeciſſe eum ajunt, in orcheſtra ex bellarijs ea, quæ talium beſtiarum ingluviem attrahunt: illa verò vt viderat ante chorum diſperſa amygdala, oblitam & ſaltationis, & plauſuum, & veſtis, & ornamentorum, accurriſſe ad*

S. Gregor. Nyſſen. in ſerm. de perfecta Chriſtiani hominis forma.

Simia ſaltatrix & perſonata.

ea,

ea, & manu ac palmis collegiſſe, & ne impedimento eſſet, perſonam ori detraxiſſe celeriter, atq; vnguibus ſuis ſimulatam formam corrupiſſe, atq; ita pro laudibus riſum moviſſe ſpectantibus. Sed videamus ſcopum, cujus gratiâ hanc ſimiam iterum in ſcenam produxit D. Gregorius Nyſſenus, daturus çum novo riſu elegans documentum. Ejus hæc eſt de recenſitâ ludificatione applicatio. *Quemadmodum igitur illi* (ſimiæ puta) *non ſatis fuit falſa, aſcitaq; forma, ad hoc, vt homo exiſtimaretur, deprehensâ per ingluviem bellariorum naturâ; ita qui non verè ipſam naturam ſuam, fide formaverint, facilè per diaboli eſcam & ingluviem, convincentur, quòd aliud ſint, quàm præ ſe ferant, ac profiteantur. pro caricis enim, aut amygdalis, vana gloria, ambitio, lucri voluptatiſq; ſtudium* (*mala diaboli annona*) *loco bellariorum hominibus corruptis propoſita, ſimiarum ſimiles animas facilè prodit, qui per fictam imitationem Chriſtianiſmum ſimulant.* — Imago fictorũ Chriſtianorum.

IV. Quos nihil fumus aut fucus iuvabit, quando eis DEVS larvam detrahet in morte.

Itaque vt dicâre Chriſtianus, mi homo, nequaquam ſatis eſt hoc nomen traxiſſe ex baptiſmatis lavacro; niſi doctrinam Chriſti vitæ tuæ ſanctimoniâ, morumque integritate, & continuo virtutis ſtudio, exprimere adniteris, fruſtra es, Chriſtianus non es, perſonata ſimia es. Nihil tamen hîc fucus juvat; nam vt mortales fallat, DEO illudere non poteſt; nimis ille oculatus eſt, & multùm ſupra lyncem. nemo alius tam benè diſcernit inter veritatem, & veritatis ſpeciem, mendacium; inter corpus, & inanem corporis vmbram; inter lucem, & lucis aliquam imaginem, malignum radium; deniq; inter ſinceram virtutem, & fictitium virtutis ſimulacrum. O ridiculæ ſimiæ! Chriſtiani inquam, qui ſub ſpecioſo nomine, palliata circumfertis impiarum Gentium ſcelera, turpes libidines, faſtus, perfidias, intemperantias, & quidem vſq; ad mortis viciniam, & vltima vivendi tempora. quantus olim conſurget pudor? quanta premet infamia? cùm DEVS vobis poſt obitum, fallacem detraxerit larvam, cui per omnes retro ætates aſſueviſtis; doloſi alijs, vobis nocivi ſimulatores.

V. Sed ne detrahere poſſit, proponunt intermiſſam diu pœnitentiã, ante mortem amplecti.

Sed hîc contractâ in rugas fronte, peſſimus quiſq; magni Numinis ludificator; non inquit, cum probro quondam noſtro, quam diu tulimus, ſub alieno nomine ementitam Chriſtianæ pietatis larvam, Deus nobis auferet, hâc vitâ defunctis; ipſi enim ſponte noſtrâ, priuſquam moriamur, perſonam veterẽ mutabimus cũ meliore. nimirum tandem aliquando ſub poſtrema vitæ ſpatia, tranſituri ad theatrum Virtutis, inde plauſũ accepturi à Superis & corollam. Neq; nos movent, quę ſupra factę ſunt difficultates, apud eos mortales, qui licen-

tiâ ductrice, doctrice temeritate, pœnitentiam ſuam rejecerunt ad mortem; neque variæ illæ turbandi animi cauſæ, quæ tum morituris improbis, ſub vnum ſe aſpectum oſtendent; neque conſuetudines vitioſæ ac irroboratæ, altera velut natura, neceſſitatem allatura, etiam volenti reſipiſcere; nam his omnibus opponimus libertatem, magnum hominis, ac perpetuum bonum; tum deinde, ſemper præſto divinæ gratiæ pondus; exempla illorum improborum, qui tandem reſipuerunt; Chriſti Servatoris inexhauſta merita; Sacramentorum valorem; ſacrificium altaris, eiusque dignitatem; preces militantis æquè ac triumphantis Eccleſiæ; Angelorum tutelam; Deiparæ patrocinium multiplex. Quæ omnia, mirum eſt, quantùm ſuffulciunt ſpes eorum, quibus deniq; ſua libido ſuaſit, & leuis genius, vt vltimas emendandæ vitæ curas remitterent ad fata.

Interea fulcris quibuſdam ſuſfulciunt impietatē ſuam.

VI. Planè ſic eſt; nulliûs ſcelerati ſunt res adeò deſperatę, quin citata modo capita, fiduciam poſſint adminiſtrare; fore, vt ſi ijs vtatur legitimè, jam morti propinquus, extricet ſe Diaboli laqueis & orco. Sed hæc eſt demum infelicitas, protervè eò vſq; peccantium, vt per ſuam ipſorum ignaviſſimæ diſſimulationis culpam, plerumq; dicta ſalutis promovendæ media, aut prætereant tum omnino, aut ferè conatûs ſui defectu, vitioq; proprio eneruent; nullum ex ijs fontibus accepturi commodum, undè alij beatitudinem hauriunt. Quod quidem ſequenti libro aggredior docere, duplici bono; hinc enim monebitur quiſque, ne temerarius per omnes vitæ ætates, ruat in flagitia, ſub ſpecioſo pœnitentiæ faciendæ pallio, cùm moriendum eſt; aut ſi illuc vſque cum præcipitavit ſcelerum impetus, ut induſtrius ſit, neq; per crimen oſcitantiæ ſuæ cœlum perdat, bonum numquam ampliùs recuperabile poſt mortem, cùm ſemel à moriente amiſſum eſt.

Sed ſemper cum periculo casûs & ruinæ.

PARA-

PARAGRAPHVS I.

Primum Impiorum Fulcrum, LIBERTAS RESILIENDI SVB MORTEM: Quantum roboris habere poſsit apud pertinaciter ſceleſtos, oſtenditur.

ERrabit omnino, quiſquis exiſtimat poſt Adami lapſum, ſervitutem in totum hominem deſcendiſſe; ſemper pars ejus melior excepta fuit. animus inquam, qui nunquam mancipio datus eſt, ſed ſui juris manſit; adeò liber, vt ne corpuſculi quidem carcere (cui incluſus eſt) teneri queat, quò minùs vtatur impetu ſuo, atque extra ſe exeat, virtutis & cœleſtium comes. Idem ei ſemper in hoc itinere vehiculum eſt, Voluntas; eò pulchrius, quòd libertatem ſecum trahat, ingens bonum. D. Chryſoſtomum tibi ſiſto, qui diſcrimen facturus inter animæ & corporis medicinam, ſic ratiocinatur: *Et carnis quidem natura, multo cum labore ab infeſtantibus liberatur vulneribus; etenim ferrum ſæpe, & amara medicamina adhibere neceſſarium eſt. In anima verò nihil eſt tale, ſed tantùm* VELLE *&* LIBERE *ſufficit, & omnia correcta ſunt.* Subjungit poſt hæc ſtimulum citatus Eccleſiæ Doctor, his verbis: *quam igitur excuſationem habebimus, cùm corporis quidem, vbi argentum erogatur, & medici accerſuntur, tantam geramus curam; animam verò contemnamus; & hoc cùm nec argentum erogare, nec alios perturbare debeamus; ſed abſq; his omnibus,* ELIGENDO *tantùm &* VOLENDO, *omnem ipſius correctionem facere poſſimus?* Ajo etiam, tametſi humanæ ac liberæ voluntatis poteſtas, non poſſit divinæ potentiæ æquiparari, quadantenus tamen in comparationem aliquam cum eadem venit. I.

Animus hominis, ſemper ſuus ac liber eſt.

S. Chryſoſt. hom. 8. ad populum Antiochen.

Difficilis eſt medicina corporis; ægra vitijs Anima Volendo corrigitur.

Quod enim potuit olim vnicum hoc Dei verbulum, *fiat*, quando ex magno inani, magnam hujus vniverſi molem machinatus eſt; II.

Digitized by Google

hoc apud hominem poteſt Voluntas ſua, quando à virtutis pulchritudine invitatur, aut Numinis amore, metuque jubetur infelicem, turpemque ſtatum peccati, cum juſtitia ac Chriſtiana pietate commutare, ſemper amica Divorum ſocietate. Certè totum hîc poſſe hominis, eſt ejus velle; ſtat in cujuſque arbitrio, cùm ſemel deflexit in vitiorum abrupta, ſe recipere, vnde abijt, laudabili alternatione: poſtquam enim Deus (quod fide Catholicâ docemur) paratam omnibus manum benevolentiæ ſuæ offert, ſimulq; præſentia gratiarum auxilia: modò velimus, & quaſi ſeriò dicamus, *fiat*; jam ex malis boni, jam ex peſſimis optimi ſumus. præſertim ſi accedat cultura aliqua, & diſciplina conſuetudinis, quæ voluntatem in pravum detortam, ſenſim corrigat ad rectum.

Voluntas, habet quod dam quaſi omnipotés imperium in Animã, revocandã ad pietaté.

III. Qua in re, quantùm valeat exercitatio jugis apud improbiſſimum quemq;, inſinuat Romanorum ſapientiſſimus Seneca; quando pro ira temperanda, præſcribit frequens contrariæ virtutis exercitium, & conſuetudinem omnium difficultatum victricem; ſic ergo philoſophatur. *Nihil eſt tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat aſſidua meditatio; nulliq; ſunt tam feri, & ſui juris affectus, vt non diſciplinâ perdomentur. quodcunq; ſibi imperavit animus, obtinuit. quidam ne vnquam riderent, conſecuti ſunt: vino quidam, alij Venere; quidam omni humore interdixère corporibus. didicerunt alij in funibus ambulare, immania onera portare, mergi in profundo, nec reſpirare.*

Seneca lib. 2. de Ira. c. 12.

Præſertim ſi accedat Conſuetudo Virtutis atq; exercitium.

IV. Deniq; verum habet, quod cõmuni jactatur parœmiâ; *Conſuetudo conſuetudine vincitur*; non tantùm bona pejore, ſed etiam mala meliore. Id D. Bernardus quondam docuit hominem, turpe impuri Cupidinis mancipium: neq; enim dies præterijt, quo ſe non inſinuavit in lupæ, aut lenæ ſinum; ratus his congreſſibus venereas extingui flammas poſſe. Sed projectiſſimus mortalium, magis ſuos ignes accendit, vt diſertè fateretur, morte ſibi graviorem fore, diei vnius à libidine temperantiam. neq; jam ampliùs ſe ipſi ſibi, hac in re aut imperare poſſe, aut velle. Verum S. Bernardus perditum illum inter ſpurcos amores hominem, velut per cuniculos adoritur, & injectâ liberaliſſimi erga genus humanum Numinis mentione, quâ valuit melliti ſermonis dulcedine, pro ariete has preces expugnando animo admovit: *quæſo* inquiebat, *in gratiam Dei, ad triduum abſtine.* Evicerunt hæc paucula ſcortatorem, vt conari vellet, quod ſe poſſe jam dudum deſperaverat. Et hem! adjutus à Numine, cujus gratiâ ſibi vim cœpit facere, agnovit in ſua jam quaſi poteſtate eſſe, conti-

Libidinoſus quiſpiã curatus eſt â turpitudinis vitio, ſuaſore S. Bernardo, triduo abſtinés à Venere.

In Vita S. Bernardi.

Et primâ quidem die, in gratiam Dei.

nere,

nere. triduum enim integrum caſtus exegit. Quod vbi S. Bernardus didicit, plenus ſpe optimâ ſecuturi profectûs; *nunc* ait, *in honorem Deiparæ tantundem præſta.* Non potuit non invitare tam pulcher titulus, ad alterum conatum; quis enim negare auſit, æquam adeò poſtulationem Virgini Matri, à qua ipſe Filium DEI accepit ſacrarium divinitatis, compendium omnis theſauri, fontem gratiarum; verbo, ſalutis ſuæ auctorem? Itaq; annuit homo, alterumq; triduum ſe à Venere continuit, glorioſus victor, & ſui ipſius admirator; multò autem magis, præſentis ſibi divini ſemper auxilij, facundus præco. Cùm iterum D. Bernardus, ingenioſum ſe oſtenſurus ad lucrandam Deo animam, tertias adjungit preces, armatus Divorum in cœlo gratijs: & ne videretur ſæpius moleſtias facturus, quaſi cum proteſtatione, *ſemel* inquit *adhuc, has inducias poſco in honorem omnium Sanctorum.* Annuit alter, & feliciſſimè pacto ſatisfecit. Iamq; ſponte ſuâ conveniens D. Bernardum, quia guſtare cœpit continentiæ bonum, & quæ ex aſtris delabuntur, cœleſtes delicias, felicis victoriæ comites; hæc illi, velut parenti ſuo, in amicam ſuggeſſit aurem: *nolim ampliùs diurnas, ſed perennes cum Deo inire inducias.* Ita prior abominandæ libidinis vſus, contrario virtutis exercitio, ſuaviſſimè eſt ſublatus.

Alterâ, in gratiam Deiparæ.

Tertiâ in gratiam Sanctorum omnium.

V. Et hic ille Achilles eſt, hæc ſunt argumenta, quibus longam vitæ petulantiam, & diuturnas in deſerenda impietate cunctationes, non pauci mortalium tuentur, putantque eſſe ferrea improbæ ſuæ cauſæ fulcimenta; jam tamen dudum amaris, tacitiſque ſibilis à malo dœmone irriſa; exploſa etiam à divina veritate. Nam vt aliqui pertinaciter diu flagitioſi, tandē conſvetudinem triumphaverint vitiorum, oppoſitæ virtutis conſuetudine; nego id apud omnes fieri. multis neq; mors, neq; Deus concedit tam prolixa ſpatia, vt poſſint contrarijs aſſueſcere. Sæpe à vita diſtant fata brevibus terminis; quod intercedit, præter momenta paucula, nihil eſt; & totum illud non rarò elabitur impijs, antequam incipiant velle veteres damnare conſvetudines. Quibus verò mora indulgetur, ad repetenda pietatis exercitia, jam inveterato ſcelerum vſu deſueta; certum eſt, non omnibus æqualem eſſe lubentiam acceptandæ occaſionis. quidam abſterrentur ab innata ſibi ignavia, alij illecebris voluptatum abſtrahuntur; non nemo ex operis difficultate animum deſpondet; & cùm omnia adſint adjumenta ad ſuperandum hoſtem, ſola deeſt voluntas pugnandi. Denique poſt iterata frequenter, diuq; flagitia, redire ad emendatiorem vitam, ſeriamq; cum

Quia conſuetudo mala vincitur bonâ, & vitium Virtutis exercitio, hinc Impij ſe fulciunt ſpe futuræ correctionis.

Non facturi, ſi ſcirent quàm operoſum ſit, inveteratam ſcelerum conſuetudinem emendare.

cum Deo reconciliationem, quàm operoſum ſit opus, Scripturæ, Patrumq́; communi ſententiâ declaro.

VI.

Ad Hebr. 6. à v. 4.

Et quidem in fronte colloco Doctorem gentiũ, cujus jam olim ad Hebræos conſtans pronunciatum hoc fuit. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt ſpiritûs ſancti; guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſq́; ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.* Quamquam verò præcipui in Eccleſia Patres exiſtiment, locutum fuiſſe Apoſtolum de renovatione baptiſmi, qui iterabilis non eſt; ſunt tamen magni etiam viri, qui verba Pauli exponant de renovatione per pœnitentiam; vtpote ad quam ſit quaſi impoſſibile, certè difficillimum redire eos homines, qui à ſtatu gratiæ voluntariâ præcipitatione, deflexerũt ad graves culpas. Cui explicationi quantùm faveat D. Ambroſius, hæc ejus atteſtatio demonſtrat. *faciliùs* inquit, *inveni, qui innocentiam ſervaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Multorum non levis error eſt, cùm putant, quàm obvia eſt peccatori pœnitentia, tam eidem eſſe facilem & expeditam.

Non quàm obvia eſt inveterato peccatori pœnitẽtia, tam ei facilis eſt, & expedita.

S. Ambroſ. l. 2. de pœnit. c. 20.

VII.

3. Reg. 6. 38.

Ioan. 2. v. 20.

Templum Salomonis, magna illa, precioſaque moles, & verè miraculoſum ædificium, ſeptem annis erectum, perfectumque eſt; ſpatio ſatis parvo, pro tanti operis magnitudine. Poſteaquam verò pulcherrimum Dei fanum, Chaldæus hoſtis flammæ dedit in ſpolium; jamque iterum ex favilla illud ſua, cinereque quaſi redivivum erueret Zorobabel: quadraginta non minùs annis laboravit, donec in priſtinam nitoris ſui imaginem reſtitueret. Quam moram, & longi laboris difficultatem, egregiè ad rem noſtram, accommodat Beda, in hunc ſenſum. *Notandum, quòd Salomon prius templum in pace ſui regni permaxima, tempore brevi, nullo contradicente perfecit: nunc autem deſtructum propter peccata, filij tranſmigrationis in magna cordis compunctione, labori longo inſiſtentes, & ſæpiſſime ab inimicis retardati, tandem divinitus adjuti reſtaurârunt. Facile namq́; eſt, converſum quemq́; ad fidem, agnitionemq́; veritatis, abrenunciare diabolo, & confiteri Deum vivum, Sacramenta Chriſti percipere, atq́; acceptam vitæ innocentiam, comitante ejus gratiâ ſervare; ſed multi laboris eſt, eum qui accepta fidei Sacramenta peccando contemnit, priſtinam recipere dignitatem.* Gemmula illa cœleſtis gratiæ, cujus jacturam facit impius, venator libidinis ſuæ; tametſi recuperabilis ſit, non tamen obvenit niſi multùm ſudanti, & æſtuanti, & gementi, & dolenti, & deprecanti, & deteſtanti facinora ſua. atque vt pronum eſt humanæ infirmitati, magni Dei favoribus excidere, ſic reſtitui eſt operoſum.

Beda lib. 2. in Eſdram. c. 8.

Templum Salomonis faciliùs erectum eſt initiò, quã poſt deſtructionem reparatum.

verſo

Hoc oſtendo, & à templo Salomonis, ad ejuſdem me vrbem, Ieroſolymam verto; quæ eâdem olim Babilonij victoris atrocitate, in buſtum abire debuit, & prolixus fieri patriæ ſuæ luctus, orbi vniverſo ſpectaculum; cui triſtiſſima ejus inter rudera ingemiſcentis vox, illud continuò quaſi acclamabat: VIII.

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos. *Virg. l.6. AEneid.*

Sanè niſi toties perfida fuiſſet, vſq; ad Numinis ſui contemptum, Ieroſolyma, ſemper ſtetiſſet glorioſa, ſemper magnis vrbibus æmula, imo Regina cæterarum; ſed quia ad falſorum cultum Deorum, inexcuſabili idololatriâ deviavit, ipſa tam grande facinus ruinâ, cives ſui longâ captivitate luere debuerunt. Et tandem eluerunt vtriq; nam & Babylone reducti ſunt in Iudæam, qui ſuperfuêre civium; & Ieroſolyma ipſa ruderibus ſuis inſepulta, cœpit quaſi reſurgere; laborante in commune populo, vt Metropoli ſuæ, poſt longum ejus ſitum, quam olim fœlix habuit, faciem reduceret. Sed nempe diverſa tunc vrbis ejus reſtituendæ fuit ratio, ab ea, quâ primum à fundamentis ædificata fuit; nemo enim in primæva ejus ſtructura moleſtus fuit operarijs, nemo contradixit, multò minùs molitioni poſuit impedimentum. Cùm verò alteram cœperunt Ieroſolymam ſtruere, non tantùm opus fuit cæmento ac latere; ſed magno quoq; militarium apparatu inſtrumentorum, ad vim repellendam, hoſtilis vicinatum gentium incurſùs.

Idem factum cum Ieroſolyma civitate.

Et deſcribit Eſdras, planè novum inſolentemq; modum, quem reduces à Babylonia Iudæi tenuerunt, in reſtauratione vrbis ſuæ. *media pars juvenum eorum* (ſacri textûs verbum eſt) *faciebat opus, & media parata erat ad bellum: & lanceæ, & ſcuta, & arcus, & loricæ, & principes poſt eos, in omni domo Iuda, ædificantium in muro, & portantiũ onera, & imponentium: vnâ manu ſuâ faciebat opus, & alterâ tenebat gladium; ædificantium enim vnuſquiſq; gladio erat accinctus renes, & ædificabant, & clangebant buccinâ.* In quem locum Beda ad inſtitutum noſtrum, ſic myſticè philoſophatur. *Talis eſt ædificatio ſpiritualis, quæ in animarum ſalute geritur, vt in baptiſmate renati per fidem, & confeſſionem ſanctæ Trinitatis, abſq; vllo noſtro labore, per gratiam* DEI, *civitas ac domus* DEI *efficiamur. At ſi poſt ablutionem ſacri fontis, diabolo ſeducente, ad peccata relabimur, & virtutum mœnia hoſtis victor, noſtrorum igne vitiorum dejecit; gravioribus neceſſe eſt, orationis, afflictionis, vigiliarum, & vitæ arctioris ſtudijs, ea quæ perdidimus, bonorum operum ædificia reparemus. nam & expertis vitiorum illecebris difficiliùs, quàm incognitis caremus, minoriſq; laboris eſt, incognitam carnis cavere voluptatem, quàm reijcere cognitam.* IX.

4. Eſdræ c. 4. & v. 16.

Beda l.3. in Eſdram cap.10.

Etiam in animarum ruina per peccatum, difficilis eſt reparatio earundem per pœnitentiam.

X. Itaq́, corruptâ ſemel vitioſè naturâ, aliquibus ſuaviùs eſt cum porcis in luto volutari, quàm cænum deſerere, & tranſire ad munditiem. neſcio quomodo etiam ſordes afficiant hominem, ad ſui amorem. relapſus in abjurata paulò ante dedecora, paſſim tantò creditur eſſe felicior, quantò frequentior eſt. Sed caſtigat ex merito D. Bernardus hunc turpiſſimum errorem, quando ſalubrem, inculcaturus timorem, ajt: *timeas pro accepta gratia, ampliùs pro amiſſa, longè plùs pro recuperata.* mox de tertio hæc ſubjungit: *ſi gratia propitiata redierit, multò magis tunc timendum, ne fortè contingat recidivum pati; juxta illud, jam ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Audis recidere, quàm incidere eſſe deterius? proinde invaleſcente periculo, invaleſcat & metus.* Certè involvi prioribus culpis, & relabi ad eas jam ſemel cōdonatas, juſtā Deo indignationē movet, quia & hominibus ſolet.

S. Bernardus ſerm. 54. in Cant.

Maximè ſi lapſus & relapſus in flagitium, eſt frequentior.

XI. Doceo in Salomone Rege, quem patris ſui ſanctiſſimi, violata per ſcelus majeſtas, graviſſimè afflixit: quando eidem fugitivo, procaciſſimè inſultavit Semei, maledictis armatus & ſaxis, contra regni caput. Et quamquam manſuetiſſimus hominum David, reductus victor in vrbem ſuam, ſupplici tum maledico Semei pepercit, nolens tam candidum ſibi, glorioſumq́; diem, humano inficere ſanguine; juſſit tamen, vt Salomon olim tam atrocis proterviæ memor eſſet, nec dimitteret impunè contagioſi facinoris exemplum. Davide igitur jam humanis erepto, & collocato in paternū ſolium filio Salomone, ſtatim legem accipit Semei, ut deſertâ vrbe ſuâ patriâ Bachurim, domicilium habitationemq́; transferat in Ieruſalē, propoſitâ capitis pœnâ, ſi vel ſemel indè pedem extuliſſet. Quam Regis clementiſſimi conditionem, Semei humillimè exoſculatus eſt, cùm ſciret procaciæ ſuæ, & libero petulantis linguæ convitio, in Davidem jam dudum jacto, vix æqualia fore tormenta, ſi ambulandum eſſet ad rigidi juris examen. Sed neſcio quomodo tandem ſive præcepti, ſive ſui immemor Semei, fugitivos ſervos revocaturus, extra Ieroſolymam ſe contulerit: fuitq́; ei hic exitus capitalis, tanquam transgreſſori legis latæ. Itaq; ferro confectus, Salomoni filio pœnas exoluit, quas Davidi parenti debuit.

2. Reg. 16. 7.

Tolerabiliùs eſſe incidere, quā recidere in peccatū, oſtenditur exemplo Semei.

3. Reg. 2. 46.

XII. Hîc ſubit mirari, & cauſam indagare, cur iſta poſterior Semeī inobedientia, tam acriter punita fuerit, quando etiam ejus extra Ieroſolymam excurſus, honeſtâ potuit neceſſitate defendi; maximè poſtquam priora illa, ac multiplicia in Davidem perpetrata piacula, odiū, injuria, contumelia, rebellio, perfidia, à Salomone jam quaſi cōdonata erant. Sed optimè advertit D. Cyrillus Alexandrinus, poſterio-

D. Cyrillus Alexand.

Digitized by Google

ſteriorem culpam, quamvis ex objecto leviorem, ex circumſtantia tamen recidivi, graviorem cenſuram incurriſſe, pœnamq; apud ſapientiſſimũ Salomonem. Sic planè res cũ Deo habet: odit relapſum in noxas, eoſq; omnes obliquis intuetur oculis, qui nunquam à ſua iniquitate longiùs abeunt; ſed per multiplices gyros, flexus & ambages, ac velut infelici Meandro ducti, redeunt ad aſſueta; ſemper ferè intra eundẽ flagitiorũ circulũ errantes, non abſq; grandi periculo.

lib. 5. in Ioann. cap. 17.

OditDEus Recidivam peccati.

XIII. Nam vt eleganter S. Bernardus ait: *qui in circuitu ambulat, proficiſcitur quidem, ſed proficit nihil. Væ homini, qui ſequitur hunc circulum, qui nunquam à propria voluntate recedit. Si conaris avellere, paululum ſequi videbitur, ſed in dolo. circuitus eſt, aliunde reditum parat, non ab ea penitus abducetur. Satagit vndiq; vndiq; fugitat, hæret tamẽ ſemper propriæ voluntati.* Hanc autẽ continuò ſequi, cùm ſuadet impietatem, nihil aliud eſt, quàm ſuam voluntatẽ contra ſe ipſum armare in prælium, & facere refractariam ad ſecuturum rationis imperium. Sæpe cùm potuit, cùm debuit ad meliora reſipiſcere, profligatæ vitæ homo, non voluit; imò dicere auſim, cùm etiam voluit, noluit. Ad ejus pigri imitationem, de quo Sapiens ajt: *vult & non vult piger.*

S. Bernardus ſerm. 16. in Pſ. qui habitat.

Perpetuus in impietate circuitus, enervat voluntatem ad rationis imperium.

Proverb. 3. 4.

XIV. Experientia frequenter docuit, mortales eſſe, qui ut plurima deſiderant, ſemper tamen in votis conſiſtunt: nunquam extra illa progrediuntur ad induſtrias, deſideria ſua promoturas. ſola illis ſocordia pro carcere eſt & obſtaculo. Ita multi optant fortunas augere, cumulatiores facere divitias, altiùs ſcandere ad honorum faſtigia, illuſtrare pulchris titulis familiam. interim nullam rebus navant operam, labores fugiunt, horrent umbras difficultatum. malunt domi inerter ſeſsitare, quàm pelago ſe committere, facturi lucrum in mercimonijs; malunt ignavum ſemper caput, puluino ſecuri involvere, quàm in campo ſub galea frontem oſtendere hoſti, decoro pro patria vulnere honeſtandam. Volunt igitur iſti, & non volunt; quia cùm finem velint, nolunt accommodata ad finem media adhibere: vnde convincuntur, neque finem ſeriò velle.

Aliqui ſtant tantũ intra deſideria augendi titulos, opes, fortunas, nihilq; ea promovent.

XV. Atque hæc eſt ſimillima aliquorum facies improborum, ante ſuam mortem. optant tum enimverò reconciliari DEO, & purpureo Chriſti ſanguine ab animæ ſordibus emaculari; denique & cœlum intrare, æternitatis beatæ domicilium: neque tamen ſeriò adhibent media. reſervant ad ſepulchrum tumulandas ſecum iras, malâ fide pacta transferunt ad heredes, exhomologeſes faciunt mutilas, hortatrice erubeſcentiâ; dolorem ſuper noxis vitiant, motivo ſolius metûs ſervilis, propoſitum abſti-

Sic alij ſolùm perſiſtunt in deſiderio olim pœnitendi, & nihil agunt.

abſtinendi à conſuetis ſceleribus, formant ad ſpeciem fictè potiùs, quàm ſincerè ad veritatem. Hoc planè totum eſt velle, & non velle; velle finem, nolle media, cùm maximè deberent. Totiùs mali potiſſima eſt cauſa, ſive frequentior in priſtinas culpas relapſus, ſive continuus caſus, ex quo ſe nunquam collegerunt; ſed ignaviâ ſuâ: quia nunquam aſſueverunt præcipere ſibi, niſi oſcitanter. Hinc quoniam apud multos pertinaciter improbos, imperia rationis ſalubria, per omnẽ retro vitam, excuſſa ſunt à voluntate; quid mirũ fuerit, ſi etiam vltimum, de captanda in morte vera reſipiſcentia, ſit ſine nervo? præſertim quando etiam dœmon hominem, ſuis diu obſequijs mancipatum, ſtringit ad perſeverantiam, & neſcio quibus vinculis ligat, ne poſſit pro innata libertate, ſervitutem ſemel cœptam, longiſq; annis continuatam exire.

Quia voluntas eorum fracta eſt longâ peccatorũ aſſuetudine.

XVI. Et quidem hac in re vim ſibi etiam quondam à Sathana factam fuiſſe, propriâ hac confeſſione orbi teſtatus eſt S. Auguſtinus: *ſuſpirabam ligatus non ferro, ſed meâ ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me.* Dura omnino neceſſitas, hominis apud cacodœmonem captivi, nec alijs vincti compedibus, quàm propriâ voluntate. quiſquis in ejus poteſtatem, longâ criminum vſurpatione concedit, inde ſibi ipſi vincula nectit, quibus ab hoſte teneatur. Didicit hoc S. Brigitta, in ea olim fœmina, quæ ſe ipſam orco mancipiũ fecit, gulæ, libidinis, pecuniæq; gratiâ, ſuavibus in mortaliũ perniciem illicijs; ſic enim de miſerabili ejus fortuna, ipſum veteratorem ſtygium audivit pronunciare. *teneo eam quinq; manibus, cum vna manu teneo oculos ejus, ne videat ſpiritualia. cum ſecunda manu teneo manum ejus, ne faciat opera bona, cum tertia manu teneo pedes ejus, ne vadat ad bona. cum quarta teneo intellectum, ne peccare erubeſcat. cum quinta teneo cor ejus, ne redeat per contritionem.*

D. Aug. l. 8. conf. c. 5.

Imò & ligata à dœmone.

In revelat. S. Brigittæ lib. 1. c. 16.

XVII. Itaq; ne miſerabilis ſe homo explicare ampliùs poſſit, cum per propriam malitiam diu implicatus fuit gravibus peccatis, ſtrenuè id vnum laborat vaferrimus hoſtis, vt intellectum ejus inficiat; dumque in humanis mortaliũ nugis acutiſſimus eſt, cœlum, divina, animæ neceſſitatẽ, velut lippus, & malè inunctis oculis intueatur. Quod ſi etiam depuduit impius inter pudenda flagitia, nec putat ampliùs purpurandam ſibi frontem eſſe, poſtquam fœdiſſimo multiplicium culparum nigrore ſe deturpavit, jam vterque illi oculus excuſſus eſt; ut mirum non ſit, ſi manus deinde & pedes, communia pietatis inſtrumenta, officium ſuum non faciant: quia in tenebris ſunt, quæ ferè opus omne aut excludunt, aut præpediunt.

Sathan Impiorum oculos, manus, pedes tenet, & præſertim

Sed

Digitized by Google

Sed in nulla re magis induſtrius eſt Lucifer, quàm vt cor humanum teneat, hoc eſt, ſedem piorum affectuum, & ſanctæ voluntatis; ne felici converſione, redeat ad Deum authorem ſuum, vnde dudum diſceſſit, fugâ ignominioſâ, audaciâ intolerabili. Atque in eum finem diſponit per ordinem ſuos terrores, formidines, furias; præterea aſſuetas voluptates, veteres delicias, promiſſiones novarum; omnia expugnando animo.

Cor, ſedem piorum affectuum & ſanctæ voluntatis.

XVIII.

Et quî fieri poteſt, vt inter tot arietes, tot laqueos, tot manus, tam facilè elabatur, qui mali dœmonis ſemper captivus fuit? præſertim inclinante hominem concupiſcentiâ, ad repetenda quæ ſæpiſſime guſtavit, prohibitarum gaudia illecebrarum, gravis ſervitutis blandas perſuaſiones. Denique fateri debet cum Apoſtolo; *non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio.* Corrupta per frequentiam ſceleris voluntas, infirmitatem contrahit periculoſam animæ, cùm etiam alter in eandem ægritudinem relapſus, ſit corpori fatalis. D. Cyrillum Alexandrinum placet audire, cujus hæc eſt ad propoſitam materiam ratiocinatio. *In caſſum ſumitur medicina, ſi poſt inſtauratam ſanitatem, per vitæ incontinentiam, qui convaluit, in priſtinum incidit morbum. Quin imò relapſus in ægritudinem periculoſior eſſe ſolet, & exitio propior, quàm prior ille languor: & quos prima valetudo adverſa non extinxit, ſæpius iterata, poſt redditam incolumitatem ægrotatio, ſuſtulit è vita. Haud ſecus fruſtra pœnitentiæ ſacramentum ſumitur, ſi poſt eam peractam, ad præteritæ vitæ ſordes reditur. Hæc enim ſecunda, admodum periculoſa eſt animæ febricitatio.*

Ad Rom. 7. 15.

Si vnus & alter in morbum relapſus, eſt fatalis corpori:

D. Cyrillus Alexandr. lib. 5. in Ioan. c. 17.

XIX.

Si autem ex mente D. Cyrilli, ſemel, biſúe relapſum eſſe in antiqua probra & noxas, tantum facit animabus periculum; quantum creabit centies, millies in eandem turpitudinum ſentinam recidiſſe, & feciſſe non tam conſuetudinem peccandi, quàm neceſſitatem? Planè flagitioſus quiſque, per tot caſus infirmatâ ſemper magis ac magis voluntate, fateatur oportet illud etiam Apoſtoli: *velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio. non quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago.* Auditi ſunt plures in morte, cùm admoniti fuerunt, vt contractas vitæ ſceleratiſſimæ maculas, pœnitentiæ ſinceræ ſpongiâ abſtergerent, dicere: ſe pœnitere non poſſe; non quaſi nulla omnino illis facultas fuerit reſipiſcendi, ſed quia vt vellent, non impetraverunt ab ægra voluntate, & tot caſibus, tot in impietatem præcipitijs graviſſimè vulneratâ. Nocuit illis temerarios fuiſſe in relapſu, neque obſervâſſe vetus illud ſapientium verbum: *nihil ſine cauſa, nihil caſu, nihil temere.*

Animæ nihil noceat continuò recidere in noxas graves?

Ad Rom. 7. v. 18. & 19.

Deniq; tametſi ante mortẽ improbi habeant li-

bertatem pœnitendi, non tamen ſemper habent volũtatem, ſuo vitio.

quævis temeritas culpam habet; ſed nulla majorem, quàm vbi periclitatur æterna hominis ſalus. Concludo & ajo, ſemper tutiùs eſſe, cum paucis benè, pieque vitam omnem ducere, quàm cum multis flagitiosè; prǽſertim quando timendum eſt pertinaciter improbo, ne cùm poſſit ante mortem tranſire ad pœnitentiam, jactatæ toties libertatis beneficio, denique non velit; ſuo vitio & damno.

PARAGRAPHVS II.

Alterum Impiorum Fulcrum, GRATIÆ DIVINÆ PRÆSENTIA, EFFICACIAQVE; Quantum fiduciæ ſubminiſtrare queat improbis, pœnitentiæ ſuæ dilatoribus.

I. QVàm ſine viribus ſit illa multorum fiducia gravium peccatorum, qui longas reſipiſcentiæ ſuæ moras, ſolantur cum plena humanæ voluntatis libertate, olim ſe recepturæ ad frugem, Deumque quamprimùm animo collubitum fuerit, velut ad dictaturam ſedenti atque imperanti; credo ſatis ſuperque demonſtratum eſt ſuperiori ratiocinatione. Nemo latronibus vndique obſeptus, magna ſubſidia prudenter ab eo expectaverit, quem priùs hoſtilibus, letiferiſq; plagis ad mortem ſauciaverit; & vinculis inſuper injectis, vſu manuum pedumque privaverit. nihil opis eſſe poteſt, vbi libera membrorum vſurpatio ceſſat; nihil ibi ſperari poteſt, auxilij, vbi per vulnera effuſus ſanguis, animam ſecum è corpuſculo trahit. Ita tu mihi, ſcelerati diu hominis voluntatem contemplare, jugi flagitiorum conſuetudine miſerum in modum ſauciata eſt; ſuorum inſuper vitiorum, quin & cacodœmonis facta mancipium.

Voluntas humana, longo ſcelerum vſu proſtrata, per ſe ſola, non ſufficit ad veræ pœnitentiæ opus.

liberta-

libertatem quam à Deo accepit, etſi non perdidit, mutilavit tamen & accidit. Atque hinc frequens impiorum fruſtratio, qui in futura tempora faciendam tandem obligant pœnitudinem; quia cùm eam poſtea velle deberent, opportunis ante mortem occaſionibus, conſenſu voluntatis deſtituuntur; quæ ſibi ipſi velut diu ægra, difficilia atque inſueta imperare non poteſt; aut ſi poteſt, non amat.

II. Sed hîc argutulus quiſpiam, & malus malæ cauſæ patrocinator obſtrepit. Quamquam enim voluntas diuturno ſcelerum vſu, quaſi proſtrata: haud potens eſt, ſe ſolâ hominem erigere ad melioris vitæ propoſita; hoc ipſum tamen quàm maximè poteſt, ſi divina ei gratia adminiculetur. quæ ſemper ita eſt præſto cuivis mortalium, vt velut ad obſequium ejus ſtare, & ſive humana imperia expectare videatur, ſive preces opem à Deo flagitantium ad ea opera, quæ imbecilles naturæ vires excedunt. Et eſt apud Theologos receptum axioma, plenum ſolatio verbum; *facienti quod eſt in ſe*, (per vires naturæ) *Deus non denegat gratiam.* Confirmat hanc doctrinam ſuo calculo Molina, & hac ſententiâ. *Quoties liberum arbitrium ex ſuis viribus naturalibus conatur, quantum poteſt circa res fidei addiſcendas & amplectendas, vel circa dolorem de peccatis, ac juſtificationem; à Deo conferri gratiam, ſeu auxilium, quo id faciat, ut oportet ad ſalutem.*

Sed debet adjuvari & erigi à Gratia Dei, homini neceſſaria ad ſalutem.

Molina in concord. q. 14. art. 13. diſp. 10.

III. Ceterùm gratia illa, atque auxilium homini ad juſtificationem, atque adeò ſalutem ſuam neceſſarium, conſiſtit partim in varijs illuminationibus intellectûs, quibus mens humana incipit cognoſcere, vel etiam advertere turpitudinem ſcelerum, virtutis pulchritudinem, magnitudinem pœnarum, cœleſtis præmij amplitudinem; partim in varijs affectionibus, impulſibus, incitamentis, quibus etiam voluntas aut ſuppliciorum gravitate territa, aut ſpe æternæ gloriæ pellecta, averſari incipit illecebras malarum voluptatum, & accendi ad amorem Dei, ejuſque ſanctiſſimæ legis decreta. Eſt porrò iterum animadvertendum; hæc Dei auxilia (vt vocant Theologi) ſeu gratiam, diſtingui in ſufficientem & efficacem. Sufficientem appellant eam, quæ ex parte ſui omnino ſufficit, ad obtinendam juſtificationem ac ſalutem, ſi cum ea homo cooperari velit; ſed ex ejus propria libertate ac malitia, videt Deus non ſecuturam cooperationem; conſequenter loco beatitudinis, refractario imminere condemnationem. Patet ex Juda proditore, cui Deus dedit gratiam ſicut Petro

Et vna quidem conſiſtit in illuſtrationibus intellectûs; altera in pia motione voluntatis.

Vna etiam dicitur ſufficiens, altera efficax, ſeu congrua.

poſt

Digitized by Google

poſt lapſum, intendens ſeriò & ſincerè, vt cooperaretur; quod ipſe tam facilè ac Petrus, facere poterat, ſi voluiſſet; ſed præſciebat hoc non facturum, idque ex mera ſua libertate, quam Deus impedire noluit. Efficax gratia illa dicitur in ſcholis, quam Deus videt non tantùm ſufficere ad impij ſalutem, ſed etiam effectum habituram, ex ſecutura liberæ voluntatis acceptatione & cooperatione. quam etiam gratiam nonnulli vocant vberiorem, item congruam; quia ſcilicet divina bonitas, ex inſcrutabili miſericordiæ ſuæ, ac ſingularis benevolentiæ abyſſo, quorundam improborum corda adeò congruè ſtimulat ad converſionem, tam opportunis circumſtantijs, quibus manifeſtè intelligit, convertendam ad conſenſum mentem.

Quia à Deo tam congruè offertur homini, vt cooperationem habeat, & ſalutis effectum.

IV. Svarezij doctrina ad noſtrum inſtitutum iſta eſt. Quis ſit modus efficacis vocationis, & vnde proveniat, colligi poteſt ex nonnullis locis Auguſtini, in quibus ait; quando vult Deus aliquem electum infallibiliter convertere, eas res, vel ſigna, vel facta externa, aut interna, illi proponere, quæ juxta ejus ingenium & conditionem, novit eſſe apta, vt illum ad conſenſum pertrahant. Sic Auguſtinus hoc declarans inquit: *ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio, divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* Et iterum: *Paulum vnà deſuper voce proſtratum fuiſſe, occurrente vtiq; tali viſo, quo mens illa & voluntas, refractâ ſævitiâ retorqueretur, & corrigeretur ad fidem.* & hac ratione appellat illam vocationem, *magnam, & efficaciſſimam, & ex ſingulari gratia.* Itaque S. Auguſtinus efficacem gratiam conſtituit in congruitate quadam morali, quam Deus ſervat, cùm aliquem vult convertere; eum vocando, quando aut quomodo novit expedire, vt aures dociles præbeat, & conſentiat. Ita Svarez.

Svarez lib. 3. de auxilijs gratiæ cap. 2. Declaratur natura gratiæ efficacis & congruæ.

S. Auguſt. de bono perſeverantiæ. c. 14. Idem lib. 1. ad Simplic. q. 2.

V. His velut in fundamentum diſputationis ſecuturæ poſitis, difficile non erit oſtendere, plùs ſoliditatis promittere, quàm conferre poſſit, illud quorundam Impiorum fulcrum, reijcientium propterea in ſerum pœnitentiam, quòd momentis omnibus, in poteſtate quaſi habeant, potentiſſimam ſanè Dei gratiam; quæ toties cuivis ſit homini obvia, atque ad manus, quoties ipſe cōabitur ejus ſe participem facere; juxta illud receptum paſſim: *facienti quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam.* Sed quantum iſtud hominum genus aberret à veritate, hinc planum fit; quia certi non ſunt, facturos ſe olim circa ſui emendationem, quantum debent, atque in ipſis eſt.

Axioma illud: *facienti quod eſt in ſe, Deus nō denegat gratiam*; nullum poteſt eſſe fulcrū im-

Patet

Patet in ſimili apud Hæreticos & Gentiles, qui inter plurima rationum momenta, fidem Catholicam ſuadentia, minimè tamen in ea amplectenda agunt quod poſſunt, reluctante ſemper perfidiâ ſemel imbibitâ. Ita planè in fideli, cùm voluntas in vitium eſt obligata per aſſuetudinem, tam æquè flectitur in rectum, quàm arbor ad ſenium ſuum continuò incurvata. Sæpe etiam contingit (quæ mortalitatis noſtræ eſt infelicitas) vt homo difficultatibus obſeptus, nolit ſibi vim inferre, atq; extremum virium ſuarum impendere. verbo; non illud facere, quod in ipſo eſt, & tota ejus poteſtate.

pijs, vt reijciant emédationem in ſerum.

VI. Quamquam verò benigniſſimus DEVS, omnibus hominibus ſufficientem communicet gratiam, quâ ſi vti velint, cœlum lucrari poſſint, fortunatiſſimi mercatores: non tamen omnibus concedit, gratiam illam congruam, ſeu uberiorem & efficacem, quam pervidet in talibus, alijſque circumſtantijs collatam, libero creaturæ arbitrio, infallibilem ſortituram effectum futuræ beatitudinis. Et habent profectò impij juſtiſſimas hîc cauſas metuendi, ne in vindictam exercitæ diu malitiæ, hoc ſingulariſsimo gratiæ beneficio deſtituantur. Vbi advertendum venit, DEUM non tantùm plectere mortalium ſcelera, ſupplicijs corporalibus: probroſâ ſervitute, gravi exilio, difficili fame, exitiali peſtilentiâ, bellis in cædes ac funera publica erupturis; ſed verò etiam, pœnis quaſi ſpiritualibus atque internis; quas inter potiſſima eſt, ſubtractio uberioris gratiæ, ſeu ejuſdem imminutio. Et quemadmodum in communi, ſpiritualium bonorum jactura damnoſior eſt, quàm ſit temporalium, ac corporalium; ita damnoſiſſima eſt jactura illius gratiæ, quam Theologi appellant efficacem, uberiorem, congruam. Qui hanc ſuâ culpâ perdit, etiam ſervatis omnibus alijs, amiſit omnia; quia cœlo & DEO, bonorum omnium Maximo, totâ æternitate exutus eſt. Qui autem ſervaverit, etiam amiſſis omnibus alijs, ſervauit omnia: nempe ſalutem ſuam, & divinarum opum, cœleſtiumque apud Numen gaudiorum, feliciſſimos theſauros; nouis quotidie incrementis, ituros in beati ſinum.

Etſi enim illis Deus det gratiã ſufficienté, non tamen certum eſt, daturum efficacem, quæ ſola perducit ad cælum.

VII. Hîc mihi in mentem venit Stilpo, cujus encomiaſten agit Seneca, in hæc verba. *Captâ patriâ, amiſſis liberis, amiſſâ vxore; cùm ex incendio publico ſolus, & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio (cui cognomen ab exitio vrbium, Poliorcetes fuit) num quid perdidiſſet? Omnia inquit, bona mea mecum ſunt, nihil perdidi. Omnia mea mecum ſunt, Iuſtitia, temperantia, prudentia, virtus.* ſcilicet non judicabat illud inter vera bona, quod per injuriam fortunæ eripi poſſet. Atq; vt ſtultitia plerum-

Seneca Epiſtolarum lib. 1. Epiſt 9.

Stilpo, amiſſis vxore, liberis, fortunis omnibus, tamen dixit

ſe omnia habere, quia Virtutem retinuit.

plerumq; laborat faſtidio ſui, ita ſapientiſſimo Stilponi placuerunt, quæ verè ſua dicere potuit, virtutes animi. in his ita acquievit, vt nihil ſe crederet amiſiſſe, quādiu hîc dives manſit. mens ei bene conſtituta, inſtar omnium fuit poſſeſſionum, quia tranquillitate ſuâ beatum fecit. Ita ajo, tametſi mortales, vniverſarum facerent jacturam fortunarum, & quæ extra animum ſunt bonorum; modò illo potiantur magni DEI peculiariſſimo favore, qui conſiſtit in largitione Gratiæ efficacis, vberioris & congruæ, jam in paupertate multùm opulenti ſunt, in nuditate pretioſiſſimè veſtiti, in ægritudine validiſſimè ſani, in contemptu pulcherrimè glorioſi, in periculis certiſsimè ſecuri, in miſeria feliciſsimè, atq; ad invidiam beati. Neq; poſt Deum alteri debent gratiam, quàm ipſi ejus Gratiæ efficaci, ex qua velut optima radice, tam felices ſurculi, tam grandia pullulant commoda. Deniq; hanc gratioſiſsimam Numinis gratiam, rectè dixero illam eſſe pretioſam margaritam, quâ inventâ Evangelicus mercator, *vendidit omnia ſua quæ habuit, & emit eam.*

Omnia quaſi habet homo ille, cui DEVS largitur gratiam efficacem.

Matth. 13. 4.

VIII.

Sed heu! cœcos & dementatos in ſui perniciem mortales! quibus culpâ propriâ, à magno DEO ſubtrahitur hæc margarita, ingens cœli pretium; neq; nobis aliter, quàm Chriſti ſanguine partū. Certè enim (ſicut Doctorum habet ſenſus) irritata gravibus flagitijs, divinæ majeſtatis pietas, nonnunquam facit, quod homines ſolent ab hominibus offenſi. Videas principes, Reges, Cæſares, cùm palatinorum vnus aliquis indignâ eos affecit injuriâ, poſteaquam rogantur ſupplicibus parcere; ſimul cum offenſa pœnam omnem condonare, egregio imitandæ poſteris clementiæ argumento. Interim tamen, manet altâ mente repoſta, acceptę ſemel offenſionis aſperitas, nec jam ampliùs qui peccavit, admittitur ad priſtinum intimæ amicitiæ conſortium; nec ampliùs eoſdem experitur ſingularis benevolentiæ favores; nullis vltra beneficijs, dignitatibus, officijs, titulis, gratijs mactatur. Iuſta hæc eſt vindicta, vt poſtquam ſcelus auxit Palatinus in caput regium, ejuſdem imminutum erga ſe affectum ſentiat, & liberalitatem. Hic planè modus eſt, quo DEVS exaſperatus mortaliū indigniſsimis criminibus, tametſi ſeriò dolentibus ac deprecantibus, totam cū culpa, annexam inferiorum pœnam, indulgentiſsimè remittat; ſæpe tamen alio vltionis ſpiritualis genere, ſubtrahit illis favores non debitos, neq; impertitur tantum de ſua gratia, auxilijſq; ad ſalutem opportunis, quantum præbere decreverat, ſi hac illâvé, grandiore noxâ ſciviſſent abſtinere, nec cœleſtes provocare iras.

Quâ tamē ab eodem, ſæpe in pœnam improbi privantur.

Sed

Digitized by Google

Sed in tam difficili,& magni omnino momenti diſputatione, IX.
juvabit audire Leſsium,& hanc ejus aſſertionem: *Cùm homo eſt juſtus, debitum eſt ei hoc auxilium* (gratiæ ſcilicet ad ſalutem neceſſarium) *quod Deus largè illi tanquam amico, & filio ſuppeditat, vt commodè poſſit divinam hæreditatem conſequi. Amiſſâ autem juſtitiâ per peccatum, non debetur ei hoc auxilium ampliùs, cùm jus omne ad vitam æternam, ad quam hoc auxilium perducit, amiſerit; ſitq́ reus æternæ mortis, & poſſit ſtatim in barathrum præcipitari. Vnde Deus ordinariè, incipit conſuetam curam & opem, quam antea ei impendebat, ſubtrahere: nam juſtitiæ ordo poſtulat, vt non tanta ſit ei cura de ſalute hominis, cùm ipſi poſt tot beneficia factus eſt ingratus, inobediens, & inimicus; quanta fuit, cùm erat amicus & obediens filius. Hinc fit, vt qui ſemel mortiferè peccat, ſæpe in eo peccato diu maneat, & in idem ſæpius, vel in alia labatur, priuſquam reſurgat; quia nimirum divina opitulatio, per peccatum eſt imminuta.*

Leſſius de perfect. di. l.13.c.12.

Sicut homini juſto debetur auxilium gratiæ divinæ; ita injuſto, inimico, gravi peccatori, non ampliùs debetur.

Et infra hæc adnectit, in aſſertionis ſuæ confirmationem. X.
Creſcentibus peccatis, minuitur divina protectio, neq; Deo ita curæ eſt, vt eum à peccatis impoſterum cuſtodiat. Vnde ſinit varijs modis hominem tentari, & ab alijs quoq; rebus varias peccatorum occaſiones ingeri. neq; tantas in pugna vires ſuggerit. hinc fit vt majores difficultates homo in reſiſtendo in dies ſentiat, & in alia ac alia peccata miſer corruat, novis acceſſionibus quotidie ſuum onus cumulans. Imminuitur etiam excitatio: rariores enim ſunt divinæ inſpirationes, rariores & languidiores bonæ cogitationes, & piæ commotiones. evaneſcit omne bonum ſpirituale, & mens tota rebus terrenis immerſa, volutatur in cœno carnalium voluptatum; & niſi ſingularis Dei miſeratio præveniat, neceſſe eſt illum ſemper in pejus ruere. Neque tamen debetur impio ſingularis illa Dei miſeratio, aut convenientiſsima ſemper promovendæ ſalutis media; ſi in tempore communibus & ſufficientibus vti non vult, ſuâ culpâ perit.

Hinc apud flagitioſos, frequenter accreſcentibus tentationibus, decreſcunt inſpirationes, illuminationes, protectio Dei.

Atque ad hunc ſcopum, allegant aliqui interminantis Dei feralem ſententiam, quâ gentes olim impias, vrbeſq; fulminavit, ad XI.
pium multorum timorem. Ego dum verba profero, aures animoſq; cupio præſentes, improborum maximè, vt ſalubriter feriantur. *Hæc dicit Dominus: ſuper tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum; ſuper tribus ſceleribus Gazæ, & ſuper quatuor non convertam eum; ſuper tribus ſceleribus Tyri, & ſuper quatuor non convertam eum; ſuper tribus ſceleribus Edom, & ſuper quatuor non convertam eum; ſuper tribus ſceleribus Ammon, & ſuper quatuor non convertam eum; ſuper tribus ſceleribus Moab, & ſuper quatuor non convertam eum;*

Amos. c.1. a.v.3.

Menſura trium ſcelerũ apud Damaſcũ, Gazam, Tyrũ, Edõ, Ammon, Moab, Iuda.

Digitized by Google

eum; ſuper tribus ſceleribus Iuda, & ſuper quatuor non convertam eum; eò quòd abjecerit legem Domini, & mandata ejus non cuſtodierit.

XII. Ex quibus verbis nonnulli colligunt Theologi, poſſe aliquando hominem tam graviter, tamq; frequenter labi, atq; ad eam menſuram impietatis deſcendere, quâ poſitâ DEVS conſtituerit in vindictã ac pœnam, denegare ei copioſum illud, & efficax ad ſalutem auxilium: ſeu uberiorem, quam vocant efficacem gratiam; quod tãtundem eſt, atq; dicere, *non convertam eum*, ſed potiùs derelinquam: ut quaſi conſilium SS. Trinitatis ſuper ſceleſta anima, tale ſit, quale illud ſuper Babylone ſcorto: *curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam, quoniam pervenit uſq; ad cœlos judicium ejus, & elevatum eſt uſq; ad nubes.* Vbi iterum inculco, DEUM cujuſvis peccatori, dare quidem tantum auxilium, tantamq; gratiam, quæ ſufficiat omninò ad pœnitentiam, & plenam cum Numine reconciliationem: ſi poſt lapſum ſuum, homo eam per arbitrij libertatem applicare ſibi velit, & velut ſuam facere; interim tamen, quâ DEVS eſt oculorum perſpicácitate, clariſſimè videt, eundem cũ tali gratia, ex propria ſocordia, malitiaq; nihil acturum; acturum autem fore, ſi talem ac tantam contulerit, ſive cum talibus circumſtantijs, tali loco, tempore, occaſione tam opportunâ: ut ſi intellectum ejus illuminaverit ſplendidioribus radijs circa æterna; ſi pium in voluntate affectum potentiùs concitaverit; ſi reluctantem, prodigijs traxerit ad veram fidem amplectandam, vitamq; in melius mutandam; ſi bonum Angelum hortatorem ſubmiſerit, ſicut Cornelio Centurioni; ſi DEVS ipſe ex alto tonuerit, & fulmen in caput improbum torſerit: quali olim Saulus *adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini,* fulminatus fuit.

Vide Cornel. à Lap. in cap. 1. Amos ad. V. 3.

Significat certam peccatorũ menſuram, poſt quam impiorum aliqui non convertuntur.

Ierem. 51. 9.

Deo illis juſto judicio, negante gratiam copioſam, congruam, extraordinariam.

Act. 10. 3.

Act. 9. V. 1.

XIII. Hæc inquam, ſimiliaq; alia opportuniſſima, atq; efficaciſſima fore ad hujus, alteriuſq; impij converſionem media, DEVS optimus clariſſimè perſpicit: ſed quia nullâ legis neceſſitate, ad hæc danda obſtringitur; imò etiam tantis ſe favoribus indignum fecit, qui in ipſum ſceleratiſsmè, & frequenter injurius fuit, juſtiſsimâ ultione hos benevolentiæ ſuæ largiſsimos fontes, obſtruit. offert nihilominùs, quæ ordinaria ſunt, & communia omnibus ferè ad pœnitentiam, ſalutemq; auxilia; ſanas animi cogitationes, impetus melioris conſilij, abſolutiſſima pietatis alienæ ſimulacra, complura majorum hortamenta, graviſſima divini verbi tonitrua, domeſtici vermis juges aculeos, quotidiana miſerrimè pereuntium exempla. Fit igitur non ſemel, ut qui hæc talia, converſioni faciendæ, & beati-

Quandoq; homo, dũ non vtitur gratiâ ſufficiente, ſpoliat ſe ipſum efficaci, & perit.

tudini

Digitized by Google

tudini lucrandæ, ſufficientia excutit media, ſi ipſum ſimul cœlo excutiat; quandoquidem juſtiſsimus ultor criminum DEVS, uberiorē illam gratiam, benevolentiæ divinæ teſtimonium peculiare, certā ſalutis teſſeram, in pœnam, aut præteritorum ſcelerum, aut præſentium, ſubtrahere frequenter aſſolet improbo, tanquam immerito, ingrato, & (quod caput eſt) capitaliſſimo hoſti.

Sed illuſtrandæ huic doctrinæ, accipio Abſalonem, ſanctiſſimi parentis æternum probrum; qui vt auderet impius eſſe in Davidem, & de ſe meritiſſimo patri, diadema eripere Regium, priùs vitam abſtulit Ammoni fratri; ab his velut perfidiæ ſuæ rudimentis, graſſaturus ad incrementa ſcelerum. Neq; excuſavit Abſalonis facinus, præcipitatæ temeritatis pallium; vrbe excedere debuit Jeroſolymâ, quoſque graviſſimè parricidio offendit, paternos oculos fugere, & patriâ ſimul prohibitus, & parentis gratiâ. Tandem manſuetiſſimus Regum David, vt in alienos facilis fuit, ita ſe paſſus eſt flecti in ſanguinem ſuum; itaque condonatâ filio culpâ, poteſtatem fecit Jeroſolymam redeundi. Hic, ſi primus inter palatinos Regem vrſiſſet, vt Abſalonem reduceret cum pompa, equo regio, aut paterno curru invectum, ſtipantibus latera aulicis, ſatellite ad obſequia currente, adſtrepentibus inter publicas acclamationes tubis; credo abnuiſſet David: conteſtaturus palam, quòd indignum ſe fecerit Abſalon, his planè ſingularis gratiæ favoribus; inter maxima beneficia numerandum, præteritam ſe filij offenſam omnem, cum tota ejus pœna remiſiſſe. ceterùm nolle jam, benevolentiæ non meritæ, tam illuſtria dare teſtimonia: eſſe alios plures, & obvios Abſaloni modos, recipiendi ſe ad vrbem regiam; quibus ſi vti nolit, pervicacia cum ſua excluſerit. XIV.

Declaratur per comparationē cum Abſalone & David.

Eandem fere rationem tenet cum hominibus Deus; nam tametſi veniam concedat ſeriò deteſtanti prioris vitæ flagitia; quin etiam omnem pœnam apud inferos ſolvendam condonet, heu! quàm triſtem culparum appendicem! tamen non rarò, aliâ velut vltione animadvertit in præteritam impietatem; cujus occaſione atque intuitu, denique aufert ſcelerato illud peculiare benevolentiſſimi affectûs ſui argumentum, puta gratiam, quam in ſcholis appellant vberiorem, copioſam, congruam, efficacem. Huc quadrat melliti ſſimi Bernardi, neſcio ſuavior an ſanior admonitio; ijs facta mortalibus, qui dulcedine vitiorum abrepti, in mortis vicinæ tempus reſipiſcentiam, atque exhomologeſin tranſmittunt; periculoſè omnino, quia dubiam atque incertam. quod præclarè demonſtrat XV.

Applicatur ad Deum & hominē improbum.

 D. Ber-

D. Bernardus, ſuper illo Regij Vatis; *multiplicatæ ſunt infirmitates*
Pſal. 15. 4. *eorum, poſtea acceleraverunt.* Ejus tu verba in aures animumque admitte, quiſquis te, ſpe lubricâ paſcis, & fortaſſis tum elapſura tibi inter manus & vota, cùm conſtringere voles.

XVI. *Quid diſſimulant* inquit, *homines in vita ſua agere pœnitentiam, & extrema de confeſſione præſumunt? quomodo ſub vniùs horæ articulo, revocari poſſe æſtimant omnia animæ membra, cujus concupiſcentiæ & deſideria, per totum mundum ſparſa ſunt, & vbique terrarum, velut quodam viſco tenentur? Non dico (ait Dominus) quin & talium ſalvem aliquos, potens ſum enim in momento omnia revocare: ſed non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus, id eſt, qui in ſanguine perſeverant, donec multiplicatis infirmitatibus, deſerantur à peccatis, antequam deſerant ea; non magna talium conventicula congregabo. Noli ergo huic tam periculoſæ expectationi credere temetipſum. Et quidem ſpiritus non modo vbi vult, ſed quando vult ſpirat; nec ei difficile eſt de ſubito perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alij conſequuntur. Sed vnde ſcis, quod tunc ita tibi ſubvenire velit, quem tu interim ſic repellis? benignus quidem eſt ſpiritus ſapientiæ, ſed non liberabit maledictum à labijs ſuis. Audi quis ille ſit:* MALEDICTVS QVI PECCAT IN SPE. Quibus verbis illuminatiſſimus pater inſinuat, poſſe denique toties, & tam turpiter, modiſque adeò indignis, ab impio homine DEVM offendi, vt eidem in juſtiſſimam pœnam neget efficacem, copioſamque illam gratiam, quam maximè ſub mortis articulum deſiderabit; relictis interim ſufficientibus ad ſalutem auxilijs, quibus tamen neque hilum promovebit, propriæ culpâ inertiæ, & obſtinati animi vitio.

S. Bern. ſer. 38. inter parvos.

Pſal. eod. 6. 4.

Nemo ad extrema debet remittere pœnitentiam, quia neſcit an divina bonitas toties repulſa, ſit tunc datura gratiam efficacem.

XVII. Hactenus oſtendi, quâ ratione ad plectendam humanæ temeritatis malitiam, divina bonitas manum ſuam priùs explicatam, contrahat in pugnum, & amplioris gratiæ beneficia ſubducat ingratis. Nunc aliud tractabo vindictæ genus, quo DEVS inſigniter facinoroſos ſolet flagellare; & conſiſtit in laxata dœmoni poteſtate, ad texendas ijs inſidias, fraudeſque copioſiores. Documento eſſe poteſt Rex Achab, obſcurus orbi futurus, niſi eum ſcelera ſua reddidiſſent famoſum. Sed quantò magis per impietatem hominibus inclaruit, tantò exoſior DEO factus, debuit pœnas dare, & plecti immaturâ morte. Quia verò Achab jam cogitabat armatâ manu, Syris eripere Ramod Galaad, vrbem quondam Iſraelitici juris; Micheæ Prophetæ objecta eſt ſpecies, humanis

Etiam in pœnam & vindictam ſcelerum, permittit Deus non rarò ampliorem poteſtate dœmoni in auctorem eorū impium.

manis quaſi ſenſibus attemperata. DEVS enim, qui interdum per bonos, nonnunquam per malos ſpiritus, decretum in improbos exequitur; Judicis more ac velut pro tribunali, ſtipatus apparuit frequenti Angelorum ſatellitio: & à dextris quidem candidi, à ſiniſtris nigricantes ſtabant ad obſequia. Totius conſultationis cardo vertebatur in hac quæſtione: *quis decipiet Achab Regem Iſraël, vt aſcendat & cadat in Ramod Galaad?* Iamque ibant per ordinem ſuffragantium vota; cùm ecce tibi, veterator genius memor artificij, quo multos dudum perdiderat mortalium, in ſpem certam Numini ſe offert, & quaſi juratò conteſtatus, *ego decipiam illum: ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* Neque prohibuit DEVS Stropham conſultoris ſtygij. itaque ille ſibi ipſi applaudens, properavit ad Regis interitum fraudulentus impoſtor. Interea Achab quoque ſenatum cogit, & ſeriæ deliberationi prophetas ferè quadringentos adhibet; qui ſimul vt juſſi ſunt conjecturam facere, divinationemque ſuper belli exitu, quia jam ſingulorum fauces occupaverat cacodæmon, nihil aliud loquebantur, quàm patris ſui verba, mera mendacia, confictos triumphos, victoriaſque. Certè Achab, hoſtili exanimatus ſagittâ, & tum didicit vana fuiſſe ſuorum vaticinia, & hodie docet ſplendido ſe mendacio Sathanæ, victum triumphatumque perijſſe. vtinam ſemel tantùm, & non cum duplici jactura, corporis animæque.

3. Reg. 22.

Patet exemplo Achabi, ſceleſti Regis in Iſraël.

XVIII. Ad eum igitur modum, quo DEVS olim Achabum (ingens Iſraëlis ſcelus) in pœnam flagitiorum ſuorum, fraudibus ſubjecit mali genij; factâ eidem poteſtate ampliore, circumveniendi caput impium, in propriam necem: ita hodie complures, non abſimili ſuæ improbitatis vindictâ, exponuntur inſidijs Orcinianis; quibus ſi anima intercipitur ad ruinam, jam feſtivus it plauſus totâ ſtyge, lugubris toto quaſi cœlo comploratio, ſuper interitu tam nobilis creaturæ. Et quidem commune vniverſi generis humani malum eſt, quod deſcribit Beatus Petrus Damiani, cùm ait: *in hoc vitæ mortalis itinere gradientibus, multæ ſupponuntur inſidiæ, diverſa occultus hoſtis ſcandala contegit, multa viſcaria ſtruit, plures laqueos atque tendiculas, noſtris quotidie greſſibus anteponit.* Videtur devotiſſimus Deo vir, & oculatiſſimus ad diabolicas machinationes, Luciferum comparare cum ſedulo venatore, piſcatore, aucupe. Venator multiplices foveas parat lupo, quas gramine, ceſpite, folijs, ramis obſtruit, tegendæ fraudi. ſupernè autem cadaveris

Experiuntur idem malum, complures alij mali.

B. Petrus Dam. Epiſt. lib. 1. epiſt. 10.

fru-

fruſtum ſuſpendit ex ramo; quod cum beſtia ſaltu petit, caſum ſibi facit exitiabilem. Piſcator etiam paſſim in aquis tacitas diſponit inſidias, fiſcellas ex ſalicibus contextas, ligneos carceres; quorum anguſtias cùm intrârunt piſciculi, nullũ ampliùs reperiunt exitum. Et quot modis illudit avium ſimplicitati, aucupis aſtutia? jam illecebroſam obtrudit eſcam, vt in retia inducat; jam fiſtulâ & cantu pellicit, ad doloſum ſcipionem; jam ex arbore ſuſpendit illaqueando collo, fallaces ſetas; jam virgulas tenaci inficit viſco, vt quibus ad libertatem volare ſolet, pennis ſuis imprudens hæreat avicula. Hæc ferè ratio eſt, quam tenet omnis Orcus fallendæ animæ; pro hoc fruſtulo & portione deſudat vniverſa dœmonum induſtria; hîc ingenioſi ſunt venatores, indefeſſi piſcatores, laborioſi aucupes; nuſquam non laqueos, tendiculas, viſcum, foveas ponunt, voluptates inquam ſcelerum, blanda in interitum illicia.

Sathan in decipiendis hominibus, imitatur aſtutiam Venatoris, Piſcatoris, Aucupis.

XIX.

Sed væ! illis maximè hominibus, quorum impietate provocata in vltionem Dei pietas, ad pœnam eorundem, permittit copiam Sathanæ, vt quoties ei libuerit, liceat tẽtare aleam pugnæ, clandeſtinis apertiſque molitionibus. Itaque ſicut ſacra pagina memorat, poſtquam malus dœmon poteſtatem accepit exercendi conſtantiam Iobi, alia alijs mala ſucceſſerunt, vixque interrupta fuit ſeries damnorum, quæ peſſimus faber, Lucifer cudit, expugnandæ patientiæ, & frangendo adamantino viro, virique maſculo animo. ſic omnino, cùm ſemel laxatum eſt frenum ſtygi, factaque poteſtas major inſectandi improbam, profligatam hominis mentem, aliæ ſuper alijs nectuntur inſidiæ; nulli tunc Genio malo, licet feriari; omnes ſtruendis ad malum occaſionibus, parandis cuniculis, diſponendis periculis, continuò laborent oportet: vnus omnium ſcopus eſt, fallere animam & ſubruere.

Maximè verò cùm à Deo majorem accepit poteſtatem cõtra aliquẽ, in vltionẽ impietatis præteritæ, ſedulus & negotioſus eſt.

XX.

Quo in deceptionis genere, potiſſimùm cacodœmonis artificium eſt, offundere tenebras animo, quibus peccator velut excœcatus, eò promptiùs in ſuum eat periculum. Et vide, ſi non fraus iſta (pernicioſo oppidò) intervenit, quo tempore multi gentilium fidem negârunt, Apoſtolis Evangelij doctrinam promulgantibus. *quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum* (Paulum hîc audis loquentem) *in ijs qui pereunt, eſt opertum, in quibus Deus hujus ſæculi excœcavit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Evangelij.* Dat cauſam Apoſtolus, cur Evangelium Chriſti, tot ſignis confirmatum, tot prodigijs illuſtratum, à multis tamen, velut commentum anilium fabularum, paſſim fuerit exploſum. nempe tartareus ſpiritus,

Primariũ ejus tum ſtudium eſt intellectũ in fide excœcare.

2. *ad Corint.* 4. 3.

cui

Digitized by Google

cui velut DEO, quàm plurimi eo ſæculo mortalium litabant, tantam induxit mentibus cœcitatem, vt neque tam claros, tam teſtatos, divini luminis admitterent radios. Eædem ſunt hodie non paucorum tenebræ, quos ubi cacodœmon turpiter exoculavit, nunquam accipiunt ab Eccleſia Catholica, Chriſti ſponſa, articulos fidei oblatos.

XXI. Sed illud longè miſerabiliùs eſt, quoſdam pro orthodoxæ religionis confirmatione, paratos ſanguinis ſui dare pretium, cœcutire interim in quibuſdam ejus dogmatibus, nec apprehendere, ſicut debent. Vitium hoc eſt eorum imprimis, qui caliginem amant, & noctem ſceleribus ſemper amicam; vt facilè ſit principi tenebrarū, hîc nebulam vendere, & pro ſincera veritate falſam opinionem obtrudere. Itaq; ſunt, qui nihil moventur brevi illo, ſed ſuaviſſimo Davidis cantico, commendantis cœleſtis Ieroſolymæ gloriam, cùm dixit: *glorioſa dicta ſunt de te civitas DEI*: ſolum illis hoc luteum, longè videtur cœlo pulchrius, ſed videtur tantùm, non eſt. Sicut etiam, quos multum præ æternis ac cœleſtibus delicijs, afficiunt hujus orbis gaudia: de quibus ſi ſenſum exquiramus Divorum, clariſſimè pronunciabit Paulus; *Omnia arbitror vt ſtercora*, vt quiſquilias vltimas, & viliſſima retrimenta, digna quæ infimorum vernularum pedibus conculcentur. Ex eodem fonte naſcitur illa eorum perſuaſio, quibus peccatum lethale minus habet deformitatis, quàm nævus in facie, gibbus in dorſo; imò nota ſtigmatis, infami inuſta ferro, patrati ſceleris inſigne. Quidquid Cantuarienſium Pontifex D. Anſelmus occlamet: *Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & neceſſariò vni eorum immergi deberem; priùs infernum, quàm peccatum optarem.* Eſt & illa plerumq; impiorum peſſima opinio, etiam cùm DEVS modis inſolitis illabitur animo, perſuaſurus reſipiſcentiam, nihil fieri debere; totam in futuros ſoles, & ſera tempora eſſe reijciendam.

Aut ſaltem in quibuſdam fidei articulis ac veritatibus, tenebras offundere.

Pſ. 86.3.

Ad Philipp. 3.8.

Præſertim autē nolle credere, ſtatim accelerandā eſſe pœnitentiā, etiā cū Deus inſolitis modis hortatur peccatorem.

XXII. Ita quondam ſenſit, egitq; Gulielmus Comes Iuliacenſis, ſæculo ſuo vix aliunde magis notus, quàm à turpi libidine, crudeli tyrannide, inſolentiſſimis moribus. eſt enim hæc etiam quorundam inſania mortalium, vt cupiant per flagitia orbi innoteſcere, quaſi ex probris ſuis poſſint laudem mereri, & admirationem apud viros cordatos; nam hîc ad viles animas, & plebeculæ humiles ſenſus velle deſcendere, vilis animi plebeique, ne dicam ſtulti, eſt indicium. Sed nunc audiamus, quibus è cœlo vocibus magnus DEVS, Wilhelmum cohortatus ſit, vt projectiſſimam vitam mutaret cum religio-

Ita Gulielmus egit, Comes Iuliacenſis.

 ſiore.

Cæſarius l. 12. cap. 5.

ſiore. Eo igitur die, qui ipſi natalis fuit, cùm tribus ex ordine ſacris adſiſteret, evenit, vt divina bonitas chorum in cœlo juberet coire, ac Wilhelmo tribus vicibus pro ſacrorum numero accinere. Ah! qualis tunc muſica demulſit viri aures, quando non humana, ſed Angelorum concertabat ars, lingua, vox; moderante cantum DEO, non tam manûs imperio, quam ſolo oculorum nutu! Et ſanè, adeo ſuaviter affecit hæc inſolita hominem ſimphonia, vt Engilbertum, Colonienſis Eccleſiæ Præpoſitum, admirabundus interrogaret; num eundem ſecum perciperet concentum, divinum aliquid ſonantem? Dum verò is negaret, & adhuc obſtupeſceret Wilhelmus ſuper ea muſica, quam ſibi jam tertiùm velut è cœlo allapſam credebat, cum juramento affirmavit, ſi frui & quartùm poſſet, paratum eſſe ſuis ſe bonis abdicare, & hoc velut pretio tam blandam, tamq; cœleſtem auribus ſuis emere cantilenam.

Nihil emẽdatus cœleſti Angelorum cantu.

XXIII. Eſt, quod hîc non nemo objicere poſſit. quid enim olenti hirco cum balſamo? aſino cum ſtacte & caſia? vaccæ cum amaricino? cum margaritis porco? Wilhelmo Comiti in humum & lutum defixo, cum vocibus cantuq; Angelorum? ſed reſpondet Cæſarius, hiſtoriæ præſentis narrator, in hæc verba. *Huic DEVS, qui miſericors eſt, vt eum à peccatis revocaret, aliquid gloriæ ſuæ oſtendit.* Nempe guſtum facere voluit optimus DEVS, peſſimo homini; vt ſciret quantùm ſaperent cœleſtia præ terrenis accipere conjecturam potuit, ex beatorum concentu Geniorum, quem vt ſatis audiret, totus jam auris fieri Wilhelmus deſiderabat. Sed quod maximè facere debuit, vnum neglexit: ſigna impietatis deſerere, ad frugem ſe recipere, & ſanctiori vitâ commiſſos ſupra errores corrigere. certè huc ſpectabat omnis illa artificioſa cœlitum harmonia, tota eorum modulatio, fuit invitatio ad emendationem. nihil tamen profecerunt nobiliſſimi phonaſci, ſurdo cecinerunt fabulam, imò & cœco; impetrante Sathanâ ab eo, vt miraretur potiùs inſolentem muſicam, & ſupra humanas fides, voceſq; blandam, quàm ejus ſcopum penetraret. multa fortuitò accidere, quorum cauſæ arcanæ ſunt, & velut in occulto latent homines.

Quo tamẽ peſſimum hominem, optimus Deus ad meliora conatus eſt avocare.

XXIV. His, ſimilibuſq; argumentis, in magnas tenebras, ipſamq; cœcitatis voraginem, inductus miſerè Wilhelmus, excuſſâ quam nuper audierat, ſimphoniæ memoriâ; perſeveravit ire ad priorem ſemper mentem, ſeq; quotidie profundiùs, ex vno vitio in alterum trudere; donec tandem etiam in fatali morbo, pœnitentiam ſuam aut diſſimulaturus, aut pro more procraſtinaturus, caſu irrevocabili,

Surdũ cœleſtis cantilena nihil promovit ad reſipiſcendum.

lapſus

Digitized by Google

lapſus eſt ad tartara; vbi qualem ipſe ſibi leſſum canat (in vindictam neglectæ olim cœleſtis harmoniæ, ſalubria monentis) colligi poteſt ex propria ejus confeſſione, quam fecit Virgini DEO ſacræ, jam mortalitate ſuâ exutus. Rem Cæſarius ſic conteſtatur. *poſt mortem ſuam cuidam incluſæ, cui benefecerat, viſibiliter apparens, vultu lurido ac macillento, ait: Ego ſum miſer Wilhelmus, quandoq; Comes Iuliacenſis. quem dum illa interrogaſſet de ſtatu ſuo, reſpondit: totus ardeo: & cùm levâſſet veſtem viliſſimam, quâ indutus videbatur, mox flamma erupit; ſicq; cum ejulatu diſparuit.*

Donec inter ſcelera, à morte & inferno occupatus, obrutuſq; fuit.

XXV. Itaq; jam Wilhelmo pro cantilena, eſt ejulatus ſuus, & hæc lugubris nænia: *Ego ſum miſer Wilhelmus*; quodq; dolorem inter flammas poſſit accendere, addit: *quandoq; Comes Juliacenſis.* Fortunæ hoc prioris teſtimonium eſt, ſed infelicitatis quoq;, debere ejus meminiſſe, cujus cum vita jacturam fecit inter ſcelera. Mors ei ſuſtulit omnem pompam, omnem magni ſplendoris apparatum; ſive qui ex auro conſurgit & gemmis, ſive qui ex magnificis ſubditorum compellationibus, humilibus famulantium obſequijs, magnis adulantium clientelis naſcitur. Neque in his ſolùm mors ſpolijs ſtetit; etiam Wilhelmo ademit, quibus per omnem vitam aſſueverat gaudia, malas delicias, illecebras voluptatum, ad Numinis injuriam frequentatas. Denique eum exuit poteſtate ſuâ, hereditate quam accepit à majoribus, velut publico malo, atq; in damnum innocentium. Iamq; ex omnibus, quibus olim Wilhelmus circumfluxit bonis, nihil habet reliquum, præter vnam miſeriam; imò non unam, ſed multiplicem; qualem orcus devotis ſibi victimis, ſolet in prœmium elargiri. Itaq; hic leſſus eſt, hoc carmen lugubre, quod ſemper cantabit apud inferos, & nunquam cantando abſolvet: *Ego ſum miſer Wilhelmus.* brevi felicitati ſucceſſit longa miſeria, quia æterna.

Iamq; leſſus, quem ſibi ipſe cantat, hic eſt. *Ego ſum miſer Gulielmus, quãdoq; Comes Iuliacenſis.*

XXVI. Sed quo tandem infortunio, ad iſtud malorum extremum, prolapſus eſt homo, teſtimonio ſuo miſer? exiſtimo illi accidiſſe, quod cuipiam alteri ſcelerato, Chriſtus apud D. Brigitam eveniſſe commemorat, hâc brevi affirmatione: *ex voluntate quam habet eſſe in peccato, & ex delectatione illius, ſic aucta eſt poteſtas diaboli in eum, quòd nec lenitas verborum, nec auſteritas minarum, nec timor gehennæ, poteſt eum revocare.* Ita factum fuit Comiti Wilhelmo; ita fit hodieque compluribus alijs, qui flagitijs ſuis tum magnis, tum continuis, contra ſe ad indignationem provocant DEUM, vt denique per eum laxato cacodœmoni freno, turpiſ-

In revel. S. Brigitæ l. 1. c. 32.

Miſerum eum fecit, aliosq; facit excæcatio diaboli, & propria mentis induratio.

turpiſſimè non tantùm faſcinentur; ſed etiam toto corde ſuo, velut in durum marmor lapideſcant. *Quid eſt* (inquit S. Bernardus) *cor durum?* & reſpondet quæſtioni ſuæ: *id ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur.* Clariſſimum nobis documentum eſt Ægyptiorum Rex Pharao, qui à Moyſe admonitus, vt juſſa Numinis faceret, detrectavit: cùm accederent minæ, etiam obſtinavit. Vbi elementa contra refractarium pugnare cœperunt, & elementorum Dominus in Pharaonem flagellis varijs animadvertere, tum enim verò omne ejus cor obduruit in ſaxum; neque etiam inter vndas rubri Maris, quibus hauſtum fuit, molleſcere voluit. Et hæc miſerrima pereundi ratio, ab ijs repetitur mortalibus, qui poſt gravia ſcelera inter Sathanæ fraudes ac tentamenta, ſe ipſos quaſi excœcant obdurantque, cùm poſitivè nolunt recipere divinas illuminationes, alijſq; ad ſalutem neceſſarijs vti medijs. qua de re infra pluribus agendum erit.

S. Bernardus l. 1. de conſid. ad Eugenium.

Exemplo Regis Pharaonis Ægyptij.

XXVII. Atque ex hac tota diſputatione manifeſtiſſimè patet, nihil ſibi admodum blandiri poſſe ſceleratos mortales, neque longæ ſuæ impietati ſupponere fulcri vice, divinæ ſemper gratiæ præſentiam efficaciamque: quando ſæpiſsimè DEVS in pœnam malitiosè peccantium, & ampliorem dœmoni poteſtatem facit, inſidiandi eorum infirmitati; & ſui inſuper copioſioris, vberioriſq; favoris ſubſidia imminuit; vnde poſtea non pauci vitio ſuo, fatalem incurrunt & mentis cæcitatem, & obſtinationem cordis. Vnde vel ob hanc cauſam (Leſsium adduco) ſapientiſsimè dictum eſt à ſapiente: *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu. Etſi enim conſtaret eſſe ita condonatum, vt nihil ampliùs tibi pœna reſtet luendum; tamen non conſtat, te propter illud non puniendum pœnâ permiſſivâ, vel negativâ, ex qua grande malum poteſt provenire: hac enim pœna ſæpè eſt occaſio damnationis. Innumeri enim cum majoribus auxilijs, perveniſſent ad ſalutem, qui cum minoribus excidêre; quibus fortè majora illa præparata erant, & conferenda fuiſſent, niſi peccata aliqua gravia interveniſſent, per quæ prima illa diſpoſitio fuiſſet mutata & inverſa. Idem dico de tentationibus. plurimi enim ſalvati fuiſſent, niſi certis quibuſdam tentationibus, DEVS eos pulſari permiſiſſet, per quas fuêre ad interitum pellecti; quas ille tentationes non permiſiſſet, niſi id prioribus peccatis meruiſſent.*

Nemo improbus impietatem ſuam fulciat, divinę gratiæ pręſentiâ & efficaciâ.

Leſsius de perfect. div. lib 13. c. 15. Eccleſ. 5.

Quia in pœnâ culparũ præteritarũ. & Deus aliquãdo negat efficacẽ gratiã, & permittit Sathanæ tentationes ad hominis interitum.

XXVIII. Neq; verò ex hac doctrina, puſillanimitatis ſibi laqueum debet texere, qui hactenus licentiùs vixit, atq; ad leges corrupti ſæculi; nã

Hæc doctrina, nulli

cò

eò tantùm collineat, vt excitatus à veterno impius, diſcat pro cœlo ſolerter laborare, & noxiam temeritatis proterviam, cũ ſalutari metu commutare: deniquè pio conatu, iterum ea apud DEVM mereri gratiæ auxilia, quæ præcedentium intuitu ſcelerum, juſtiſſimus Deus ſtatuit ſubtrahere in vindictam. Ita ſe ipſum explicat, quem modo produxi Leſſius, cùm ait. *Nemo ſecurum ſe putet, ſed cum timore ac tremore, vt Apoſtolus monet, ſalutem ſuam operetur; priſtinas negligentias novo fervore redimens, & priora peccata, quibus Deum offendit, magnis pro gloria Dei, & ſalute proximi officijs compenſans, & aſſiduis precibus veniam & miſericordiam flagitans. Sicut enim peccatis meruit, vt Deus ei peculiaria quadam auxilia ſubtraheret, & tentationes aliquas, ſpiritualeſq; afflictiones obvenire ſineret; ita ſtudio bonorum operum, & orationis aſſiduitate, obtinere poteſt, vt noxiæ tentationes avertantur, & majora auxilia, quibus ad ſalutem dirigatur aptiſſimè, conferantur.* Hæc quiſquis seriò legit, ſæpius meditatur, ad fundum quoque penetrat; facilè impietatis ſubruet fulcra, vniquè innixus Virtuti, faciet promptè, quod olim juſſus fuit Abraham: ſolicitè ambulare cum Deo ſuo.

diu ſcelerato debet laqueum puſillanimitatis nectere.

2. *ad Corinth. 7.*

Sed potiùs ſtimulum addere ad maturandam converſionem.

PARAGRAPHVS III.

Tertium Impiorum Fulcrum, EXEMPLA EORVM, Qui poſt gravia ſcelera tandem ad frugem, mentemq; redierunt: Quantas vires habeant, perſuadendæ facilis olim pœnitudinis?

GLadiatorem in arena capere conſilium, vetus eſt proverbium. aliquid enim adverſarij vultus, aliquid manus mota aliquid ipſa inclinatio corporis, intuentem monet. Et audio ante annos non multos, ſimium in gladiatoria peritiſſimum, quoties ad congreſſum provocatus fuit, armatum dupli- I.

Simius hominis imitator, & gladiator.

 ci fer-

ci ferro, atque in pedes erectum, non tantùm ſciviſſe doctiſſimâ agilitate exire ferientis ictum; ſed inferre quoque, modò cœſim, modò punctim, non expectata vulnera, ridente ſæpius Belgio (cujus oculis hæc ſtataria pugna in ſpectaculum data fuit) & applaudente turpi ſimio, quoties beſtia hominis victor, corollam abſtulit.

II. Iam ſupra monui, non omnes homines, verè eſſe homines: aliqui ſimij ſunt, & præter humanam effigiem nihil hominis habent. *Eſt qui ſolo nomine ſit homo* (Beati Petri Damiani adfero gnomen) *eſt qui re ipſâ & veritate, ſit homo. Audi Salomonem: Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo. Deum verò timere, eſt cuncta quæ* DEVS *prohibet, execrando & abominando contemnere. Mandata illius obſervare, eſt omnia quæ præcipit, operibus exercere. Ille ergo* DEVM *timet, qui ſatagit cavere, quod prohibet. Ille mandata ejus obſervat, qui ſtudet implere quod imperat.* DEVM *ergo time, & mandata illius obſerva, hoc eſt enim omnis homo. Ac ſi perſpicuè dicat: qui non ſtuduerit cavere prohibita, qui neglexerit implere præcepta, quia ratione caret, vocabulum quidem hominis habet, ſed hominis eſſe non habet; quia non veraciter vtitur virtute nominis, quo cenſetur.*

B. Petrus Damiani Epiſtolar. lib. 1. epiſt. 17.

Quidam homines non homines, ſed ſimij ſunt; & aliquid hominis.

III. Itaque multi in terris homines, non veri ſunt homines; quia tamen aliquid hominis, hoc eſt, humanæ ſpeciei imaginem habent, ſimij ſunt; & quidem nonnunquam pugnaces, armati contra veritatem, ejuſque aſſertores. Iamque arbitror ex horum numero aliqui, contra me in pedes ſurgunt, iiſdem armis mihi facturi vulnus, quibus eos petij. Nam quoniam tum ex ratione, ſcripturaque, tum eruditiſſimi Leſſij authoritate oſtendi, conſueviſſe DEVM peccata impiorum caſtigare (velut graviſſimis pœnis) imminutione protectionis ſuæ, adverſùs multiplices dœmonum technas; quin etiam ſubtractione vberioris, atque efficacis gratiæ; ejuſdem Doctoris verba, nonnulli ex flagitioſorum ordine, velut in jugulum meum ſic retorquent. *Hæc pœna non eſt certâ aliquâ lege ſtatuta, ſed arbitraria. non enim* DEVS *cum omnibus eâ vtitur, ſed adhibet illam vbi, & quando vult, & prout ipſi placuerit. Quibuſdam enim poſt maxima peccata, ſtatim confert majora auxilia; vt vbi abundavit iniquitas, ibi abundet gratia; nec ſinit illos magnis tentationibus concuti.*

Quidam pœnitentiæ ſuæ procraſtinatores, tuentur ſe doctrinâ & conſolatione Leſſij.

Leſſius lib. 13. de perfect. div. c. 15.

IV. His Leſſij verbis, mirum in modum ſibi non pauci blandiuntur impij, voluntque evincere, eos etiam, qui perſeverant temere in malitia, ſuamq; pœnitudinem ac emendationem, quotidie differunt

ferunt

ferunt in futurum aliud & aliud cras, tam propinquos non eſſe damnationis periculo. nuſpiam magis clementiam Numinis commendari, quàm in eorum conſervatione, quos jam Orcus ſpe ſuâ devoravit. ex medijs ſtygij draconis faucibus eripere miſellam animam, opus eſſe pulcherrimæ charitatis, ac Deo dignum. Deniq; miſerationes divinas nullis circumſcribi terminis, nullis carceribus includi poſſe, ſed creſcere cū cuiuſvis hominis neceſſitate; imò etiam tum ſplendidiùs elucere, quando cauſa improbi deſperata eſſe creditur, & tota ejus ſalus depoſita.

Fundari in miſericordia Dei.

V.

Atque vt plauſum ſibi majorem faciant, quibus ſemel ſuavis fieri cœpit impietas, confirmant ſtabiliuntque ſuam fiduciam, luculentis eorum teſtimonijs, quos DEVS vel in medio vitiorum curſu, modis admirandis reduxit ad piam mentem; vel cùm jam ſub mortem, in præcipitio ad inferos ſtarent, à caſu revocavit, pietate inexplicabili: & quod palmarium eſt, cœlis intulit, vnde timeri lapſus non poſſit ampliùs. Neque opus putant recurrere ad Magdalenam, quam DEI Verbum verbo ſuo, atque adhortatione brevi emendavit, jam in publica ſcelera effuſam; neque Paulum, quem Chriſtus è cœlo conveniens, brevi colloquio, vnoque fulmine, ex lupo in agnum, ex hoſte in amicum, ex perſecutore Chriſtianorum in paſtorem, Eccleſiæque ſuæ Apoſtolum mutavit; neque latronem illum in crucis patibulo expirantem, quem Servator ex infami ligno tranſtulit ad paradiſum; habent recentioris fidei exempla, quæ proferant in opinionis ſuæ confirmationem, cujuſmodi eſſe poſſunt ſequentia.

Et eorum exemplis Impiorum, quos divina bonitas ante mortẽ ad frugem revocavit.

VI.

Mutius vir quondam genere Ethnicus, conditione ac fortunâ latronum princeps, quem facinora ſua fecerunt orbi celebrem: cùm aliquando appararet, nocturno ſilentio ſacrum parthenonem compilare, inter ipſos conatus ac molitiones penetrandi domicilij, gravi oppreſſus ſomno eſt. ibi tum rapi ad divinum tribunal ſibi viſus, ſupplicia ſuis facinoribus jam parata intellexit, niſi celeri pœnitentiâ, ipſi ſibi jus dixerit. Mutius, vt evigilavit è triſti ſomnio, rectà ad religioſos profectus viros, animæ medicinam eos popoſcit. Et accepit pro rudimentis ſpiritualis magiſterij, vt ex prima Davidis oda, has ſtrophas tres, non tam memoriter diſceret, quàm opere exerceret. I. *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* II. *Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* III. *Et erit tanquam*

In Vitis PP. ſpecul. Exempl. diſt. 11. Exemp. 10. Faſti Mariani ad 25. Maij. Mutius latronum princeps, objecto Chriſti tribunali, emendatus eſt in vita.

Pſal. 1. v. 1. 2. 3.

lignum

lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Ad hanc amuſſim cùm vitam probè exigeret Mutius, Superi adeò, ejus vlteriùs erudiendi provinciam ſuſcepe-runt; à quibus probè expolitus, ipſe quoque ſcholam aperuit, factus ex latrone Virtutis magiſter. Et ſanè approbavit pulchram hominis diſciplinam Deus, juſſuſque eſt ſol eum revereri, velut novum Joſue; ita curſum ſuum moderando, vt non ante occumberet, quàm ille tugurio diſcipuli ſucceſſiſſet: quem præter ſpem defunctum cùm inveniſſet; rogavit familiariter, an redire in vitam vellet? abnuentem valere juſſit, & tumulo compoſuit.

Quin etiã alijs ſcholam aperuit Virtutis Magiſter.

VII. Eſt & illud acuendæ in Deum confidentiæ, admirabile argumentum, quod portenti inſtar ad memoriam poſteritatis, annales ſocietatis conſignârunt. Indus aliquis, homo inquieti animi, & ad extremum perditus; cùm creſcentibus in dies vitijs, eò proceſſiſſet, vt nullum ſibi videretur receptum habere ad pœnitendum, in dolorem vltimum, furoremque converſus mori deſtinârat. ſe igitur in fluvium rapidiſſimum jacit; ſed cùm relabentium vndarum impetu, atque innoxio volumine, in littus fuiſſet rejectus, certus relinquendæ vitæ, in ſiluam penetrat, nutricem ferarum; vt quem reſpuerant aquarum fluctus, vorarent beſtiæ. Immane dictu, & quod propè ſuperat fidem; tigrides, leones, pantheræ, aliaque id genus animalia (quibus ſcatebat ſilva) humanum licet ſitiant ſanguinem, & carnibus veſcantur: cùm viſo homine paululum conſiſterent, fugam rapiebant. At ipſe in ſe crudelior, quàm fuerant immanes feræ, præ ardore iraque non compos ſui, cùm leænam vidiſſet catulis incubantem, acceſſit impudentiùs, vt eam irritaret catulis abreptis. Sed illa, non violentiâ mota, non injuriâ accenſa, raptorem ſequitur lento paſſu, perinde vt ſe feram eſſe oblivi-ſceretur, matrem meminiſſet; dum tandem ipſo confidente, apprehenſos mordicus catulos, in vaſtam ſolitudinem retulit, concito curſu. Stupor animum, & quidam veluti torpor tenuit membra mirantis; tum verò ad ſe rediens, quid cogitas hominum profligatiſsimè? ecqua erit finis miſeriarum tuarum? ſi res carentes ſenſu te repudiant, refugiunt rationis expertes? nempe maculari metuunt aquæ abſorpto, feræ ablato corpore tam infando; quin tuas ipſe ſordes confeſsione abluis, & vitam emendas? hæc ille ſecum. Sed graviſsimum eſt imperium conſuetudinis. cùm extitiſſet nova peccandi occaſio, effudit omnem memoriam optimarum cogitationum, in graviora ſe ſcelera immerſit. Dein iter facienti, oblata eſt

Annua. Societ. anni 1589. in provinc. Peruana. Collegio Peruſino.

Hominem ſceleratum averſantur & aquæ, quibus ſe merſerat; & feræ, quibus ſe in prædam objecerat.

Hinc ei injectum eſt propoſitum de facienda confeſſione.

eſt ſemel atq; iterum, facies horrenda, & vox accidit ad aures: quantum te ſuppliciorum commeritum putas tantis ſceleribus? jam tandem tibi gladium per viſcera exige, & infelici dexterâ occumbe. His viſis, auditiſq; ad nos accurrit, ita perturbatus & pavens, vt non color, non vultus ei conſtaret; nec priùs abijt, quàm alteram inſtitueret rationem vitæ, priore detectâ.

Placet tam prodigioſè ad pœnitentiam ſervato homini, adjungere alium, qui plenus vndiq; criminibus, nullâ vnquam vſus fuerat exhomologeſi; eam poſtea, vbi jam morti propinquus, cum ſincero ſuper peccatis dolore, admiſit in animum, ſimul ipſe in cœlum admiſſus eſt. Hiſtoriæ huic fidem S. Brigita facit, inter cujus revelationes continetur totidem verbis. *Quidam magnus Dominus ſecundùm mundum, qui diu non fuerat confeſſus, graviter infirmabatur. Cui compatiens ſponſa* (S. Brigita) *orabat pro eo. Chriſtus verò apparens tunc ſponſæ, loquebatur ei dicens. Dic confeſſori tuo, vt iſtum infirmum viſitet, audiendo confeſſionem ejus. Cui venienti reſpondit infirmus, non ſe indigere confeſſione, teſtans ſe ſæpiſſime confeſſum. Iterum verò ſequenti die, jubetur à Chriſto confeſſor redire. qui veniens ad infirmum, ſimile ſicut priùs, recepit reſponſum. Tertio autem die, iterum veniens confeſſor ad infirmum, ex revelatione Chriſti ſponſæ facta, ſic dixit ei: Chriſtus filius* DEI *vivi, & diaboli Dominus, dicit tibi. Tu habes in te ſeptem dæmonia; vnus ſedet in corde, ligans illud, ne de peccatis compungaris; ſecundus ſedet in oculis, ne videas vtiliora animæ tuæ; tertius ſedet in ore tuo, ne loquaris ea, quæ ſunt ad honorem* DEI; *quartus ſedet in inferioribus tuis, ideo dilexiſti omnem impuritatem; quintus eſt in manibus tuis & pedibus, ideo homines ſpoliare & interficere non verebaris; ſextus eſt in interioribus tuis, & ideo gulæ deditus es & ebrietati; ſeptimus eſt in anima tua, vbi* DEVS *ſedere deberet, & modò ibi ſedet diabolus, inimicus ejus. ideo pœnitere citiùs, quia adhuc* DEVS *propitiabitur tibi. Tunc infirmus ille, cum lacrymis reſpondit: quomodo mihi perſuadere poteris veniam, qui tot publicis ſceleribus ſum irretitus? reſpondit confeſſor: juro tibi, quia expertus ſum, quòd etiamſi majora feciſſes, per contritionem ſalvaberis. Tunc ille iterum cum lacrymis dixit: ego deſperabam de ſalute animæ meæ, quia homagium feci diabolo, qui mihi multoties locutus eſt. ideo jam ſexagenarius nunquam feci confeſſionem, nec ſumpſi corpus Chriſti; ſed finxi mihi negotia, quando alij communicabant. Jam verò confiteor tibi pater, quòd tales lacrymas, quales nunc habeo, nunquam recordor me habuiſſe. Igitur illo die, quater confeſſus eſt, & ſequenti die etiam poſt confeſſionem communicavit. Poſt hæc autem ſexto die mortuus eſt; de quo Chriſtus ad ſponſam, ſic loquebatur dicens: Iſte*

[Margin: VIII.]

[Margin: *In revel. S. Brigitæ l. 5. cap. 97.*]

[Margin: Sexagenarius ſeptẽ dæmonijs obſeſſus.]

[Margin: Nunquam cõfeſſione expiavit peccata, neq; aliquando Euchariſtiam ſumpſit.]

Ex ſingulari tamen DEI gratia, vtroq; ante mortem vſus eſt ſacramento, & ſalvatus.

homo ſervivit Latroni illi, cujus periculum oſtendi tibi prius; ab eo jam fugit diabolus, cui homagium fecerat, & hoc fuit propter contritionem, quam habuit; & jam venit ad purgationem, & hujus liberationis ſignum eſt contritio, quam habebat in fine. ſed potes quærere, quare meruerit contritionem homo, qui tantis ſceleribus involutus erat? Reſpondeo tibi: hoc fecit dilectio mea.

IX.

Neque verò hîc tantùm vnus, jam inter vitia ſua, ſceleraq; conſeneſcens vetulus, quando ad mortis juſſa hinc migrandum erat, ſingulari Numinis beneficio, gratiâque donatus eſt, ut perfectiſſimi doloris ſenſu, præteritæ vitæ piacula, magnis eò uſque acceſſionibus cumulata, poſſet expiare. ſunt plures impij, quos divina bonitas, nihil de ſe meritos, ſub ultimum tamen vitæ ſuæ momentum, benigno aſpexit oculo, radio gratioſo afflavit, ut & viderent animæ vulnera, & medicinam adhiberent. Ex his unum ego ſiſto, juvenem Brabantinum, illuſtre tum improbitatis, tum divini favoris exemplar. Hic lubricâ ſtatim ætate, deflectere cœpit à regia honeſtatis via: nec jam ire, ſed magnis paſſibus currere ad flagitia. voluptas libertasque, blandæ vitiorum conciliatrices, mollem cereumque adoleſcentem, traxerunt ad impetus animi ſui; cui licebant omnia, quæ ſemel libebant. præſertim in aleis, poculis, Venere frequens erat; & velut hæc non ſatis eſſent pudenda dedecora, etiam turpiſſimis furtis ſe fædavit, imò & parentes ſuos, & familiam univerſam; ut metu haud vano timere inciperent in ſanguine ſuo, viſuros ſe aliquando longum probrum, aut ex rota, aut ex patibulo ſuſpenſum.

Sunt plures totâ vitâ improbi, quos DEUS in morte benigno aſpicit oculo.

Speculi Exempl: diſt. ult. X. Exemp. XV.

X.

Ea res, quia ſolicitos habuit tum parentes, tum conſanguineos, Iudicis tribunali juvenem reum ſiſtunt; & quoniam jam ſæpius patraſſet morte luenda facinora, rogant, ut ſontem clam expediat; ne olim cum æterna familiæ ſuæ ignominia, publico ſupplicio, exemploque plecti debeat. Exoratus Iudex ad preces tam æquas, ut videbantur, ligatum adoleſcentem in ſaccum jubet mitti, inter aquas ſuffocandum; compellat tamen cum priùs ſuaviter, ſibi vt ignoſceret, facturo quod jura exigunt, quod vterque parens, quod amici pro gratia efflagitant. Nihil tum condemnatus aliud Iudici reſpondit, quàm illud obſtinatæ mentis verbum; nunquam ſe ipſi, nunquam ſanguini ſuo, hujus facti condonaturum veniam; eſto vel apud inferorum æternas flammas, hoc ſuum propoſitum, neceſſe eſſet luere. Ita incluſus ſacco, ivit ad aquas; atque ut videbatur Iudici, etiam ad ſtygios ignes. Sed

Iuvenis flagitioſus, propter ſcelera ſua plectitur à Iudice; etiã hoc maximè titulo, ne probrũ fiat familiæ.

Ille mortẽ excipit, ſpirans minarum & vindictæ,

quantùm

quantùm erraverit, paulò pòſt intellexit; eâ ſcilicet nocte, quâ inſomnis, atque ſecum admirabundus, revolvit protervi juvenis obitum. tum enim ad lectuli ſui latus, præſentem habuit, quem jam inter avernales focos crediderat ardere. Itaque ut Judex, reſumpto à pavore animo, prope ſibi aſſiſtentem, & notum à ſpecie ſciſcitatus eſt hominem, quæ eum in altero orbe fortuna, ſtatûſque conditio comprehendiſſet, ſic interrogatus reſpondit. Equidem gravia, ſupra quàm credi poteſt aut dici, patior tormenta, admenſas ſceleribus meis pœnas; ſed mitigat doloris acerbitatem beatitudinis certitudo. Nam ſi neſcis, in beatorum ſyllabum relatus ſum, nunquam ampliùs hoc albo expungendus. hiſtoriam ita accipe. Iam inter ſacci anguſtias, & corpus meum profundo cœperat mergi, & anima tartaro: cùm ecce tibi! adhuc luctantibus inter aquas vitâ ac morte, irradiare me cœpit bonus DEVS, & adeo gratiæ ſuæ lumine colluſtrare mentem, ut eam graviſſima ſubiret pœnitudo criminum. nihil magis tum diſplicuit, doluitq. quàm DEUM, à ſe offenſum fuiſſe; vna læſi Numinis recordatio, gravior illi erat, mille inter fluctus, ignes, ferrum, crucem, mortibus. Et ô! inquiebam, inter veriſſima cordis mei ſuſpiria, ô ſervator hominum DEVS! accipe ſinu pietatis tuæ, hanc naufragam animam, atque in ſecurum ſalutis portum ſtatue; quæ ſi his vlteriùs in terris, hoſpitiô corpuſculi ſui deberet vti, nequaquam te ad novas injurias laceſſeret. Et quoniam amore tui, omnibus jam mortalibus offenſas condono; tu, ô amor æterne, etiam meas clementi ſpongiâ dele. Inter ejuſmodi vota, & pios animi ſenſus, aqua ſacco illapſa & gulæ, multa adhuc molientem intercepit, animamque de corpore excluſit: ſed (quæ DEI bonitas eſt) non item cœlo. Hæc vbi juvenis dicendo abſolvit, Iudicem ad verba ſua ſtupentem reliquit, & diſparuit. At ille calidis ſuperfuſus lacrymis: Vale inquit deſperatio, & ſiquidem DEI miſericordia tam profligato pepercit, credo etiam mihi propitia erit. Atque ut certiùs olim clementiam Numinis ſentiret, mutavit mundum cum Religione, tribunalis poteſtatem cum Carthuſiæ ſolitudine.

In Indice & conſanguineos.

Nec tamen damnatus, ſed ſalvatus eſt.

Suggerente DEO meliorem illi mente ac contritionem, antequam expiraret.

XI. Et hic ipſe multis, velut Minervæ clypeus eſt improbis, factus contra puſillanimitatem, & panicas formidines; ſcilicet eorum Exempla hominum, quos DEVS aut mirabilibus viſis denique emendavit, ut Mutium; aut inter feras ad ſecuturam fru-

Digitized by Google

Quis improborum nolit Vale dicere puſillanimitati, & Ave piæ ſpei dare, apud ejuſmodi divinæ pietatis exempla?

gem ſervavit, vt Indum; aut ad mortem vicinam rectè tandem diſpoſuit, ut ſenem capularem & ſexagenarium, apud S. Brigitam; aut extremo planè vitæ ſuæ momento reduxit ad meliorem mentem, vt Brabantinum adoleſcentem. Et quis nolit inquiunt, etiam media inter ſcelera, in vtramq; ſecuriſſimè aurem dormire, firmiſſimeque de ſalute ſua confidere, quando projectiſſimos quoſq; divina bonitas, in ipſo ad orcum caſu, tam benigno excepit brachio, ſuaq; dignatos, gratiâ roboravit ad ultimas de tartareis hoſtibus victorias ac triumphos? Iſta nimirum ſunt grandia illa fulcra, quibus proterui nituntur in ſua præcipitia. Et quemadmodum Samſon, duabus innixus columnis, eas ſecum traxit ad caſum, cum mole vniverſi ædificij, & aliquot mille capitum interitu: ſic non pauci inter mortales ſcelerati, dum ſe fulciunt in pertinacia malitiæ, exemplis eorum, qui deniq; reſipuerunt, & impiæ vitæ piam clauſulam adjecerunt, ſecum alios in ruinam trahunt.

XII.

Nec tamẽ multũ fulciunt, quia ſunt inter rara cõtingentia, & poſſunt illis alia in contrariũ opponi.

Beda in hiſtoria gentis ſua. l. 5. c. 15.

Nam ut exempla ejuſmodi, momentum aliquod haberent, quotidiana eſſe, ac frequentia deberent: nunc ſunt inter rara contingentia, & quæ ſemper contrarijs elidi poſſunt. Itaq; ego Mutio, oppono illum in ſacro cœnobio Religioſum, de quo venerabilis Beda commemorat ſequentem hiſtoriam. *Novi*, ait, *ipſe fratrem, quem vtinam non noſſem; cujus etiam nomen (ſi hoc aliquid prodeſſet) dicere poſſem, poſitum in monaſterio nobili, ſed ipſum ignobiliter viventem. Hic percuſſus languore, atq; ad extrema perductus, vocavit fratres; & multum merens, ac damnato ſimilis, cœpit narrare, quia viderat inferos apertos, & Sathanam immerſum in profundum tartari; Caipham quoq; cum cæteris, qui occiderunt Dominum, juxta eum flammis vltricibus contraditum; in quorum vicinia inquit, heu! miſero mihi, locum aſpicio æternæ perditionis eſſe præparatum. Audientes hæc fratres, cœperunt diligenter hortari, vt vel tunc adhuc poſitus in corpore, pœnitentiam ageret. Reſpondebat ille deſperans: non eſt mihi modo tempus vitam mutandi, cùm ipſe viderim judicium meum eſſe completum. talia dicens ſine viatico obijt, & corpus ejus in vltimis eſt monaſterij locis humatum.*

XIII.

Mutio ex viſione erecto ad pœnitẽtiã, quidã frater ex alia viſione dejectus in tartarum.

Diſpar omnino eventus fuit, in pari objecta inferorum ſpecie, apud Mutium ſupra, & modò allegatum Religioſum; nam vnde alter accepit malo ſuo, ac peccatis remedium, hic venenum & mortem hauſit, lapſus in deſperationis barathrum. Neque ex veritate dixit, ſed ex cacodœmonis perſuaſione, ſibi tempus deficere ad mutandam vitæ prioris rationem, apertiſſimè

ſimè enim Spiritus ſanctus, paſſim in ſcriptura proteſtatur, DEVM ſemper obvias ei vlnas, patulumque expandere ſinum, qui frugi eſſe vult, & ſe ab impietate recipere. Quem in finem præclarè D. Leo Papa ſic commentatur. *Miſericordia Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire: ad quem nullas patitur venire moras converſio, dicente Spiritu DEI per Prophetam: cùm converſus ingemueris, tunc ſalvus eris.* Time ergo, quiſquis reſipiſcentiæ tuæ promittis oſtenta, & prævias tartari imagines; nam præterquam, quòd iſtæ non omnibus obverſentur, certus non es, etiamſi obvenerint, tibi profuturas in medicinam.

S. Leo Papa in Epiſtola ad Theodorum Foro-Julienſ. Epiſcop.

XIV. Sed alius eſt, qui multorum ſolatur improbitatem, nempe Indus: primò in aquis, dein ipſas quaſi inter fauces nocentiſſimarum ferarum ſervatus; agente hoc potiſſimum Dei bonitate, ne flagitijs adhuc ſuis onuſtus, miſer homuncio ſi occumberet, æternùm periret. Bonum factum! & quod accendat gratum animum ad deprædicandam Numinis miſericordiam. Qui tamen eam, ad omnes periculorum caſus voluerit extendere, quaſi ſingulos ex æquo impios, conſtitutos in vitæ diſcrimine, DEVS permiſſurus non ſit interire; oppidò errabit. Et oppono ſervato ſupra Indo, inter aquas & feras, primùm Ægypti Regem Pharaonem, qui vtique extremè impius (quia obſtinatus) miſerrimè cum ſuis inter fluctus perijt; ex profundo maris rubri, in ipſum ſtygis fundum prolapſus. Tum deinde adfero Leones illos, quibus cùm projecti eſſent artifices ſtropharum, ſutores malarum fraudum in caput innoxij Danielis, momento eos deartuârunt. Quod genus ferocitatis, ſæpius olim quoque in Circis Romanorum demonſtrârunt beſtiæ, quando è caveis ſuis, adverſùs Chriſti Martyres mittebantur concitatæ, tum enim furore in nocentes beſtiarios converſo, eoſdem fœdum in modum lacerârunt; cùm interim glorioſis Chriſti athletis, obſequia humanitatis offerrent, proſtratæ ante pedes, & velut oblitæ feritatis ſuæ; vt manifeſtum ſit, quod vnum Deus Indo ſceleſto conceſſit beneficium, non omnibus continuò flagitioſis præſtare inter pericula.

Indo impio aquis & feris erepto, Pharao in rubro mari ſubmerſus, & alij ſceleſti à leonibus conſumpti.

Exodi 14.

Daniel. 6. 24.

XV. Iam quale illud fulcrum ſit, quàm debile ac nutabundum, quod ſupponunt aliqui impietati ſuæ, nimirum Senecionem apud D. Brigittam ſexagenarium, nemo eſt qui non videat. Expedivit ſanè ipſum bonus Deus multiplici vinculo, quo captivus tenebatur à dœmone, annis adeò ſexaginta, ſcelerum vile mancipium. Sed quemadmodum veteri proverbio, non licet omnibus Corinthum adire;

Sexagenario tandem ante mortē admittenti exhomologeſin & viaticum; ali-

m ſine vtroq; mortuus.

adire; ita neque omnibus, per flagitia ſua conſtrictis apud orcum mortalibus, par liberationis evenit fortuna. Atque vt exemplis exempla opponam; produco ex revelationibus S. Brigitæ hominem alium, & ipſum non tam alienis nexibus, quàm ſuis culpis inter manus Sathanæ illaqueatum. Hic jam morti conceſſurus, cùm moneretur Chriſtiani officij, ac ſalutaris pœnitentiæ, prodromi ante ſe ad cœlum præmittendi, in hæc verba prorupit; *Diabolus tenet cor & linguam meam, quomodo poſſum pænitere? qui & jam maledicens ſanctis* DEI*, ipsâ nocte ſine Sacramentis & confeſſione mortuus eſt.* Vbi iterum obſervo, miſellum hominem inter difficultates retrahendi voluntatem, animumque ab aſſuetis vitijs, & maximè inter vltimos, eoſque graviſſimos mali dœmonis aſſultus, falsò perſuaſum, non poſſe pœnitentiam ſe agere; vitio ſuo omiſiſſe, quod vnum tunc præſtare potuit, debuitque.

In revelat. S. Brigitæ lib. 1. c 32. in declaratione.

XVI.

Brabantino Juveni ſuſcipienti radium à Deo miſſũ, ante extremum halitum, plures alij divinis illuſtrationibus refractarij.

Denique Brabantinus juvenis, non video quantùm poſſit ſtabilire perverſos mortales, in perſeverantia ſceleris. Nam, quem ipſe (exactis inter noxas adoleſcentiæ ſuæ annis) poſtremo ante mortem momento, admiſit ſalutarem ſibi à DEO injectum radium; mille alij pares conditione, vitijſque homines excutiunt. Idem nobis omnibus ſol lucet ex alto, neque tamen eum omnes æqualiter recipimus; quidam valvas obtrudunt, alij oculos claudunt, atque ex die ſibi noctem faciunt, immerſi in longum ſponte ſoporem. Ita DEVS, quando flagitioſos gratiæ ſuæ fulgore collustrat, aut aliquâ velut neceſſitate impellit ad meliora; ab vno admittitur, excluditur ab altero, ſemperque aliqui in veterno hærent. Imaginem hujus propono geminos Reges; Nabuchodonoſor & Pharaonem; de quibus ita loquitur S. Auguſtinus.

XVII.

S. Auguſt. lib. de prædeſt. & grat. c. 15.

Quomodo ab vno homine admittantur divina lumina & inſpirationes, ab alijs excutiantur, patet in

Nabuchodonoſor, nónne poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit, & Regnum quod perdiderat rurſus accepit? Pharao autem ipſis flagellis durior eſt effectus, & perijt? Hic mihi rationem reddet, qui divinum conſilium, nimiùm alto, ſapientique corde dijudicat, cur medicamentum vnius medici manu confectum, alij ad interitum, alij valuerit ad ſalutem; niſi quia Chriſti bonus odor, alijs eſt odor vitæ in vitam, alijs eſt odor mortis in mortem? Quantùm ad naturam, ambo homines erant; quantùm ad dignitatem, ambo Reges; quantùm ad cauſam, ambo captivum DEI *populum poſſidebant; quantùm ad pænam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum facit eſſe diverſos? niſi quod vnus* DEI *manum ſentiens,*

in

in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra DEI *miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio?*

Pharaone & Nabuchodonoſore.

XVIII.

Enimverò dices, tam diverſæ, ac diſcrepantis voluntatis in vtroque, cauſam fuiſſe ipſum DEVM; qui cùm habeat corda Regum in dextera ſua, plus vni de vbertate gratiarum ſuarum affudit, quàm alteri. Ita quidem eſt. Sed tamen nulla intervenit injuria, Auguſtino teſte, cujus iterum verba allego. *Cùm* inquit, *aliquos à* DEO *traditos deſiderijs ſuis, aut obduratos legimus, aut relictos magis in peccatis ſuis; hoc ipſos meruiſſe profitemur, quia talia eorum crimina præceſſerunt, vt ipſi ſibi pœnam debuerint, quâ eis etiam ſupplicium verteretur in reatum. Atque ita nec de judicio* DEI *querimur, quo deſerit meritos deſeri: & miſericordiæ ejus gratias agimus, quâ liberat non meritos liberari.* Hoc demum eſt, quod ſupra dixi, eſſe DEO conſuetum, ſceleſtis hominibus, in vltionem perfidiæ ſuæ, negare auxilia vberiora, ſeu efficacem illam gratiam, tam commodis alligatam circumſtantijs, quibus certò mens humana moveretur ad acceptanda ſalutis media: relinquere interim, ſufficientia ejuſdem ſalutis procurandæ auxilia; quæ tamen, quia nihil promovebunt apud impium vitio ſuo, cenſetur quaſi à DEO obdurari in malo, aut deſeri.

Ex juſtitia aliquando Deus deſerit meritos deſeri; & ex miſericordia aliquando liberat, non meritos liberari.

XIX.

Neq; verò hîc quiſquam hominum, poteſt jure Numini quæſtionem movere, quando vnum perire ſinit in flagitijs, non alterum; temperat enim pulcherrimâ varietate DEVS in hoc orbe, miſericordiam ſuam cum juſtitia. & quemadmodum ei, qui voluntate ſuâ graviter improbus eſt, non debetur lege juſtitiæ amplior divinæ bonitatis favor, gratiaque auctior; adeóque ſi interit, ſuâ culpâ interit; ſic nihilominus poteſt gratis, & ex ſola miſericordia, ita in ſceleſtum DEVS affici, vt eidem conferre velit gratiam non debitam, cujus prævidet appendicem fore, converſionem & ſalutem; juxta illud: *miſerebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit*; ſcilicet ex miſericordiſſima miſericordia. Niſi velimus potentiam DEI, infra humanam deprimere. Scimus apud Pharaonem Ægypti Monarcham, offendiſſe olim graviter pincernam & piſtorem. Vtrumque igitur in carcerem & vincula miſit; vtriuſque poſtea adhuc captivi, recordatus fuit inter epulas; vtrique vitæ poterat gratiam facere, juſtitiâ nihil contradicente, multum applaudente miſericordiâ; & tamen piſtorem capite damnavit, atque in cruce eſcam corvis objecit; pincernam officio reſtituit, ite-

Nemo quæſtioné movere poteſt aut debet Deo, quando vnum ſinit perire in ſuis peccatis, & nõ alterum.

Exod. 33. 19.

Homo in nõ meritos exercet gratiam ac miſericordiam, & non poſſit hoc Deus facere?

Digitized by Google

iterumque ad Regiæ menſæ miniſterium recepit. Itaque homo poſſit in immeritos diſpenſare gratiam ſuam, & non poſſit DEVS?

XX. Apage hinc, quiſquis cogitas deſcendere in profundum divini conſilij, & interrogare; cur vni plus, quàm alteri benevolentiæ, & pij affectûs contingit à Numine? cur non erga omnes æqualiter ſe effundit Deus? cur vni velut noverca eſt ejus gratia, alteri velut mater? cur liberalitas Dei parcè, & quaſi contractâ manu quibuſdam ſe inſinuat; alijs cum abundantia, & velut ex pleno cornu copiæ? hîc te jubeo quieſcere, & cum Pythagora longum ſilentium colere: neque arcana Numinis judicia, omnia in menſura, numero & pondere diſpoſita, revocare velle ad vnum *Cur*, & breve humanæ caliginis verbum. Nimis hîc mortales cœci ſumus, quandò etiam ad hunc ſolem, oculatiſſimi ſancti ſe faſſi ſunt veſpertiliones & noctuas.

Dei judicia, non licet revocare ad CVR, humanæ caliginis verbum.

XXI. Pauli Apoſtoli hæc eſt exclamatio. *O altitudo divitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ* DEI! *quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus? quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?* Et alibi idem Divus, ſic curioſum hominem ad expiſcandos Numinis ſenſus, in materia propoſita compellat. *O homo, tu quis es, qui reſpondeas* DEO? *nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti, ex eâdem maſſa, facere quidem aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* David quoque cytharedus, cùm ad fides aliquando ſuas revocâſſet, quæ maximè in Deo admiranda ſunt: meminit judiciorum ejus, & quaſi in profundam merſus voraginem, obſtupeſcenti ſimilis, confeſſus eſt: *Judicia tua abyſſus multa.* ſanè abyſſus multa; quam nec lyncei, nec aquilini, nec humani, nec Angelici, ſoli penetrant divini oculi. Quin etiam apertè de ſe ipſo fatetur Deus: *non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neq; viæ veſtræ viæ meæ; quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ, à vijs veſtris, & cogitationes meæ, à cogitationibus veſtris.*

Ad Rom. 11. 33.

Ad Rom. 9. 20.

Conformiter ſacræ ſcripturæ.

Pſal. 35. 7.

Iſa. 55. 8. & 9.

XXII. Nemo igitur à DEO rationem facti ſui expoſcat, quare aliquibus tantùm gratiam ſufficientem, alijs etiam abundantem conferat? quare nonnullos impiorum velut per capillos ad cœlum trahat, alios permittat labi ad tartara? Rationum omnium inſtar eſt, ſanctiſſima ejus voluntas, quæ ſicut quibuſdam ſingularis clementiæ argumenta diſpenſat, ita nulli facit injuriam. Supremi in cœlo patrisfamilias hodieque proteſtatio eſt, ad impium culpâ ſuâ pereuntem: *Amice non facio tibi injuriam, tolle quod tuum eſt, & vade. volo autem & huic*

Cur Deus permittat aliquos impiorũ labi ad tartara, aliquos ſervet, potiſſima Ratio eſt, ſanctiſſima ejus & juſtiſſima voluntas.

Digitized by Google

huic noviſſimo dare, ſicut & tibi (imò plus quoq; dare, quàm tibi, de theſauro gratiarum mearum) *aut non licet mihi, quod volo facere? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Ita omnino, bonus eſt DEVS, & ſemper juſtus; atque olim cùm ſtabimus ad ejus tribunal, quæcunq; nos tandem Judicis afflaverit ſententia, fatebimur omnes, *Juſtus es Domine, & rectum Judicium tuum.* Adjungit verò Chriſtus ad citatum ex Evangelio locum, laconicum quidem, breveq; dictum, ſed quod ſe ad æternitatem ſimul extendat: *multi vocati, pauci electi.* quo vocum quaternione, velut totidem ſtimulis, acuere vult mortalium induſtriam, vt inter paucos ſalvari contendant, ne debeant cum multis perire.

Matth. 20. v. 13. & 14.

Pſ. 118 37.

Matth. 22. 14.

XXIII. Et quidem B. Ægidius S. Franciſco, quàm religione ſocius, tam amicitiâ familiaris, dicere ſolebat: ſi divinâ revelatione acciperet, vnum duntaxat ex toto hoc mortaliũ numero, olim deſcenſurum ad inferos; acturum ſe nihilominus totis viribus, omniq; conatu, ne ipſe hęc quondam fieret infelix Orco victima. Quod fortaſſis verbum, à timido nimis animo videbitur nobis profectum eſſe. quis enim nolit metum ponere, & ſiquidem vni tantùm pereundum eſt, fortiſſimè confidere, non ſibi hîc, ſed cuivis alteri fortunam iniquam fore. Vt ſi oraculum nobis diceret, toto vitæ noſtræ decurſu, ex omni hominum multitudine, non niſi unum fulminis afflatu interiturum; facilè quiſque mali ſuſpicionem à ſe removeret in alios. Et tamen B. Ægidius, vir DEO plenus, negabat ſe otioſum futurum; ſed quantis poſſet viribus laboraturum, vt damnationis periculum, quod vni ſolùm immineret, ſecurus exiret.

In Chronico Minorum parte 2. l. 7. cap. 33.

B. Ægidius dicebat, ſi vnus ſolùm ex omni mortalium numero damnandus eſſet, ſe laboraturum ſtrenuè, ne illo eſſet.

XXIV. Vtinam hîc omnes Ægidij eſſemus! vigiles in noſtram cauſam, ſolertes in ſalutem; quando ex Chriſti teſtimonio, *multi ſunt vocati, pauci electi.* quando etiam ex SS. Patrum conſenſu plures facinoroſorum, pæſertim pœnitentiam ſuam differentium, cum injuria velut contempti Numinis, miſerrimè pereunt. Vt propterea nihil admodum ſolidè, impiam multorum temeritatem fulcire poſſint, Exempla pauculorum, qui ſingulari divinæ miſericordiæ beneficio, tandem reducti ſunt ad frugem, beatamque vitæ ſuæ coronidem. Ego in re tam lubrica, & ingentis plena periculi, ſuadeo cautelam; aioque eum, omne propemodum tuliſſe punctum, qui inter ſcelerum ſuorum turpitudines, non differt emendationem ad ultimum vitæ punctum, ſed eam auſpicatur tempori.

Quantò magis elaborandum, poſtquam *multi ſunt vocati, & pauci electi.*

Periculum evaſit, qui peccata citò deſeruit, & vitam maturè correxit.

Digitized by Google

PARAGRAPHUS IV.

Quartum Impiorum Fulcrum,

EXEMPLA ILLORUM,

Quos propter opera quædam bona, etiam in ſtatu inimicitiæ facta, benignisſimi Numinis miſericordia, & Orco clementer eripuit, & Cœlo inſeruit, Quanti ſint roboris?

I. NEmo ferè tam infortunatus eſt homo, qui ſimul amittat omnia. Iactura univerſæ felicitatis in hoc orbe, vix ulli contingit mortalium. ut multa perdiderit, ſemper tamen reſtabit aliquid. Vis ſcire illud tandem quid ſit? Gabriel Færnus Cremonenſis te docebit, qui doctæ antiquitatis fabulam, in hoc metrum conſtrinxit.

Gab. Farn. in fab. de leſtu.

Bona univerſa Jupiter coëgerat
In dolium; idq; ſanè opertum ſedulò.
Mortali amico deinde commendaverat.
Is geſtiens, quid intus eſſet viſere,
Cùm operculum amoviſſet; in cælum illico
Cuncta evolârunt: SPES modò haſit in labro.
Hinc in bonorum ſola defectu omnium,
Mortalibus SPES alma nunquam deficit.

Post omnē ferè temporalium rerum jacturam, ſupereſt ſpes hominibus.

Itaque ſive hominem ſua deſtituit ſanitas, & robuſti corporis vigor; ſive deſeruit alienus magnatum favor, gratiaque illuſtrium perſonarum; vel (quod noſtro factum eſt ſæculo) fortuna luſit intemperanter cùm patria, & in publica clade afflixit privatorum facultates; ſemper tamen præſens malum, ſolatur ſpes futuri boni. Et nemo eſt, qui non ſperet poſt nubila ſereniorem phœbum, poſt tem-

tempeſtatem malaciam, poſt triſtes bellorum furias, optatiſſimæ pacis reditum.

II.

Etiam vitæ profligatæ mortales, de ſalute ſua fortiſsimè ſperant.

In annaliß. Societ. anno 1589. provincia Peruana. Collegi: Limẽſi.

Sed nulli prope mortalium ſperant ardentiùs, quàm graviter ſceleſti; quando illis propriâ culpâ, & Numinis ſanctificans gratia, ſingularis amicitiæ teſtimonium avolavit, & vberior favoris divini benevolentia, & jus adeundi cœli. Solantur etiam ſe tunc, quaſi facillimo negotio poſſint jacturam reſarcire; & ſicut perdiderunt cœlum, ita ſtatim recuperare. Ad eum ſcilicet modum, quo memini in annalibus Societatis, quendam eodem die, & beatorum albo expunctum fuiſſe, & reſtitutum. hic, quo die abſterſit maculas mentis, immemor concepti propoſiti, ſe ſe rurſus fœdavit. Nocte autem, quæ proxima fuit, tale eſt ei viſum objectum. Angelus tutelaris duos libros manu habebat; in unum referebat nomina, æternis flammis addictorum innumera; in altero cœlo dignatorum, perpauca: atq; ex hoc expunxit nomen ipſius, & tranſcripſit in illum. At is ſubitò dolore ictus, deleturum ſe lacrymis & confeſſione peccatum, quod admiſit, pollicetur. cùm faceret fidem, ſtatim ſe tranſlatum in priores tabulas eſſe conſpexit.

III.

Erecti eorum exemplis, qui ab interitu æterno ſervati ſunt, propter pia quædam opera, facta in ſtatu peccati.

Atq; hæc ipſa eſt compluribus impijs, ingentis materia ſolatij; credunt enim firmiſſimè, tranſituros ſe tandem cum nominibus ſuis in librum viventiũ, ex quo ipſos, diu flagitijs velut immortuos, ſola excluſit improbitas. Et ne videantur inanem fiduciam alere, luculenta adferunt divinæ miſericordiæ argumenta, erga eos perditiſſimæ vitæ homines, quos optimus DEVS, & ad meliorem reduxit animum, & ab æterno ſervavit interitu; ob eam cauſam, quòd graviſſimis olim ſceleribus, aliquod ſubinde opus bonum aſperſerint. Neque deſunt illis, quos faciendæ fidei, & exempli gratiâ, in medium adducant ex varijs hiſtorijs, teſtes idonei.

IV.

Annua Societat: 1604.

Initium facio ab ea muliere, quæ in Elitenſi oppido, Regni Peruani, cùm jam pro mortua conclamata eſſet, erigens ſubitò corpuſculum, graviter arrepto flagello corripuit. Admirantibus qui ad ſpectaculum aderant, & rogantibus, quid ei actum eſſet quatuor prope horis, cùm exanimi ſimilis jacuiſſet? prorupit nimirum in largos fletus; obteſtata omnes, ne paſſionis Dominicæ, ſingulariſſimi beneficij vnquam obliviſcerentur; nevé Chriſti patientis dolores, ſuâ ingratitudine redderent irritos. Filium DEI, quo tempore à ſenſibus abalienata mens erat, non tam vulneratum ſibi occurriſſe, quàm vnum vulnus viſum eſſe, à planta pedis uſque ad capitis verticem. ſocordiam deinde, & animum tanti

Chriſtus in viſione, mulierem quandam ob ſcelera ſua, viſus eſt, velle ad inferos damnare.

ti beneficij immemorem, acriter increpuiſſe; denique propoſitis totiús vitæ ſuæ patratis ſceleribus, ſeverè pronunciâſſe damnatum iri, quòd latam perditionis viam libertimè ingreſſa fuiſſet. Ipſam tamen effuſam mox in lacrymas, exorâſſe Servatorem Chriſtum, vt ei vitæ tempus prorogaretur ad pœnitentiam, operâ atq; interceſſione cœleſtium mentium; duorum præſertim infantium, Angelis jam habitu ac fulgore ſimillimorum, quos olim à proprijs deſtitutos parentibus, lacte ſuo nutriverat. His tandem puerulis hortantibus, ne accepti beneficij memoriam obliteraret, oblata ſpecies ex oculis abijt. Eam tamen integri, caſtiq; mores fœminæ, ab eo die conſervati, non vanam fuiſſe apertè commonſtrârunt. Itaq; muliercula, jam quaſi dicata tartaro præda; lacte ſuo, quod pio commiſerationis affectu, expoſitis dabat, alieniſq, parvulis: & ipſos ſervavit à morte, & ſe à condemnationis ſententia: vt videri poſſit, hoc egregio pietatis actu, cum alijs prodeſſe voluit, ſibi maximè profuiſſe; meruiſſeq; ut irritatum flagitijs ſuis Numen, mitigaretur ad clementiam.

Niſi duo parvuli, à parentibus ſuis depoſiti, & ab iſta fœmina lactati, deprecatores fuiſſét.

V.

Sed placebunt fortaſſis (novo curioſitatis genere) præ recentibus antiqua exempla, quibus oſtendatur, pauculis quandoq; pietatis, ac virtutis operibus, improbos mortales, & felicē ſibi converſionem, & cœlum emiſſe. Teſtem adfero, omni exceptione maiorem: Conſtantinum Magnum, hoc nomine fortunatum, quòd primus omnium inter Romanos Cæſares, cum publicâ proteſtationis ſolennitate ad Chriſti fidem, Religionemq; tranſierit; occaſione clementis animi, piè in pios, inſonteſq; exerciti. Leprâ infectus hic Imperator, tam fœdo morbo remediū nequidquā quæſivit, deficiente Medicorum arte ad magnitudinem mali. Suaſerunt nihilominus Capitolini Iovis ſacrificuli, ſuperſtitioſi Idolorum cultores, Conſtantino balneum; ſed crudele oppidò, & plus quàm barbarum: nempe è parvulorum innoxio ſanguine parandum. Perſuaſerunt etiam facilè, ſanitatem deſideranti. Iamque decreto die, rapiebantur totâ paſſim Româ, pleni infantium cunei ad lanienam, ut abluendæ lepræ ſuæ, balneas haberet Conſtantinus: tantò potentiores, quantò innocentior ſanguis, piſcinæ implendæ fluere debebat. Ingemuêre ſcilicet, ad conſilium tam cruentum impiumque, Romanæ matres, cùm audirent ſuorum liberorum ſanguini, velle Cæſarem innatare. mox tamen mente in melius mutatâ, Conſtantinus matrum velut lacrimis cœpit innatare. Certè publicâ earum comploratione victus, funeſtam cogitati ſceleris ſententiam damnavit;

Baronius ad annum Christi CCC. XXXV. Surius in in Vita S. Silveſtri. 31. Dec.

mnavit;

mnavit; maluitque poſthac ſolus ipſe morbi perferre moleſtiam, quàm valetudinem recipere integram, cum toties repetito funere, liberorum & matrum. Quæ pietas Deo tantopere placuit, vt ſanctiores ei thermas oſtenderet, baptiſmatis lavacrum; cui à S. Sylveſtro intinctus Imperator, corporis animæque lepram depoſuit: ſemper poſtea conſtantiſſimè Conſtantinus, & Religionis Chriſtianæ defenſor contra Gentiles, & fidei Catholicæ propugnator contra hæreſes, & propagator Eccleſiæ orthodoxæ; cum clade partis adverſariæ. Demum, quod olim Joſaphato, Regi Juda dictum eſt: *iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inventa ſunt in te, eò quòd abſtuleris lucos de terra Juda*: in ſe expertus eſt Conſtantinus, affirmantibus Apoſtolis Petro & Paulo, eidem in ſomno oblatis, propter pietatis opus, ſervandis à morte infantibus impenſum, gratiâ baptiſmi, & lumine fidei, à ſupremo Numine donandum.

Conſtantinus M. propter opus pietatis exercitum erga innocẽtes parvulos, donatur à Deo gratiâ baptiſmi.

2. Paralip. 19. 2.

VI.

Imperatori huic glorioſiſſimo, ſubjungo nominatiſſimum Anachoreten Paphnutium. *De hoc* (Ruffini Aquilejenſis verba ſunt) *fideliſſimâ Patrum narratione comperimus, quòd cùm fuiſſet vitæ angelicæ, quodam tempore oraverit ad* DEUM, *vt ſibi oſtenderet, cui ſanctorum ſimilis haberetur. Aſſiſtens verò Angelus reſpondit ei, quòd ſimilis eſſet ſymphoniaco cuidam, qui in vico illo, cantandi arte victum quæreret. Tunc ille obſtupefactus novitate reſponſi, cum omni properatione pergens ad vicum, perquirit hominem. Et cùm inveniſſet, ſtudioſiſſimè percontatur ab eo, quidnam ſancti & religioſi operis geſtum ſit ei: omneſq; actus ejus curioſius diſcutit. At ille reſpondit quod res erat; ſe eſſe indigniſſimæ vitæ, hominem peccatorem; atq; ante non multum temporis, ex latrone ad iſtud, quod nunc exercere videretur, fœdum artificium devolutum. Paphnutius eò magis inſtabat; requirens ſi quid ei fortè, vel inter latrocinia, pij operis fuiſſet admiſſum. Nihil inquit, mihi conſcius ſum boni; hoc tamen ſcio, quòd cùm inter latrones eſſem, capta eſt à nobis Virgo,* DEO *conſecrata; cujus cùm cæteri collegæ mei latrones, cuperent eripere pudorem, objeci me in medium, & eripui de contaminatione latronum, & nocte deducens eam vſq; ad vicum, domus ſuæ reſtitui intactam.* Rarum planè, & dignum angelicis oculis ſpectaculum! ceterâ facinoroſum hominem, non ſibi tantùm à fœmina temperare, ſed etiam pro aliena caſtitate tuenda, pugnare cum ſocijs latronibus; & tum ſe glorioſum, victorioſumque arbitrari, cùm virgineum florem collocâſſet in tutum, & Christo ſponſo, ſervâſſet ſponſam Virginem. Certè, ſi vnquam vir iſte bonus prædo fuit, tunc optimus fuit, quandò tam nobilem prædam, & votis Deo ſacram, eripuit multorum violentiæ. prædari ſic quiſquis ſolet,

In Vitis PP. Auctore Ruffino lib. 2. c. 16.

S. Paphnutius ſanctitate ſimilis Symphoniaco.

Cujus laudes Ruffinus duobus complexus eſt capitibus.

I. Quòd Virginis inter latrones lapſæ, integritatẽ violentiæ eripuerit, ſalvamque conſervaverit.

Digitized by Google

volet, laudem ferot apud ſuperos. Sed audiamus porrò, quæ de ſuis geſtis commemorat, fortiſſimus alienæ non tantùm integritatis propugnator, verùm etiam patronus deſperantis jam indigentiæ. Ejus iterum ſententiam ac verba, ex Ruffino ſic reddo.

VII. *Alio quoque tempore, inveni mulierem honeſtæ formæ, in eremo oberrantem. Hæc cùm interrogaretur à me, cur aut quomodo in hæc loca advenisſet? reſpondit: nihil me interroges infeliciſſimam mulierem, nec cauſas requiras; ſed ſi ancillam placet habere, abducito quò vis. Mihi enim infelici eſt maritus, qui debiti fiſcalis gratiâ, ſæpe ſuſpenſus & flagellatus, ac pœnis omnibus cruciatus, ſervatur in carcere, nec aliam ob cauſam producitur, niſi vt tormenta patiatur. Tres autem nobis filij fuerunt, qui jam pro ejuſdem debiti neceſſitate, diſtracti ſunt. Ego quoque miſerrima, quia ad ſimiles pœnas inquiror, de loco ad locum fugitans ineđiâ miſeriáque confecta, per hæc nunc latitans oberro loca, triduum hoc jam ſine cibo ducens. Ego vbi hæc audivi, miſeratus adduxi eam ad ſpeluncam, & reficiens animam ejus fame collapſam, dedi etiam trecentos ei ſolidos, pro quibus ſe, ac maritum, & filios, non ſolùm ſervituti, ſed & ſupplicijs aſſerebat obnoxios: & revocata ea ad civitatem, omnes eos datâ pecuniâ liberavit.*

II. Quòd liberalitate ſuâ, miſeræ fœminæ, imò & familiæ, indigétiam miſeriamq; ſublevaverit.

VIII. Excipiebat hæc Paphnutius, non tam auribus avidis, quàm pectore, & miratus in latrone tantum commiſerationis affectum erga indigam, omnique ope humanâ deſtitutam mulierem, accepto omine, ex præſenti Numinis gratia (ſine qua tam ſanctè, vix poterat alienæ miſeriæ compati) cum ad perfectioris vitæ ſtudium ſic hortatus eſt. *Quia frater vides, te non minimo loco haberi apud* DEUM, *non negligas animam. At ille ſtatim fiſtulas, quas manu gerebat abijciens, ſecutus eſt eum ad eremum; & artem muſicam in ſpiritualem commutans, vita mentiſq; harmoniam, per integrum triennium arctiſſimæ ſe tradidit abſtinentiæ, in pſalmis & orationibus ſemetipſum die noctúque exercens, atque iter cæleſte, animi virtutibus agens, inter ſanctorum Angelicos choros reddidit ſpiritum.* Quàm periculoſa fuit, prior hominis hujus conditio, tam poſterior fuit expedita. Latronem agere tantundem eſt, atque animæ ſuæ petere jugulum, cùm alieno immergitur culter. inter manus ſicariorum vnâ eunt, & mors innocentis, & homicidæ condemnatio. toties ergo miſellus iſte perijt, quoties alios perdidit. Recepit ſe tamen poſtea ab infami latrocinio, & ſanguinarias tragœdias mutavit cum ſcena. quamquam neque hîc fuit extra omne ſalutis diſcrimen. Leve plerunque illud Muſicorum genus eſt, quorum vita omnis conſumitur inter

Paphnutius hominé ad aſceteriſi, ſtudiumq; perfectionis invitat.

Et ſequitur ille, non tantùm latrocinio deſerto, ſed etiam periculoſo vivendi quæſtu.

inter ludos, jocos, choros, convivia; faciliſ ab hilaritate lapſus, eos etiam comprehendit, qui fidibus & vocibus, cantuque molliore, alijs præludunt ad ſcelus. Denique tamperantem eſſe inter ebrios Liberi patris fratres, & caſtum inter petulcas Veneres, & devotum inter blaſphemantium clamores, & modeſtum inter bacchantium furias, & maturum inter levitates vitulantium cantorum ac cantatricum, prodigio ſimile eſt. Itaque iterum ſymphoniacus noſter, quæſtu periculoſo vitam ſuam traxit; donec tandem ſacro ſe aſceterio juncturus, Paphnutio in diſciplinam ceſſit; pauculis annis & perfectionem complexus, & cœlum.

Brevi perfectionem & cœlum complexus.

IX.

Sed quæſo te, quâ tandem ratione meruit iſte homo apud DEVM, vt difficilem præſentis mundi labyrinthum, & perplexam illam, fatalemque evaderet diſcurſationem, quâ ſocij ſe ſui involverunt in caſum inextricabilem, & vltimum ſalutis diſpendium, inter continuati latrocinij flagitia? Hîc ego digitum intendo in duplicem neceſſitatem, corporis alteram & indigentiæ, alteram animæ & continentiæ, quibus eripuit geminam mulierem, ex ſingulari affectu miſericordiæ. Et ſanè hoc opus in latrone rarum, optimo DEO mirum in modum placuiſſe, ipſe oſtendit, quando eum in ſanctitate Paphnutio æquavit, non quidem, quaſi omnimoda inter vtrumque interceſſerit æqualitas; cùm Sanctus Paphnutius vtique extra ſtatum peccati mortalis fuerit conſtitutus, adeòque in gratia DEI; homo autem ille latro probabiliter implexus fuerit graviore noxâ, proindeque neceſſariò extra gratiam Numinis ſteterit; nihilominus tamen, quia ſingulari ſtudio, faciendi guſtum DEO aliquem, atque ex motivo charitatis, ſublevare voluit alienam miſeriam; per hunc ipſum talem actum, velut per optimam animi ſui præparationem diſpoſitionemque, videtur apud clementiſſimum Numen aliquâ ex parte meruiſſe, pœnitentiæ ſuæ ac converſionis gratiam.

Remmnerante Deo pia ejus opera, etiam in ſtatu inimicitiæ facta.

X.

Confirmare etiam non nemo volet hanc opinionem, ex Theologorum mente, qui ajunt: impios mortali culpâ obnoxios, poſſe quibuſdam operibus, bona quædam temporalia mereri. Et patet in Ægyptijs obſtetricibus, quæ Pharaoni imperanti crudelia Hebræorum infanticidia puerorum, morem non geſſerunt; approbante poſtea DEO hanc obſtetricum pietatem, & remunerante temporarijs beneficijs earum familiam; præſertim in progenie numeroſa, opulenta, honorata, longæva. Et huc tendunt illa ſacræ paginæ verba: *timuerunt autem obſtetrices DEVM, & non fecerunt*

Sicut obſtetrices Ægyptiæ têporalia meruerũt bona, per exhibitam in pueros Hebræos clementiam. Exod. 1. v. 17. & 20.

juxta

Digitized by Google

juxta præceptum Regis Ægypti; ſed conſervabant mares. benè ergo fecit DEVS *obſtetricibus; & quia timuerunt obſtetrices* DEVM, *ædificavit eis domos.* Sicut ergo improbi extra ſtatum divinæ gratiæ, per opera pietatis, miſericordiæ, eleemoſynæ, aliorumque (nixa tamen auxilio ſupernaturali, & fide divinâ) mereri apud Deum poſſunt, hujus vitæ quædam tranſitoria commoda; ita (inquiet aliquis) per ſimile opus, quem ſupra deſcripſimus latro, meruerit ſuam converſionem, ſeu vitæ emendationem; movendo clementiſſimum DEVM, ut imbecillem naturam gratiæ ſuæ auxilijs juvaret, ingreſſuram virtutis iter. Et viſa eſt divina bonitas, cum pluribus ex impiorum numero, idem feciſſe ſæpius; & auſpicata eſſe ſalutis initium, ex aliqua eorum pia actione. In quem finem ſervit duplex hiſtoria à B. Petro Damiani, religioſiſſimo Cardinale, in epiſtolis ſuis conſignata; quarum prior continetur verbis ejus totidem.

Sic impij etiam in ſtatu peccati, poſſũt aliquo modo (ſcilicet de cõgruo) ſuam mereri converſionem.

XI. *Vir quidam in Alemanniæ partibus, avia ſaltuum, prærupta montium, opaca ſilvarum, venandi ſtudio peragrabat. Hic itaq; dum anxius huc, illucq; diſcurrit, & ſolicitus curioſitatis indagine ferarum luſtra perquirit, invenit duas mulieres, matrem ſcilicet ac filiam, per illos hiemalium cumulos pruinarum, & profunda nivium rudera, miſerabiliter oberrantes. Qui protinus miſericordiâ ductus, comiti ſuo, qui eum ſolum ſequebatur, ait: levemus in equis has fæminas, ſingulis ſingulam, & ad hominum habitacula devehamus; quia vel oberrantium fortè luporum ſunt morſibus exponendæ, vel vi nimij algoris, ſunt procul dubio morituræ. Quod comes penitus abnegat, & hanc ſe ferre poſſe ſtomachatur injuriam. Cui Dominus, ego inquit, ſi tu faſtidis, ſolus utramq; levabo: & hanc quam dicis injuriam, alacriter ſuſtinebo. Cumq; unam poſt ſe, & alteram in medio reſidens, poneret ante ſe; tandem ſocius mente compunctus atq; confuſus, Domino ſuo ceſſit unam, & ipſe ad ſubvehendum corripuit alteram. Sic igitur eas, per difficillima loca, & longos anfractus, non ſine periculo gravi detulerunt, donec ſcilicet molendinum caſu obvium reperirent, ibiq; eas deponerent. Adjecit etiam Dominus, ut uni earum veſtem traderet, quâ vim frigoris aliquatenus temperaret.*

B. Petrus Damiani epiſt. lib. 6. epiſt. 21.

Miſericordia in duas fœminas, pereuntes frigore exercita; duplex à Deo habet præmium.

XII. Hæc inſignis nobiliſſimi viri pietas, infirmo ſexui exhibita, & deploratæ jam inter frigora matri, ac filiæ; credo etiam in DEVM fortis fuit, ac velut armata impetravit hero ſuo, quod poſtea accepit geminum ſingulariſſimi favoris beneficium; nam & Numinis eum dextera, frequentibus ſæculi naufragijs ereptum, in ſecurum religionis portum collocavit: & denique trepidantem ſub mortem, inter tetras dœmonum larvas, ad tranquillitatem mentis compoſuit.

I. Vocationem ad Religioſum ſtatum.

poſuit. Rem totam ita proſequitur auctor narrationis. *Hic aliquantò pòſt tempore, factus eſt Monachus, & deinceps ingraveſcente moleſtiâ, ad extrema perductus eſt. Tunc fratribus, qui adſtabant, cum magna cœpit animadverſione clamare, dicens: Videtis innumerabilium Dæmonum turbam, quæ me vndiq; circumvallat, meq; terribilibus oculis intueri, & impugnare non ceſſat? Cumq; continuis orationibus & pſalmodiâ fratres inſiſterent, ille tamen nihilominus tremefactis viſceribus formidaret; tandem ille, qui ſibi ſicut dictum eſt, in venatione comes extiterat, aſſiſtens propiùs exclamavit; nonne vides quòd mulier illa, quam tecum ſimul ad aquimolum devectavi, veſtimentum illud, quod ſibi tunc dedi, tenens in manibus, ventilat, & omnes ex hac domo dæmones violenter exturbat? & paulò pòſt: Ecce* DEO *gratias; ejecti ſunt, & à meis obtutibus, mulieris hujus impulſu, prorſus evanuerunt. Sic igitur ille ſub bonæ ſpei ſecuritate defunctus eſt, & miſericordiæ fructus, quam vivus exhibuit, oblatos ſibi dum moreretur, invenit.*

II. Liberationem à dæmonum larvis, ſub mortem.

XIII.

Atque hoc ipſum eſt, quod ſceleratiſſimos etiam homines poſſit erigere, ut non tantùm inter vitæ ſuæ probra quotidiana, deſperent nihil, ſed quàm maximè ſperent: præſertim ſi flagitijs interponant aliquando pium opus. Nulla ſiquidem ad DEUM precatiuncula, nullus ad mendicum obulus, nullum mucidi panis fruſtulum tranſibit ad famentem, cui non ſtabit ſuum præmium. munifica eſt DEI manus, compenſat largè ſibi ſuiſque, factum obſequij genus; nunquam vult vinci hoc immenſum bonitatis pelagus à rivulo, qui in ipſum derivatur, per officioſum humanæ voluntatis ſtudium. neque regium tantùm, ſed & divinum eſſe DEUS putat, ſibique proprium: minima quoque impiorum opera, maximâ hac compenſare gratiâ, ut qui in ſcena hujus mortalitatis fuêre peſſimi actores, non ſemel, epilogo felici & actionem, & fabulam, & vitam concludant. Ita ſuo calculo meam aſſeverationem confirmat, qui ſupra B. Petrus Damiani. *Sæpe contingit* (ejus verba habes) *ut inter multas carnalium actionum tenebras, vnum boni operis lumen erumpat, quod hominem ad bonum finem, portumq; perducat.* Et quoniam viri hujus ætate, res inter Saracenos contigit multum admiranda, quæque ſtabilire poſſit præſentem doctrinam, opportunè eam ipſe ſubjungit, ut ſequitur.

Etiam pia quædam impiorum hominum opera, DEUS aliquando compenſat felici morte.

B. Dam. lo co ſup. cit.

XIV.

Tres meretrices erant, obſcænis lupanarium fæditatibus deditæ, & (vt ita loquar) omni tranſeunti, turpi lenocinio proſtitutæ. Sed cùm regio, communi Saracenorum & Chriſtianorum eſſet inhabitatione permixta, illæ ſe Chriſtianis quidem turpiter componebant, Saraceno-

Meretrices Christianę nolunt Saracenis vſum corporis ſui cōcedere.

rum verò conſortia funditus abdicabant. Cumq́; ſe, dolerent illi in hoc fœdo negotio deſpici, ſuaq́; genti conquererentur injuriam irrogari; tandem eas ad tribunal præſidis pertrahunt, & vt ſuis quoq́; ſicut Chriſtianis, in luxuriæ permixtione conſentiant, vehementer inſiſtunt. Sed dum ſcelus hoc apud eas, modò terrores, modò blanditiæ, aliquatenus obtinere non poſſent; prolatâ ſententiâ præſidis, adjudicatæ ſunt morti. Quid plura? protinus ſpiculatores accedunt, nudis cervicibus vibratos pugiones incutiunt: ſed ne ſupremam quidem cutem incidere, caſſatis ictibus poſſunt. Interea dum & iſtæ mori alacriter volunt, & illi accidere nequeunt, cuſtodiæ mancipantur. Nocte verò vni earum, quæ quaſi ſuperior erat cæteris, Salvator apparuit, eiq́; dixit: nolite timere, hodie certamini veſtro finem imponam, voſq́; cum corona martyrij, in gloriæ meæ amœnitate ſuſcipiam. Sequenti verò die ad tribunalia judicis deducuntur, inquiſitione factâ, eadem nihilominus ſententia perſeverat; idem eſt, qui fuerat animus; & Agarenorum ſicut priùs, per omnia deteſtantur amplexus. Protinus ergo carnifices, quoniam in cervicibus earum nil ſe poſſe probaverant, earum gulam gladio deſecant, & ſic de meretricibus Martyres efficiunt.

Et hinc illis nata eſt occaſio ad Martyriū.

XV. DEVM immortalem! quanto diſtant à ſe intervallo Meretrix & Martyr! quàm diverſa ſunt Martyr diaboli, & Martyr DEI! quàm diſſimilia ſtudia, pudorem homini vendere, gratiâ ſpurcæ voluptatis; & ſanguinem Chriſto propinare, amore placendi! qualis igitur iſta ſit metamorphoſis, quando tria Veneris proſtibula, tranſeunt à fornice ad locum ſupplicij? & nuper meretrices, inter manus carnificis jam fiunt Martyres? Felix planè iſtarum conditio fœminarum, quibus poſt amiſſam Virginitatis corollam, obtigit glorioſa Martyrij aureola. Crediderim igitur ex ijs fuiſſe, quarum ſervator in Evangelio meminit, cùm ſaxea Iudæorum corda hoc ſimul malleo tunderet: *Amen dico vobis, quia meretrices præcedent vos in regnum DEI.* Sed obſecro, ad hunc tam fortunatum cœli ingreſſum, quid fœminis iſtis viam munivit? nihil invenio præter vnum opus: imò non opus, ſed abſtinentiam operis. Quia enim temperârunt ſibi à Saracenis, in odium perfidiæ Mahometanæ: neque voluerunt corporis ſui poteſtatem, vſumque concedere genti, Chriſtiano nomini inimicæ; hinc viſus eſt DEVS compenſare decreviſſe, & in ſexu imbelli tam egregiam coronare ſive fidelitatem, ſive fidei conſervatam majeſtatem, prœmio Martyrij, quod ipſum eſt gemina ad cœlum clavis.

Felices, quibus poſt amiſſam Virginitatis corollā, obtigit Martyrij Aureola.

Matth. 21. 31.

Quam ijs largitus videtur Deus, propter odium perfidiæ Machometanæ.

XVI. Ex quibus omnibus, Antagoniſta meus concludit, non eſſe tam deplo-

deploratam impiorum cauſam; quando & latrones, & meretriculæ, partim ſanctis miſericordiæ operibus, partim interpolatâ ſceleris vnius alteriuſq; abſtinentiâ, vſq; adeo DEVM ſibi devinxerunt, vt concederet ſingulares gratias, & vitæ emendandæ, & benè finiendæ; poſſe deniq; etiam hodie flagitioſiſſimum quemq;, media inter crimina, & precatiunculis, & eleemoſinâ, & peregrinatione, & mortificatione, alijſq; pijs per intervalla actionibus, apud divinam bonitatem mereri, quam optat ſub vitæ exitum pœnitentiam, æternæ aditum ſalutis. fiduciâ ſolùm opus eſſe, & forti animo.

Ex his exẽplis, ſpes ſuas fulciũt Improbi, quaſi in ſtatu inimicitiæ, per quædã pia opuſcula, mereri poſſint pœnitentiam in morte.

XVII. Sed ego hîc, ſicut nolim panicos eſſe metus, ita juſtam formidinem incutio; cùm ſciam juxta Comicum: *etiam qui ſperaverint, ſpem decepiſſe multos.* Multi ſanè olim peſſimi mortales, cum ſpe ſua, deſcenderunt ad inferos, quia quam ſperabant ſemper reſipiſcentiam, diſtulerunt. Neq; illis profuit ad beatitudinem, feciſſe aliqua in eo ſtatu opera pia, quando vltimum eorum opus, voluntas ſcilicet obfirmata in malo, aut adulterina pœnitudo, totum ſalutis negotium corrupit. vt proinde nullum ſit illud fulcrum ſubſtruendæ impietati, confidere in quibuſdam bonis anteactæ vitæ actiunculis, quaſi peccatori ſcelerato comparaturis apud Deum indubitatam converſionis gratiam, & quæ conſequitur, futuram beatorum gloriam.

Plaut. Rud.

Sed infirmum hoc eſſe fulcrũ, patet ex ſequenti doctrina de Merito.

XVIII. Atq; vt iſta manifeſtiùs appareant, ſuppono ex receptis Theologorum placitis, duplex eſſe meritum bonorum operum in hac vita; alterum de condigno (vt vocant) alterum de congruo. Meritum de condigno illud appellatur in ſcholis, cui ex condigno, ſeu ex juſtitia, debetur à DEO retributio, ſeu merces. Ad quod requiruntur iſtæ conditiones, 1. vt opus ſit illud moraliter bonum, non malum, 2. vt ſit voluntarium & liberum; neceſſitas enim, & invita voluntas, nihil meretur apud Deum. 3. vt opus ſit hominis viatoris, quia ſolùm in hac vita, tempus eſt certaminis, luctæ, laboris, meriti. 4. vt procedat opus ab homine, conſtituto in gratia atq; amicitia divina. quomodo enim demereri Deum poſſit, & ſibi ex juſtitia obligare ad remunerationem, qui per gravia ſcelera perſeverat capitalis eſſe inimicus ejus? 5. vt intercedat pactum & promiſſio DEI, de facienda compenſatione, ſeu retributione operis meritorij, in juſto homine. Et quoniam frequenter in ſcriptura, à Chriſto vita æterna dicitur danda beatis, per modum mercedis, coronæ, prœmij, hinc communis eſt ſententia, juſtum hominem in hac vita mereri poſſe de condigno, ſeu ex juſtitia, beatitudinem & gloriam æternam.

Meritum de condigno quid ſit, & quas conditiones requirat?

 Alte-

Digitized by Google

XIX. Alterum meritum de congruo (ut vocant) eſt tale, quod ex juſtitia non meretur apud DEUM compenſationem, ſed tantùm ex quadam cõgruentia, ſecundùm quam videtur eſſe à divina bonitate remunerandum, nullo juris injecto debito. Horum nomine meritorum, veniunt illa bona impiorum opera, quæ ab ijs in ſtatu peccati mortalis exercentur; vel circa proximi ſublevandam indigentiam, ut ſunt elargitiones factæ pauperibus, nudis veſtimenta, eſculenta famelicis, ægris fomenta ſubminiſtrata; vel circa colendam Numinis majeſtatem, ut ſunt pia improborum ad DEUM nuncupata vota, oblata aris ejus munuſcula, humiles precatiunculæ, in cœlum miſſæ. Hæc aliaq; ſimilia, quoties ab homine fiunt media inter ſcelera obfirmato, vt ſcilicet ſe olim moriturus, expedire poſſit gravibus mali dœmonis tentationibus; ut nanciſci valeat animum à timore pacatum, ſibiq; præſentem, cùm à corpore ſuo abiturus eſt; deniq; ut impetrare queat, bene ac feliciter occumbendi unicum ſubſidium, apertam Numinis dexteram, & uberioris atque copioſioris gratiæ efficaciſſima auxilia; hæc inquam talia opera, tametſi nobis videatur congruũ ac conveniens, ut DEUS dictis modis remuneretur: fieri tamen omnino poteſt, ac ſolet, ut eidem non deſint rationes plurimæ, cur nolit huic, alteriq; impio id præſtare, quod alioqui intuitu operum illorum, apparebat congruum eſſe, ut præſtaret.

Quid ſit meritum de congruo?

Bona malorum hominum opera, facta in ſtatu peccati mortalis, non obligant DEUM ad conferendam illis gratiam efficacem in morte.

XX. Hinc etiam fit, ut iſtiuſmodi merita de congruo, quia DEUM ex juſtitia obligare non poſſunt ad compenſationem; neq; rationẽ veri meriti habeant, in ordine ad optatos effectus, quos modo recenſui. Et eſt recepta apud Theologos ſententia, hominem per bona opera, quæ facit in ſtatu peccati mortalis, non poſſe de condigno mereri remiſſionẽ peccati ſui lethalis, nec reparationem poſt lapſũ, nec primam gratiam excitantem, ſive auxilia gratiæ actualis, quibus ad ſtatum gratię perveniat; multo minùs hujuſmodi auxilia quatenus congrua ſunt, & ſic attemperata, ut homo impius infallibiliter illis cooperetur, & ſalvus fiat: quandoquidem iſta ex mera DEI liberalitate, & ſingulariſſima benignitate conferuntur, vni prę altero; poſtquam omnibus tantum communicatur gratię ſubſidiũ, quantũ neceſſarium eſt, & ſufficit obtinendæ beatitudini, ſi negotioſi eſſe velimus, & non turpis vitio otij, tam pretioſum cœli lucrum negligere.

Quia non habent rationem meriti de condigno.

Vide Becanum de Gratia. cap. 5. de merito bonorum operum.

XXI. Ex quibus clariſſimè apparet, quanti roboris ſint illæ actiones, quas fine non malo faciunt multi mali, imò peſſimi mortales.

les. Niti velle quaſi certiſſimo fulcro, quibuſdam ſive precatiunculis, ſive mortificatiunculis, ſive pijs actiunculis, cùm perſeveramus in graviſſimorum cœno peccatorum nos volutare, nimis confidentis eſt audaciæ, & projectæ in temeritatis periculum. Neque licet pauculorũ exempla, trahere in neceſſariam argumenti conſequentiam. Quod Deus ſupra, latroni ac meretricibus, intuitu aliquorũ operum indulſit, gratuitæ fuit miſericordiæ beneficium, non debitum juſtitiæ; proinde ſicut erga perditos, ex ſola liberalitate, ſuarum copioſè aperuit ſinum gratiarum, ita alijs non rarò claudit; nihil obſtantibus illis omnibus, quæ piè rectéque fecerunt antea, ſive in ſtatu gratiæ, ſive jam extra DEI amicitiam poſiti. quod ſæpius jam dixi, iterum iterumque repeto: cùm ſemel homo, ſpontaneâ voluntatis ſuæ malitiâ, Numini, ejuſque juſtiſſimis legibus vale cœpit dicere, ſéque transferre ad hoſtilia tartari ſigna, non tenetur DEVS vberioribus gratiæ ſuæ auxilijs, revocare ad circulum, extra quem petulanter ſalijt.

Nec debẽt trahi in cõſequentiam exempla paucorum, quibus Deus efficacẽ gratiã miſericorditer indulſit in morte, intuitu aliquorũ piorũ operum, à ſe factorũ in ſtatu inimicitiæ.

XXII. Et profectò, ipſæ hæ ſingulares gratiæ, quaſi ex divino Cornucopiæ in ſceleſtos homines profuſæ, à doctis appellantur *miracula gratiæ*; quia ſcilicet ſunt præter conſuetum ordinem: ſicut ea vocamus miracula naturæ, quæ à communi naturæ lege deflectunt, velut in prodigioſam ac monſtroſam ſpeciem. Eſt etiam navium genus in mari Adriatico, quæ à miraculo nomen acceperunt, *Barche di miracoli*. nam ſicut cætera omnia navigia, tum præſertim navigant periculoſè, quando confligentibus inter ſe ventis, & tonante deſuper cœlo, quaſi ad claſſicum exciti fluctus, toto pelago conſurgunt in prælium: ita illæ naviculæ, inter medios impetuoſi maris aſſultus, tam ſecurè provehuntur, quàm ſi ridente ſole, favonius aſpiraret votis; ſuperante artificio ſtructuræ, furias tempeſtatis. atq; hinc appellationem tam glorioſam meruerunt, vt vulgo dicerentur, *Barche di miracoli*.

Inter communes Dei gratias, quædam ſunt ſingulares, & vocantur MIRACVLA GRATIAE.

XXIII. His ego navibus comparo, illam divini favoris ſpecialem, copioſamque gratiam, quâ munitus homo impius, media inter ſalutis diſcrimina, conſpirante etiam toto in ejus perniciem orco, ad portum tamen beatitudinis feliciter tandem appellit. Et quoniam ejuſmodi gratiæ, nec debentur ſceleſtis, nec ordinariè conferuntur; ſed ex certo Dei conſilio pauculis dantur; plurimis negantur; hinc meritò in ordine Gratiarum, *miracula* dici poſſunt; ab omnibus quidem improbis optanda, à nullo tamen ſecura cum fiducia, ſibi promittenda. Certum eſt experientiâ, ſpes ſuas multis illuſiſſe

Neque cõceduntur omnibus promiſcuè impijs.

 mor-

mortalibus, ſimulque & proprijs damnis involuiſſe, & alienis expoſuiſſe ſannis. Sed nulli credo frequentiùs decipiuntur, atque illi flagitioſi homines, quibus fiducia ſalutis ſuæ tantò magis creſcit, quantò profundiùs ſe mergũt per quotidiana ſcelera in barathrum. Dilucidè fatetur Sapiens: *Spes impiorum peribit.* & iterum: *quoniam ſpes impij, tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur; & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt.* Et rurſus: *Sapientiam & diſciplinam qui abijcit, infelix eſt: & vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & invtilia opera eorum.*

Prov. 10. 18.
Sapient. 5. 15.
Sapient. 3. 11.

XXIV.

Attexam hîc paucula, quæ ad propoſitum meum ſapientiſſimè olim ſcripſit, egregium Dominicanæ familiæ ornamentum, Ludovicus Granata. Ejus doctrinam ſic accipe. *Videmus in quibuſdam hujus mundi rebus publicis benè conſtitutis, eſſe quædam quæ fiunt ordinariè, & ſemper eodem modo; quædam verò, quæ extraordinariè vſurpantur. Ordinaria, communia ſunt omnibus: extraordinaria propria ſunt quibuſdam. Idem vſuvenit & in republica* DEI, *quæ eſt Eccleſia. Atq; ita regulare eſt & ordinarium illud Apoſtoli: quorum finis erit ſecundùm opera ipſorum. ſignificans quod communiter loquendo, mors mala malam vitam ſequitur, & bona bonam.* Et paucis interjectis, ſic porrò ait: *præter vniverſalem tamen hanc legem, poteſt* DEVS *ex particulari gratia ad ſuam gloriam, quibuſdam miſericordiam exhibere, vt morte juſtorum moriantur, qui vitam peccatorum duxerunt; quemadmodum & fieri poteſt, vt qui tanquam juſtus vixit in hoc ſæculo, ſecreto quodam* DEI *judicio, tanquam peccator moriatur. quemadmodum illis evenit qui longo itinere proſperrimè navigârunt, & in ipſo portûs introitu naufragium faciunt. Hinc eſt quod Salomon dixit: quis ſcit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum? & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum? Nam etſi ferè ſemper fiat, vt animæ illorum, qui tanquam bruta vivunt animalia, ad inferos deſcendant: eorum verò qui tanquam homines vivunt, in cælum ferantur; poteſt tamen ſecundùm occultum, & particulare* DEI *judicium, nonnunquam hic ordo inverti. ſecura tamen & generalis doctrina eſt, bene viventem, mortem habiturum beatam.*

Ludovicus Granata in Duce peccat. lib. 1. p. 3. cap. 26. ante finem.
2. ad Corint. 11.
Fieri poteſt ex particulari Dei gratia, vt moriatur morte juſtorum, qui vixit vitam peccatorũ.
Eccleſ. 3.
Et fieri poteſt, arcano Dei judicio, vt qui diu vixit vitam piorum, moriatur morte impiorum.

XXV.

Denique Granata, ſolicitus periclitantium medicus animarum, brevi velut compendio, ſalubre antidotum contra præſumptionis vitium daturus, ita ſubmonet mortales vniverſos. *Nemo itaque ob cauſas prædictas, niti debet Exemplis eorum, qui ex particulari gratia ſunt conſervati: ea enim generalem regulam non conſtituunt, nec ad omnes ſe ſe extendunt; ſed ad paucos tantùm, eoſq; incognitos. Nec tu quidem ſcire potes, an eorum numero contineâre.* Hîc ego ſubſiſto, & peſſimum

Ab impietate cito reſilire, eſt promovere felicem mortem.

Digitized by Google

ſimum quemque, inter continuata totiûs vitæ facinora, jubeo ſalubriter metuere, & maturè ſe recipere ad pietatem, quam diu faſtidivit; ne hoc momento, iſtud in caput ejus improbum, Jobi fulmen torqueatur: *ecce ſpes ejus fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.* Iob 40. 20.

PARAGRAPHVS V.

Quintum Impiorum Fulcrum, MERITA CHRISTI IESV, Et immenſum pretium fuſi ab eo ſanguinis, in humani generis redemptionem, Quantam fiduciam ſalutis facere poſsint peccatoribus, nolentibus à peccando ceſſare?

Qvemadmodum funambuli tunc ſunt tutiſſimi, quando in aëre, corporis ſui mole æqualiter librantur; neque vngue vno extra perpendiculum, ad latus alterum inclinant; ita ſecuriſſimè ad cœlum illi progrediuntur Chriſtiani, qui inter ſpem metumq; ſalutis, mediâ incedunt viâ; neque ſperantes ad præſumptionis vitium, neque timentes ad deſperationis exceſſum. Et quidem Ludovicus Bloſius, aſceticæ diſciplinæ egregius Magiſter, belliſſimè ijs etiam mortalibus acuit fiduciam, qui ſub vltimam vitæ veſperam, ſe moreſque ſuos, in melius componunt. Opponit enim ſuaviſſimus pater mortalium impietati, Chriſti patientis ſanguinem, proh! quantùm ſervandis animabus pretium! quantum fulciendæ ſpei momentum! ſed proderit ipſa ejus verba reddere, quibus improbum in morte ſua compellat, erigitque.

I.

Homo inter ſpem & metum ſalutis, medio tutiſſimus ibit.

O tu

II.
Bloſius in tract. quem inſcribit Conſolationem puſillanimium.

O tu, qui in ſenili, vel vltima ætate, relictis vitiorum, iniquitatumq; ſordibus, iter juſtitiæ ingredi cœpiſti, jamq; bonæ voluntatis es; quare ſic trepidas, ac tantâ triſtitiâ deprimeris, quaſi tibi nulla ſalutis ſpes eſſet relicta? recordare quæſo, recordare miſericordiſſimi, benigniſſimi, dulciſſimiq; Redemptoris tui Jeſu Chriſti, qui venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere. pro eis incarnatus eſt, pro eis laboravit, acerbam paſſionem pertulit, ſanguinem fudit, & mortuus eſt. Illum magis inhonorare, vel majori injuriâ afficere non potes, quàm ſi propter multitudinem, diuturnitatem, aut enormitatem ſcelerum tuorum, de ejus pietate, miſericordiâ, ac bonitate deſperes. Quamvis igitur ſenio jam prægravatus, ſeu vitæ hujus termino proximus, inceperis te corrigere, & fortè non niſi vno anno, vel vno menſe, aut vno die, hîc vivere habeas; non eſt tamen quod perturberis, nimiâve puſillanimitate dejiciaris: ſed eſt vnde plurimum gaudeas, conſiderans immenſam DEI *erga te clementiam, qui te ante obitum tuum, ad ſe revocavit, bonam voluntatem tibi donans; quiq; non admodum attendit in homine, quid fuerit, ſed quid jam eſſe velit. Neque inordinatâ formidine concuti debes, propter propriorum meritorum inopiam; nam cùm jam per bonam* DEI *voluntatem & gratiam, veramq; charitatem conjunctus ſis Chriſto, tanquam vivum membrum; particeps eris meritarum ejus, & omnium electorum ipſius: accipies re verâ hæreditatem cœleſtem, quia de numero filiorum* DEI *es. Planè jam ex illis es, de quibus Paulus Apoſtolus loquitur & dicit: Nihil damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant. Itaque jam lætus expectare & potes & debes, bonam ſpem (vt idem Paulus ait) & adventum gloriæ magni* DEI, *& Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.*

Summam Deo facit injuriam, qui de ejus diffidit miſericordia.

Morientiũ & pœnitentium in morte peccatorum ſolatia, ſunt Chriſti merita.

Ad Rom. 12.

Ad Tit. 2.

III.
Chriſtus cruci affixus, ſanguis ejus, & ſacra paſſio, funiculus triplex, quo homines ad cœlum trahimur.

Pleniſſima ſolatio doctrina, inquiet non nemo, nobiſque admodum opportuna: quibus, poſtquam totius curriculo ætatis, per omnia ſcelerũ ivimus abrupta, jam vbi ad vltimã vitæ lineam ſtamus, affirmat ſidera patere; præſertim quando ſpem noſtram ſtabilimus fulcro ſanctiſſimæ Crucis, in qua Dei Filius, per ſanguineos olim fontes, merita dolorum ſuorum depluit in orbem vniverſum, æterno humanę gentis bono. Et certè, quantum in ſatisfactione Chriſti, ſuſcepta pro mortalium culpis, lateat beneficiorum pondus; D. Bernardus ſacrarum mercium optimus ęſtimator penetravit, quando ex pio aſpectu Crucifixi, ſive amore ſaucius, ſive affectu ebrius, in hęc ad IESVM ſuum mellea prorupit verba.

IV.
D. Bern. ſuper Cant. Serm. 22.

Paſſio tua vltimum eſt refugium, ſingulare remedium. deficiente ſapientiâ, juſtitiâ non ſufficiente, ſanctitatis ſuccumbentibus meritis, illa ſuccurrit. quis enim de ſua vel ſapientia, vel juſtitia, vel ſanctitate præſu-

mat

Digitized by Google

mat ſufficientiam ad ſalutem? non quod ſufficientes inquit ſimus, cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO *eſt.* 1. ad Corin. 3.
Itaq; cùm defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido, ſcio quid faciam: calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Pſal. 115. *Illumina oculos meos Domine, ut ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore, & ſapiens ſum;* Pſal. 12. Pſal. 24. *delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, & juſtus ſum: deduc me Domine in via tua, & ſanctus ſum.* Pſal. 138. *Veruntamen niſi interpellet ſanguis tuus pro me, ſalvus non ſum.*

V.

Expertus eſt quidam familiæ Franciſcanæ cliens, quem in extrema ægritudine, triſtis à mente abalienatio, velut ante divinum tribunal conſtituit, dicturum pro totiûs vitæ cauſa apud Iudicem DEVM. Et auditus eſt plurimùm formidanti, imò & deſperanti ſimilis exclamare: ah! miſerum me; vtinam nunquam in has mortalium terras effuſus eſſem: vtinam mihi matris meæ vterus ceſſiſſet in tumulum, quando adhuc in tenebris cœcus, & rerum omnium ignarus jacui. Subterfugere ſic poteram periculoſi cenſuram examinis, quo nunc premor, vſque ad ſudoris mei balneum. Vix brevis interceſſit morula, & vociferando rogare inſtitit eum, quem conſpexit libram proferre: vt fide bonâ, quidquid olim rectè egiſſet, appenderet in lancem. Atque iterum, quæſo te inquiebat, de meritis & paſſione Domini Ieſu Chriſti, auctarium appone. ſtatimque tota ſolicitudo enixè laborantis, in fiduciam, mœror in hilaritatem mutavit: & jam ait, res bene habet. Vbi ad ſe rediit homo, interpellatus eſt à circumſtantibus, vt rationem ſuorum dictorum eis redderet. Quibus ille omnem protinus hiſtoriam, religioſâ ſinceritate in hunc modum narravit. Severus Numinis rigor, ſingula quæq; ad juſtitiæ ſuæ libellam, accuratiſſimè expendentis, etiam velociſſimos cogitatus, & ſermones otiosè prolatos: fecit vt totis artubus trepidarem, & prorumperem in querelas ſuper morte copioſas; quæ dum mihi pepercit in ventre materno, viſa eſt ſanè inclemens fuiſſe. ſic enim ad vitam ſervatus brevem, conjectus fui in periculum miſerrimæ æternitatis adeundæ: qualem apud inferos agunt damnati, nunquam totam peracturi Et quoniam vidi à mole noxarũ mearũ deprimi lancem, multiſq; partibus ſuperari pondus bonorum operũ; oravi, vt nihil omitteret rectè à me factorũ libripens, ſed fideli manu adjungeret in ſtateram, quidquid cauſam hominis rei, apud judicem adjuvare poſſet. Itaq; etiam expetij, vt de patientis Chriſti meritis aliquid ad egeſtatem meam

In Chronico Minorum p. 3. l. 4. c. 25.

Merita Chriſti, poſita in ſtateram juſtitiæ, præponderant mortalium peccatis.

Quod quidam commodo ſuo expertus eſt.

Digitized by Google

accederet. quod vbi factum fuit, ipſe mihi adgratulari cœpi, & applaudere: quando vidi ex tam fœlicis acceſſu ponderis, meorũ ſcelerum molem fuiſſe ſuperatam. certè à Iudice DEO, continuò benignam accepi ſententiam, atq; ex voto. Hæc vbi dixit, ſimul & vixit, animamq; jam Numini ſuo probatam, ad cœlos miſit.

VI. Itaque, quod ſine flamma eſt lampas, ſine anima corpus, domus ſine fundamento; hoc eſt peccator homo ſecundùm ſe ſpectatus, abſq; Chriſti meritis. ruinam omnino timere debet, exanime cadaver habet, tenebris inſepultus eſt pluſquàm cimmerijs. Splendet tamen, & viget, & ſtat, vt primum per Eccleſiæ ſacramenta, & pium mentis affectum, ei applicatur mors acerba, quam Chriſtus Seruator, in ſacro Crucis ſtipite, bono mortalium ſubijt. O igitur tu mihi ſalve, & millies ſalve, potiſſimum humanæ ſalutis inſtrumentum; pretioſum inquam lignum, in quo immenſus ſe DEVS contraxit intra anguſtias brachiorum tuorum, vt inde vicinior jam nobis, in ſimilitudine carnis porrigeret litrum redemptionis noſtræ; ſive liquorem ſanguinis ſui, ſive doloris meritum, ſive vtrumque. Libet hîc canere laudes tuas, & cum Eccleſia vetus dicere encomium:

Crux in qua Chriſtus pro nobis pependit, omnium arborum nobiliſſima.

Crux fidelis, inter omnes
Arbor vna nobilis:
Nulla ſilva talem profert
Fronde, flore, germine.

VII. Fuit olim arbor, & nomine ſuo felix, & ſolo, & ſatore: nam in paradiſo ſtetit, digito magni DEI plantata, & lignum vitæ nuncupata: neq; inani nomenclaturâ. ſiquidem nativam vim habuit à morbis, triſtitia, melancholia, ſenio, ipſaq; morte eum eximendi, qui ſe guſtatis illius fructibus munijſſet. O! ſi hodieque aditus eſſet penetrandi ad hanc arborem! credo multi prodigerent opes ſuas; quin etiam per ſudores & ſanguinem, ſibi acceſſum pararent. vix enim in hac mortalitate, homines pretioſius aliquid exiſtimant vitâ robuſtâ, valente, longevâ. Sed heu! ſcelere majorum noſtrorum factum eſt, quod ait ſcriptura de DEO: *collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubin & flammeum gladium, atq; verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Compenſavit tamen divina bonitas hunc rigorem ſuum, quando in Golgothæo monte Crucem erexit, alterum & melioris vitæ lignum, omnibus obvium, quibus in deſiderio eſt, piâ manu decerpere fructus ejus, hoc eſt, effectus.

Gen. 2. 9.

Superat lignum vitæ in paradiſo.

Gen. 3. 24.

Fructus S Crucis, varij & multi.

VIII. Qui, quàm varij ac multiplices ſint, quæſo te ex SS. Patribus diſca-

diſcamus. Hos inter D. Athanaſium tibi produco, ſic differentem ad præfixum materiæ noſtræ ſcopum. *Crux*, inquit, *de morte triumphavit, diabolum ſuſtulit, innumera bona per crucem contigère. cruce conculcata eſt mors, & in exilium relegata maledictio, infernus ceſſit in prædam, peccatum eſt abolitum, transgreſſio ſublata, diabolus ligatus, plantata eſt ſalus, reſurrectio eſt patefacta, malitia eſt abacta, vita eſt orta, & idololatria diſſoluta.* Sed jungamus Athanaſio Conſtantinopolitanum præſulem, ab aurea ſuadà famoſum Græciæ oratorem, qui inter Crucis elogia numerat, quæ ſequuntur. *Crux noxia, mortiferaq; venena extinxit, morbos profligat, cicutæ vim elidit, dæmones fugat, belluarum venenatarum morſus curavit; tenebras pellit, fines orbis terræ illuminat; inferorum portas aperuit, cælorum orbes laxavit, paradiſi aditum renovavit, terram cælum fecit, homines fecit angelos, mortem delevit, cælos aperuit, terram expiavit, naturam noſtram in ſolium regium deduxit, tyrannidem diaboli diſſolvit.*

Athan. in q. Antioch. p. 158.

Explicatri à SS. Patribus.

S. Chryſoſt. de venerat. Crucis.

IX.

Neque diſſimilia ſcripſit ſanctus Damaſcenus, maximus magnæ Virginis cultor, & prodigioſus à manu ſua, quam ejuſdem beneficio tum recepit, poſtquam hoſtilis perfidiæ illum ferro impiè truncaverat. Et certè cum dextera ſua, viribus animoque, velut auctior Damaſcenus, intrepidè commendavit, quidquid ad ſanctorum laudes, encomia Deiparæ, Chriſti patientis gloriam facere poterat. Quia etiam in Cruce, redemptioni noſtræ colophonem impoſuit DEI filius, ſic in hujus ligni honorificam commendationem, ſtylum ſuum effudit. *Cruce peccatum deletum eſt, primi parentis peccatum extinctum, infernus ſpoliatus, reſurrectio donata, vis contemnendarum rerum præſentium, atq; ipſius quoq; mortis conceſſa, reditus ad veterem beatitudinem comparatus eſt, paradiſi portæ patefactæ ſunt, natura noſtra ad DEI dexteram conſidet; filij deniq; DEI, & hæredes facti ſumus.*

Et à S. Damaſceno eâ dexterâ, quam reſectam ope Deiparæ recepit, conſcripti l. 4. c. 22.

X.

Quis igitur negare aut poſſit, aut velit, Crucis arborem eſſe principem ac Reginam in ſylvis; quia lignum vitæ eſt, & lignum vitæ æternæ. certe hunc inde præcipuum licet fructum carpere, poſtquam Chriſtus è terra per Crucem exaltatus fuit, magnum orbis ſpectaturi ac riſuri ludibrium. Ita Servator ipſe in decuſſatam quaſi jam trabem fixus, & alienis confuſus à probris, exclamavit olim per Davidem: *Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me, deriſerunt*

S. Crux, arbor eſt vitæ æternæ, poſtquam in eam ſuſpenſus fuit Chriſtus.

Pſ. 21. v. 6. & 7.

riſerunt me, locuti ſunt labijs, & moverunt caput. Quâ phraſi minimè negat DEI filius, ſe hominem eſſe, ſed quaſi affirmat ſe ab hominibus inter abjectiſſimos habitum, quando etiam indignis mancipijs ad ſannas, & verbera, & calumnias expoſitus fuit. Denique ceſſit in *nullificamen populi*, vt loquitur Tertullianus. Sed nunquam plus eviluit Chriſtus, ſtultæ Hebræorum invidiæ, nunquam magis abijt in protrimentum ſuperciliofo gentilitatis livori, quàm cum factus eſt ligni Vermiculus, & pendens è ſtipite, Crucem ſibi fecit ſuam opus vermiculatum, pulchreque variegatum; colore ſanguinis per tenues vndique venulas errantis.

Tertull. cōtra Iudæos.

XI. Sunt qui ad Davidem applicent ſequens elogium. *Sedens in cathedra ſapientiſſimus princeps: ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Quod veſtimento eſt tinea, hoc ligno domeſticus eſt vermiculus; contemnendus omnino hoſtis, ſi putidi ſpectes corpuſculi mollitiem; formidabilis tamen à tacito dente, ac latente morſu, quo ſenſim exedit lignum ac terebrat, cùm creditur otioſus in ſilentio ſuo torpeſcere. *Sic David* (vt Rabanus explicat) *domi affabilis, quietus & humilis, in certamine robuſtum ſe, & intolerabilem hoſtibus exhibebat.* Et Chriſtus, Davidici ſtemmatis ſimul radix ac ſurculus, cùm in cathedra Crucis non tam ſedit ſuaviter, quàm dolenter pependit; nunquid ſecundùm externam corporis ſui, fortunæque conditionem, apparuit vilis, & quaſi abjectus ligni vermiculus, quem pedibus ſuis conculcaret peſſimus quiſque Judæorum? nihilominus tamen hem! quantam ſtragem hoſtium fecit? intra octingentos cædes non ſtetit. quotquot mundus iſte (ſanè nimis quàm immundus) numeravit mortalium peccata, Numini capitales inimicos, ſtravit; ipſamq; mortem ac Sathanam, poteſtate ſuâ exutos, indutos ſervili ferro, poſt currum triumphalem, victoris juſſit veſtigia legere. nobis interim hominibus, in veram libertatem aſſertis, & reſtitutis ad primùm jus adeundi cœli. Quod vt intrare aliquando Reges poſſimus, Chriſtus tenerrimus ligni Vermiculus, ex ſucco ſanguinis ſui nobis purpuram fecit; tantò pretioſiorem, quantò copioſiùs eam tinxit.

7. Reg. 23. v. 8.

Tenerrimus ligni Vermiculus.

Rabanus hic.

Qui, ſicut morte ſuâ ſtragem edidit tartaro & impietati:

XII. Vbi obſervare licet ingentem divini amoris affectum, erga genus mortalium. cùm enim & eluendis peccatorum noſtrorum maculis, & revocandis in priſtinū ſplendorem animabus, ſufficeret vna profuſi ſanguinis guttula; voluit tamen DEI Filius, vt totus

Sic nobis ex ſanguine ſuo, purpurā fecit regiam.

Digitized by Google

rus nobis efflueret cruor ſuus, tot fontibus, quot ſacrato corpori fecerunt vulnera ſpinæ, flagella, clavi, lancea. Itaque S. Thomas de Aquino, inter homines Angelus (certè Angelicus Doctor) non ampliùs admiratur viam in cœlis lacteam, & à ſtellis puriſſimis candicantem; ſed illam in terris purpuram, quam fecit Chriſti ſanguis, cùm ex ejus membris per Crucis trabem, & Golgothæum montem effuſus eſt mortalibus, prodigâ ferè liberalitate: hinc etiam illa ejus ad Soterem noſtrum ſuſpiria iverunt.

S. Thomas in rythmo ad S. Euchariſt.

Pie Pellicane JESV Domine,
Me immundum munda tuo ſanguine:
Cujus vna ſtilla ſalvum facere,
Totum mundum quit ab omni ſcelere.

Ita eſt; vnica cruoris guttula, manans ex diviniſſimo Chriſti corpore, quo tempore affixum erat ignominioſæ Cruci, ſufficere poterat redimendis mortalibus; opus non erat tam largo balneo, niſi demonſtrare voluiſſet amor, ſuæ benevolentiæ abundantiam. Sed & hodie ſalvando impio, neceſſe non eſt, totum patientis Chriſti dolorem offerre Patri offenſo; vna ſanguinis gutta tantum pondus habet, vt eum reconciliare poſſit.

Vna gutta de Chriſti ſanguine, ſufficit redimendo toti mundo.

XIII. Doctus eſt hanc veritatem, quidam Deiparæ Virginis amator & cliens, minùs tamen ab ea redamatus, quòd inter leviculos adhuc cenſeretur. Igitur emendando in melius homini, talis aliquando objecta eſt ſpecies. Cernebat cacodæmones ad ſtateram occupatos, in altera lance magnis cumulis ſcelera ſua conſtipare; in alteram à Dei Genitrice collocari precatiunculas, & paucula, quæ commendationem merebantur opera. Itaque neceſſariò, mole ſuâ prævalebant peccata. Cùm ecce tibi, ſollicita mater de capite clientuli ſui, periclitantis apud tribunal, inclinante jam ad vindictam Juſtitiâ: ſupplicabunda procumbit ante pedes Filij, & Judicis Chriſti, rogatque vt quia ex ſe, matre ſua Virgine, parvulus infans virgineum traxiſſet ſanguinem, quem adultus poſtea fuderat in Crucis patibulo; vnam ejuſdem ſibi ſtillulam promeret. Fecit Filius; quid enim negaret matri ſuæ, tam ſancta & pia petenti? immò & de ſuo, aliquam particulam flagitanti? Itaque vt B. Virgo ex Chriſti cruore, guttulam impetravit, jam velut in ſplendentem duratam carbunculum; ad ſervuli ſui minuta merita, auctarium hoc in lancem poſuit ſtatimque pondere tam ſancto, molem evicit graviſſimorum criminum. Quæ cauſa fuit, vt homo diſcrimine ſalutis ſuæ exemptus, & Deiparæ eſſet devotus, & gratus ſemper merito-

Spinellus in throno Deiparæ c. 30. num. 11.

Guttula de ſanguine Chriſti, Filij ſui, collocata in lancem à B. Virgine, clientis ſui flagitia pōdere ſuperavit.

meritorum Chriſti æſtimator; vt quem vnica ab eo fuſi ſanguinis guttula, bis eripuiſſet orco.

XIV. Atque hoc ipſum princeps eſt argumentum, quod ſceleratiſſimi hominum prætexunt gravi, longæque impietati ſuæ, meritorum Chriſti, & fuſi ab eo ſanguinis ingens pretium mercatum ajunt pulcherrimum eſſe, Filij DEI & paſſione & doloribus, cruore alieno ac ſudore, vnâ etiam Salvatoris guttâ, ſive pro nobis æſtuantis, ſive ſanguinantis, emi poſſe cœlum; ſi, cùm moriendum eſt, DEO Patri flagitioſus quiſque exhibet, Filj ſui pro humano genere tolerata ſupplicia. Ita improbi ſpes ſuas fulciunt in meritis Chriſti; ego dixero petulantiam roborare, ſæpe in proprium interitum, vt nunc oſtendam.

Nonnulli impiorum, propter Chriſti merita, fiunt temerarij & protervi.

XV. Et quidem affirmo, veriſſimum illud Davidis verbum eſſe, quod ad Chriſtum ſalutis noſtræ Reparatorem applicant SS. Patres: *apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* copioſa omnino, tum ex infinita dignitate perſonæ redimentis, tum ex pretij magnitudine, tum ex multitudine malorum, quibus liberati ſumus, tum ex numero excellentiaque bonorum, quæ hac in vita conſequimur; & (niſi abuti velimus tam inſigni redemptionis beneficio) olim etiam obtinebimus, æternitati admenſurata. Nihilominus inculco illam Apoſtoli ſententiam; *adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* Vbi certum eſt ratione valoris & ſufficientiæ, nihil defuiſſe paſſioni Servatoris: ſed vt hæc ipsâ eſſet efficax gentibus, prædicatio laboribus pleniſſima requirebatur. Ideò Paulus ait, ſe adimplere, quæ deerant paſſionum Chriſti, quia per infinitas moleſtias, difficultates, pericula, Evangelium populis infidelibus annunciabat, ex certa Numinis diſpoſitione.

Pſal. 129.7.

Copioſa eſt quidem Salvatoris redemptio.

Ad Coloſſ. 1.24.

Sed oportet adimplere, quæ deſunt illi.

XVI. Pari ratiocinatione colligunt Doctores, tametſi ſecundùm ſe conſiderata mors Filij DEI incarnati, ſuffecerit mille mundis, & innumeris hominibus redimendis; tamen re ipsâ, nemini adulto eſſe efficacem, niſi eam ſibi quiſque applicet proprio ſtudio & conatu: non excludendo gratiam, quâ excitatur, animatur, juvatur, ad ardua virtutis exercenda opera, vitanda aberrantis naturæ blandimenta, excludendas dœmonis ſtrophas, & commenta DEO injurioſa. Quam in rem ſalubre eſt monitum Divi Gaudentij, Epiſcopi Brixienſis, qui ætate Sancti Ambroſij vixit, clarior ab hoc ſibi vicino ſidere. *Cavendum* inquit, *nobis eſt, ne victoriam Chriſti, quâ diabolum triumphavit, de captivitate ejus nos redimens ſuo ſanguine,*

Etſper propriam applicationé, ſibi facere efficacem.

S. Gaudentius tract. 12.

Digitized by Google

ne, & auferens ei humani generis principatum, noſtro vitio irritam faciamus; illius tyrannidi per illecebras carnis, crudeli ejus regno, nos iterum ſubijcientes, in contumeliam Redemptoris. Vnde meritò conqueratur, increpans & exprobrans, quæ vtilitas in ſanguine meo? ſine cauſa meus pro vobis ſanguis effuſus eſt, ſi ita vos geritis. Ita converſemini, ne diabolus iterum principetur in vobis, & ſpolia ſe tanti detraxiſſe victoris, id eſt Chriſti, ſuperbus prædo inſultet.

Si deeſt hominis cooperatio, queritur Chriſtus: quæ vtilitas in ſanguine meo? Pſal. 29.

XVII. Quin etiam apertiſſimè ex fontibus ſcripturarum, aſſeſerunt Eccleſiæ Patres, neminem mortalium CHRISTI meritis frui poſſe, qui ſe aut vitio turpis ignaviæ, negligit facere participem tam nobilis theſauri, aut pergit eſſe injurius in ſupremam Numinis Majeſtatem; iterumque Salvatorem noſtrum, per ingens improbiſſimæ temeritatis facinus, è cœlo rapit ad terras, & velut ad columnam alligat, rurſus cruentandum flagellis. Certè qui hoc agere continuò perſeverant, neſcio quid ſibi interim polliceri poſſint, de patientis CHRISTI acerbiſſimis cruciatibus, exantlatis in humanæ gentis vtilitatem. Metuendum eſt ne ex alienis meritis, quibus fulcire ſpes ſuas volunt, pontem ſibi ad inferos ſtruant. Abuſus beneficio in jugulum largientis, ſemper culpam habet. Ita juſtiſſimam meretur indignationem pœnamque, quiſquis in contumeliam Redemptoris DEI, ſub pallio meritorum ejus, audet contra eundem eſſe prolixè impius.

Et quid illi ſperare poſſint, qui per ſcelera ſua continua, quaſi Chriſtum dè cœlo ad nova ſupplicia flagellorum retrahunt?

XVIII. Cognoſcere hîc aliquis deſiderabit, illud lymphatum genus mortalium, qui in CHRISTVM veteres tyrannides exercere non dubitant, ipſumque quaſi denuò ante tribunal Pilati damnatum, recentibus iterum conficere vulneribus flagrorum. Huic ego, lugubris tragœdiæ hiſtoriam propono, fide eâdem, quâ refert Ioannes Heroldus. Preces matutinas fortè acceſſurus vir pius, propter œnopolium tranſit, vbi juvenes aliquammulti compotationibus & luſibus, præteritam noctem ſepelierant; & inter jurgia (vt fit) rixaſque, atroci blaſphemiâ DEVM offenderant. Cùm ergo paululum promoviſſet, conſpexit in via hominem, fœdè membra omnia laceratum, vulneribuſque hiantibus miſerabilem, ad quem admirabundus acceſſit, & à quonam crudeliter adeò habitus, conciſuſque foret, ſciſcitatus eſt. Cùm reſpondiſſet ſaucius ab ijs, qui in proxima taberna, eam noctem inter pergræcationes, & blaſphemas voces conſumpſiſſent; è veſtigio alter conveniens ganiones illos, percontatur, quanam ex cauſa miſerum

Ioannes Heroldus in prompt. exempl. de blaſphemia.

Apparet Servator, toto corpore vulneratus,

foris

per quorundam blaſphemias.

foris ſub dio jacentem, tam barbarè tractâſſent? tum attoniti juvenes negant à ſe vulneratum eâ nocte aliquem, nec à quoquam cuiquam vim allatam; ſolùm genium, & cuticulam quemque ſuam curâſſe. Egreſſi deinde vnà cum caſtigatore omnes, neminem vſquam deprehendunt; vnde turbati animis prorſus credidêre, ſe ſe eâ vivendi licentiâ, & inter ludendum præcipuè, toties repetitâ blaſphemiâ, Chriſtum denuo quaſi excarnificaſſe. Et ô! quanti hodie quoque in Deum, liberatorem ſuum fiunt tyranni. illi nempe, qui novo pugnandi genere, per blaſphemias ſe mutuò certant ſuperare, velut inter luſum & jocos. Sed heu! nimis amarus jocus eſt, nimis crudelis luſus, apud quem Chriſtus petitur ad nova vulnera, & lanienam.

XIX. Aliqui ſanguinem Redemptoris, velut pedibus conculcant.

Non abſimilis illorum evadit impietas, qui humanæ gentis Servatorem, ejuſque diviniſſimum ſanguinem, noſtræ neceſſitati per aureos amoris canales, largiſſimè effuſſum, indigno pede calcant. Apoſtoli hæc eſt argumentatio: *irritam quis faciens legem Moyſis, ſine vlla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium* D E I *conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Intelligunt verò aliqui hæc verba de quovis peccato mortali: per hoc enim improbus quiſque, implìcitè ac interpretativè (vt Theologorum phraſis eſt) quaſi conculcat gratiam, redemptionem, mortem, ſanguinem Chriſti. Quod quàm grave ſit piaculum, docebit ratio ducta â ſimili, & ab illuſtri Eleazari facìnore.

Ad Hebr. 10 28. Cornel à lap. hic.

XX.

Hic (ſcripturæ teſtimonio) *dedit ſe, vt liberaret populum ſuum:* nempe periculum proximum adijt, & conſpecto in gravi conflictu, Antiochi Regis elephante, ratuſque, ſi cùm eo confeciſſet adverſi exercitûs Regium caput, debellatum fore; per medios hoſtium globos, ferro virtuti ſuæ viam aperuit; jamque vbi ad inimici Regis beſtiam venit, ſuppoſuit ſe moli, & fixo in ventrem gladio, ad ruinam elephantem impulit, ſed infelici eventu. collapſa enim ſuper Eleazaro belua, eodem victorem caſu, ſecum in mortem traxit, ſuoque inſepelivit corpore. Iam ſi aliquis ex Hebræorum gente, viri glorioſi cadaver, & ſanguine ſuo tinctum, calcâſſet pedibus; meritò illud audijſſet: heus tu ingratiſſime, itáne pro beneficio rependis maleficium, pro amore odium, pro benevolentia ignominiam? neſcis quia iſte periculum tuum, ſuo voluit redimere? tuam mortem ſuo interitu? quomodo ergo audes, poſt amantis te amici

1. Machab. 6. 44.

Declaratur hujus facinoris indignitas, per heroem Eleazarum.

amici tam pulchrum obitum, tibi tuiſque tam ſalutarem, inſultare mortuo? Ita ajo, nunquam cœlum indignatur ampliùs, quàm cùm videt Chriſtum DEI filium, pro nobis putidis terræ vermiculis, funeſtiſſimâ morte ſublatum, ab iiſdem adhuc in ſanguine ſuo calentem, quaſi pedibus proteri. Credo, ſi quoties hoc facinus ſol aſpicit, in ſignum indignationis atque erubeſcentiæ, vultum recondere, ſuoſq; orbi ſubtraheret radios, frequens nox eſſet, & velut juges tenebræ.

XXI.

Nec deſunt mortales, qui Dei filium quaſi rurſus in Crucem figunt.

Sed illud ferè omnem excedit humanæ improbitatis menſuram; quem olim divinitatis ſuæ conditio, exemit tandem ignominioſæ Cruci, cœliſque triumphantem intulit Soterem noſtrum; iterum velle ex tam fortunato ſolio, retrahere ad infame lignum, & veterem cum Chriſto repetere, non tam fabulam, quàm tragædiam. Sanè de ijs affirmat Paulus, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium DEI*, qui ſemel per ejus merita, peccatis gravibus expediti, turpiter in eadem probra relabuntur. Niſi enim Chriſti mors tam fuiſſet efficax, ut ad omnes prorſus mortalium noxas, poſt quantavis demum ſæcula iterandas, ſe extenderet; toties eundem mori oporteret, atq; in Crucem affigi, quoties iterum homines enormiùs delinquunt; eâ omnino ratione, quâ ſacrificia Aaronis, toties olim repetebantur, quoties gravia Iudæorum ſcelera. Nihilominus Chriſtianos etiam hodie, novam quaſi in flagitijs ſuis Chriſto fabricare trabem, nova Crucis tormenta parare, oſtendit S. Petrus Damiani, ſimulque & dehortatur crudelem inſaniam, verbis quæ attexo.

Ad Hebr. 6. 6.

Corn. à lap. hic.

Quomodo id fiat ad mentem Apoſtoli, explicatur.

XXII.

S. Petrus Dam. in ordine ſerm. 48. aliàs ſerm. 1. de exaltat. S. Crucis.

Vide, ne rurſus tibimetipſi crucifigas filium DEI, & hoſtem tui habeas, rurſus fabricans crucem, in qua crucifigatur ille, qui reſurgens ex mortuis, jam non moritur. Intuere, ne mortiferam crucem efficias, in qua facias filium DEI amaris doloribus interire. Superbia ſuperiùs, inferiùs luxuria, à dextris proſperatio iniquitatis, à ſiniſtris adverſitatis deſperatio, ſpinas, clavos, & lanceam, filio Virginis repræſentant. Cùm enim elevas te, & ambulas collo ext[illegible]o, caput altiſſimi ſpinarum multiplicitate contorques. Cùm ponis oculos tuos, ut non reſpicias cælum, & voluptuoſis carnis tuæ motibus moveris, & traheris, durioribus clavis pedes omnipotentis transverberans, ab inferiori infers ſupplicium, dum momentaneâ voluptate, voluntatem Dominantis excludis. Cùm proſperaris in iniquitate, fœtidiori curſu rerum, peccata peccatis accumulas, clavum ponis in illius dextera, quem de ſuis bonis proſequi non deſiſtis. Cùm verò abundantiori triſtitiâ

Varijs peccatis, variè Chriſtus cruci affigitur & affligitur.

tiâ abſorberis, & tuam impietatem pietati D E I *præponderas, ſiniſtram ejus transfigis, & conceptum furorem furore tuæ deſperationis amplificas. Deniq; cum præſumis defendere quod feciſti, lancearem ictum lateri Salvatoris intorques: nihilq; gravius ingeris Crucifixo, quàm tueri, quod odit.*

XXIII. Sicut extremæ fuit malitiæ facinus, quod olim in Chriſti Crucifixi iconem deſignârunt Judæi quipiam, ita eventum habuit prodigioſum, & toti poſteritati admirandum. Berytus Civitas eſt, Tyro & Sidoni contermina. In hac ſub annum à Chriſto nato, ſeptingenteſimum ſexageſimum quintum, habitare inter ſpinas lilia, hoc eſt inter impios Hebræos, pios Chriſtianos vidiſſes. Et fortè Chriſtianus ædibus ſuis Judæo ceſſit, alioque migravit, oblitus ſecum ferre nobiliſſimam, & ab omnibus retro majoribus acceptam hereditatem, Chriſti imaginem Cruci ſuffixam, opus ab artifice manu, ipſius Nicodemi commendandum. Spectaſſes tum in nepotibus ſuis antiquos Servatoris hoſtes, & jam non odij ſimulacrum, ſed ipſiſſimum veteris impietatis bellum. Iterum Chriſtus vincula fert, in ſua icone, & captivus triumphatur, agitur, raptatur, iterum ſputa volant, alapæ inſonant, flagra crepant, ſpinæ ſe armant, clavi malleique intonant. iterum fel, & felle ſuo acerbior lingua ſævit. Denique ô cœli patientiam! iterum pectus ferro impio petitur. Atque vt oſtenderet Chriſtus ſentire ſe, injuriam ſaltem vibratæ lanceæ, ſi non dolorem inflicti vulneris; iterum fons geminus, ſanguinis & aquæ fluit; ſed eò pretioſior, quia ſanavit & corporum morbos, & animorum. Certè ipſi hujus immaniſſimi ſceleris auctores Judæi, ſicut antea penitus erant ſuperſtitione ſuâ excœcati, ita hac gemina aſperſione tincti, lumen veræ fidei acceperunt, factiq; ſunt omnes Longini, cum illo quondam pares felicitate, in cauſa non impari.

Ex actis Nicena Syn. II. & faſtis Mariā. 9. Novemb.

Ad eum modum, quo olim à Judæis quibuſdam, Crucifixi imago malè habita fuit.

XXIV. O! ſi hîc vota aliquid ſanctorum valerent, quàm optant calidè, vt impij omnes Chriſtiani, poſitâ crudelitate, diſcant humanitate proſequi D E V M, pro ſe hominem factum, & humana paſſum! ſed heu! quanta eſt aliquorum fidelium barbaries! quaſi nimis parvam æſtimarent carnificinam, ſævire cum Hebræis in Crucifixi ſimulacrum; ipſum prototypon infeſtant, ipſumque velut Chriſtum novis ſupplicijs excruciant. Ita olim S. Brigita, ſanctitatis laude inclita vidua, cùm adhuc virginitatis ſuæ annos exigeret, filium DEI, quaſi tunc primùm in

Sed graviùs eſt, Chriſtianū improbum ſævire in perſonam Chriſti.

Surius in Vita S. Brigita Vidua.

Cru-

Crucem ſuffixum aſpexit, inter recentia vulnera, purpureo cruore madentem; indeq; audijt dicentem, ſeu conquerentem potiùs; facinus hoc eorum eſſe mortalium, qui ſuum amorem negligerent, mundi ſectarentur; digni profectò, quos olim Chriſtus in ſuo tribunali ad rigidum examen vocet: & niſi ante mortem ejuſdem ſe gratiæ reſtituant, plectat ſevero calculo, tanquam reos in ipſam ſui Judicis pietatem. Inſinuat hoc ipſum Deipara, in eo colloquio, quod olim cum eadem S.Brigita inſtituit ad propoſitam materiam. Titulus præfixus capiti, inter revelationes D. Brigitæ factas, ſic habet. *Verba matris ad ſponſam, excellentiam ſui filij ponentia; & qualiter Chriſtus acriùs nunc ab inimicis, malis Chriſtianis crucifigitur, quàm à Judæis crucifixus fuerat; & per conſequens, quod tales acriùs & amariùs punientur.* Sed nunc ipſos Divæ Virginis queſtus audiamus, indignantis de hominum crudelitate, & lamentantis, ſuper filij ſui repetitis toties cruciatibus. Ejus nunc tibi verba allego.

In revelat. S. Brigita lib. 1. c. 37.

XXV.

Conqueror, quia filius meus ab inimicis tuis, qui nunc ſunt in mundo, amariùs crucifigitur, quàm tunc Judæi crucifixerunt eum. Nam licet deinceps impaſſibilis ſit, nec morì poſſit, tamen cum proprijs vitijs crucifigunt eum. Sicut enim aliquis homo, imagini alicujus inimici ſui, contumeliam & læſionem faciens, licet imago non ſentiret illata, tamen propter voluntatem malam lædendi, læſor quaſi pro opere argueretur & dijudicaretur: Sic eorum vitia, quibus ſpiritualiter crucifigunt filium meum, abominabiliora & graviora ſunt ei, quàm illorum, qui crucifixerunt eum in corpore. Pergit DEI Mater, & tacitæ interrogationi prudenter occurrit. *Sed fortè tu potes quærere, quomodo crucifigunt eum? Primò ponunt eum in crucem, quando de præceptis Creatoris ſui & Domini, non curant, & dehoneſtant eum; quando ipſe monet eos per ſervos ſervire ſibi, & ipſi hoc contemnentes, faciunt quæ ſibi placent. Deinde crucifigunt dexteram manum, quando tenent juſtitiam pro injuſtitia, dicentes: peccatum non eſt ſic grave & odioſum DEO, ſicut dicitur; nec DEUS in æternum affligit quenquam, ſed propter timorem minatus eſt. Deinde crucifigunt ſiniſtram manum ejus, quando virtutem vertunt in vitium, volentes uſque in finem peccare, dicentes: ſi dixerimus in fine ſemel miſerere mei DEUS, tanta eſt miſericordia DEI, quòd habebimus veniam. Poſtea crucifigunt pedes ejus, quando delectantur in faciendo peccatum, & non ſemel cogitant amaram paſſionem Filij mei, nec regratiantur ei, ſemel de intimo corde dicentes: O! quàm amara erat paſſio tua*

Quæ ipſa eſt querimonia Deiparæ, exaggerantis injuriam, filio ſuo inferri ſolitã à ſceleratis.

Deſcribit etiam peccata illa, per quæ impij Chriſtiani, quaſi de novo manus, pedes, latus, Chriſto trãſfigunt.

DEVS! laus tibi ſit pro morte tua. hoc nunquam procedit de ore eorum. Coronant deinde eum coronâ deriſionis, quando derident ſervitores ejus, & vanitatem reputant ſervire ei. Dant ei fel bibere, quando gaudent & exultant in peccato, nec aſcendit ſemel in corde eorum, quàm grave & quàm multiplex ſit. Pungunt latus ejus, quando voluntatem habent perſeverandi in peccato.

XXVI. Poſt hæc B. Virgo, inter Zodiaci ſigna pulcherrimum, ſereniſſimumque ſidus, tamen fulgurire cœpit, & fulmen minari in eos olim torquendum, qui nunc filij ſui non erubeſcunt novi eſſe tortores. *Verè dico tibi* (vox eſt Deiparæ ad D. Brigitam) *& hoc amicis meis dicere poteris: quòd tales ſunt ante filium meum, injuſtiores judicantibus eum, immitiores crucifixoribus ejus, impudentiores venditoribus ejus; & major pœna debetur iſtis, quàm illis.* Conſtat etiam huic dicto ſua ratio. quia cùm Chriſtiani propter fidei lumen, circa perſonam, divinitatem, dignitatemq; Chriſti, minùs habeant ignorantiæ, plus ſcientiæ quàm Iudæi quondam; hinc multum iſtorum culpa diminuitur, illorum creſcit; facitq; ea circumſtantia malitiam auctiorem. Præſertim verò, quando ipſe quaſi in ſe DEI filius, ſcopus fit humanæ impietati; vt cùm hodie Chriſtianus homo Chriſtum, ejuſque ſanctiſſimum nomen, blaſphemâ temerat linguâ; aut quod gravius eſt, ipſa ejus diviniſſima Sacramenta, ſalutis noſtræ media, quâ voce, quâ facto indigniſſimè dehoneſtat; ſive (quod deniq; extremum ſceleris eſt) abjuratâ Redemptoris ſui fide, quam cum baptiſmi primo imbibit balneo, perfidus Numinis ſui deſertor, tranſit ad partes Machometis, aut fictitios gentium Deos, aut ipſam cacodœmonis fœdiſſimam ſocietatem. Et hoc totum quid aliud eſt, quàm Chriſtum, velut iterum affigere ignominioſæ cruci!

Quid ni tales nequiores ſint Iudâ, Pilato, crucifixoribus?

Quia propter lumen fidei, plus habēt malitiæ.

Et ideo minùs ſunt excuſabiles.

XXVII. Credo etiam nunc ſentit ejuſmodi injurias Servator, & carnifices ſuos, impios puta Chriſtianos, oculis aſpicit torvum tuentibus; qualibus anteriori ſæculo, in crucifixi imagine, principem ethnicum fulminavit inter leves ſannas, impiè de ſe ſentientem. Rem tibi dabo, Societatis annalibus conteſtatam. Itaque homo quidam Indus, jam ſacro baptiſmatis fonte ablutus, inter alias ſarcinulas, Crucifixi iconem fortè intulit in Peruanæ provinciæ metropolim; ibi interrogatus ab incolis, quid illud eſſet ſculptæ imaginis? Reſpondit, Chriſtianorum eſſe DEVM: ſeu potiùs, ejuſdem effigiem. Quæ res multorum ſermonibus celebrata, ad principis tum ethnici aures pervenit. Is eâdem videndi cupiditate

In annalibus Societ. ad annum Chriſti 1587. in prov. peruana, initio.

ditate inductus, in areaam palatij cum trecentis circiter viris proceſſit, hominemque ſibi cum imagine ſiſti juſſit: quam cum in manus ſumpſiſſet, diligenter contemplatus: hiccine inquit, DEVS eſt Chriſtianorum? Ille ipſe, Indus inquit. Tum princeps, ain tu? hiccine DEVS eſt? quo adjutore Chriſtiani Ingas, totumq; Regnum Peruanum ſubegerunt! Cùm Indus affirmaret: At hic Princeps, homo eſt ait, omnibus cruciatibus necatus. ſimul in iconem expuens, peregrino reddidit. Mirum dictu. ſtatim vt Indus eam in manus accepit, cœpit illa caput, quod in dexteram partem inclinatum habebat, ad ſiniſtram convertere, & oculos in principem, cæteroſque qui aderant, defigere; qui omnes continuò, præter eum, qui crucifixi tenebat imaginem, conciderunt, ac tres horas ſine ſenſu & ſpiritu, mortuis ſimiles jacuerunt. ingens ergo totâ vrbe luctus conſecutus eſt. At ecce tibi, poſtea cum cæteris princeps ad ſe rediens, ſurgenſque exclamavit; Verè magnus eſt Chriſtianorum Deus; reliquiſque omnibus ſtupore quodam defixis, pœnâ capitis propoſitâ edixit, ne quis impoſterum Chriſtianorum Deum blaſphemaret. atque extructo, exornatóque juxta palatium ſacello, ibi crucifixi imaginem collocari, atque ab omnibus coli juſſit.

Crucifixi imago, cõtemptim & ſacrilegè tractata ab Ethnico, torvis cum oculis aſpicit, & humi proſternit.

XXVIII. Timete impij, non ampliùs quem Poëta dixit, nutu totos cœlos tremefeciſſe Jovem; ſed IESVM, DEI veri veriſſimum Filium, cujus triſtior aſpectus, aut torvior oculus pro fulmine erit, quando in tribunali Iudex ſedebit, dicturus pro æternitate ſententiam. Et quid putas miſer, ſi interea perſeveras ſcelera ſceleribus accumulare, & exquiſitis quotidie in aliena ſupplicia voluptatibus, Chriſtum Redemptorem affigere: quali te nunc vultu aſpiciet ex cruce, in quam eum toties crudeliter affigis, quoties offendis graviter? imò quo te oculo dignabitur jam morti vicinum, cujus pene omni tuâ vitâ carnifex fuiſti? Inquies, hoc ipſum eſt princeps ſpei meæ fulcimentum; etiam peſſimum quemque, in Servatorem ſuum fœdè injurioſum, admitti à Chriſto iterum in gratiam, ſi ante obitum eidem ſe reconciliet per pœnitudinem malè factorum: neque ab æterno Patre illum repudiari, qui Filij ſui copioſiſſima merita, & ſanctiſſimæ paſſionis theſaurum, obtulerit pro ſuorum flagitiorum ſatisfactione. Denique veriſſimum eſt, neminem graviſſimè diutiſſiméque improbum interire, quiſquis etiam inter fauces mortis conſtitutus, ſcit ſibi applicare immenſum illud pretium, fuſi à Chriſto ſanguinis pro humano genere.

Chriſtus à Chriſtianis improbis, quaſi recẽter & perpetuis ſceleribus crucifixus, quo eos oculo ſub mortẽ aſpiciet?

Illi tamen vel tunc maximè, per ejuſdẽ ſe merita confidunt in gratiam redituros.

XXIX. Sed nimirum aliud eſt ſcire applicare, aliud ipſo opere applicare, & applicare rectè; ſcilicet per ſincerum dolorem ſuper peccatis, firmum in melius emendandæ vitæ propoſitum, denium genuinam ſacramentorum vſurpationem. Certè *hoc opus, hic labor eſt*; in quo aliqui, cùm deberent multum ſudare, agunt nihil, aut nimis parum. Mihi crede apud ſceleſtos diu homines, in reſipiſcentia, vſque ad exitum vitæ producta, non ſemel plus eſt ſimulationis & mendacis fuci, quàm ſinceræ veritatis. aliquando debiti doloris, aliquando neceſſarij propoſiti defectus, vitium facit. quo caſu, ſicut tota pœnitentia error eſt, ita totus pœnitens hoc errore ſuo perditur; etiam cùm divinis ſe myſterijs Sacramentorum communiverit ad mortem. Et quoniam in longa flagitia immerſi homines, fiduciam ſuam ferè omnem collocant in confeſſionem peccatorum, morti ſuæ præmittendam, cùm jam hoc orbe exituri ſunt ad peregrinum alium; ego & novum temerariæ impietatis fulcrum ſubruere, & ſceleratorum conceptas de ſalute ſua certiſſimas ſpes, cum ſalubri metu temperare volo.

Sed hoc opus, hic labor eſt.

Non pauci, quia eo articulo, Chriſti patientis merita, per ſacramenta ſibi vitioſè applicant, pereunt.

PARA-

PARAGRAPHVS VI.

Sextum Impiorum Fulcrum, DIGNITAS ATQVE EFFICACIA SACRAMENTORVM, Præſertim Confeſsionis & Pœnitentiæ, quâ ſceleratiſsimi quique, ſe tandem in MORTE communiunt: Quantùm de beatitudine confidere jubeat obſtinatos peccatores?

QVàm planam & expeditam ad cœlum viam habeant illi mortales, qui jam jam morituri ſuis pedibus genuinam ſubſternunt pœnitentiam, inſigniter docuit Henricus Suſo, in quadam olim ſua epiſtola, cujus hæc eſt inſcriptio. D. Henricus Suſo, admonens pium quendam infirmum, vt mortem parato animo excipiat. Inter cætera igitur, quæ ſolatium poterant, & velut frigidam ęgro aſpergere, hæc memoranda ſcripſit. I.

Solatium morituris ſcriptum à Suſone, viro illuminato.

Si viſum eſt Domino vt moriaris, firmiter retine fidem Catholicam, & lætus moriaris; gaude pulcherrimam animam tuam ab hoc anguſto, miſero & gravi carcere abſolvendam, ac deinceps ſine vllo impedimento, ſuâ beatitudine feliciſſimè fruituram. Vnum eſt quod multos inexpertos in morte terrere ſolet, eiſq; mortem adfert acerbam & anxiam: id videlicet, quod dum præteritos annos, diſſolutamq; & malè tranſactam vitam, reducunt ob oculos, grandi ſe debito obligatos Deo ſentiunt, neq; in illa hora ſatis perſpiciunt, quid ad id facere debeant. Sed hac in parte certum tibi præſtabo conſilium, ex divinis libris, & ipſâ veritate petitum. Si tu quidem in diebus II.

Refert hanc epiſtolam Bloſius tractatu de cõſolat. puſillanim.

tuis

Moribundus Chriſtianus, acceptis Eccleſiæ Sacramentis, debet in Chriſto Crucifixo acquieſcere.

tuis perperam te vixiſſe noſti (ſicut pauci à vitijs immunes vivunt) inde non nimium in extrema hora terreri debes. Poſtquam Sacramentis Eccleſiæ munitus es (ſi ea commodè poſſis obtinere) Crucifixi imaginem tibi ob oculos ſtatuas, eamq; intuearis, & tuo approximans pectori, atq; in ſanguinolenta immenſæ miſericordiæ ejus vulnera, te inclina; obſecrans eum, vt in ipſis cruentis vulneribus ſuis, divinâ virtute ſuâ, cuncta peccata tua abluat, pro ſui laude, & tua indigentia, vel neceſſitate; ac deinde fide meâ ſecurus eſto, ſi id firmiter ita poſſis agere, te à cunctis vitijs penitus abſolutum eſſe, & hilariter poſſe mortem oppetere.

III.

Si tamen divina illa myſteria legitimè vſurpaverit.

Nam vitioſè aliquando in morte ſuſcipi, docet experientia, præſertim apud procraſtinatores ſuæ pœnitentiæ.

Suaviſſima enimverò hæc doctrina, ſicut erigere poteſt puſillanimem in morte peccatorem, ita cùm ſanus eſt, facere eum non debet temerarium. nam tametſi certiſſimè, apud Numinis tribunal omnis ille abſolvitur, qui jam moriturus, graviſſima anteactæ vitæ flagitia animitus deteſtatur, divina Sacramentorum myſteria legitimè ſuſcipit, ipſamque Chriſti è cruce ſuſpenſi imaginem, velut certi amoris ſignaculum, cordi ſuo apprimit; plerumque tamen citius hæc fiunt, quàm fiant rectè; & ſemper aliqui ſceleratorum, dum in his ſe, ſpeſque ſuas fulciunt, tandem errorem in caſu deplorant, lacrymis nihil profecturis. Loquuntur etiam hiſtoriæ non omnes illos, quotquot poſt leves annos, vitæque inſolentioris licentiam, jam abituri, conſueta morientium Sacramenta acceperunt (etiam inter frequentes gemitus lacrymaſque, communes pietatis teſtes) bene ſemper, ac feliciter expirâſſe; veri doloris ac propoſiti defectus, non ſemel corrupit pœnitentium in morte conatus; dico eorum improborum, qui nimis de ſalute ſuâ confiſi, non ante quidquam cogitârunt de reſipiſcentia ac pœnitudine, quàm cùm mori inciperent. Et habeo faciendæ fidei luculenta teſtimonia.

IV.

Cæſarius lib. 2. illuſtrium miraculorum. c. 15.

Pariſijs Juvenis, quã malè vixit, tam piè viſus eſt; moriẽs

Pariſijs (vt probatus meminit author) annis ab hinc aliquot ſupra quadringentos, Canonicus in primo juventutis vere, vix florere cœpit, & brevi defloruit, ipſa eum ſua vitia, ipſæ divitiæ, ipſæ delitiæ, immaturum fecêre funus. quotidiana gula, & gulæ Soboles Venus, omnis temperantiæ ignara, vitam inter voluptates abruperunt. Itaque migrandum hinc fuit, atque extra ſolem iſtum, ad tenebras mortuales eundum. Ne tamen quidquam moribundus ageret præter Chriſtianam conſuetudinem, ſacerdotem accerſijt; cui inter mille ſuſpiria, totidem lacrymas, lætalia animæ ſuæ vulnera aperuit; ſimulque juratam ſponſionem fecit, vbi ſanitatem receperit, facturum ſe omnia ad divinæ legis rubricam. Neque hîc tantum

Digitized by Google

tùm hominis ſtetit felicitas; accepit inſuper venerandum ſub panis imagine, Chriſti corpus; quod pijs omnibus ad æternitatem properantibus, pro viatico Mater Eccleſia largitur. Denique ad vltimam cum Sathana luctam, ſacro oleo Chriſtianus athleta rite inunctus fuit, & mox vitâ defunctus. Nemo erat, qui non Iuveni, fortunam hanc ſuam gratularetur; nemo qui non eoſdem Numinis favores optaret, ſimilem vitæ ſuæ clauſulam, paremque mortem; præſertim cùm etiam ſol tumulando cadaveri applauderet, funebris pompæ ſereniſſimus comes. Sed nempe veriſſimum eſt illud Samuelis, *homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* humanos oculos facilè poteſt effugere conficta veritas, & pietas malitioſæ ſimulationis pallio obtecta; DEI aciem nihil prætervolat. omnia ille pervidet, medullas oſſibus abſtruſas, ſecreta cordium machinamenta, arcana mentium conſilia, intimas animi cogitationes pulcherrimè introſpicit; & quam quæq; merentur cenſuram, ab eo auferunt; prœmiumq; aut pœnam.

Etiam cœlo & ſole quaſi applaudentibus funeri tumulando.

1. Reg. 16. v. 7.

Sed viſus eſt tantùm piè mori, reverâ piè mortuus non fuit:

V. Expertus eſt hoc damno ſuo, ipſus ille Pariſijs Canonicus, quem à morte ſua, univerſi hominum ſtatus in cœlum extulerunt, novum inter beatos cives indigenam. Sed quàm longè ab illa felicitate abeſſet, ipſe paucis poſt obitum diebus manifeſtum fecit, quando vni è familiaribus ſuis, habitu miſerabili, luctuoſo vultu, voce flebili apparuit, faſſuſque eſt ad æternos inferni rogos, flammaſque ſemper victuras, infelicem ſe victimam damnatum. Audijt alter hæc tam truculenta, totuſque exhorruit, neque fidem narranti ſuum exitium, voluit habere; quòd exhomologeſin morti præmiſiſſet, inter crebros ſingultus, perpetuos gemitus, madentes jugiter oculos, emendandæ vitæ juratas pollicitationes, certiſſima doloris ſuper ſceleribus ſuis teſtimonia. Et quî fieri poſſet, vt malè migraverit ex hoc orbe, qui cum bono DEO, & ſacro viatico abijt? Tum vero infœlix vmbra, diſerta fieri cœpit in miſeriæ ſuæ materia, & palàm affirmare pœnitentiam ſuam, eamque ſeram, dum hinc excedere paravit, grandi & fatali vitio laboraſſe; ſiquidem verâ contritione viduatam, & ſincero fixoq; propoſito, damnatas culpas nullatenus repetendi, ſi divino beneficio, ſua ſanitas corpuſculo obtingeret.

Propriæ ſuæ condemnationis poſt mortẽ teſtimonio.

Culpa ſtetit in vitioſa Confeſſione, & defectu debiti doloris ac propoſiti.

VI. Sed juvat hanc propriam infelicis rei confeſſionem, ad libellam Theologicæ veritatis expendere, & duplex illud vitium examinare, quo opera omnia, tam ſpecioſæ pietatis, corrupit. Et

 initiò

Digitized by Google

initiò quidem, candidè negavit contritionem ſe verám habuiſſe. Quid ergo? inquies: an nobis excidit illud tritum apud Scholaſticos, *Sacramenta legis novæ, ex attrito facere contritum?* ſeu (quod tantundem eſt) attritionem in ſacramento pœnitentiæ, obtinere effectum contritionis; adeoque vim conferendæ gratiæ, juſtitiæ, & ſalutis? Ita ſanè Concilium Tridentinum verbis clariſſimis aſſerit. *Illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat ſancta ſynodus verum donum* DEI *eſſe, & Spiritûs ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ, per ſe ad juſtificationem perducere nequeat, tamen eum ad* DEI *gratiam, in ſacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit. hoc enim timore, vtiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrârunt.* Ex quibus videtur colligi; miſero illi, quem confitentem habemus reum, etiam abſque contritione, per ſolam attritionem, ſalutem æternam potuiſſe obtingere, ſi in ſacramento confeſſionis de culpis ſuis doluit, metu æternorum ignium: quod quidem liberaliter feciſſe, Cæſarius optimæ fidei, notæque ſcriptor meminit.

Et quanquã ex recepta Doctorum regula, ſacramenta novæ legis ex attrito faciunt contritum:

Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 4. de Contrit.

Vt etiam attritio vera cum ſacramento, obtineat effectum contritionis, ſeu remiſſionem peccati:

VII. Hîc ego, vt concedam ſacramenta novæ legis, ex attrito efficere contritum, adeoq; attritionem quoq; cum ſacramento pœnitentiæ, ſufficere ad juſtificationis gratiam, extra mortis articulum; ſuggero tamen eſſe probabiliſſimam ſententiam optimorũ Theologorum, in mortis articulo Chriſtianum teneri ex charitate ſui, ad contritionem excitandam, etiam intra ſacramentum pœnitentiæ. Et hac ſe deſtitutum fuiſſe, Canonicus affirmavit. Quia tamen altera quoq; ſententia, ſuâ probabilitate non caret, nempè illo ſupremo articulo, ad gratiam, ſalutemq; conferendam, ſufficere attritionem in ſacramento Confeſſionis, examinare oportet, an Canonicus noſter cum vera attritione hinc exceſſerit.

Quanquã aliqui articulũ mortis excipiant: *Vega de Juſtificat. q. 12. & l. 3. in Trid. c. 10. Suar. 3. p. d. 15. ſ. 4. n. 17. Coninck d. 3. dub. 1. cum alijs.*

VIII. Obſervandum eſt igitur diligenter, quod Theologi tradunt de attritione cum Angelico Doctore, nimirum; etſi quidem attritio de peccato, concepta ex timore inferni, poſſit eſſe bona, honeſta, & meritoria, quatenus homo hîc & nunc, vi præſentis deliberationis, de peccatis ſuis nequaquam doleret, niſi hoc metu excitatus: eſto interim ſuppetant noxas ſuas deteſtandi, aliæ quoque rationes,

S. Thomas 3. p. q. 85. à 5. Suarez. d. 5. ſ. 2. Tanner q. 6. de pœnitentia dub. 4. n. 79. ex communi.

nes, puta amoris & gratitudinis erga DEVM; tamen ſi attritio principaliter formatur ex metu ſolius inferni, tanquam ſummi mali; & ſi quis ita affectus eſt, vt dolere nollet, formaliter aut virtualiter, ſi inferorum nulla pœna eſſet formidanda; tum talis dolor non eſt veri nominis attritio, nihilq́; proficit remittendis noxis; vtpote hoc ipſo vitioſus, quòd vltimatè plus feratur in malum pœnæ, quàm culpæ; ordine planè præpoſtero ac monſtroſo.

Non tamē ſufficit attritio ex motivo ſolius mortis, judicij, inferni.

IX.

Ioannes Heroldus ſer. 156. qui eſt de Confeſſoribus.

Et quia talibus motivis concepit ſuam attritionē, ſeu dolorē de peccatis Pariſienſis Juvenis, vitiavit confeſſionem.

Apud Suar. 3. p. d. 20 ſ. 4. n 7. & 32. Colligitur ex Trid. ſupra ſeſſ. 14. de contrit. c. 4.

Et talem, neque hilo meliorem fuiſſe illam deteſtationem, doloremque, quem de ſceleribus ſuis ſupra nominatus ante mortem Canonicus excitavit, pronum eſt ominari. Suffragatur Ioannes Heroldus, vulgo Diſcipulus, qui eundem illum Juvenem ait, pœnituiſſe ſolo timore mortis inſtantis, futuri judicij, tormentorum infernalium: non ex charitate ſincera, Numinis amore, odio peccati. Accedit ipſa iterum mortualis larvæ conſtans aſſeveratio, quando faſſa eſt, laboràſſe etiam conatum ſuum defectu firmi propoſiti, ſeu abſolutæ voluntatis, non peccandi de cætero graviter, quam tamen communiter in omni pœnitentia vera, adeoq́; contritione & attritione, requirunt Theologi; proindeque, ſi recuperatâ ſanitate, licuiſſet pluribus annis, hujus mortalitatis vſurâ frui; ſubmoto omnis ſtygiæ flammæ periculo, miſer quamprimùm ad damnatas voluptates repedâſſet. Ex quibus conficitur Pariſienſem Canonicum, neq́; veram quidem attritionem in morte ſuâ excitâſſe; adeoq́; quia nervum pœnitudinis, ſincerum dolorem, & fixum voluntatis decretum, vitæ in melius formandæ, aut omiſit turpiter, aut diſſimulavit oſcitanter, etiam Sacramentis munitus, etiam inter lacrymas, ſed culpâ vitioque ſuo, æternùm perijt.

X.

Probabile eſt, quibuſdam diu pertinaciter improbis, vltimū ſuper culpis ſuis dolorem, eſſe vitioſum.

Ego verò vehementer metuo, ne complures eodem tam lamentabili fato involuantur. Nempe illi imprimis, qui per omne tempus vitæ, magiſtram ſequuntur licentiam ad nefarios auſus; DEI, amoris ejus, legumq́; continuò immemores; neq́; meticuloſi vnquam, niſi cum de orco, & Vulcani ſtygij flammea incude, ſubitus ſermo inciderit. Quamvis autem tum vratur nonnihil animus, citò tamē frigidâ aſpergitur, cùm feriæ omnes de ſalute conſequenda cogitationes, remittuntur in mortem. Vbi id monſtrum tandem adrepſerit, & pulſatis foribus peregrinum convaſare juſſerit, redit migraturo impio vetus torpor: & vel nihil agit eorum, quæ ad rem præſentē ſpectant, vel non aliter, quàm ex ſervilis metûs, longo aſſuetoq́; imperio; nempe, omnia tum declinando plerumq́; fiūt in-

 ferno.

Quia plerumq; procedit ex ſolo metu, non ex charitate DEI.

Vide Coninng. diſp. 7. dub. 1. n. 6.

2. Machab. c. 9. v. 8. & 10.

Antiquit. Iud. lib. 12. c. 7.

2. Machab. c. 9. v. 4.

ferno: hinc verò peccatorum exhomologeſis (etiam inter lacrymas & gemitus facta) enormiter vitiantur, defectu neceſſarij tum propoſiti, vitæ in melius fingendæ; tum doloris, qui vt ſincerus ſit, & ſaluti promovendæ accommodatus, in illo tam periculoſo momento, debet non ex ſolo inferni metu naſci, ſed multò magis ex charitate DEI, vt Theologi docent, & iam fuſiùs oſtendam; facturus gradum à toga ad purpuram, à Canonico ad Regem, & illum quidem monſtroſum tyrannidis partum, alteramq; imaginem eorum flagitioſorum, qui in morte ſua malè reſipiſcunt, & perperam de ſceleribus patratis dolent. Hic verò Antiochus eſt, qui amentiſſimo quondam tumore, mortales hujus orbis Reges, longè ſupergreſſurus, auſus eſt paria DEO immortali ſentire, & agere velle; fluctibus imperare marinis, montium immenſas moles in ſtatera appendere, ardua cœlorum ſidera digito contingere, aliaq; ſibi protervè arrogare, quæ vni tantùm ſupremo Numini conveniunt. Et teſtatur Ioſephus, literas ad Antiochum à Sidonijs exaratas fuiſſe, in quibus eum illi DEVM ſalutabant, blaſphemi adulatores. Et quidem tenuit hæc ſtolida ſuperbia aliquammulto tempore inſanum hominem; jamque à Iudæis acceptæ cladis memor Antiochus, poſteaquam Hieroſolymam omnem, templumq; orbe toto famoſiſſimum, ſacrilegè expilâſſet; iterum atram effuſurus bilem, ſtatuit vrbem Regiam, vnum incolarum ſepulchrum facere, & quoddam quaſi πολυάνδρεον, vbi confuſa Iudæorum cadavera, non aliâ, quàm aſini ſepulturâ putreſcerent.

Sanctius lib. 1. Machab. c. 6. n. 6.

2. Machab. c. 9. v. 5. & 9.

2. Machab. c. 9. v. 11. & 12.

Antiochi Regis ſpecioſa ante mortem pœnitētia.

XI. Sed enim DEVS inſolentem viro ſpiritum excuſſit, quando eum curru regali effuſum, gravi caſu afflixit. Acceſſit immanis viſcerum dolor, & tormina mortis telo acutiora. Quin etiam vermes, ex improbo corpore cœperunt magnis incrementis ſcaturire, ſuumq; in parentem armati, crudeliter graſſari; jamque inter novos cruciatus, purulentæ tabo fluebant carnes, fœdaq; mephitis tum Antiocho ipſi, tum vniverſo exercitui regio, intolerabilis fiebat. Hinc igitur (ſcripturæ ſunt verba) *cœpit ex gravi ſuperbia deductus, ad agnitionem ſui venire, divinâ admonitus plagâ; & cùm nec ipſe jam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: Juſtum eſt ſubditum eſſe DEO, & mortalem non paria DEO ſentire.* Neq; ſtetit Antiochus in ſuæ duntaxat mortalitatis agnitione, poſtquam collyrium ei medica Dei manus adhibuit; inſuper commiſſorum, pœnitens errorum, & petulantiæ in Iudæos exercitæ, ſpondet liberalibus buccis (vbi ſanitatem receperit priſtinam) eos ſe Athenienſibus

æqua-

Digitized by Google

æquales facturum, eorundem fanum, quod gentilicâ ſuperſtitione nuper polluerat, magnificentiſſimis donis, redditibuſq; exornaturum; ejuratâ ſe quoque patriâ religione, tranſiturum ad Judaica ſacra, Deique poteſtatem vbique gentium veriſſimis elogijs prædicaturum. Denique, vt ſcriptura meminit, etiam ſupplex, multis Numen precibus ſibi flectere nitebatur.

Quis obſecro non crederet, hunc Regem verè pœnituiſſe ſcelerum ſuorum? quis in ſacro tribunali Judex, talem reum, cum tam manifeſtis ſinceræ reſipiſcentiæ ſignis, non continuò abſolveret? Et tamen DEVS illum nequaquam abſolvit; quia tota ejus pœnitentia vera non fuit, non genuina, ſed ad fallaciam conficta. Ita docet Angelicus Doctor, in hæc verba: *Antiochus* (inquit) *non verè pœnituit; dolebat enim de culpâ præteritâ, non propter offenſam Dei, ſed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.* In tota ſacra hiſtoria, nullum extat veſtigium, nulla litera, quæ oſtendat Antiochum facinora ſua deteſtatum fuiſſe, tanquam DEO injurioſa; tota ratio doloris ſuper noxis, trahebatur à corporea ægritudine, moleſtiſſima peccati appendice. Hanc ſolam vt declinaret, nihil non reliquit intentatum; ipſius hoc eſt teſtimonium in epiſtola ad Judæos data; *non deſperans memetipſum, ſed ſpem multam habens effugiendi infirmitatem.* Ad hunc ſcopum omnia ejus collineabant ſtudia, torminibus, vermiculis, morbo liberari. id vnum vbi impetrâſſet, votorum ſponſionumque temerarius contemptor, verum Deum cum ſacris ſuis, temploque & populo, inſuper habuiſſet; ſemper ſibi ſimilis, in cœpta ſemel protervia futurus. Ita nullum ei ſerium propoſitum fuit, vitæ pravæ in meliorem, & ſuperſtitionis gentilitiæ, in Hebræam religionem mutandæ. Atque hic duplex defectus, & doloris & propoſiti veri, cauſa fuit, cur Antiochus apud Numen nihil miſericordiæ obtineret; nam vt codex ſacer ait: *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Et quanquam hæc verba, juxta literam intelligenda ſint de externa corporis ſalute, quam vnam fruſtra flagitavit à Deo miſericordiam Antiochus; tamen rectiſſimè ſimul accipi poſſunt de ſalute animæ, quâ pariter excidit; quia dignis modis, debitaque pœnitudine ad eam nullatenus ſe diſpoſuit. Veriſſimè proinde ſacer ait textus; *homicida & blaſphemus, peſſimè percuſſus, miſerabili obitu, vitâ functus eſt.*

XII. Nihil valuit coram Deo; quia motivum habuit, ſolum temporale malum. *S. Thom. 3. p. q. 86. a. 1. ad 1.* *Serarius in lib. 1. Machab. c. 6. quæſtiuncula 3.* *2. Machab. 9. 22.* Hinc à Deo non eſt conſecutus miſericordiam. *2. Machab. 9. 13.* *Suarez 3. p. q. 86. ſ. 2. n. 18.* Sed perijt corpore & animâ. *2. Machab. c. 9. ℣. 27.*

XIII. Quot quantique moriuntur inter Chriſtianos impij, quorum tumulis epitaphij vice, poteſt hoc lamentabile verbum inſcribi: miſe-

Digitized by Google

miſerabili obitu vitâ functus eſt; iſte, & ille alius, hanc temporaneam vitam reliquit, neque immortalem alteram, tantò meliorem accepit. Et iterum: *orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* nimis verum eſt hoc; non vnus tantùm ſceleſtus, in illo vltimæ neceſſitatis articulo, propitios Numini favores in vota magnis clamoribus vocavit, vt cœlorum ſibi oſtium patefaceret, reciperetque æternum ſe civem in beatorum domicilium; ſed vanæ in ventum abiêre preces; clementia divina exorata haud fuit; non quaſi neſcia flecti, ſed quoniam vt flectatur, non continuò rectè oratur. *petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis*, ait Apoſtolus.

Epitaphiū Antiochi; *miſerabili obitu, vitâ functus eſt*:

Iacobi 4. v. 3.

XIV.

In hunc modum ſceleratiſſimus quiſque, & moroſus pœnitentiæ ad vltima fata dilator, cùm è ſtatione mortalitatis hujus denique excedendum eſt; miſericordiam Dei inclamat, flagitat impietati præteritæ veniam concedi; atque in ſignum ſinceræ pœnitudinis, lacrymulam oculis evocat, gemitum teſtem ſiſtit, intermorientibus vlnis Crucifixi ſtringit imaginem, ſpemque ſuam in ſacro ſtipite, adhuc ſpirans cadaver, amico baſio ſuaviatur; ſublevandæ etiam pauperum inopiæ, pene prodigâ manu nummos diſtribuit; denique (quod caput eſt) in juratas melioris vitæ promiſſiones deſcendit, dum ſacerdoti vltimâ confeſſione, ſuas noxas ad arcanum ſubijcit tribunal. Neque tamen miſer iſtis tot modis ac molitionibus, ſperatam miſericordiam continuò extundit; actum ſæpe agit impius, quia pœnitentiam Antiochi agit; & hæc omnia potiùs neceſſitate facit, ac metu ſolius declinandi imminentis ſibi inferni, quàm ſuaſu divini amoris.

Debetur ijs, qui poſtremum ſuper peccatis dolorem, eliciũt ex ſolo metu ſervili.

XV.

Cùm opulentus mercator, medio interceptus ponto, impetuoſis vndique fluctibus, & conſpirantibus in ejus interitum omni ex parte ventis oppugnatur; antequam ſe, vitamque perdat, mavult collectas opes perire. Igitur levandæ navi, merces precioſas in mare exonerat; eas verò, vbi ſedatâ tempeſtate, cœlum ſe iterum ſerenavit, conatur denuò ſolertiſſimâ curâ expiſcari. vt manifeſtum ſit, ſolâ neceſſitate, & naufragij formidine, abjectas fuiſſe. Ita planè, qui toto vitæ ſuæ decurſu, meruerunt in caſtris impietatis, cùm denique ſe deprehenſos, vident ſtare in confinio mortis, execrari quidem incipiunt, diu malè exercitam peccandi libidinem; decretis etiam contrarijs, animum firmant ad meliora. Sed hęc ſæpe fiunt periculo naufragij, ne miſerè hauſti, detrudantur ad tartarum, vbi æſtuatur & caletur ſtrenuè in omnem æternitatem.

Sicut mercatores ex metu & neceſſitate, ejiciunt merces in tempeſtate:

Quod

Quod ſi contingat hos tales morte, & fatis ad brevem temporis moru lam eripi, redeunt confeſtim in antiquas ſylvas, repetuntque ſine fronte, damnata paulò ante inter ſingultus & lacymas facinora. Probabile id enimverò argumentum eſt, neque ipſos cum morte luctantes, ſeriam morum emendandorum cogitationem ſuſcepiſſe, neque probatum dolorem de culpis ſuis, tanquam Numinis offenſa injuriaque; ſed denique omnia ſolius vi neceſſitatis, pœnarumque ſtygiarum timore extorta fuiſſe. Alius omnino pijs hominibus genius eſt, alius impijs. Sicut enim nobilis equus, etiam vmbrâ virgæ regitur; ita Chriſtianus bonus ſola vitij, ſceleris, divinæ offenſæ vmbrâ, flectitur in rectum. Cùm interim improbiſſimus quiſque, ſolâ perennium tormentorum formidine, obliquum deſerat, nulla ſtyx foret, nulla Dei vltrix manus; nunquam illum virtutis elegantia, nunquam honeſti ratio, multò minùs malitiæ turpitudo, aut Numinis amor abſtraxerit à nefandis criminibus. Ita multi ſervile ingenium à prima pueritia imbibunt, neque aliter ad mandata Dei aguntur, quàm timore imminentium pœnarum. Sed hoc eſt Antiochi ſimios fieri, & cum eo tandem in morte naufragari.

Ita complures improbi, in mortis articulo, velut ex neceſſitate & ſolo metu pœnitent.

Simij Antiochi, & cum eo demum naufragi.

XVI. Sanè inter madidos Bacchi fratres, & ſpurca Veneris mancipia, & deſperatiſſimos quoſque impietatis clientes, paſſim incognitus eſt Dei amor; plerumque peregrina illis S. Franciſci lingua, & totis noctibus repetita ſententia; *Deus meus & omnia.* Neque in ardua, ſupra hunc mundi globum, ſuſtollunt oculos, vt dicant cum David Rege: *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus, in æternum.* Vix etiam cor ipſis vnquam ſalit ad Numinis laudes, quemadmodum S. Auguſtino ſubſilijt ad trinâ ingeminationem, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Sed neq; illud in ore frequenter habent verbum, quod S. Ignatio Antiocheno perpetuum fuit de Jeſu: *Amor meus crucifixus eſt*: aut quod B. Iacoponus, memorans ſecum Chriſti Redemptoris tormenta, malè ab humano genere compenſata, exclamavit: *Amor non eſt amatus.*

Rara apud Improbos mentio de Amore Dei.

In Vita S. Franciſ. apud Sur. ad 4. Octob.
Pſal. 72. v. 25. & 26.
Lanzillot. in Vita S. Auguſtini.
Simeon Metaphr. in Vita S. Ignatij ad 1. Febr.

XVII. Raro apud impios hæc juſtiſſima querimonia ſonat. Ah! Deum meum, amorem meum, tam prodigè amantem mei amorem, Ieſum, non dignis modis redamavi; indigniſſimis tractavi, digniſſimum obſervantiâ Deum Patrem; ipſiſſimam Spiritûs Sancti bonitatem, peſſimus ego mortalium, morum meorum corruptelâ, ad iracundiam excandeſeci; & cum à DEO mille beneficijs, gratijs mille, mille favoribus mactatus ſim, nunquam læſus; eundem

Potiſſimus eorum ſermo de inferno, cùm ægrotant.

ego

ego ingratiſſimus millies offendi. Rarò hæc talis ingenua ſui accuſatio excidere ſolet improbis; illam potiùs cantilenam vivi, mo-
Pſal. 17. V. 6. rientes repetunt: *in inferno nulla eſt redemptio; dolores inferni circum-*
Pſal. 114. V. 3. & 4. *dederunt me; pericula inferni invenerunt me; ô Domine libera animam*
meam, in inferno quis confitebitur tibi? Nempè profligatiſſimi homi-
Pſal. 6. V. 6. nes, præter infernum nihil metuunt, præter ſe, neminem alium ſincerè amant; aut ſi admittunt alios in cordis ſui aliquem angulum, Deum tamen excluſum volunt.

XVIII. Sed væ iſtis præpoſterè ſe amantibus! væ præpoſterè infernum metuentibus mortalibus, qui poſteaquam ſecuriſſimi vitam ſuam perdiderunt in flagitijs, cùm dein horula poſtrema ad obitum hinc evocat, parant exhomologeſin, viatico ſe divino inſtruunt, ſacro inungi curant oleo, aliaque id genus pia opera exercent; ſed evitando duntaxat inferno; ſive (quod tantundem eſt) ſolius & vnius inferni metu. Iſti verò tales, cum dicta modo præparatione mortem oppetentes, minimè effugient, quod maximè metuunt. imò quem vnum vnicè formidant, nunquam moriturum ignem, conclamati olim intrabunt. Iam ſupra monui, ſervilem illum timorem, ſi ſolus ſit, & abſque comitatu filialis (vt appellant) ſine viribus eſſe, neque ſufficientem comparandæ ſaluti. Et quemadmodum Aſſuerus olim lege cavit, ne quis aulam ſuam vili ſacco tectus ingrederetur: ita Deus nemini ad cœlum concedit aditum, niſi nuptiali charitatis veſte induto. quiſquis cum ſervo tantùm metu illuc venerit, audiet increpationem; *Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem.* quin etiam fulmen illud ſentiet; *ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.*

Servilis timor abſq; filiali, non ſufficit ad ſalutem. — *Eſther. c. 4. V. 2.* — *Matth. 22. V. 12. & 13.*

XIX. Conſultiſſimum fuerit, quiſquis ſecuriſſimâ vult viâ ad cœlum ire, nequaquam vitæ ſuæ emendationem, & de commiſſis erroribus pœnitudinem, in languidæ mortis articulum reijciat; omni momento, quo Deus auxiliarem nobis manum porrigit, aut levi ſibilo nos vocat ad officium, colluſtratque mentem radio benigniore, ad melioris vitæ conſilia, pœnitentiamque eundum eſt; ne ſi ea differatur in vltimum neceſſitatis punctum & mortem, vitæ humanæ terminum: vana aliquando, nullaque fiat, defectu debiti doloris & propoſiti. Eat nunc igitur aliquis, & profligatum hominem, vitiorum alumnum, ſemper in deterius proprio impetu ruentem, ſuffulciat efficaciâ ac dignitate Sacramentorum, ante mortem ſuam piè vſurpandorum. Ego vt ſpem non tollo, ita præſumptionem nolo,

Metuendũ eſt profligatæ vitæ hominibus, ne vltima eorum pœnitentia, ſacramentorum vſum corrumpat, defectu debiti propoſiti ac doloris.

nolo, temeritatem improbo, procraſtinationem damno, & periculum oſtendo.

PARAGRAPHVS VII.

Septimum Impiorum Fulcrum, AVGVSTISSIMVM MISSÆ SACRIFICIVM, Ejuſq́; fructus eximij: Vtrum animare poſsint ſceleratos mortales, ad producendam magis magiſq́; vitæ ſuæ emendationem.

SIcut tenera res eſt, ac plena deliciarum, I.
Numinis bonitas, ita facilè læditur. vnum blaſphemiæ verbum, grande ei vulnus facit; ſed in illo oppidò majus, qui linguam exeruit, DEO ſuo nocituram, ſi poſſet. Doctus hoc quondam fuit, homo de gente Calvini, officio Diaconus, famâ inter ſuos commendabili. Hic cum gravi morbo premeretur, vxore ad ſe accerſitâ, neſcio quid locutus eſt, ſpecie ſive abnegantis DEVM, ſive accuſantis ejus bonitatem. Quod vt Calvinianæ diſciplinæ Magiſter edoctus eſt, interrogavit ægrum, quid tandem de Numine ſentiret. Tum alter, non tam inſanio inquit, vt DEVM eſſe neſciam; ſed quia ille me deſeruit, ego viciſſim eum deſero.

In annalibus Societ. ad annum Chriſti. 1593. Prov. Aquit. Colleg. Toloſ.

Ægri Calvinicolæ vox impia: quia me Deus deſerit, viciſſim eũ deſero.

Vix hanc blaſphemus vocem erat elocutus, cùm repente II.
tota domus concuſſa eſt, tantuſq́; omnibus terror injectus, vt quantâ maximâ celeritate poſſent, ſeſe januâ eijcerent; inde intermiſſo temporis ſpatio, vbi ex pavore animos receperunt, revertuntur in tecta; offenduntque ægrum illum extinctum, & lin-

guâ carentem. Quærunt ergo ex parva puella, quæ una fugientibus reliquis, cum patruo remanſerat, quid tandem evenerit? Illa, irrupiſſe in cubiculum ait, monſtrum deforme atque horribile, cujus vi patruus, linguâ priùs evulsâ, ſic ſuffocatus. Hoc nempe debebatur & linguæ, & loquentis petulantiæ excidium. Nimis pius eſt DEVS, quàm ut deſerat impium; ſemper illi tantum communicabit ex gratiæ ſuæ fontibus, quantum ad ſalutem comparandum fuerit neceſſarium, ſi gnavus eſſe velit, & vti oblatâ benevolentiâ; ut nequaquam dici poſſit à DEO deſeri hominem profligatum, quem tot modis, medijſque vult conſervatum, divinæ bonitatis abundantia.

Punitur blaſphema lingua & perſona.

DEVS neminem ita deſerit impium, ut non det ei ſufficientia gratiæ auxilia ad ſalutem.

III.

Sunt etiã qui improbitatem ſuam fulciunt per angelicum Miſſæ ſacrificium.

Accedit novum quaſi improbæ cauſæ fultimentum, auguſtiſſimum ſcilicet Miſſæ ſacrificium, in ſpem & ſubſidium peccantis humanæ infirmitatis, à Chriſto in Eccleſia ſua inſtitutum; cujus excellentiam frequenti præſentiâ, cœleſtes etiam Genij comprobarunt. Abbas Leontius Angelum aliquando ad cornu altaris & ſtantem vidit, & dicentem audivit: *ex quo ſanctificatum eſt altare iſtud, ego jugiter illi adſtare juſſus ſum.* Ioannes de Parma, ſupremum Franciſcanæ caput familiæ: cùm dicturus ſacrum, miniſtro quotidiano ac ſtato, ſemel deſtitueretur, pius mox vices ſupplevit, ex Angelorum choro delapſus ſpiritus, per omnia referens abſentis fratris habitum, ſpeciemque. Cognitum eſt deinde, divini illud Genij obſequium fuiſſe, quando paulò poſt ei ſimillimus frater, & velut genuinus ſupervenit, facturus conſuetum ad altare officium Generali Miniſtro, jam à ſacro abeunte.

Moſchus in prato ſpir. cap. 199.

Chronic. S. Franciſci tom. 2. l. 1. cap. 57.

IV.

In Vita Simonis Valentini ſacerdotis, Antuerpiæ excuſa anno 1614.

Eſt etiam illud memorabile, quod accidit Simoni Presbytero, Valentiæ in Hiſpania nato, ac noſtro ſæculo, memoriaque vivis erepto, nempe ſub annum Chriſti M.DC. XII. Hic, ſicut poſt mortem innumeris claruit prodigijs, ita dum vixit, virtutibus ac ſanctimoniâ patriam ſuam implevit; ut meritò per typum Antuerpienſem, ſecuturæ poſteritati ſint tranſmiſſa, & pulchra inſignis pietatis facinora, &glorioſa ad incitationem exempla. Contigit ergo, ut aliquando divina operante eo ad ſacras aras (quòd devotioni ſuæ ſatisfacturus, moras traheret longiores) populus dilaberetur, & templo cum ſacerdote relictis, domus ſuas repeterent, faſtidioſi Numinis cultores. Sed vix pedem ſupra limen extulerant; cum ecce tibi! pulchro ordine

Faſtidientibus Miſſam longiorem hominibus, &

ordine ſuccedunt Angeli, & velut correcturi abeuntium querelas, ſuave melos ſubſtituunt. Sic ingreſſi ſacram ædem, & circumfuſi juxta Simonem venerabundi Genij, expectârunt donec Sacerdos (& ipſe alter in virginea carne Angelus) cum ſacra benedictione miſſionem daret, ſive ſocijs ſuis, ſive fratribus. templo exeuntibus, venerabundi ſuccedunt Angeli.

Neque putemus raro intereſſe Angelos, cùm ad Altare ſacit presbyter; Divi Chryſoſtomi teſtimonium eſt, quod attexo. *per id tempus* (puta Sacrificij) *Angeli Sacerdoti aſſident, & cæleſtium poteſtatum univerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt. Vidit enim ſenex quidam admirabilis, eo tempore Angelorum multitudinem fulgentibus veſtibus indutorum, altare ipſum circumdantium, atque ſic capite inclinatorum, vt ſi quis milites, præſente Rege ſtantes videat.* Modeſtus omnino eſt ſanctus Chryſoſtomus; quod enim in hac materia, domi ſuæ habuit pro confirmatione argumentum, maluit aliunde ſumere; quaſi poma ex alieno horto, uva ex alienis vinetis, ſuaviùs ſaperent, quàm è ſuis, & domeſticis lecta. Sed credo id factum ſtudio vanitatis fugiendæ, vel etiam ſolius vmbræ. V. *S. Chryſoſt. lib. 6. de ſacerdotio.* Sacrificante D. Chryſoſtomo, altare circūſtant Angeli.

Interim de eodem ſanctiſſimo Doctore, Nilus Abbas ſequentia adducit. *Cùm cœpiſſet ſanctum ſacrificium, plurimæ ſtatim ex illis virtutibus, è cælo deſcendentes, ſtolis induta ſplendidiſſimis; nudis pedibus, intentis oculis, prona altari, magno cum ſilentio & reverentia, quoad venerandum illud myſterium impletum fuit, circumſteterunt. Deinde huc illuc ſingula per totam domum diffuſa, Presbyteris & Diaconibus diſtributionem corporis. & pretioſi ſanguinis miniſtrantibus adhæſerunt, ſatagentes & ſedulò adjuvantes.* Atque hinc exiſtimare licet, quàm plenum ſit majeſtate, ac divinitate quadam, in Eccleſia orthodoxa Miſſæ ſacrificium: cui præſentiâ tam frequentatâ, tam humili & obſequioſâ, ſupplicabundi è cœlo Genij aſſiſtunt. Et quamquam legis olim antiquæ ſacrificia, ſanctitatem habuerunt dignitatemque; omnia tamen longè ſunt infra novæ legis, unum Miſſæ ſacrificium, majore diſtantiâ, quàm ſub auro eſt argentum, ſub gemma vitrum, ſtilla roris matutini ſub vnione, lunæ ſplendor ſub ſolis jubare. VI. *S. Nilus Abbas Epiſt. ad Anaſtaſ.* Quin etiā Diaconis, Presbyteris permixti, & velut miniſtri apparent.

Et quidem in veteri teſtamento, ſacrificium quoddam latreuticum erat inſtitutum; tum ad DEVM maximè venerandum, tum ad proteſtationem ſupremi apud eundem dominij, in VII.

Digitized by Google

Veteris legis ſacrificia, Holocauſtum, Hoſtia pro peccato, Hoſtia pacifica.

res omnes creatas: appellabatur communi Nomine *Holocauſtum*, quando tota inter ignes cremabatur victima. Aliud ſacrificium dicebatur *Hoſtia pro peccato*, & fiebat in expiationem ſcelerum, non quaſi ex vi ſua remitteret culpas hominum; ſed vel ad ſatisfaciendum pro pœna, ex opere operantis: vel ad impetrandam à DEO contritionem, ex vera fide, & aliqua ſupernaturali diſpoſitione. Aliud ſacrificium nuncupabatur *Hoſtia pacifica*, quod ad gratias DEO pro beneficijs agendas, inventum fuit; ſæpe etiam dictum, *ſacrificium laudis*, ſeu *gratiarum actionis*. Addit Suarez quartum genus ſacrificij, quod vocat, *ſacrificium impetratorium*, quando ſacrificans novum aliquod à Numine beneficium poſtulat.

Suar. tom. 3. q. 93. diſp. 73. ſect. 7.

VIII. Nunc autem omnes has ſacrificiorum veterum rationes, vnum novæ legis, Miſſæq; ſacrificium eminentiſſimè continet. Eſt enim *latreuticum*; quia refertur ad colendum DEVM, & ad proteſtandam ſummam ejus ſupra res creatas excellentiam. Eſt *propitiatorium*, ſeu *hoſtia pro peccato*; quia peculiariter inſtitutum eſt in peccatorum remiſſionem, virtute paſſionis Chriſti, cujus eſt repræſentativum. Eſt *Euchariſticum*, ſeu *ſacrificium laudis & gratiarum actionis*: quia fit titulo gratitudinis, pro beneficio paſſionis dominicæ, quæ eſt fons aliorum in nos DEI beneficiorum. Eſt denique *Impetratorium*; quia per illud facilè nos quidvis impetraturos ſperamus; tantò efficaciùs, quantò alijs omnibus victimis dignior eſt Chriſtus, qui DEO Patri in Miſſa offertur. Quo in genere, admirari licet divinæ ſapientiæ ordinem, plerumque cum ipſa Natura à parvis exordientis, & in majora deſinentis. Nam vt Ariſtoteles teſtatur: *primò vivimus vitâ plantæ, poſtea vitâ animalis, poſtea vitâ hominis.* Ita etiam DEVS, quò proceſſit longiùs in hujus vniverſi productione, eò & perfectiora condidit opera; ab elementis progrediendo ad plantas, à plantis ad animalia, ab animalibus ad hominem: in quem totius quaſi vniverſi, ipſiuſq; divinitatis compendium, animam ſui pulchram imaginem concluſit. Neq, alium in ſacrificijs modum ſervavit, quando ea omnia, ſive ſub Naturæ, ſive ſub Moyſis lege vſitata, tempore legis novæ contracturus, in vna velut epitome, auguſtiſſimo inquam Miſſæ ſacrificio, complexus eſt.

Multùm excedûtur à novæ legis, & Miſſæ Sacrificio.

Sicut in rebus alijs, ita quoq; in Sacrificijs, DEVS proceſſit ab imperfectioribus ad perfectiora.

IX. Ceterùm, dictum jam ſacrificium, vim habet à Deo, impetrandi varia dona beneficiaque, tum ſpiritualia, tum corporea ac tempo-

temporaria: idque imprimis quatenus offertur à ſacerdote Deo Patri, in perſona Chriſti: tum deinde, quatenus offertur nomine ac loco Eccleſiæ, in qua ſemper magnus juſtorum numerus eſt; denique quatenus & ipſe Miniſter ſacerdos, Eccleſiæ legatus ac vicarius, Deoque (vt ſuppono) gratus, peculiarem ſuæ petitionis affectum, pro ſe alijſque adjungit: juxta cujus, Eccleſiæque intentionem, impetrationis effectus & fructus, ex Miſſæ ſacrificio proveniens, varius ac multiplex eſt. juxta variam poſtulationem ſacrificantium ſacerdotum; de quibus S. Auguſtinus ſic loquitur. *Poſtulant & precantur, vt infidelibus donetur fides; vt idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus; vt Judæis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat; vt hæretici Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant; vt ſchiſmatici ſpiritum rediviva charitatis accipiant; vt lapſis pœnitentiæ remedia conferantur. Hæc autem non inaniter à Deo peti, rerum ipſarum monſtrat effectus; quandoquidem ex omni errorum genere, plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum, transferat in regnum Filij charitatis ſuæ, & ex vaſis iræ, faciat vaſa miſericordiæ.* Offertur etiam Miſſæ ſacrificium, pro perfectionis incremento apud juſtos; pro impetranda indulgentia pœnæ ex peccatis debitæ, tum vivis, tum defunctis: item pro victoria, pace, terræ frugibus: pro recuperanda ſanitate, pro captivorum redemptione, pro liberatione obſeſſorum à dœmone, pro averruncandis quibuſcumque malis. Certè & nobis, & alijs multò faciliùs varia aſſequi poſſumus beneficia, ſi preces noſtræ ſubnixæ ſint Chriſto, hoſtiâ Deo Patri gratiſſimâ. Quod autem non continuò omnia obtineamus poſtulata in Miſſa, cauſa eſt, quòd effectus hujus impetrationis non ſit infallibilis, cùm nulla adſit hac de re promiſſio Numinis abſoluta, ſed tantùm conditionata, ſi nimirum nobis, quæ rectè petimus ſecundùm divinæ providentiæ rationem, dare expediat.

Fructus ex Miſſæ ſacrificio proveniens, varius eſt & multiplex.

S. Auguſt. tom. 3. de Eccleſiaſt. dogmat. c. 30.

Ideò nõ impetramus omnia poſtulata in Miſſa, quia impetratio iſta non habet infallibilem effectum.

X.

Sed potiſſimus ac præcipuus ſacrificij noſtri effectus, quo multorum ſe hominum fulcit impietas, firmatque in diuturnam peccandi licentiam, conſiſtit in remiſſione culpæ mortalis; ſeu ea poteſtate efficaciaque, quâ potens eſt Miſſæ ſacrificium, offenſo DEO reconciliare ſceleratum mortalem, quoties pro eo offertur Chriſtus, incruenta Patri ſuo victima; aut quoties homo peccator, ad iſtud ſacrificium peculiari aliquâ ratione concurrit, illud poſtulando; præſentiam, affectum, ſervitium exhibendo, ſtipem largiendo &c. Atque ne gratis tantùm hæc conficta putetur opinio, in ſolatium impiorum, videtur ſequentibus poſſe ſtabiliri authoritatibus.

Potiſſimus ſacrificij Miſſæ effectus eſt, remiſſio peccati, ſeu reconciliatio impij cum Deo. Teſtimoni Patrum

ordine ſequentium.
Alex. Papa epiſt. 1. decret. c. 4.
Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 2.
S. Cyprian. ſerm. de cœna Domini.

bus. Primùm enim Alexander Papa, ſic in præſenti materia affirmat: *crimina atq; peccata, oblatis his Domino ſacrificijs, delentur.* Et infra: *talibus hoſtijs delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia.* Quæ verba etiam apud Concilium Tridentinum invenies, cùm de ſacrificio Miſſæ ita loquitur: *hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentia concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Et S. Cyprianus ponderans verba conſecrationis: *Calix* inquit, *ſolenni benedictione ſacratus, ad totius hominis vitam, ſalutemq; proficit, ſimul medicamentum exiſtens & holocauſtum, ad ſanandas infirmitates & purgandas iniquitates.*

XI.

S. Greg. 4. Dialog. capitul. 58.
S. Damaſc. lib. 4. de fide cap. 14.
S. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 48.
S. Hieron. epiſt. 16. ad Damaſ. de fil. prod.
Idem ſupra epiſt. ad Titum. c. 5.
S. Cyrillus Catech. 5. Myſtag.
Liturgia S. Iacobi.
Liturgia S. Baſilij.
Liturgia S. Chryſoſtomi.

Magni Gregorij ſunt iſta: *hinc ergo penſemus, quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro oblatione noſtra, paſſionem Vnigeniti Filij ſemper imitatur.* Et D. Damaſcenus: *Hæc pura hoſtia & incruenta, omnis nocumenti eſt reparatio, omnis ſordis purgatio.* Ait etiam S. Ambroſius; *Chriſtum hic offerri & ſe offerre, vt noſtra peccata dimittat.* S. verò Hieronymus dicit: *Chriſtum eſſe vitulum ſaginatum, qui ad pœnitentium immolatur ſalutem.* Et alibi de Epiſcopo ſacrificium facturo, hæc habet: *quotidie pro ſuis, populiq; peccatis, illibatas Deo oblaturus eſt victimas.* Relatis conſentit Patribus D. Cyrillus, ſic affirmans de Orthodoxis in Eccleſia: *Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum offerimus, vt & illis eum, qui eſt benigniſſimus, propitium reddamus.* Accedit veteris Eccleſię vſus. nam in Liturgia S. Jacobi, fit in hunc modum oblatio: *vt eis deleantur delicta, quæ admiſimus, & vt toti populo tuo ſis propitius, vt tibi grato & divino oblato ſacrificio, digni habeamur vitâ æternâ.* In Liturgia S. Baſilij: *vt fiat acceptabile pro peccatis noſtris, & populi ignorantia.* In Liturgia S. Chryſoſtomi: *fac nos dignos offerre tibi dona, & ſacrificium ſpeciale pro noſtris peccatis, atq; ignorantis populi, & præſta, vt inveniamus gratiam in conſpectu tuo.* Et nunc in Canone Miſſæ, profitemur hoc ſacrificium offerri, pro redemptione animarum noſtrarum. Vnde etiam interdum petit Eccleſia, vt ſacrificium hoc, *ſit ablutio ſcelerum.*

XII.

Miſſæ ſacrificium aliquibus improbis, occaſio eſt proſequen-

Quia igitur & ſenſiſſe videntur Patres, vetuſq; Eccleſia, per Miſſæ ſacrificium, velut propitiatorium (in quo tam res oblata, quàm principalis offerens, eſt ipſe Dei Filius) remitti hominum peccata; hinc nimirum multis creſcit audacia ſceleratis, vt pergant nectere malas voluptates in longum impudentiæ filum; ſic enim ajunt, quamprimùm vel ipſi aræ adſtiterint devoto animo, vel ſi præſentes eſſe non poſſunt, pro ipſis ſacerdos fecerit; jam vi, efficaciaq; hujus diviniſſimi ſacrificij, omnibus ſe culpis ſuis abſolvi. Ea propter ni-

hil

hil tam magni nunc eſſe periculi, quod eos avocare debeat ab aſſuetis flagitijs: cùm deniq; aut ægri in lecto hæſerint, aut omnino ambulaverint, quò omnibus eundum eſt, ad mortem; id acturos ſtrenuè, vt eleemoſinis multos ſibi demereantur presbyteros, qui condonandis à Deo culpis omnibus, eidem gratiſſimum offerant Miſſæ ſacrificium. ſic pulchrè ſe compendifacere ſalutem ſuam poſſe.

dæ continuò impietatis, quòd putent ſe per illud ſemper cũ Deo redire in gratiam.

XIII. Hic ſcilicet murus ille aheneus eſt, in quem non pauci ſe acclinant mortales facinoroſi; parum ſecurè, quia fulcrũ eorum ruinam trahit, ex doctrina de incruento ſacrificio malè intellecta, & pejùs applicata. Atq; vt conſtet omnibus, quid de Miſſæ ſacrificio, ejuſq; valore & efficacia ſit ſentiendum; dico communem ſenſum eſſe Patrum ſupra allegatorum, quin etiã Theologorum hodie; ſacrificium Miſſæ habere vim remittendi peccata, non quidem immediatè conferendo gratiam juſtificantem, ſeu ejus augmentum (quia hæc virtus propria tantùm eſt ſacramentorum, vt actuali applicatione ſuſcipientem hominem ſanctificent) ſed tamen mediatè, per gratiam prævenientem & excitantem homines, pio aliquo motu ad pœnitentiam, majoremue vitę perfectionem ſectandam.

Sed malè putant & falsò.

Quia ſacrificium Miſſæ, non habet vim remittendi peccata immediatè, ſed tantùm mediatè, juxta ſensũ Tridentini & Doctorũ.

XIV. Sumitur clarè ex Tridentino, cùm ait; per hoc ſacrificium *fieri, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Vbi obſervant Scholaſticorum aliqui; effectum illum gratię prevenientis, & excitantis peccatores ad pœnitentiam, juſtos verò, pro quibus ſacrificium offertur, ad majorem perfectionem; infallibiliter provenire in tempore opportuno (vt Concilium Tridentinum loquitur) puta juxta capacitatem noſtram, & divinę ſapientię diſpoſitionem, idq; ex Chriſti inſtitutione ac promiſſione. Suffragatur etiam explicationi à nobis ſupra poſitę S. Thomas, quando inter Euchariſtię Sacramentum & ſacrificium, facturus diſtinctionem, dicit; Euchariſtiam in quantum eſt Sacramentum, habere effectum in omni vivente, in quo requirit vitam pręexiſtere; ſed in quantum eſt ſacrificium, habere effectum etiam in alijs, pro quibus offertur, in quibus non pręexigit vitam ſpiritualem in actu, ſed in potentia tantùm. *Et ideò, ſi eos* inquit, *diſpoſitos inveniat, eis gratiam obtinet: & per conſequens peccata mortalia in eis delet, non ſicut cauſa proxima, ſed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.* puta virtute ſacrificij quondam cruenti, in cujus memoriam, incruentum nunc in altari à ſacerdote offertur.

Trid. ſeſſ. 22. c. 2.

Vide Layman de ſacrificio Miſſæ c. 1. n. 7. & Coninkh.

S. Thom. in 4. d. 12. q. 2. quæſtiunc. 2. ad 4.

Sacrificiũ Miſſæ, diſpoſitis impetrat gratiam contritionis ſeu pœnitentiæ.

Hîc

Digitized by Google

XV.

Conſiſtit hæc diſpoſitio I. in hoc, vt non ponatur obex per actuale peccatum, aut vigentem affectum ad mortale.

II. vt libero conſenſu, gratia excitans ad pœnitentiam, acceptetur.

Hîc tamen iterum notanda eſt diverſitatis ratio. ſicut enim per illud Chriſtus ex condigno, ſalutem noſtram meritus eſt; & re ipsâ, quantum ex ſua parte fuit, exhibuit pretium (ob vnionem hypoſtaticam) infinitè ſufficiens ad redemptionem, juſtificationem, & glorificationem noſtram; ſic per ſacrificium incruentum (quemadmodum & per ſacramenta novæ legis) fructus ſacrificij cruenti, tanquam generalis cauſæ, & originis noſtræ ſalutis, nobis proximè applicatur per ipſam noſtram cooperationem. quæ in materia propoſita, conſiſtit partim in hoc, vt non ponatur obex remittendis per ſacrificium peccatis; quòd fit cùm homo eſt in actuali peccato, aut ſervat vigentem affectum ad culpam mortalem; partim in hoc, vt libero conſenſu acceptetur gratia præveniens, ſeu excitans ad pœnitentiam, tanquam fructus & effectus redundans ex ſacrificio Miſſæ. Denique ſic Deus offert ſceleratis, ſuæ gratiæ opportuna ſubſidia, intuitu ſacrificalis ſibi factæ oblationis in altari, vt nolit ſolus quaſi omnia facere, ſive ſolius auxilij ſubminiſtrati virtute: vult etiam impium conniti atque adlaborare, ad propriam juſtificationem, neq; otioſum eſſe alienæ beneficentiæ ſpectatorem.

XVI.

Leſſius de prædeſt. & reprob. Angelorum & hominum. ſect. 6. aſſert. 2.

Deus pro converſione & ſalute hominis, nec voluit totũ facere Naturam, nec totum Gratiã, ſed ſimul vtrãq; cooperari. teſte etiã *S. Aug. tom. 7. de gratia & libero arbitrio. Item tom. 10. de Verbis Apoſtoli ſer. 13.*

In qua re notanda eſt communis apud Leſſium doctrina, circa neceſſariam naturæ noſtræ cooperationem cum gratia Dei, ex ejuſdem decreto, in præſenti rerum ſtatu ſemel facto; ſic enim loquitur. Addo Deum homini duplices vires dediſſe, vires Naturæ, & vires Gratiæ; vtraſque vult intendi in opus, ad tantum bonum (æternæ beatitudinis) promerendum, & tantum malum (gehennæ) fugiendum. Ipſa rei magnitudo poſtulat manifeſtè, vt etiam pro extremo virium laboremus, vim facientes Naturæ, cum auxilio gratiæ. Itaque noluit Deus dare tantam gratiæ copiam, vt omnia ſint Naturæ facilia, ipſaque Natura ſit ſecura; ſed eam duntaxat menſuram, quæ multam nobis relinquat ſolicitudinem: vt animadverſa rei difficultate & ancipiti eventu, excitemus Naturam, eique vim inferamus; vt quantum poteſt, gratiæ cooperetur. Hoc ſæpe monet ſcriptura. vt cum hortatur ad vigilantiam, ad aſſiduam orationem, ad redimendum tempus, ad cautè ambulandum, ad operandum ſalutem cum timore & tremore. Non decebat vt vires Naturæ, à Creatore acceptæ, eſſent otioſæ, & quaſi paſſivè ſe ad Gratię vires haberent, earum impulſum tantummodo expectantes, & ſinentes ſe ab illis moveri, & ſic totum à ſola gratiæ motione penderet; ſed conveniens erat, vt Natura ſufficiente auxilio inſtructa, ſemper eſſet ſolicita, & ideò ſe ipſam vnâ cum gratia, in opus excitaret.

juxta

juxta illud Apoſtoli, *reſuſcita gratiam, quæ in te eſt.* & illud: *hortamur, ne in vacuum gratiam* DEI *recipiatis.* Recipit autem in vacuum gratiam DEI (auctore S. Anſelmo) qui cum ea nihil laborat, nec illi ſtudium ſuum jungit: ut neceſſe ſit otioſam eſſe. **2. ad Timoth. 1. 6.**

Atq; hinc apparet, quàm actum agant omnes graviter impij, quibus certa eſt perſuaſio, ſingulis ſe Miſſæ ſacrificijs poſſe à ſceleribus expiari, efficaciâ ipſius tam divini myſterij, & à Chriſti meritis, ac ſanguinis pretio opulenti. Nam ſi interim amant, quæ DEUS deteſtatur; ſi vetera proſequi volunt odia, & apud incruĕtam hoſtiam, ipſi cædes ſpirant & vulnera; ſi injurias meditantur innocentiæ, ac vim ingeniumque fatigant in pauperum expilandorum damna; ſi petulci illecebrarum carnalium hirci, novas excogitant Veneres, non priùs finem libidinibus facturi, quàm vitæ; nihil iſti proficiunt ante aras, ſive adſint corpore ſacrificanti, ſive duntaxat mente. & tantundem eſt, ſive in ſacro tribunali te judex homo, Chriſti Miniſter, à culpis pronunciet liberũ, de quibus nullum concepiſti dolorem, ſive pro te fieri cures ſacrificium, adhuc antiqui propoſiti tenax, hoc eſt, proſequendæ impietatis; neutrobi enim coram DEO melior es; utrobique te ſol eundem videt, hoc eſt, indignis animæ ſordibus contaminatum. Nihil agunt merita Chriſti Servatoris, nihil gratia, ſive in Confeſſionis ſacramento, ſive in Miſſæ ſacrificio, nobis oriantibus; oportet ut ſe aptum faciat ac idoneum, qui utriuſque fructu vult gaudere. **XVII.**

Qui cum perverſa voluntate hærent in gravibus peccatis, nihil certi fulcri ſibi promittere poſſunt, ratione ſacrificij Miſſæ.

Et hoc eſt, quod Concilium Tridentinum aſſeruit, remiſſionem peccatorum, ſeu fructum propitiationis emanare ſolitum ex ſacrificio incruento, nullâ indignitate, aut malitiâ offerentium ſacerdotum inquinari poſſe, ſed certò provenire ijs, pro quibus offertur, ſi diſpoſiti ſint. hoc eſt, ſi acceptent gratiam excitantem ipſos, ad pœnitudinem ſuper flagitijs ſuis: item ſi per contrarium, vitioſumque ad ſcelera affectum, reconciliationi apud DEUM, nullum ponant obſtaculum. Neque refert, quibuſdam DEUM improbis hominibus, virtute ſacrificij pro ipſis facti, ita efficacem conferre gratiam, ut ſtatim poſito peccatorum affectu, eorum odium concipiant, veramque contritionem. Nam hoc rarum eſt, & ſingulariſſimum Numinis beneficium erga aliquos pauculos; quibus ex theſauro arcanæ, nec debitæ benevolentiæ, tam abundantem exhibet miſericordiam. Interim de via conſueta atque ordinaria, impijs in culpa mortali exiſtentibus, ſemper DEUS intuitu ſacrificij pro eis oblati, confert gratiam ſufficientem, & quidem copioſiorem, **XVIII.** *Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1.*

Et quanquã Deus aliquando intuitu hujus ſacrificij, conferat impijs veram cõtritionem, hæc tamen gratia non eſt ordinaria.

Omnibus tamen ſceleratis, pro-

pter applicatum ipſis aliquo modo dictum ſacrificiũ, largitur gratiam aliquam ſufficientem.

ſiorem; quàm propter alterius virtutis actum, communiter ſoleat communicare. Tametſi autem clariſſimè perſpiciat divinus oculus, cum tali gratia ſufficiente, non cooperaturum hominem ad plenam peccatorum remiſſionem: nihilominus laudanda eſt Dei liberalitas, vituperanda impij pigritia. Perinde ſi princeps captivo mancipio, numeret mille coronatos pro litro pendendo; eſto enim, præcipiat animo munificus herus, illud argentum potiùs in luſus profuſum iri, quàm expenſum in liberationem; tamen ſicut hominis ſe ipſum negligentis, eſſet increpanda levitas, ita nihilominus principis foret commendanda beneficentia.

XIX.

Qui vult ſibi prodeſſe ſacrificium incruentum, laborare debet, vt è ſtatu peccati, tranſeat in ſtatũ gratiæ.

Igitur qui cogitat ſacras opes ex altari colligere, & haurire profectum ex ſacrificali oblatione cœleſtis victimæ, neceſſe eſt vt exſurgat, animum cœlo attollat, & ſe quoq; dignum Deo fingat. Nimis adhuc humi fixus eſt, qui terrenarum rerum contemptum à ſe impetrare non poteſt; neque pereuntium blanditias voluptatum, cum deſiderijs æternaturæ beatitudinis commutare. Quin etiam Deo ſe indignum facit, qui auguſtiſſimi fructum ſacrificij, gratiaſque inde ex pleno fonte ſibi fluentes non applicat: in longam expectantis Dei patientiam, homo proteruus, lentuſq; maturandæ reſipiſcentiæ procraſtinator; & ibi fortaſſis in deteriora lapſurus, vbi cauſæ ſuæ fulcrum paravit. Deniq; ſicuti Miſſæ ſacrificium ex Numinis inſtitutione maximam habet efficaciam; ita nunquam te faciet probum ex impio, ſanctum ex facinoroſo, ſi ipſe tibi deſis. Nemo autem frequentiùs ſibi deeſt, quàm qui in longum trahit vitia, & divinæ gratiæ, & ſuæ ſalutis negligens.

PARA-

PARAGRAPHVS VIII.

Octavum Impiorum Fulcrum, Preces Militantis in terra Ecclesiæ, Piorumque hominum ad Devm pro improbis interceſsio: Poſsintné eorundem jure impietatem roborare, atque protrahere in ſe-rum?

ORaculum eſt illud Dephili verbum: *fœminâ impudenti, nullum animal eſt confidentius.* addo, nulla beſtia meretricio ſcorto nocentior, quando nutibus loquitur, oſculis agit, amplexu invitat ad ſcelus; imò ad mortem quoque, minùs cautum juvenem. Et quidem ex mille alijs, vnam ſive lenam, ſive lupam, in proſcenium adducit ſapientiſſimus Regum Salomon, armatam telo cupidinis, & laqueis lenocinantium verborum, in cladem imprudentis adoleſcentiæ. Tu oculos aperi, & proſtibulum contemplare, ingenioſum ad ejus damna, à quo emendicat illicitum Veneris congreſſum. Hiſtoriam ita pertexit Sapiens. I.

Fœminâ impudenti, nullum animal eſt confidentius.

De feneſtra domûs meæ per cancellos proſpexi, & video parvulos: conſidero vecordem juvenem, qui tranſit per plateam juxta angulum, & propè viam domûs illius graditur in obſcuro, adveſperaſcente die, in noctis tenebris & caligine. Et ecce, occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula, vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere, pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta II. Prov. 7.

Lenocinia meretricularum.

angulos inſidians, apprehenſumq́; deoſculatur juvenem, & procaci vultu blanditur, dicens: victimas pro ſalute vovi, hodie reddidi vota mea, idcirco egreſſa ſum in occurſum tuum, deſiderans te videre, & reperi. intexui funibus lectulum meum, ſtravi tapetibus pictis ex Ægypto; aſperſi cubile meum myrrhâ, & alöe, & cinnamomo. Veni, inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illuceſcat dies: non eſt enim vir in domo ſua, abijt viâ longiſſimâ, ſacculum pecuniæ ſecum tulit, in die plenæ lunæ reverſurus eſt in domum ſuam.

III. Quis neget hæc fortia fuiſſe argumenta, atque ad perſuadendum eleganter concinnata? certè victus muliebri eloquentiâ juvenis, manus dedit, paſſuſque eſt ſe trahi à fœmina, per grata carnalium illecebrarum devia, ad flagitium DEO graviter diſpliciturum, ſibi etiam non vno ex capite nociturum. Atque (ut Salomon loquitur) *irretivit eum multis ſermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum. ſtatim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur. donec tansfigat ſagittâ jecur ejus, velut ſi avis feſtinet ad laqueum; & neſcit quod de periculo animæ ejus agatur.* Sic præcipitatus in libidinem adoleſcens, apud adulteræ maritum ſe conijcit in vitæ diſcrimen, apud DEVM in ſalutis periculum: neutrius mali providus.

Laquei ſũt ſimplicium animarum.

Prov. 7. 21. & ſequent.

IV. Sed placet mihi ſancti Ambroſij interpretatio, qui ſub depictæ modo meretricis ſimilitudine, Voluptatem putat adumbrari, in hanc ſententiam. *Nam quid tam meretricium, quàm ſecularis Voluptas? quæ à feneſtra domûs ſuæ incipit, oculis prima tentamenta præludens; & penetrat citò ſenſum, in plateas proſpiciens, id eſt, in publicas tranſeuntium vias, non autem in legis interna myſteria, obtutum mentis intendens.* O potens amicæ Voluptatis ſuada! quantos plauſus habes! quàm fortibus nervis ad tuas partes trahis attentum auditorem? Et ô! quoties ſtultus homo amplectitur, quæ illi propinas cum toxico pocula! quoties te præeuntem ſequitur, & premit veſtigia ducentis ad blanda, & grata Naturæ? *& neſcit, quòd de periculo animæ illius agatur?* profectò quos ſcelerum voluptas (pulchrum ſervituris auctoramentum) ſemel fortiùs ineſcavit, vix dimittit ampliùs. plures jam canos, inter aſſuetas diu illecebras, transmiſit ad Orcum.

S. Ambroſ. lib. 1. de Abel & Cain. c. 4.

Voluptas ſcelerum, trahit homines ad interitum.

V. Hîc non nemo flagitioſus, ſplenem ſuum contra me in riſum ſolvit, & ſubſtructurus ruinæ ſuæ, aliorumque impiorum, novam fulcri molem, opponit orationes Militantis in terra Eccleſiæ,

Digitized by Google

cleſiæ, membrorumque ejus, piorum ſcilicet mortalium; non leve habituros apud Deum momentum, pro impetranda improbis converſione. Et quidem Ecleſia, quàm intra, tam extra Miſſæ ſacrificium, frequenter Numinis majeſtatem rogat, ne malè de ſe meritos homines, indignabundo velut oculo tranſire velit; ſed potiùs bonitatis radio tam diu colluſtrare, donec Phœbo ſuo ſupplices acclineſque, redeant in vitæ melioris normam, morumque. Atque hinc vox illa Eccleſiæ rogantis, ſæpius in compitis ac templis decantari ſolita, & auditur ab hominibus in terra, & à Deo exauditur in cœlo: *ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus audi nos.*

Sed hic iterum mali, malitiæ ſuæ pro fulcro ſupponunt preces Militantis Eccleſiæ.

VI.

Quomodo etiam Deus tam honeſtè poſtulata, negare poſſit ſponſæ ſuæ Eccleſiæ? quando Aſſuerus Rex quoque, conjugem Eſther ſupplicaturam, verbis benevolentiſſimo affectu plenis animavit: *quæ eſt petitio tua Eſther, ut detur tibi? & quid vis fieri? etiamſi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis. Ad quem illa reſpondit. ſi inveni gratiam in oculis tuis ô Rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obſecro, traditi enim ſumus ego, & populus meus, ut conteramur, jugulemur, & pereamus.* Neque ferè aliud flagitat Eccleſia precibus ſuis apud Numen, quàm pro gente fideli (altera velut anima ſua) auxilium contra ſtygij potentiam hoſtis, præſertim autem ſinceram de culpis omnibus pœnitentiam, quando jam jam vaſa colligenda erunt, & ambulandum ad orbis alterius theatrum, non unâ tragœdiâ funeſtum. An verò non poſſit ipſa Mater Eccleſia in terris, quod filij ſui poſſunt? ſcimus autem complures hominum piorum, dum adhuc mortalitatis ſarcinam in hoc mundo circumtulerunt, orationibus ſuis impetrâſſe alijs gratiam efficacem & congruam, ſive opportunam vocationem ad fidem, & pœnitentiam.

Eſther 7. v. 2. & ſeq.

Quæ pro membris ſuis fidelibus, non minùs orat quàm Eſther pro populo ſuo.

Nec minùs impetrat à Deo, quàm fideles ſui, alijs impetrant per orationes, gratiam efficacem & converſionem.

VII.

Eſt etiam clara D. Thomæ Aquinatis doctrina, prædeſtinationem juvari precibus ſanctorum; quia inquit, precibus Stephani impetrata eſt à Deo efficax vocatio Pauli. De qua re eleganter (ut ſolet) magnus Præſul Auguſtinus, ſic ratiocinatur. *Deniq; fratres mei, ut noveritis quantùm valuerit oratio S. Martyris Stephani, recurrite nobiſcum ad illum adoleſcentem, nomine Saulum, qui cum S. Stephanus lapidaretur, omnium veſtimenta ſervabat, & tanquam manibus omnium lapidabat. Et poſtea ſicut noſtis, accepit epiſtolas à principibus ſacerdotum, ut quoſcunq; inveniſſet Chriſtianos, viros ac mulieres, vinctos adduceret in Jeruſalem, torquendos & puniendos. Hic cùm iret in via, ſubitò circumfulſit*

S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 8.

S. Auguſt. ſerm. 4. de S. Stephano.

fulſit

fulſit eum lumen de cœlo, & cecidit in terram, & audivit vocem de cœlo dicentem ſibi: Saule Saule, quid me perſequeris? Et ille; tu quis es Domine. Et Dominus ad illum: Ego ſum inquit JESVS *Nazarenus, quem tu perſequeris, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare; quia non ſtimulum ſed pedes, quibus calcitras, vulnerabis. quid mihi & tibi? quare me perſequeris? quare te erigis contra me malo tuo, & te non potiùs humilias bono tuo? ſed contra tanta mala, quæ committis in me, olim quidem debui perdere te; ſed Stephanus ſervus meus, oravit pro te. Eliſus eſt ſæviens, erectus eſt credens. eliſus eſt lupus, erectus eſt agnus. eliſus eſt perſecutor, erectus eſt prædicator. Dicam planiùs, dicam apertiùs. eliſus eſt filius perditionis, erectus eſt vas electionis. eliſus eſt Saulus, erectus eſt Paulus. nam ſi Martyr Stephanus non ſic oráſſet, Eccleſia Paulum hodie non haberet. ſed ideò de terra erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus, exauditus eſt Stephanus.*

S. Stephanus precando impetravit Saulo gratiam converſionis.

VIII. Hæc D. Auguſtinus de occaſione Sauli in melius converſi. Sed de ſe ipſo quid dicat, audiamus. Fatetur itaque, cùm Manichæi adhuc erroribus teneretur, ferreus in veritatem Catholicam flecti; ſanctiſſimæ Matri ſuæ Monicæ, ingens ſe vulnus feciſſe, quòd ipſe ſuum nollet agnoſcere, & quidem animæ letaliſſimum. Ea cauſa fuit, vt pro filio ſuo fida parens, indefeſſis precibus apud Deum inſtaret, & emolliendo cordi in ſaxum obfirmato, vberes lacrymas affunderet. Quas continuas ex oculis pluvias, cùm animadverteret Epiſcopus quidam (creditur Sanctus Ambroſius fuiſſe) & intelligeret, per eas hæreticum filium à matre defleri; ne putaret ſe Æthiopem fruſtra lavare, hoc ei conſolationis verbum dixit: *fieri non poteſt, vt filius iſtarum lacrymarum pereat.*

Et Auguſtino filio ſuo, mater S. Monica, lacrymando.

S. Auguſt. l. 3. Confeſſ. c. 12.

IX. Et profectò ſervatus eſt, non ſuo tantùm, ſed publico totius Eccleſiæ bono. ipſe etiam D. Auguſtinus, Vocationem ſuam ad fidem Orthodoxam, in acceptis refert Matri ſuæ, cujus multiplex pietas, ita Dei everberavit animum, vt proſtratum filium, & ſub mole errorum laborantem, erigeret in columnam Eccleſiæ. Ipſe ejus hic eſt ad Deum ſermo. *An verò tu* DEVS *miſericordiarum, ſperneres cor contritum & humiliatum, viduæ caſtæ ac ſobriæ? frequentantis eleemoſynas? obſequentis atq; ſervientis ſanctis tuis? nullum diem prætermittentis oblationem ad altare tuum? bis in die, mane & veſpere ad Eccleſiam tuam ſine vlla intermiſſione venientis, non ad vanas fabulas, & aniles loquacitates, ſed vt te audiret in tuis ſermonibus, & tu illam in ſuis orationibus? Hujuſnè tu lacrymas, quibus non à te aurum & argentum petebat, ſed ſalutem animæ filij ſui: tu, cujus munere talis erat, contemneres? & repelleres ab auxilio tuo? Nequaquam Domine. Imò verò aderas,*

S. Auguſt. l. 5 confeſ. c. 9.

Imò & orando, ac viſitando templum.

aderas, & exaudiebas, & faciebas ordine, quo prædeſtinaveras eſſe faciendum:

Fortaſſis etiam ex ſua ipſius converſione D. Auguſtinus occaſionem acceperit, quando poſtea, generatim omnibus preces commendaturus, tanquam facile medium, ad impetrandam alijs quoq; Vocationis gratiam, hæc ſcripſit. *Et ſi qui ſunt nondum vocati, pro eis vt vocentur, oremus; fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt, vt noſtris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, quâ velint eſſe, & efficiantur electi.* Similia habet ad Vitalem in eodem propoſito, ita eum admonens: *propterea Deus, vt omnia futura opera ſua, in prædeſtinatione præſciverit, ſic ille diſpoſuit, vt quoſdam non credentes, ad fidem ſuam, orationes credentium pro eis exaudiendo, convertat.* præterea alibi de Deo & mortalium oratione, ſic loquitur: *preces valent ad ea impetranda, quæ ſe precantibus, conceſſurum eſſe præſcivit.*

X. Gratia Vocationis & Electionis, impetrari poteſt alienis precibus. *D. Auguſt. de bono perſev. c. 22. prope med. Idem epiſt. 107. ad Vitalem. & l. 5. de civit. c. 1.*

Atque vt appareat, quantum roboris apud Deum habeant piorum ſuffragia, reducendis ad mentem impijs, jam propè deſperatis, & in obitu ſuo de æterna ſalute graviſſimè periclitantibus, narrabo, quod in Monaſterio ſuo contigiſſe deſcribit Gregorius M. & pro concione ſe recitâſſe affirmat, non tam ad terrorem, quàm ſpem peccantium; maximè verò acuendum orationis ſtudium, in gratiam eorum, quorum jam ſalus conclamata putatur, magnis velut paſſibus properantium ad ſtygem. Quoniam verò teſte Poëta:

XI. Item ſalus, jam quaſi deſperata apud morientes.

Gratius ex ipſo fonte bibuntur aquæ,

Ovidius lib. 3. de Ponto, eleg. 5.

totius hiſtoriæ ſeriem, ijs lectori verbis propino, quibus eam ſanctiſſimus Eccleſiæ Doctor, latinè conſignavit in hunc modum.

XII.

Is, de quo in homilijs coram populo me narrâſſe jam memini, inquietus valde puer fuit, Theodorus nomine; qui in Monaſterium meum, fratrem ſuum, neceſſitate magis quàm voluntate ſecutus eſt. cui nimirum grave erat, ſi quis pro ſalute ſua aliquid loqueretur. bona enim non ſolùm facere, ſed etiam audire non poterat. nunquam ſe ad ſanctæ converſationis habitum venire, jurando, iraſcendo, deridendo teſtabatur. In hac autem peſtilentia, quæ nuper hujus vrbis populum, magna ex parte conſumpſit, percuſſus in inguine, eſt perductus ad mortem. Cùmq; extremum ſpiritum ageret, convenerunt fratres, vt egreſſum illius orando protegerent. Iam corpus ejus ab extrema parte fuerat præmortuũ, in ſolo tantùm pectore, vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autẽ fratres tantò cœperunt pro eo enixiùs orare, quantò eum jam videbant ſub celeritate diſcedere. Tunc repente cœpit eiſdẽ fratribus aſſiſtentibus clamare,

D. Greg. M. lib. 4. Dialog. c. 37.

Quidam malæ vitæ Religioſus, draconi diabolo traditur ſub mortem glutiendus.

atque

atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere, dicens: recedite, recedite; ecce draconi ad devorandum datus ſum, qui propter veſtram præſentiam devorare me non poteſt, caput meum jam ſuo ore abſorbuit; date locum, vt me non ampliùs cruciet, ſed faciat, quod facturus eſt. ſi ei ad devorandum datus ſum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere, quid eſt quod loqueris frater? ſignum tibi ſanctæ Crucis imprime. Reſpondit ille dicens, volo me ſignare, ſed non poſſum, quia ſquamis hujus draconis premor. Cùmque hoc fratres audirent, proſtrati in terram, cum lacrymis cœperunt pro ereptione illius vehementiùs orare, & ecce ſubitò cœpit æger clamare dicens: Gratias Deo. ecce draco ille, qui me ad devorandum acceperat, fugit; orationibus veſtris expulſus, ſtare non potuit. pro peccatis meis modò intercedite, quia converti paratus ſum, & ſæcularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui iam, ſicut dictum eſt, ab extrema corporis parte fuerat præmortuus, reſervatus ad vitam, toto corde ad Deum converſus eſt. Hactenus D. Gregorius.

Sed eidem eripitur, virtute orationis, pro eo fuſæ.

XIII. Et vide, an non quàm aptiſſimè huc faciat illa ejuſdem doctrina, quando ait: *obtineri nequaquam poſſunt, quæ prædeſtinata non fuerunt; ſed ea quæ ſancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, vt precibus obtineantur. Nam ipſa quoq; perennis Regni prædeſtinatio, ita eſt ab omnipotenti Deo diſpoſita, vt ad hoc electi pro labore perveniant, quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante ſæcula diſpoſuit donare.* Hoc autem intellexiſſe S. Doctorem, non tantùm de orationibus, quas quiſque pro ſe ipſo fundit, ſed etiam de precibus, quas alij pro alijs ad Deum mittunt: conſtat ex toto loci illius contextu, quo proferuntur exempla beneficiorum aliquibus conceſſorum, intuitu alienarum poſtulationum. Itaque etiam eâdem viâ, Theodorus (de quo ſupra) per ſuorum preces, ita adjutus eſt, vt proximam ſibi ſtygem evaderet.

S. Greg. M. lib. 1. Dial. c. 8.

Prædeſtinantur aliqui ad gratiam & gloriam, propter aliorum preces.

XIV. Quid, quod aliqui impiorum, poſtquam ex hac vita cum gravibus peccatis deceſſerunt, jamque examinatâ eorum cauſâ, & peroratâ apud Judicem Deum lite, ad inferos abjerunt: nihilominus tamen aliorum iterum viventium ſuffragijs, orationibuſque erepti ſunt? Ita imprimìs B. Agnetis precibus, filius præfecti Symphronij, in letali peccato mortuus, ad vitam redijt, profanum idolorum cultum deteſtatus, vt refert D. Ambroſius. S. Perpetua Martyr, fratrem ſuum ſeptennem, nomine Dinocratem, ſine baptiſmo decedentem, atque adeò damnatum, ſuâ oratione ab inferis excitavit,

Imò per interceſſionem ſanctorum in terris viventium, nonnulli mortui, liberati ſunt ex inferno.

S. Ambroſ. Serm. 90.

vit, vt meminit D. Auguſtinus. Falconilla gentilis fœmina, precibus B. Theclæ Virginis ac Martyris, ex Orco ad vitam reſurrexit, vt teſtatur S. Ioannes Damaſcenus. Trajanus etiam idololatra, & magnus Eccleſiæ perſecutor, & infami pederaſtiæ vitio notatus, interceſſione Gregorij Martyris à gehenna, in qua graves pœnas luit, acceptâ ſuorum peccatorum veniâ, liber evaſit; quemadmodum idonei complures meminerunt auctores. è quibus ſanctus Damaſcenus ſic loquitur: *teſtatur oriens & occidens totus, miraculum hoc germanum & irrefutabile.*

S. Aug. l. de orig. animæ ad Renatũ, c. 10.
S. Damaſc. ſerm. de iis qui in fide dormierunt.
Vide Salm. in 1. Cor. 15. diſp. 27.
S. Damaſc. loco cit.

XV. In qua tamen materia, quæſtio inſtitui poteſt, cùm ex inferno nulla dicatur eſſe redemptio: ſed eum, quem ſemel complexus fuerit, æternis ſibi vinculis adſtringere; quomodo intelligi debeat prædictos inde liberatos, alienis precantium ſuffragijs? Dico ergo dupliciter intelligi poſſe aliquem ex inferis reduci. primùm, ſi nomen Inferos, juxta frequentem ſcripturæ vſum, accipiamus figuratè, ſeu pro ſubterraneo aliquo loco, in quem Devs, velut in cuſtodiam compegerit eum, qui in letiferis hinc culpis migravit; donec ex pietatis ſuæ, ac ſingularis miſericordiæ decreto, in gratiam aliorum pro illo intercedentium, ejuſdem mortui animum iterum corpori conjungat: vt quam priùs pœnitentiam, aut alia ſalutis media neglexit vivus, compenſare poſſit redivivus. Neque etiam negandum videtur, in tanto mortuorum numero, quos Chriſtus Dominus olim, & Apoſtoli, Apoſtolicique viri ad vitam hanc reſtituerunt, aliquos qui in gravi culpa deceſſerunt, poſtea ad meliorem frugem per pœnitentiam receptos, tandem æternam ſibi beatitudinem comparâſſe.

Sive infernus accipiatur latè:

Mendoza in l. 1. Reg. c. 2. §. 6.

XVI. Alter modus explicationis eſt, vt dicamus; tametſi quidem Devs juxta legem ordinariam, neminem eorum, quos ſemel poſt mortem damnavit ad Tartari flammas, ijſdem ſoleat eximere; nihil tamen obſtare, quin id ſecundùm abſolutam potentiam, & viam extraordinariam facere queat. Et quidem ita feciſſe, apparet clarè in ea hiſtoria, quam Petrus Damiani, ex purpuratorum ſenatu Patrum ſanctiſſimus vir, accepiſſe ſe narrat ab Humberto, Archiepiſcopo & Cardinali, *cujus verba* (vt ipſe ait) *apoſtolicâ videntur veritate fundata.* Rem totam, planè memorabilem ac prodigioſam, idem Petrus Damiani ſtylo ſuo tradidit poſteritati, æternum futuræ admirationis monumentum.

Sive ſtrictè; nihil enim obſtat, quo minùs ſecundùm legem extraordinariam, Deus damnatum aliquem ex inferno liberare poſſit.

XVII. *In Monaſterio* inquit, *Beati Sylveſtri, quod in Vrbinate conſtitutum*

S. Petrus Damianus Epiſtolar. l. 1. epiſt. 9. ante med.

tutum eſt territorio, quidam Monachus obijt, & ab incipiente gallicinij nocturnalis articulo, vſque ſecundam diei horam, cadaver exanime, lotum juxta morem atq; conſtrictum, fratribus circumquaq; pſallentibus, in feretro jacuit. Cumq; tranſactis jam Miſſarum, ex majori parte ſolemnijs, Agnus DEI *juxta regulam diceretur; ecce repente, qui mortuus jacebat in medio, animâ redeunte ſurrexit. Stupefacti ſunt fratres, & novâ nimis admiratione perterriti: nimirum, quem funeris officium perſolventes extulerant, nunc vitalem ſpiritum recepiſſe videbant. At cum propiùs acceſſiſſent, verbaque ex illius ore audire, avidiùs inhiarent; ah ſcelus! ille maledicta & contumelias, in* DEUM *cæpit effundere, benedictum Salvatoris nomen impiè blaſphemare, mirificæ Crucis ſignum, vt oſcularetur oblatum, ſacrilego ore conſpuere, intemeratam quoq;* DEI *Genetricem, ignominioſis non timebat opprobrijs lacerare. Vt quid inquiens, pro me pſallitis? vel ſacrificiorum hoſtias offerre tentatis? ego enim in ipſa flammantis tartari profunda deſcendi, ibiq; me meus Magiſter, & Dominus Lucifer irrevocabiliter deputavit; coronam planè ſuam æream, inextinguibili ſemper ardore candentem, mihi in capite poſuit; ejuſdem quoque metalli chlamyde me, quâ induebatur ipſe, veſtivit. Erat autem chlamys tam longa, vt talo tenus flueret; tam ferventer ignita, vt liquefacta guttas emittere videretur. Cumq; fratres eum, vt pœnitentiam ageret, atq; vt occulta ſua in medium proferret, vnanimiter hortarentur, ille anathematizabat & blaſphemabat: & non ſolùm pœnitentiæ remedium, ſed & omnia redemptionis noſtræ myſteria, ore rabido atq; ſacrilego condemnabat. Monachi verò ad ſemper victricia orationis arma, pio ſtudio recurrentes, cœperunt abjectis indumentis, corpora ſua ſcopis allidere, pugnis pectora tundere, pſalmodiæ, atq; omnium quibus valebant, precum generibus inſudare. Cunctis itaq; fratribus in luctuoſis orationibus, & jejunio conſtitutis, ac ſub divinæ pietatis expectatione ſuſpenſis, tandem ſupernæ virtutis ſplendor emicuit. Ecce enim deſperatus ille, & à voragine maris hiantis abſorptus, ad ſuperficiem redijt.* DEI *quippe Salvatoris omnipotentiam laudat, nequiſſimi Sathanæ ludificationibus abrenunciat, Crucem adorat, pœnitentiam flagitat. Confeſſus eſt autem, quia poſt renunciationem ſæculi, in fornicationem cecidit; quam tamen eatenus, nulli penitus per confeſſionis indicium patefecit. Laudans igitur & benedicens* DEUM, *vſq; in diem alterum vixit: ſicq; Creatori ſuo mirabiliter reſtitutus, in ſancta de hoc ſæculo confeſſione migravit.* Deniq; vt ſciremus, quantum efficere poſſint piorum homi-

Vt conſtat propriâ confeſſione mortui redivivi.

Qui cùm propter ſcelera ſua ad tartari jam pœnas detruſus eſſet:

Aſſiſtentiũ precibus, ad meliorẽ mentem redijt reſuſcitatus.

Et præmiſſâ confeſſione ac pœnitentiâ, ſecundam mortem feliciùs obivit.

hominum ſuffragia apud DEUM pro impijs, jam etiam depoſitis, & conclamatis, & condemnatis ad æterna ſtygis tormenta, hanc commendandæ orationi, æſtimandæque hederam ſuſpendit Cardinalis Petrus Damiani. *Sic ſic nimirum, fraternæ orationis fructus efflorùit, quæ videlicet oratio ex ipſis gehennæ viſceribus prædam rapuit, & de flammarum ſtipula, in ſtructura ſupernæ Ieruſalem, lapidem vivum poſuit.*

Deniq; infernum exivit.

XVIII. Atque hîc fortaſſis aliqui flagitioſorum mortalium, magnam ſalutis ſuæ fiduciam concipient, quaſi ex ipſo quondam Orco, alienis viventium precibus liberandi: ad exemplum ejus hominis, quem modò audivimus orationis vi, ab ipſo inferorum carcere mirabiliter exemptum fuiſſe. Sed cavete audaculi, neq; velitis inanibus, incertiſque vos ſpebus lactare. Quos DEI bonitas jam mortalitate ſuâ exutos, jam etiam ſententiâ ſuâ miſerè fulminatos, propter intercedentium pia vota, ex orbe altero reduxit in iſtum, pauculi ſunt, rari ſunt, albi corui ſunt, phœnices ſunt; neq; ſingulis fortè ſæculis naſcuntur ſinguli. niſi temerarius eſſe cogites, ſimilem tibi pauculorum fortunam ſpondere non potes. quin potiùs cùm innumeri pereant ſcelerati, & certum ſit, eos ſemel in ſtygem merſos, nunquam ampliùs eluctaturos, juxta communem atq, ordinariam DEI legem: hîc potiùs ſubſiſte, & in alieno caſu, periculum tuum obſerva. Theſeus labyrinthi exivit inſidias: ſed quàm multi inter viarum errores, à beſtijs & monſtris deprehenſi, animam ibi, vitamq; reliquerunt. Certè vt aliqui, ſingulari Numinis benevolentiâ, ſemel inferos ingreſſi, rurſum egreſſi ſint, connivente velut DEI juſtitiâ, ad calidas vivorum hominum preces; dubio tamen procul, in eodem infelicitatis ergaſtulo, infinito quaſi plures numero, captivi hæſerunt, ademptâ omni ſpe, ſecuturæ aliquando libertatis.

Nemo impius promittat ſibi ſimilem fortunam.

Qui ſemel inferos ingreſſi, & iterum egreſſi ſunt, inter albos corvos & phænices numerandi ſunt.

Vnus Theſeus labyrinthum evaſit, plures ibi hæſerunt, poſtquam intrârunt.

XIX. Sed iterum in pedes contra me aſſurget, malæ cauſæ patronus impius; hoc eſt, ſcelerum ſuorum, & dilatæ in vltimam ætatem, dieſque poſtremos emendationis, ſtrenuus defenſor; atq; vt videatur rectè ſperare, alienæ vi orationis, tandem ante obitum adhuc ſuum, obtinere ſe poſſe reſipiſcentiam, & pœnitudinem ſaluti neceſſariam, illud Apoſtoli objiciet: *Orate pro invicem, vt ſalvemini; multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Quid ni plurimum valeat precatio apud DEUM, quando etiam illam SS. Patres, ob admirabilem virtutis ſuæ efficaciam, cujuſdam omnipotentiæ titulo cohoneſtant? Accedit quod DEUS ipſe multum deſideret,

Iacob. 5. 16.

Novũ improborum hominum fulcrũ eſt, oratio pro aliorum ſalute præcepta, & ejus potentia.

deret, vt alij pro alijs orent, & divino furori, ituro in capita improborum, ſe preceſque ſuas, velut ſepem & murum opponant. In hunc ſenſum accipiunt Docti, illa apud Ezechielem conquerentis DEI verba: *& quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam; & non inveni.*

Ezech.c. 22.30.

XX. Similia ſunt iſta: *non aſcendiſtis ex adverſo, neq; oppoſuiſtis murum pro domo Jſraël, vt ſtaretis in prælio, in die Domini.* Bellum omne quod hîc deſcribitur, metaphoricè debet ſumi. Hoſtis DEVS eſt, qui hoſtiles acies Ieroſolymæ vrbi invexit, civeſque miſerabili clade afflixit. Pars murorum ruinoſa atque aperta, peccata ſunt illa, quorum cauſâ offenſus Dominus, populum jactari, ipſamq; civitatem voluit exſcindi; vt ſæpe meminit ſcriptura. Hîc agere excubias prophetæ, huc incumbere vel maximè debuêre, ne illac in vrbem peſtis irrumperet. Quod tamen multi eorum facere neglexerunt; dumque & peccatis & peccatoribus connivebant, tantundem fuit, atque ex adverſo non aſcendere, neque patulas murorum ſciſſuras, ſuorum corporum oppoſitu implere. Aliter quondam egit Moyſes, & propheta, & Iſraeliticæ Dux gentis; nam in parte muri perfracta & interrupta, ita adverſus DEVM ſtetit pro ſuis, vt inde vltricem irati Numinis manum averterit; de quo David Pſaltes cecinit: *& dixit vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius, ſtetiſſet in confractione.*

Ezech.13. 5.

Amat Deus, ſi quis pro aliorũ bono, opponat ſepem & murum interceſſionis.

Sicut olim Moyſes fecit pro populo Iſrael.

Pſal. 105. 24.

XXI. Non longè ab hac metaphora abludit illud Iſaiæ: *non eſt, qui invocet Nomen tuum, qui conſurgat & teneat te.* Quemadmodum iterum Moyſes, DEVM olim ad plagam & vindictam intentum cohibuit, dicente Domino: *dimitte me, vt conteram eum, & deleam nomen ejus de ſub cælo.* Quibus verbis fatetur, ſe Moyſis orationibus atque interceſſione, quaſi teneri & impediri, ne ingratum ac pervicacem populum, funditus deleat. Vbi obſervandum ſimul eſt, DEO velut ægrè eſſe, quando ejus juſto furori, nemo bonus precibus ſuis it obviam. & hinc illa taciti doloris verba, *non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum: quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me, & non inveni; non eſt qui invocet nomen meum.* Si ergo tantopere cupit Dominus, vt rigor ſuus interpelletur piorum orationibus, ne etiam temporalibus pœnis meritos plectat; quantò magis credendus eſt velle acceptare, atque exaudire

Iſa.64. 7.

Deut.9.14.

Deo quaſi ægrè eſt, ſi ejus juſto furori, nemo bonus precibus ſuis it obviam.

preces

preces hominum proborum, ne contra ſceleratos, æternis cogatur animadvertere cruciatibus?

Cùm igitur quotidie præter alios, ipſi præſertim Sacerdotes, velut publici ad Deum legati, in auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio, nomine totius Eccleſiæ, pro improbis quibuſque apud ſupremum Numen intercedant, iiſque veniam culparum omnium, nova Divinæ gratiæ auxilia, meliorem tandem reſipiſcendi animum, ipſamque infelicis averni felicem declinationem, impetrare conentur; quis obſecro perditiſſimus etiam, velit de ſalute ſua abjectè, dubieque ſentire? quis nolit quàm optimè confidere, ſe inter aliorum quaſi orantium brachia, denique ad ſinceram mentis pœnitentiam, tum dein ad cœlos latum iri? maximè quia pleræque orationes ad Deum Patrem mittuntur, partim filij ſui aſperſæ ſanguine, partim ejuſdem meritis armatæ, gravibus omnino telis ad expugnandum parentis cor. XXII. Hinc Eccleſia pro omnium fidelium ſalute orat in ſacrificio Miſſæ.

Talis eſt illa ſacrificantis presbyteri ad Deum precatio, cùm manibus extenſis ſuper hoſtiam calicemque, ſic orat pro omnibus Eccleſiæ membris: *hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, vt placatus accipias, dieſq; noſtros in tua pace diſponas, atq; ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari, per Chriſtum Dominum noſtrum.* Quoniam igitur Deus & pronus eſt ad miſericordiam, & facilis ad exaudiendas pro impijs preces; etiam projectiſſimæ homo vitæ, & perpetuus emendationis ſeriæ dilator, ſolari tamen ſe poterit alienæ orationis potentiâ: ante obitûs ſui extremum ſaltem tempus, mentem ſibi redituram meliorem. Et credo in præſenti materia, à multis vſurpari improbis verbum illud Iobi: *repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo:* optabile omnino fulcrum, ſi eos ſpes non fallit. XXIII. In ſpecie ad declinãdam æternam damnationẽ. *Iob 19. 27.*

Atque hîc ego, ſicuti nulli facinoroſo fiduciam adimere volo, ſive ſecuturæ olim pœnitentiæ, ſive adipiſcendæ beatitudinis; ita nolo certitudinem promittere. Nam etſi oratio tam pro ſe, quàm pro alio facta, impetrandæ gratiâ ſalutis, habeat (cæteris paribus) infallibilem effectum, ex communi Theologorum: fieri tamen poteſt, vt ſit infructuoſa, neque à Deo exaudiatur; veluti cùm ponitur impedimentum per indignitatem eorum, quorum cauſâ preces fiunt. In quem etiam ſenſum D. Baſilius ait, Ieremiam *non auditum fuiſſe, propter malitiam eorum, pro quibus orabat.* quia enim Hebræi obfirmati erant in ſcelera, nihil Sanctus Propheta Deum emollire potuit, vt ſtrictum jam gladium juſtiſſimæ excandeſcentiæ, re- XXIV. *Valent. tom. 3. diſp. 6. q. 2. p. 4.* *Ierem. c. 14. 11. & c. 15. 1.* *D. Baſil. in regulis brevioribus reſponſ. ad 16.*

 pone-

Digitized by Google

Sed qui malitioſè ſunt obſtinati in ſuis flagitijs, Eccleſiæ orantis effectum, ſibi tanquam certũ polliceri non poſſunt.

poneret in vaginam. Ita ajo, quamdiu obſtinatum geris animum, & duratum in quotidiana flagitia, te ipſum quaſi ſpolias effectu orationis. Et verum quidem eſt; non ſemel piorum preces, impijſſimis quibuſque pœnitentiæ dilatoribus profuiſſe, & gratiam quoque efficacem ijſdem ita impetrâſſe, vt Deus conferret, ex nulla debiti obligatione, ſed pientiſſima tantùm beneficentia converſionem. Quia verò nemo certus eſt, eandem ſibi per aliorum ſuffragia, obventuram Numinis benevolentiam; niſi temerarius eſſe velit, ſollicitus fieri debet de ſuæ ſalutis negotio, vitæque correctionem maturare: ne ſi obſtinaverit inter ſcelera propria, alienamque pro ſe deprecantium apud Deum interceſſionem, in peccatis tandem ſuis infeliciter obeat, abeat, pereat.

XXV.

Ioan. c.8. v. 21. & 24.

Scilicet cũ obfirmatis Judæis: pro quibus etiã Chriſti preces in cruce fuſæ, eorundem culpâ, effectum converſionis non habuerunt.

Chriſtus humani generis Servator, cùm Vatem ſemel agere vellet, & futuræ mortis conditionem prænunciare Judæis, ſecum colloquentibus, ita edixit: *in peccato veſtro moriemini.* & iterum: *dixi vobis, quia moriemini in peccatis veſtris.* Grave omnino verbum, triſtis nuncius, lugubre vaticinium; quo ſignificavit Dominus eos, cùm ſibi vero Meſſiæ, omnem fidem honoremque abnegarent, morituros in perfidiæ ſcelere; ſed ituros ad flammas ſemper victuras. Et tamen quemadmodum pro aliorum, ſic pro iſtorum quoque æterna ſalute, oravit Chriſtus Patrem ſuum, & quidem expaſſis in Cruce brachijs, oculiſque inter lacrymas natantibus; tandem ex aperto corde, ſanguinis ſui, amoriſque infinitum pretium ſimul obtulit; neque tamen exoravit; ſtante culpâ in ipſorum obſtinatione, pro quibus fluxerunt preces.

XXVI.

Militantis Eccleſiæ oratio, prodeſt maturantibus pœnitentiam.

Et hinc clariſſimè apparet, nullum ſibi ſtabile, certumque poſſe fulcrum improbos erigere, quando propter efficaciam orationis, ſive à privatis proficiſcatur, ſive ab ipſa Eccleſia, audent protrahere ſuas impietates in ſerum, quaſi propter alienorum pondus ſuffragiorum, certò oblatam tandem ante mortem pœnitentiam, eſſent comprehenſuri. Videt enim Deus cum aliquibus nihil futurum, vitio propriæ ſuæ, & obfirmatæ voluntatis; quæ longo ſcelerum vſu, ita magis magiſque dureſcit, vt ſi oculis cœlos penetrare poſſent, in diphtera magni Dei, iſtud de ſe ſcriptum legerent: *moriemini in peccatis veſtris.* Time igitur, quiſquis adhuc grandis peccator es, & cave; nam qui non cavet, non timet ſatis.

PARA-

PARAGRAPHVS IX.

Nonum Impiorum Fulcrum, MERITORVM ALIENORVM PARTICIPATIO, BONORVMQVE COMMVNICATIO OPERVM, INTER MILITANTIS ECCLESIÆ MEMBRA:

An debeant apud ſceleratos mortales, ſtabilire negligentiam ſalutis?

NVnquam minùs homini licet jocari, quàm cùm Æternitas eſt materia, aut quæ circa Æternitatem verſatur, Numinis clementia, juſtitiaque. Qua in re, quantùm erraverit quidam olim leviculus, deſcribitur inter revelationes S. Brigitæ factas. Huic Chriſtus aliquando librum propoſuit, exiguum ſi folia numeres, & verba inſcripta; ſed oppidò grandem, ſi ſpectes argumentum. Nam toto libro non niſi duæ pagellæ continebantur; ſingulis illis, non niſi vnicum verbum; in altera quidem literis expreſſa fuit vox hæc: MISERICORDIA; in altera, ſoror ejus JVSTITIA. proh quanta res ſub brevi nomine? Chriſtus igitur poſtquam ſponſæ Brigitæ, has geminas libri paginas explicavit, inſignitas Miſericordiæ ſuæ, Juſtitiæque appellationibus, ſimul hæc monuit: *ſcias, quòd oſtendi vni homini (quem tu noſti) iſta duo folia libri MISERICORDIAE & JVSTITIAE; ſed ipſe jam deridet folium miſericordia meæ, & ideò timendum eſt, niſi caverit*

I. In materia Æternitatis non licet jocari.

In Revelat. S. Brigitæ lib. 4. c. 85.

Sicut fecit quidam improbus, cũ libello Chriſti ex duobus folijs, & totidem verbis compoſito.

Miſericordia & Juſtitia.

verit diligenter, quòd ridendo morietur, & ludentibus de mundo auferetur. Neque vanum fuit æternæ veritatis omen; ſtatim enim loco citato hæc ſubnectuntur. *ſic etiam evenit: ſurrexit enim à menſa lætus, & nocte ab inimicis interfectus eſt.* miſera lætitia, quæ intra hoſtile ferrum eliditur, & pro ſepulchro habet capulum inimici. infelix riſus, cujus vltimus cachinnus deſinit in æternos fletus.

II. Atque hæc viciſſitudo eò frequentiùs obtingit, quò plures mortalium ineſcati adhuc impiâ voluptatum dulcedine, abripiuntur ad ſeverum Dei tribunal, opinione ſuâ citiùs dicturi cauſam pro ſe; quid ni perditam, cùm veniant imparati, & Iudici ſuo nondum reconciliati? tantum eſt in puſillis, vanis, ludicris, noxijs rebus occupari, interim negligere veriſſimæ ſtudium ſapientiæ; neque in libro Dei ad pagellas binas, duo verba, intendere ſeriò animum, Miſericordiam ajo Numinis, & ejuſdem Iuſtitiam. quarum ea eſt diſpenſatio, vt altera præſentem vitam complectatur, altera in futurum orbem reſervetur. Væ graviter impijs, quorum proprio contingit vitio, vt eos clementiſſima Dei pietas, tranſeat non emendatos; quiſquis ſic iverit extra hunc mundum, clarè intelliget, ad rigidum ſe Ius ambulâſſe: nihilque ampliùs divinæ ibi indulgentiæ ſperare poſſe, vbi ſemel ſederit ad libellam Regina Iuſtitia.

Miſericordia Dei ſpectat ad præſentem vitam, Juſtitia ad futuram.

III. Hîc verò iterum profligatiſſimus quiſque, ſpebus ſuis de obtinenda ante mortem Dei miſericordia, & plena admiſſorum ſcelerum condonatione, ſupponet novi loco fulcimenti, participationem alienorum meritorum; ſeu, communionem bonorum operum, qualis intervenit non tantùm inter Eccleſiæ Orthodoxæ membra, ſed ejuſdem quoque Congregationis homines, ejuſdem Religionis partes; ſive eos etiam, quos in vitæ ſuæ, ac pietatis communicationem adſcribunt. Et hîc quidem certum eſt, juxta articulum nonum Symboli Apoſtolici, eſſe in Eccleſia Catholica *Communionem ſanctorum*; eo ſenſu, vt qui in eadem, velut domo Dei familiaque verſantur, ſocietatem quandam inter ſe, & vnionem ſervent individuam, mutuiſque officijs, meritis, & orationibus ſe invicem juvent, quemadmodum loquitur Petrus Caniſius.

Scelerati nonnulli, ſpem de conſequẽda Dei miſericordia ante mortem, fulciũt Cõmunione bonorũ operum in Eccleſia.

Petrus Caniſius in opere catechiſt. ad 9. art. ſymb. Apoſtolici.

IV. Huc aliqui applicant illud Pſalmi: *particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Et illud Apoſtoli: *ſicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Catechiſmus verò juſſu Pij V. editus, cùm aſſeruiſ-

Pſal. 118.

Ad Rom. 12.

ſet

ſet in Eccleſia, quæcunq; piè, ſanctèque ab vno ſuſcipiuntur, ea ad omnes pertinere; denique hoc diſcrimen fecit inter fideles pios, impioſque. *Membra mortua, nimirum homines ſceleribus obſtricti, & à Dei gratia alienati, hoc quidem bono non privantur, vt hujus corporis membra eſſe deſinant; ſed cùm ſint mortua, fructum ſpiritualem, qui ad pios & juſtos homines pervenit, non percipiunt.* Loquitur de fructu vltimato, ſanctificatione ſcilicet per gratiam habitualem, ſeu augmento gratiæ ejuſdem, non autem de gratia præveniente aut excitante; ſic enim ſtatim addit. *tametſi cùm in Eccleſia ſunt, ad amiſſam gratiam, vitamq; recuperandam, ab ijs adjuvantur, qui ſpiritu vivunt; & eos fructus capiunt, quorum expertes eſſe dubitari non poteſt, qui omnino ſunt ab Eccleſia præciſi.*

Catechiſm. juſſu Pij V. editum, ad illum artic. Communionem Sanctorum.

Membra mortua in Eccleſia, non tantũ participant de aliorum meritis, quantum viva.

V.

Sicut verò privatorum fidelium bona opera, cùm ab ijſdem nulli certæ perſonæ applicata ſunt, communi lege à Deo aggregantur in theſaurum Eccleſiæ, diſpenſanda ex divino Numinis placito, in egentium neceſſitates membrorum: ita quibus ſemel aliquis merita ſua prodeſſe voluit, plerumq; ejuſdem decretum, ratum habet Devs. Et hinc in Eccleſia tot ſunt paſſim Congregationes, Sodalitia, Fraternitates, in quibus inter membra participatio eſt meritorum, piorumq; operum mutua communicatio: ingens bonum, & parabili labore, aut nullo pene noſtrum. Atq; vt de alijs hujus generis pijſſimis inſtitutis taceam, certè in Societate Iesv, ſodalitia nata è vario cœtu ſtudioſorum, civium, nobilium, ſolùm ab octogeſimo primo ſuperioris ſæculi, ad hujus vſq; duodecimum annum, è monumentis deſcripſit ſupra quadringenta, Sodalis parthenius. Auſim verò dicere, ab anno duodecimo vſq; ad quadrageſimum tertium (quo hæc ſcribo) altero tanto numerum Congregationum excreviſſe. Quò pertinet illa plena ſolatij obſervatio, in Manuali ſodalitatis comprehenſa, pro animandis piè hominibus ad danda nomina Sodalitijs, quæ Societatis ſubſunt directioni: ſic habet. *Quin etiam cùm Congregationes ſingulæ ad Romanam, reliquarum omnium primariam, & caput aggregatæ ſint, eademq; ſit capitis & membrorum ratio, vita, ſenſus: quis non videat ſodales Belgij,* (eadem eſt ratio aliarum nationum) *omnes bonorum operum, precum, meritorum, ſacrificiorum communione gaudere cum Romana, ac per conſequens cum cæteris omnibus, quæ ab illa, tanquam à fonte & origine profluunt, illiq; tanquam capiti, vt membra conjunguntur.*

In Congregationibus & fraternitatibus, membra ſibi invicem communicant merita ſua & bona opera.

Sodalis Parthenius l. 1 c. 2.

Manuale Sodalitatis. c. 2. p. 2.

Sodalitia B. Virginis in Societate Iesv per totum orbem inter ſe participant de fructu meritorum.

VI.

Et quoniam idem, vnuſque prudentium æſtimatorum ſenſus eſt, vitam religioſam non tantùm antecellere profanæ, ſed

Etiam Ordines Religioſi, accipiunt ſubinde aliquos ſæculares in communionem familiarum ſuarum, quoad bona opera.

plenam inſuper eſſe ſanctitatis, meritique; inde velut compendium cenſetur gratiarum, cùm ſæcularium aliquis hominum inſcribitur religioſo ordini, vt ejuſdem ſacri cœtus, per vniverſum orbem diſperſi, gaudere poſſit omnibus planè pietatis, pœnitentiæque operibus, tanquam ſi corporis illius religioſi, animata eſſet pars. Modum autem, quo ſacræ familiæ ſolent alios ſuorum meritorum, operumq; ſanctorum facere ſocios, adijcio. Et quidem hodie Miniſter Generalis, Reformatorum Patrum Franciſcanorum, ſæculares homines in membra Religionis ſuæ, ita ſolet adoptare, taliq; inſtrumento reddere participes meritorum, quam latè patet Ordo.

VII.

Formula, quæ ſervatur in Ordine Minorum, ad ſæculares aſciſcendos in meritorum ſuorũ participationem.

Ego N. N. Strictioris obſervantiæ, totius Ordinis Minorum, Seraphici ſancti Patris noſtri Franciſci, Generalis Miniſter & ſervus. Spiritualium potiùs, quàm temporalium retributione bonorum, compenſanda eſt exhibitæ charitatis condignitas: atque adeo quamvis Nos, qui altiſſimæ paupertatis celſitudinem, & profundiſſimæ humilitatis parvitatem profitemur, omnium penitus ſæcularium rerum voluntariâ abdicatione fruamur; non putamus propterea nullâ prorſus obligatione teneri; quin, provt noſtra patitur tenuitas, ſpiritualium ſaltem exhibitione donorum, gratitudinis indicia, & obſequiorum exempla præſtemus. ijs præcipuè, qui ſuarum nobis eleemoſinarum frequentiâ, humanitatis, hoſpitalitatis, & chriſtianæ charitatis officia cumulatiùs impendunt: quique largiori propriarum facultatum ſubſidio, quotidianis neceſſitatibus noſtris opportuniùs occurrunt. Et inde fit, vt cum certò nobis conſtiterit, eſſe te N. N. de Religione noſtra Seraphica optimè meritum, & vehementi affectu, ferventi charitate, propenſiori devotione, noſtris indigentijs adeſſe, & adfuturum deinceps: de omnipotentis DEI bonitate confiſi, Beatiſſimi Seraphici Patris noſtri Franciſci meritis innixi, ac privilegiorum demum noſtrorum inhærentes virtuti, in noſtram te Confraternitatem admittere voluerimus, pro vt præſentium vigore ſinceriùs admittimus, verumque confratrem noſtrum nominamus, ac nominandum iri decernimus, in vita & poſt mortem: etiam plenariè reddentes te participem omnium ſuffragiorum, Miſſarum videlicet, orationum, meditationum, officiorum, diſciplinarum, jejuniorum, abſtinentiarum, peregrinationum, pœnitentiarum, prædicationum, devotionum, omniumq; aliorum piorum operum & ſpiritualium

Digitized by Google

lium exercitationum, quas miſerator & miſericors DEVS, non ex dilectorum nobis in Chriſto, ejuſdem Ordinis Fratrum noſtrorum duntaxat; verum etiam S. Claræ, S. Eliſabeth, immaculatiſſimæ Deiparæ virginis, Conceptionis & Annunciationis Monialium; Tertij demum Ordinis Religioſorum atq; Confratrum, aliarumq; omniũ Religioſarum perſonarum, juriſdictioni noſtræ quomodolibet ſubditarum, pietate clementer acceptare dignabitur; quatenus tantorum ſuffragiorum beneficio munitus, gratiarum accretionem in terris, & æternæ beatitudinis prœmium in cœlis, conſequi poſſis & valeas. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Vnde DEVM ipſum, ac Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſuppliciter obſecramus, vt Communionem hanc de cœlo ratam, & firmam habere dignetur; ac de inexhauſto ejuſdem dilectiſſimi filij ſui meritorum theſauro, noſtram ipſe inopiam ſupplens, te ſuorum munerum, cœleſtiumq; chariſmatum copiâ, in hac vita ſuffultum, æternæ tandem gloriæ coronâ remuneretur.

Attexo etiam hîc modum, quem Patres Carmelitæ diſcalceati tenent, cum admittendis in ordinis ſui communicationem ſæcularibus; ſic habet. Ego N. N. Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ Præpoſitus Generalis, in Domino ſalutem. Cum ſalutis noſtræ auctor IESVS Chriſtus, præſentes diſcipulos, & nos abſentes, imitatores ſuos erudiens, ſingulari fraternæ charitatis præcepto præſertim obſtrinxerit, vt ſcilicet diligeremus alios, quemadmodum ipſe dilexit nos: & tanto magiſterio, & inſtituto noſtro valdè conſentaneum eſt, vt ſaluti proximorum, operam ſimilem ei, quam Redemptor noſter navavit, impendamus. Cùm verò ſic nos dilexerit, ut labores, dolores, operaque ſua omnia, in ſalutem noſtram, cum infinito merito ac ſatisfactione direxerit; nullum ejus imitandi modum ſimiliorem invenire poſſe videmur; quàm ſi è pijs laboribus & operibus noſtris, quæ ex ipſius munere pręſtamus, & ſpiritualibus bonis, quibus ex ipſius theſauro fruimur, partem aliquam proximis tribuamus. Quapropter nos N. N. (qui licet immeriti) prædictæ Congregationi præſumus, & bona ejus augere, ac in alios juſtis de cauſis derivare debemus, confiſi meritis & precibus Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Matris DEI & noſtræ, cui ſpecialiter famulamur; ac ejus ſponſi, ſanctiſſimi Ioſeph; nec non ſanctorũ Prophetarum Eliæ & Eliſęi, Patrum noſtrorum; Sanctorum Angeli & Anaſtaſij Martyrum, Alberti & Cyrilli Confeſſorum; & ſanctę VIII.

Formula, quam in eodem negotio tenent Carmelitæ diſcalceati.

Thereſiæ Virginis Matris noſtræ, & aliorum ſanctorum atque ſanctarum Ordinis noſtri, & omnium Sanctorum & Sanctarum DEI. Vos N N. peculiari charitatis ſignificatione complectentes, ad participationem omnium privilegiorum, indulgentiarum, precum, jejuniorum, diſciplinarum, peregrinationum, piorum operum; aliorumque, quorumvis bonorum ſpiritualium, totius noſtræ Congregationis admittimus; precamurque divinam bonitatem, vt vos per hoc noſtrum miniſterium, prædictorum bonorum operum, cum proventu multo, conſortes efficiat. Similem ferè rationem obſeruant, alia quoque Religioſorum Ordinum capita, adſciſcendis ſæcularibus in meritorum ſuorum participationem.

IX.

Magna eorum eſt ſæcularium felicitas, qui velut otioſi & quieti, fruuntur religioſorum vigilijs, precibus, jejunijs, laboribus, tanqnam proprijs.

Quis autem negare auſit, ingentia iſtis emolumenta creſcere, quibus in medio nationis pravæ, hoc eſt, corruptiſſimo ſæculo conſtitutis, ſive inſignia pietatis exercitia applicantur, ſive perpetua divini cultûs obſequia, ſive quotidianæ affligendi corporis auſteritates, quæ intra ſacrata religioſorum hominum clauſtra, in ſingulas prope horas fiunt? Quid pulchriùs, quàm ſine expenſis ſuis, citra ſuum laborem poſſe diteſcere, & ingentes cumulare theſauros? quid jucundiùs, quàm ſedendo poſt ſarcinas, cuſtodem potiùs quàm militem, venire tamen in partem ſpoliorum? Quid feliciùs, quàm otioſè ſpectantem alienas pugnas & vulnera, cum victoribus coronari, & eodem quaſi victoriæ ſerto redimiri? ſive quod tantundem eſt, aſpicere eminus, quomodo homines religioſi piè in corpus ſuum deſæviant, ſetis aſperis pungant latera, flagris lacerent humeros, jejunijs conſtringant ventrem, ſimulque de eorundem glorioſis conatibus, quaſi de proprijs participare? Hoc denique eſt *tollere quod non poſuiſti, & metere, quod non ſeminâſti.* (*Luc. c. 19. 21.*)

X.

Sæcularibus eleemoſinas bene compenſant Religioſi, in ſpiritualibus.

Quamquam verò pauculi illorum, quos mundus numerat inter ſuos, admittuntur ad ſanctiſſima religioſarum familiarum merita, velut membra, de ejuſdem ſucco ſanguinis communicantia; nihilominus tamen, multum ſaltem juvari poſſunt orationibus eorundem, quos ſibi officijs ſuis, liberalitate, eleemoſinâ, alijſq; modis fecerunt obſtrictos. Narrabo ad rem præſentem, quod conſignatum reperio in Revelationibus S. Brigitæ, judicij genus omnino formidabile. Qui pro tribunali ſedit, DEVS fuit: rea ante eum anima trepidabat, jam è corpuſculo ſuo, ruinoſâ domo, exitu-

Digitized by Google

exitura. Adverſus hanc ibant Æthiopes ſtygij, non tantùm armati communi humanæ gentis invidiâ, ſed etiam multis accuſationibus graves; inter quas palmaria fuit, quòd moriturus ille ad vltimum vſque momentum, nunquam hactenus ſincerum de noxis gravibus dolorem, ex motivo charitatis divinæ concepiſſet. Iamque putabant ſævi accuſatores, conclamatum eſſe de ſalute convicti hominis, & inferos acceſſione prædæ augendos. Cùm ecce tibi Angelorum adeſt Regina; neque ſola, ſed ſtipatâ multorum coronâ Religioſorum, partim iſtâ adhuc vitâ degentium, partim ſanctè defunctorum; quos cùm juſſiſſet patronos eſſe reo, & in periculo vacillãtis cauſę facundos apud Judicem interceſſores, pro eo, quem fortè meminerant, ſuum olim extitiſſe benefactorem; ita perorârunt, vt evincerent: nam precibus ſuis, jam jam expiranti homini, veram perfectamque de commiſſis flagitijs, contritionem impetrârunt, hoc eſt, clavem ad cœlum. Sed ipſa verba ex facta S. Brigittæ revelatione, lectori offero, quia & ſuavem affectum inſpirant, & ſolatium affundunt.

In revelat. S. Brigitæ l. 4. c. 7.

Expertus eſt quidam, ante mortẽ ſuam graviter accuſatus apud Deum à malis genijs.

XI. Itaque *poſt iſta* (intellige multarum accuſationum capita) *audiebatur ſonitus, & quædam vox loquebatur dicens: ſilete & auſcultate omnes vos, Angeli & dæmonia, quid Mater Dei loquitur. Et ſtatim ipſa Virgo, ante ſedem judicij apparens, & habens ſub mantello ſuo, quaſi occultas res aliquas magnas, dixit: O, ô, inimici, vos perſequimini miſericordiam, & cum nulla charitate diligitis juſtitiam. licet in operibus bonis hîc appareat defectus, pro quibus hæc anima non debet obtinere cœlum; videte tamen, quid ego habeo ſub mantello meo. Cùmq; Virgo ambos aperuiſſet ſinus mantelli, apparuit ſub vno quaſi quædam modica Eccleſia, in qua aliqui Monachi videbantur. ſub alio verò ſinu apparuerunt mulieres, & viri, amiciq; DEI Religioſi, & alij, & omnes vnâ voce clamabant dicentes: Miſerere miſericors Domine. Deinde factum eſt ſilentium, & Virgo loquebatur dicens: Scriptura dicit, qui habet fidem perfectam, poteſt per eam transferre montes in mundo. Quid ergo nunc poſſunt, & debent voces iſtorum facere, qui & fidem habuerunt, & ſervierunt DEO cum ferventi charitate? Quid verò illi amici DEI facturi ſunt, quos iſte rogavit orare pro ſe, vt poſſit ſeparari ab inferno, & obtinere cœlum, nec pro bonis operibus ſuis aliam remunerationem quæſivit niſi cœleſtia? nunquid non poſſunt, & valent omnes eorum lacryma & preces, apprehendere & elevare eum, vt obtineat ante mortem ſuam, divinam contritionem cum charitate?*

Sed volente D. Virgine, patrocinium ejus ſuſceperũt Religioſi varij, quibus benefecerat.

XII. Hanc Deiparæ oratiunculam excepit breve ſilentium; tum deinde Filij Judicis approbatio, quam (ſuſpenſis adhuc accuſatoribus

bus

Digitized by Google

Tandem & verâ Contritionem apud Chriſtum, eidē morienti impetrârunt.

bus & reo ſuper euentu) hâc ſententiâ manifeſtam fecit: *propter preces amicorum meorum, obtinebit jam ille divinam contritionem ante mortem; in tantum, quòd non veniat in infernum, ſed purgabitur cum illis, qui graviorem pœnam habent in purgatorio.* Et quæſo, quis nolit impoſterum, homines Deo per Religionis vota conſecratos venerari? in eorumque ſe inſinuare familiaritatem, quorum tanta eſt apud Numinis ſolium authoritas, vt poſſint pauculis verbis omnem vim ſtygis retundere? quis non eorum velit flagitare preces? & obſequijs ſtudijſque demereri interceſſionem, cor Judicis Dei everberaturam ad benignitatem? quis denique nolit Religioſos ſibi *facere amicos de mammona iniquitatis*, ſi benefactoribus ſuis (quantumvis diu ſceleratis, ſemperque impijs) veram ſub mortem Contritionem impetrant, ſtruuntq; adeò expeditam viam *ad æterna tabernacula?*

Luca 16.

XIII.

Etiam Mēdici & pauperes, proſunt ſuis benefactoribus.

Ceterum his ego Religioſis, adjungo mendicorum turbam, centunculatum gregem, pauperes inquam, & parvi censûs homines; ſed qui poſſint opulentis cœlum lucrari, arte quaſi venatoriâ. Ita Amadæus Sabaudiæ quondam Dux, interrogatus à Legatis aliquibus, num guſtum haberet in venationibus, & an venaticis de meliori nota canibus abundaret? juſſit vt poſterâ die adeſſent, ſpectaturi omnem Dianæ ſylveſtrem apparatum. Igitur ſequenti die, ingentem vim mendicantium cogit in aulam ſuam Amadæus; jamq; vt diſtributi, per menſas, longis ordinibus conſederūt, indice digito, oculiſq; in pauperem globum conjectis; *hi* inquit, *ſunt canes mei quos alo quotidie, quibuſq; cœleſtem gloriam me ſpero venaturum.* Neſcio an vlla alia ſit nobilior, quæſtuoſiorq; venatio iſtâ, in qua pro apro & cervo, cœlum divitibus venantur egeni. Retium illis & plagarū vice, ſunt manus ad Deum cōtinuò porrectæ, & digiti cancellatim diſpoſiti. Venabuli loco, haſta eſt Longini, cujus ferro ita Salvatoris trajectum fuit Cor, vt ſimul totum genus mortalium purpureo ſanguinis ſui charactere, divino amori profundiſſimè inſcriberet. Latratus canum, clangorem tubarum, venantium clamores, repræſentat communis omnium deprecatio mendicabulorū, poſtulantium copioſis hominibus cœleſtes Numinis favores, præſtantius vtique bonum, quàm illi profuderunt in alienam egeſtatem.

Cornel. à lap. in cap. 21. Exod. v. 23.

Artificio quodam venatorio.

XIV.

Et ſicut Tabithæ, vitā corporis exorârunt apud S. Pe-

Neq; dubitandum eſt, paupertinam plebem, ſive cui proſpectū eſt in Xenodochio, leprodochio, ſimilibuſq; conditionibus; ſive quæ aliunde accipit ſtipem evitandæ neceſſitati, aut veſtes arcendo frigori, aut panē pellendæ famī, tam potenter apud Deum agere, pro largitoribus ſuis ac benefactoribus, atq; olim apud Petrū Apoſtolū,

viduæ

Digitized by Google

viduæ quæpiam egerunt pro Tabitha, ſibi benefica munificaque, quam alio quoq; nomine Dorcadem appellat ſcriptura. Cùm enim hæc fatis conceſſiſſet, & jam ſpiritus mole carnis ſolutus (quemadmodum piè creditur) ad centrum ſuum, Deum evolâſſet, domi relicto exanimi cadavere; illuc vbi jacuit, Petrum duxerunt, atq; vt ſacer textus loquitur: *circumſteterunt illũ omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas veſtes, quas faciebat illis Dorcas.* Arator ſic exprimit mutã lamentantium ſcenam. *lugentia tecta petenti*

trum pauperes, ejus olim liberalitate adjutæ:

In Act. Apoſt. c. 9. 39.

Arator.

Stant inopes, viduiq; greges, & brachia monſtrant
Exuvijs onerata ſuis, quas Dorcadis ipſa
Texuerant, dederantq; manus. Et profectò armatæ erant iſtarum preces viduarũ, quando ſepultâ in luctu voce, triſtes omnium geſtus loquebantur ac lacrymæ, rogantium apud Apoſtolum vitam benefactrici ſuæ. Itaque quemadmodum S. Cyprianus advertit: *quæ laborantibus viduis largita fuerat ſubſidia vivendi, meruit ad vitam viduarum petitione revocari.*

S. Cyprian. in Lib. de opere & eleemoſinis.

XV. Ita mihi imaginor fieri, cùm vitijs ſemel ac divitijs immerſus homo, audit illud fatale mortis verbum; *Exi hoſpes, exi*: cùm à morbis etiam vrgetur & impellitur ad abitum; cùm totus hiat Orçus ſpe animæ glutiendæ, heu! jam dudum emortuæ, & propter diuturna ſcelera extra gratiæ vitam poſitæ, tum nimirum illoſum gemitus, vota, lacrymæ, preces mendicorum pauperumq;, quas jam olim piâ liberalitate devincti, pro largitore ſano fudêre, circumſtant Dei ſolium, & oſtenſo vario beneficentiæ ac eleemoſinarũ genere, hoc vnum agunt, vt antequam impij corpus plenè in mortem exſpiret, anima per ſinceram de peccatis pœnitudinem, ad veram ſpiritûs vitam redeat. quod tantò majus eſt tunc beneficium, quantò certior ſalus morientem ſecutura. Et credo propter ejuſmodi ſanctæ compenſationis bonum, hortatus eſt Paulus Corinthios divites, ad faciendas largitiones, ſublevandæ aliorum indigentiæ, cùm dixit: *in præſenti tempore, veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat; vt & illorum abundantia, veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.* Quibus verbis ſignificat; cum ſępe numero homines, auro argentoq; opulenti, ſint cœleſtium inanes, virtute & pietate vacui, per erogationem eleemoſinę ita ſibi demereri pauperes, vt eorum orationibus ac meritis, multum juvari ſoleãt; &, quod caput eſt, in cauſa omniũ graviſſima, ſalutis negotio.

Sic alij egentes, alijs ſuis patronis, vitam animæ exorant apud Deum.

2. ad Cor. 8. 14.

Refundendo pro tẽporalibus ſpiritualia.

XVI. Quis igitur profligatiſſimæ etiam vitæ homo, velit ſe perditum conclamare, ſi ſpem ſuam ſubſtruit tam robuſtis columnarum fulcris? tot bonis Religioſorum operibus? tot piarum Congrega-

tio-

In eius Vita, authore Ioanne VVoVerio.

Horatius.

Simon Valentinus tempore Bacchanalium, orat pro bacchantibus.

tionum meritis? tot devotis, ſerijſque pauperum ſuffragijs? denique tot aliorum in Eccleſia vniverſa ſanctiſſimis induſtrijs, quas charitas dictat, ad ſervandos ab interitu ſempiterno impios? Simon Valentinus, Hiſpanorum gemma ſacerdotum, quam noſtro ſæculo Deus inſeruit æternitatis beatæ annulo, in more poſitum habuit, *vt ipſis Saturnalibus, optimo dierum,* quemadmodum vetus Poëta ait (dixerim ego, peſſimo temporum, quo Bacchi, bacchantiumque inſania, pietati bellum indicit, & virtuti latam ſtragem facit) ſoleret domi ſuæ velut carcere incluſus, pro alienis Deum noxis non tantùm deprecari, ſed inſuper quoque peccantibus veniam flagitare, ac miſericordiam petere, ſupplicantibus vnâ ſecum inter jejunia, ſuſpirijs lacrymiſque.

XVII. Sunt quoq; paſſim in mũdo, tam ſeculares quàm Religioſi, qui ex charitate Deo offerunt bona opera, pro impiorum converſione, quovis tẽpore.

Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 36.

Neque hodie deſunt aut intra clauſtra Religioſi, aut inter domeſticos parietes melior pars hominum quibus cura eſt frequenter & preces fundere, & peregrinationes facere, & corpuſculum affligere, & ſtipem largiri, aliaque Deo exhibere pietatis opera, vt quos viderit ejus oculus, peccatis letalibus implicitos mortales, dignetur ſaltem ſub poſtrema vitæ ſpatia ad frugem reducere, oblato vberioris gratiæ illicio, & robuſtiore ad trahendum mentis affectum radio. Memores credo ſunt iſti, ſive advocati apud Numen, ſive patroni, ſive deprecatores, elegantis doctrinæ, olim in materia prædeſtinationis à S. Proſpero traditæ, in hæc verba: *quamvis quod ſtatuit Deus, nullâ poſſit ratione non fieri; ſtudia tamen non tolluntur orandi, cùm implendæ voluntatis Dei, ita ſit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per inſtantiam ſupplicantium, per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum.* Vbi auctor non tantùm loquitur de orationibus, bonis operibus, meritiſque proprijs, quæ prædeſtinatus quiſque pro ſe offert Deo; ſed etiam de ijs, quæ ab alio pro alijs applicantur. Et videtur mens eſſe D. Proſperi, animare vniverſim Chriſtianos ad mutua charitatis ſtudia, quibus prodeſſe poſſit alter alteri ad ſalutem.

XVIII. Hinc non paucis improborum creſcit ſpes futurũ ipſis, propter cõmunicatiõe bonorũ operũ in Eccleſia,

Quia igitur, & alienorum participatio meritorum, & bonorum communicatio operum, inter Militantis Eccleſiæ membra, tantum pondus habet; non apparet cur improbo ſuus debeat fluctuare animus, tametſi gradu lento, & teſtudineo repat ad pœnitentiam. apprehendet illam *ſat citò, ſi ſat bene.* ſat autem bene apprehenſurum pœnitentiam, etiam cunctatorem impium, fiduciam ſubminiſtrat tot piorum conatus, laborantium ſimul pro vna ejus ſalute; vt quantumvis hominem talem divinæ rigor juſtitiæ, è ſinu

gra-

gratiæ ſuæ excutere velit, DEI tamen facilis benignitas, clementer exceptura ſit gremio. quod Juveni.

XIX. Iucunda fuit illa ad meliorem vitam converſio, quæ nata eſt ſtudioſo adoleſcenti ex viſione, periculum ſuum commonſtrante, ſi pergeret in ſæculo vanus eſſe, & vitioſus. Objecta enim illi fuit *Nubila, lurida, ſquallida, tetrica, terribilis nox*; ſecum vehens ingentem inter fulgura, & tonitruorum boatus tempeſtatem. Juvenis ergo, medio in campo deprehenſus ab irato cœlo, vt duram minantium ſupernè fulminum evaderet neceſſitatem, viſus eſt proximam domum petere, curſu accelerato. Sed hoſpita adoleſcenti obvia; Ego inquit *Juſtitia* hîc habito; nullis fores meæ patent, niſi juſtis: è quorum numero quia non es, faceſſere te hinc jubeo, & aliam quercum excutere. Abit ergo excluſiſſimus Juvenis; & quoniam habitationem aliam conſpexit in vicinia, eò ſe feſtinus contulit, vi tempeſtatis vrgente, & metu lapſuri fulminis. Sed neque iſtarum ædium domina recepit hoſpitem, cauſata ſe *Veritatem* eſſe, cui minimè conveniret cum amatore fallacis, atque evanidę voluptatis. Iam igitur iterum properat ad domicilium tertium, exiturus furias inter ſe pugnantium nubium, flammaſq; exſpuentium, ſigna conceptæ indignationis; indè progreſſa in occurſum Matrona, ſerenitate vultûs ſui, eam ſe eſſe oſtendit, quam verbis profeſſa eſt, *Pacem*: quamquam etiam ipſa occluſit januam fugitivo adoleſcenti, quòd diceret admitti non poſſe in domum ſuam impios, quibus teſte Spiritu ſancto, pax non eſſet. tamen ne vndiq; excluſum conſilio deſtitueret, ſuaſit vt ad proximum ſororis ſuæ palatium ſe ſe conferret, ſemper paratæ miſeris ſuccurrere. quod vbi ille fecit, ſubminiſtrante timore alas pedibus: hem tibi! *Miſericordia* excipit anhelum: atq; vt verè declinare valeat, irati olim DEI tempeſtatem, caſurumque in ſceleſtos homines æternæ damnationis fulmen, tutum monſtrat refugium, ſancti Dominici familiam. cujus albo eò libentius nomen ſuum poſtea Iuvenis dedit, quòd ſperaret ſic certiùs, nigrum ſe Iudicis theta evaſurum.

Hermannus Hugo in piis deſideriis l. 1. Elegia 1.

Theodoricus l. 3. c. 1. in Vita S. Dominici.

Qui excluſus à Iuſtitia, Veritate & Pace:

Tandem receptus eſt à Miſericordia.

XX. Et hæc, inquit non nemo, ſpes maxima eſt ſceleratorum mortalium; fore aliquando, vt tametſi Iuſtitiam Numinis ſibi habeant adverſam, ipſa tamen DEI Miſericordia, tot aliorum in Eccleſia precibus, meritis, boniſque operibus flexa, eoſdem & in amplexum ſuum admittat, & per veræ converſionis gratiam, DEO ſuo reſtituat, futuros illuſtrem inter beatos portionem. Neque

Præſertim cùm jam ſæpius Miſericordia & Veritas obviaverint ſibi,

Juſtitia & Pax oſculatæ ſunt. ſemel tantùm ita Miſericordia vicit Juſtitiam; neque hæc ſe unquam doluit vinci, cùm de ſervando magni peccatoris capite actum eſt; jam ſæpius in cœlo auditum fuit, illud ab Angelis ap-

Pſal.84.11. plaudentibus carmen: *Miſericordia & Veritas obviaverunt ſibi, Juſtitia & pax oſculatæ ſunt*. Denique ex iſtis omnibus patet, quàm ſit bonæ fiduciæ egregium columen, quàm grave apud impios ſpei fulcrum, poſſe in Eccleſia orthodoxa alienis fidelium ſtudijs officijſque, propriam indipiſci ſalutem.

XXI. Et quidem meâ etiam ſententiâ, quæcunq; hactenus allata ſunt, pulchrè ſolantur eos homines, qui poſt deſignata longis annis enormia flagitia, à cacodœmone in puſillanimitatis barathrum impelluntur, inde (niſi pedem retraxerint) defluxuri in tartarum. Nego tamen eoſdem ex principijs ijſdem, aut debere, aut poſſe ſtabilire negligentiam ſalutis ſuæ, quaſi alienâ induſtriâ, meritiſq; procurandæ. Nam tametſi certum ſit, generatim ac vniverſè loquendo, aliorum egregia in pietate exercitia, & generoſiſſimæ virtutis actus, iſtis non rarò, quibus applicantur, apud DEVM, impetrare gratiam prævenientem, excitantem, imò & congruam, efficacemque ad converſionis bonum, ſeriamque pœnitudinem; quod paſſim conſtat ex probatiſſimæ fidei hiſtorijs; tamen in individuo, nemo ſceleratus habet certitudinem, propter aliena ſanctiſſimorum merita hominum, dictam ſibi gratiam, & ſinceræ reſipiſcentiæ beneficium, à Numine infallibiliter datum iri.

Sed tamen nemo in individuo certus eſſe poteſt, propter aliorũ merita ſe ſalvandũ.

XXII. Vbi ſuppono cum communi Theologorum, neminem ex mortalibus, quantumvis ſanctum & DEO gratum, poſſe ſuis ſive precibus, ſive operibus pijs, de condigno mereri alteri alicui ſive gratiam habitualem, ſive auxilia gratiæ, ſive ipſam gloriam, ejuſq; conſecutionem. Ratio eſt, quia de condigno mereri aliquid apud DEVM, eſt ita mereri, vt ex promiſſione & interveniente pacto, adeoque titulo Juſtitiæ, teneatur DEVS mercedem dare: atqui nulla extat talis promiſſio, quâ DEVS ſe obligaverit, bona opera noſtra acceptare ad impetrandam alijs gratiam ac ſalutem. Et verum quidem eſt, poſſe vnum alteri de congruo mereri gratiam efficacem, quia ſcilicet congruum videtur, vt DEVS applicatas aliorum orationes, jejunia, peregrinationes, corporis afflictiones, ſive à Religioſis exhibeantur, ſive à ſæcularibus, accipiat juxta eorundem intentionem; puta pro obtinendo ante mortem dono contritionis, ei impio (quem ipſi deſignant) hactenus ſemper

Apud D. Thomam q. 114. a. 6.

Suar. de merito. c. 16.

Tametſi etiam vnus fidelis alteri mereri poſſit gratiam efficacẽ de congruo, Deus tamen non obligatur dare, & a-

per refractario conſcientiæ ſuæ ſtimulis: tamen neq; meritum de congruo, propriè apud doctos, habet rationem meriti; neq; Deo cauſę deſunt, id aliquando nobis negare, quod pro aliorum ſalute, vel congruentiſſimè eidem offerre videmur. Vt proinde nihil impedientibus proborum hominum meritis, improbi peſſum ire poſſint. Et ô! vt pauci iverint; timendum eſt huc vſq; jacturam multorum fuiſſe. Qui ſe extricare voluerit periculo, nihil melius fecerit, quàm non implicari gravibus peccatis, neque alienâ niti bonitate, ſed ſuâ: velificante ad pium conatum divinę gratię favonio. Demum nihil gratiùs eſt Deo, nihil homini vtiliùs, quàm continuò in ſalutis ſuę cauſa, non dico anxium, ſed ſollicitum eſſe.

liquando negat.

Securiſſimum eſt, nõ alienâ, ſed propriâ niti bonitate.

XXIII. Et credo, hoc omnibus commendatum eſt mortalibus, per illam Prophetæ ſententiam: *judicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. vtiq; facere judicium, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Quibus verbis Devs ipſe videtur quemvis impium admonere, vt conſcendat rationis tribunal, & futurus actionum ſuarum judex, citet ream voluntatem, omneſque ejus errores ac peccata, ad trutinam divinæ ſeveritatis examinata, digno plectat ſupplicio. Atque hoc ipſum eſt facere judicium, quod Dominus à quovis peccatore exigit, jure ſuo. Præclarè in hunc Micheæ locum, ſic commentatur Divus Auguſtinus. *Si facias quod juſſit (Devs) invenit in te judicium, & juſtitiam. judicium primò in te ipſo, juſtitiam ad proximum tibi. quomodo judicium in te ipſo? vt diſpliceas tibi, quod eras, & poſſis eſſe, quod non eras. Judicium inquam, de te ipſo in te ipſo, ſine acceptione perſonæ tuæ, vt non parcas peccatis tuis, nec ideo tibi placeant quæ tu facis. Nec te laudes in bonis tuis, & Devm accuſes in malis tuis. hoc enim eſt perverſum judicium, & ideo nec judicium, ſed vitium.* Et mox: *Vis ergo facere rectum judicium? corrige præpoſtera, & rectum erit. quid eſt corrige? Devm lauda in bonis tuis, te accuſa in malis tuis.* Neq; tantùm conſiſte in ſola tui accuſatione; ſed puni quoq; præteritos inter delicias riſus, voluntario gemitu; jucunditatem ſceleris, acerbitate doloris; ſuperbiam culpæ, pudore confeſſionis.

Michea c. 6.6.

S. Auguſt. ſerm. 136. de temp.

Item facere judiciũ; agnoſcendo, lugendo, plectẽdo & deſerendo peccata gravia.

XXIV. Deniq;, etiamſi Ephebos dudum exceſſiſti, jamq; grandævus ſenecio quadrupes ingrederis, quà multi eunt, per viam latam ad perditionem: quæſo te, iterum ad infantiam redi, iterum diſce pedem figere, ſed benè: verbo dico, quemadmodum Dominus Dominantium à te requirit, diſce *ſollicitus ambulare cum Deo tuo.*

Nec non ſolicitum ambulare cum DEO, ad ejus nutum & placita.

tuo. Si hoc tibi ænigma eſt; ajo eum ambulare ſollicitum cum DEO ſuo, qui ita omnem ejus nutum obſervat, vt nolit offendere graviter, velit placere potiùs, & juſſis obtemperare ſui conditoris; præſertim quibus major annexa eſt turpitudo culpæ, pœnæque obligatio. Qui plumbum, ferrum, æs liquant, magnam adhibent induſtriæ curam ac ſollicitudinem: maximè omnium, qui æra campana fundunt, & tormenta bellica. parvus hic error, aut negligentia facit, vt vel ab igne, vel metallo grande malum eueniat. Sæpe artifex morte luit modicam culpam; tractare flammas, & liquata flammis corpora, res eſt plena ſollicitudinis; quia periculi. Et *DEVS noſter ignis conſumens eſt*, ſoletque frequenter non tantùm afflare impios fulmine; ſed eoſdem etiam malè in ſceleribus mortuos, peſſimè plectere inter liquida ſtygis metalla; vt miſerabiliùs illis mugiant, quos olim Phalaridis crudelitas, tauro impoſuit aheneo. Quis igitur nolit *ſollicitus ambulare cum DEO ſuo*, & ſecuriſſimum ad cœlum iter Virtutis arripere, relictâ viâ dubiâ, incertâ, lubricâ, deviâ hominum improborum, quibus ipſa ſæpe fulcra ſua, occaſio ſunt ruinæ?

Deut.4.24.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS X.

Decimum Impiorum Fulcrum, PRECES TRIVMPHANTIS IN CŒLO ECCLESIÆ, DIVORVMQVE MERITA:

An ſint ſufficiens ratio, trahendæ ſemper reſipiſcentiæ?

Miſerabilis infortunij genus eſt, cùm quis ſua ipſius ſagittâ perit, aut gladio. Celebratur in Apulia Garganus, S. Michaëli Archangelo mons ſacer, & hoc velut primo famoſus prodigio. Errabat in eo cujuſdam ex grege taurus, & longiùs extra paſtoris oculum abijt. Neceſſe ergo erat pecus quærere, non ſine magna plurium fatigatione hominum. Tandem vt quidam taurum in aditu ſpelunçæ vidit, ab indignante animo manuque, contra eum ſagittam torſit. ſed infelici exitu; quia relapſa fuit in jacientem. Admirabiliùs eſt, quod de S. Sylvano, Nazarenæ vrbis Epiſcopo circumfertur. Huic ſanctiſſimo viro, vt infamiæ notam aſpergeret cacodæmon, ejuſdem aliquando & habitum, & vultum induit, multis lenocinijs ſollicitans ad facinus honeſtam matronam. ſed ejus pudori cedere debuit impudentia Sathanæ. Interim Sylvanus paſſim audiebat adulter: quam ipſe calumniam, cùm in ſpelæo Bethlemitico ad D. Hieronymi lipſana, Deo quereretur; à Nazaræo ſuperveniente, primùm maledictis proſcinditur, velut petulcus gregis ſui paſtor; tum deinde gladio ſtricto petitur. Sed Deo conatum eludente, aberravit multum dextera, quia in percuſſoris jugulum merſit ferrum. Secutus eſt alter, & tertius civis, atque ex eadem inſania, cùm vellent D. Sylvanum ferire, fatalem enſem intra ſua miſerunt viſcera; errore eodem, neq; impoſterum emendabili. fuitque iſtorum caſus eò miſerabilior, quòd mortem repererint non in gladio alieno, ſed ſuo; neque in aliena manu, ſed ſua. I.

Breviariũ Romanum ad 8. Maij.

Quidam ſagittâ ſe ipſum traijcit.

S. Cyrillus in Vita S. Hieronymi, de ejus miraculis.

Tres impij, cùm S. Sylvanum Epiſcopum deſtinâſſent ad vulnus, gladium in ſua viſcera merſerunt.

Digitized by Google

II. Idem genus infelicitatis eſt, cùm quis funes torquet, quibus ipſe poſtea conſtrictus torqueatur, & infamis litera ſuſpendatur è patibulo. Raro inquies, hoc fieri. Ego verò ajo frequenter accidere; & quidem cum illis mortalibus, quos nihil angit magnorum conſcientia ſcelerum, ſed delectat continuandæ voluptatis illecebra; donec per longum noxarum ſive funem, ſive reſtem, trahantur ad Orcum, futuri ſemper penduli ex laqueo deſperationis æternæ. Nota eſt illa Salomonis gnome: *iniquitates ſua capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Nempe, ſicut qui ſub aperto ſole reum ſe fecit magni criminis, ſtatim à lictore comprehenſus, vinculis & carcere adſtringitur, donec Judex capitis in eum ſententiam fulminet: ita quamprimùm ſe homo gravi ſcelere inquinavit, & ſanctiſſimum legiſlatoris Dei imperium turpiter excuſſit, jam captus eſt; ſua ei flagitia, lictores ſunt & funes. nemo alius manum injecerit aut catenas, ſatis fortiter ligatus ſervatur futuro tribunali.

Homines ſceleſti, ſibi ipſis laqueum parant.

Prov. 5.22.

Quia funibus peccatorum ſuorum quiſq; conſtringitur.

III. Infirma res eſt filum; ſed ſi contorqueatur ſæpius, convaleſcit in craſſum rudentem. Et ô! quàm multis videntur exigua eſſe ſingula peccata; ſed ſi repetuntur ſæpius, ſi excipiunt ſe mutuò, ſi inter ſe connectuntur, ingentem denique reſtem faciunt. Ad rem Sanctus Auguſtinus ſuper illo Pſalmi, *in terra injuſtitias manus veſtræ concinnant*; vbi ipſe legit: *iniquitates manus veſtra connectunt*; interrogat: *quid eſt connectunt?* & reſpondet: *de peccato peccatum, & ad peccatum peccatum.* Atque vlteriùs hoc ipſum explicaturus, à fure exemplum ſic accipit. *furtum fecit, peccatum eſt. viſus eſt; occidere quærit eum, à quo viſus eſt. Connexum eſt peccatum peccato. permiſerit* D E V S *occulto judicio, occidere eum, quem voluit occidere. ſentit ſciri, quærit & alterum occidere; connexuit tertium. Dum ea molitur, fortè ne inveniatur, aut quia fecit ne convincatur, conſulit Mathematicum: additum eſt quartum. Reſpondet fortè aliqua dura & mala Mathematicus, curritur ad haruſpicem, vt expietur. reſpondet haruſpex, non ſe poſſe expiare; maleficus quæritur. & quis poſſit omnia numerare, quæ connectuntur peccata peccatis? quamdiu connectis, ligas peccatum peccato; te ſolve à peccatis.* Et infra: *Sed non vis modo dirumpi vincula tua, quia non ſentis vincula tua; etiam delectant te, & voluptati ſunt. Senties in fine, cùm dicetur; ligate illi manus & pedes, & projicite illum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.*

Pſal. 57.2.

S. Auguſt. ad hunc Pſalmum.

Sicut autē funis conficitur ex pluribus funiculis, ita ſæpe peccata nectuntur peccatis.

IV. Quanti hodie ſunt mortales, quos vincula gravium delectant criminum, & voluptati ſunt, cùm pulchrè atq; ingenioſè copulantur?

tur? diteſcere vult non nemo, & ampliores facere poſſeſſiones; ergo laborat quomodo calumniari alterum poſſit apud Judicem, & mendacio ſubruere. ſummum hîc artificium eſt, vi, dolo, fraudibus, facultates ſuas augere ex alienis. Cogitat alius turpem explere libidinem? itaque & ſuperbo corporis ornatu invitat ad ſcelus Virgines, & ſalaci conatu provocat, & lenocinanti ſermone allicit, & oculo trahit hamato, & precioſis munuſculis devincit, & convivijs non ſobrijs mulcet, & tripudijs non caſtis titillat, & literulis delinificat, nihil niſi Veneres & Cupidines loquentibus. fortè ad lenas etiam deſcendit, conciliatriculas amoris; & quod indigniùs eſt, ipſas quoque dœmonis potentiſſimas artes. ac tum denique ſibi gratulatur, cùm putat ingenioſo nexu, integram ſcelerum ſeriem, funemque ſurrexiſſe, ad capiendam vnius voluptatulæ vanitatem.

Et hodieq; paſſim videre eſt, hoc malæ connexionis artificium.

V.

Et his talibus venatoribus, quid ego aliud in aurem occlamem, quàm illud cùm Iſaia Vate: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri, peccatum.* Mirum eſt, quomodo vaniſſimæ terreſtrium bonorum deliciæ, ceu funiculi quidam, humanos trahant animos ad impietatem, donec eorum peccata excreſcant in funem nauticum, ſeu plauſtri vinculum, reſtem. Cui metaphoræ inhærens, idem qui ſupra Divus Auguſtinus, ita ſcribit. *Optimè dicitur reſtis peccatorum, vt enim torqueatur reſtis, additur; & non adduntur recta fila, ſed torta: pravitas ſibi connexa ducitur in longum, & non cogitat præcidere, quod malè texuit, ſed addere, producere, protendere, vt habeat in fine, vnde illi ligentur manus & pedes, & proijciatur in tenebras exteriores.* Eſt igitur res plena diſcriminis, *trahere iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri, peccatum.* irretire ſe longis ſceleribus, eſt libertati, ac facili reſipiſcentiæ viam præcludere. Samſonem fortiſſimum vna Dalila ita ligavit, vt victus in poteſtatem Philiſtæorum veniret. Voluptas malè aſſueta, hæc Dalila eſt, infida ſemper mortalibus lupa: quorum non paucos, vbi per diuturnitatem ſceleris diu conſtrinxit, tandem etiam captivos ad ſtygem tranſmiſit; nunquam ampliùs exituros Orcinianum illum carcerem, infelicem tormentorum locum.

Iſa. 5. 18.

S. Auguſt. in Pſal. 139

Aliqui trahūt iniquitatem in funiculis vanitatis, donec ijſdem trahantur ad ſtygem.

VI.

Sed meliora! ô modicæ fidei, puſillæ mentis homunculi; dicet cordatior aliquis ex improborum claſſe ſodalium; non tam citò deſperanda eſt nobis ſalus; neque decent Chriſtianos animos tam abjecti ſenſus; præſertim quando firmandæ ſpei, nondum deficiunt fulcra: & quidem robuſtiſſimæ cœlorum columnæ,

Sed hic improbi, pro fulcro ſuæ impietatis, ſupponunt ſpé in preces & merita Triumphantis Eccleſiæ.

Divi

Quæ ſolet alteram in terris Militantem juvare, tanquã membrum ſub eodem capite Chriſto
Bellar. lib. de Sanctorũ beatitudine c. 18.

Divi inquam, Deo proximi juxta Angelos palatini; quorum & preces efficaciſſimæ, & glorioſiſſima merita, divinæ bonitati pro impijs oblata, valent quamplurimùm. Neque deſunt rationes ad faciendam huic aſſertioni fidem. potiſſima fundatur in Communione Eccleſiæ Militantis in terra, & Triumphantis in cœlo, cujus vtriuſque caput eſt Chriſtus; iſta enim Communio exigit, vt membra pro invicem ſollicita ſint, ſeque mutuò juvent, juxta naturam membrorum, ſub vno capite viventium, vt rectè advertit Bellarminus.

VII.
Ad exemplum humani moris in Republica, vbi mẽbra & partes ſibi mutuo ſuccurrunt.
Fecit Mutius Scevola.
Horatius Cocles.
Tergemini Horatij apud Romanos.
Leonidas apud Spartanos.
Codrus Rex apud Athenienſes.

Et ſcimus in eadem Republica, quanta ſit privatorum civium obligatio, vt communitati conſulatur. boni publici amor, multis ſuaſit ſui negligentes eſſe, & vitæ prodigos. Q. Mutius Scevola, è trecentis conjuratis vnus & ſolus, à Romano Capitolio Hetruſcum Regem avertit, oppoſitu corporis ſui, animique. Horatius Cocles, bello, adversùs Porſenam, totum hoſtis exercitum in ponte ſublicio, magnâ ſui gloriâ, majore vrbis Romanæ bono, ſuſtinuit. Camillus etiam penè vnicus, Romam jam prope cineratam à Brenno & Gallis, ferro glorioſè liberavit, cavitque ne tota in buſtum iret. Curtius eques nobilis, in hiatum ingentem, juxta oraculum inſiliens, ſuo interitu patriam vniverſam à calamitate exemit. Tergemini Horatij apud Romanos, vt ſanguini ciuium ſuorum parcerent, duellum acceptârunt, cum tergeminis Curiatijs apud Albanos; iiſque generoſè confectis, imperium Romæ in Albam aſſeruerunt. Leonidas ſuâ morte crepturus patriam periculo, cum trecentis Spartanorum, in copias Xerxis innumerabiles impetu facto, Regi diadema abſtulit cum vita, ſimulque cum occumbente occubuit, hoſtium telis confixus. Codrus Athenienſium Rex, cùm ex oraculo didiciſſet, ſuos victores fore contra Thraces populos, ſi ipſe cecidiſſet, indutus vili lacernâ, & ruſticũ adſcititio habitu mentiens, occaſionem quæſivit, donec inter inimica caſtra, inglorius ſimul & victorioſus, mortem oppeteret. Ita plures alij objectu lateris ſui, patriam civeſque ab excidio ſervârunt.

VIII.
Moyſes apud Hebræos.
Exod. 32. v. 32.
Ad Rom. 9. 3.
Paulus apud Neophytos.

Et ne tranſeamus ſacra; nunquid in veteri lege Moyſes, nunquid in nova Paulus, caput oppoſuêre pro gente quiſque ſua, ille Hebræâ, iſte Chriſtianâ? Et quidem Moyſis eſt hæc proteſtatio: *aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Apoſtoli verò talis eſt confeſſio: *optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis.* Quæ verba non abſolutum faciunt ſenſum, ſed velut conditionatum; vt ſi poſſibile eſſet, & ita ferret

Numi-

Numinis æterna diſpoſitio, mallent potiùs ſe à bono DEO, ſine culpa ſua abijci, quàm ſuos vel temporali, vel æternâ ruinâ involui. tanto charitatis æſtu, atque vt ſic dicam exceſſu, ferebantur in ſuos. Et credo ab his didicerunt alij ſancti, quomodo ſervandis impijs obijcere debeant, ſi non capita, ſaltem merita ſua, preceſq; irato DEO. ſine his & vrbes perirent, & orbis.

IX. Certè quo tempore, atrox olim bellum arſerat inter Venetos & Mediolanenſes; in Carcyrano nemore, Eremicola conſultus à Veneto Nobili, ſuper eventu rei, hæc cum admiratione edixit; DEVM Venetijs propter flagitia vehementiſſimè iratum, jam dudum velut alteram Pentapolim flammis extincturum fuiſſe, niſi S. Laurentius Juſtinianus, vrbis ac loci Patriarcha, exaſperatam Numinis clementiam, ſuis deliniviſſet precibus. Abbas Joannes, ſanctiſſimam Hieroſolymis vitam agens, cùm ad eum veniſſet civis Emeſanus, orationis ſuffragia poſtulaturus; quid eſt inquit, quod me per tantas itinerum difficultates convenias, quando Emeſſæ habes Simonem Salum; cujus viri precibus non ego ſolùm, ſed totus quoq; Orbis indiget. Itaq; homo ille, quem omnis mundus inſtar fatui deridiculo habuit, Atlas fuit; neq; vnum tantùm regnum, ſed Orbem vniverſum per ſcelera fatiſcentem, meritis ſuis, atq; orationibus ſtabilivit.

S. Laurentius Juſtinianus apud Venetos.

In Vita S. Laurentij Juſtiniani 8. Ianuarij. apud Sur.

Simeon ſalus apud Emeſanos.

In Vita Simeonis Sali.

X. An verò putamus Sanctos, rebus ſemel mortalibus exemptos, cùm jam domicilium Triumphantis Eccleſiæ intrarunt, obliviſci Militantis, noſtræq; neceſſitatis? & facere, quod olim pincerna Ægyptij Regis? Huic cùm Ioſeph patriarcha eodem incluſus carcere, felici vaticinio celerem promitteret liberationem, non aliud rogavit prœmium, præter iſtud pij officij genus: *tantùm memento mei, cùm bene tibi fuerit, & facias mecum miſericordiam, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere; quia furto ſublatus ſum de terra Judæorum, & hic innocens in lacum miſſus ſum.* Nihil faciliùs fuit jam liberato, & in gratiam Regis ſui reſtituto, quàm meminiſſe ſupplicis Ioſephi, atque in compenſationem gratiſſimi vaticinij, pro ejus innocentia, bona aliquot verba dicere ad Pharaonem. Sed quàm turpis hic cuculus fuerit, quàm immemor alienæ infelicitatis in fortuna ſua, patet ex his Scripturæ verbis: *& tamen ſuccedentibus proſperis, præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui.*

Gen. 40. v. 14 & 15.

Sancti in cœlis, non obliviſcuntur noſtri in terris.

Gen. 40. 23.

XI. Non ita excidere omnem noſtri memoriam Divis, jam cœlo inſertis, egregiè teſtatus eſt S. Aſtion. glorioſus ſub Diocletiano

Nnn Mar-

Digitized by Google

Roſweidus in Vit. PP. l. 1. in Vita S. Aſtionis. cap. 25.

Divorum in cœlis pietas, charitas, officia, ſtudia, erga homines in hoc mundo.

Martyr, ſuoque purpuratus ſanguine; quando poſt mortem ſe matri ſtitit, & quæ ipſius inter alios beatos eſſent ſtudia, ſic declaravit. *Pergo cum eis, per ſingulos dies ad viſitandum infirmos, ad elevandum eliſos, ad illuminandum cæcos, ad ſalvandum periclitantes in mari, ad expugnandum gentes barbaras, prœliantes in terra: ad conſolandum mæſtos, ad defendendum impotentes, atq; effugandos dæmones de obſeſſis corporibus, in nomine Domini noſtri* JESV *Chriſti.* Neque putemus, Sanctorum curam ſe tantùm extendere ad ſolatium indigorum hîc fidelium, ad declinanda naufragantium pericula, ad defendendam Eccleſiam contra barbararum inſultus gentium, ad pellendam ex oculo cœcitatis noctem: denique ad proſcribendum hoſpitio ſuo diabolum, hominis corpuſculo; major illis circa animam, & ſalutem cujuſque noſtrum, ſollicitudo eſt; maximè quibus eadem nobiſcum ſanguinis intercedit neceſſitudo. Allego in confirmationem S. Cyprianum, cujus hoc eſt pronunciatum de beatis cœlo adſcriptis. *Magnus illic nos charorum numerus expectat; parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copioſa turba deſiderat: jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita.* Vt dubium non ſit, tam hos Sanctos pro ſuis lucrandis, quàm cæteros pro ſervandis alijs, apud DEVM continuis precibus laborare; deniq; in bonum animarum, totiuſq; Eccleſiæ vtilitatem ſtudioſiſſimè intendere.

S. Cypr. in tract. de mortalit.

Sanctorum in cœlo ſollicitudo, erga hujus vitæ mortales.

XII.

Et credo, hoc ipſa ſatis adſtruit Eccleſia, quando in ſacrificio Miſſæ de Apoſtolis, ante Canonem vtitur ad DEVM præfatione antiquiſſimâ, teſte Pelagio II. pontifice, qui S. Gregorium præceſſit in cathedra; & ſic habet: *Gregem tuum paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos continuâ protectione cuſtodias; vt iiſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios, eidem contuliſti præeſſe paſtores.* Et D. Leo Papa de Apoſtolorum principe, inter Divos jam, cœloſque relato, ita loquitur: *Petrus nunc plenius & potentius ea, quæ ſibi commiſſa ſunt, peragit, & omnes partes officiorum atq; curarum, in ipſo, per quem eſt glorificatus, exequitur.* In eundem ſenſum olim de SS. Martyribus, glorioſâ morte triumphantibus, exclamavit D. Baſilius: *O cuneum inexpugnabilem! ô communes generis humani cuſtodes, optimi curarum ſocij, &c.* Gregorius quoq; Nazianzenus, S. Cyprianum jam inter aſtra pulcherrimum ſidus, ita comppellat: *tu ab alto nos reſpice, noſtrumq; ſermonem, ac vitam dirige, & ſanctum ovile hoc paſce, aut ſimul vnà rege.*

S. Greg. M. in epiſt. 4. decretal.

S. Leo ſerm. 2. de anniverſario ſuæ aſſumpt.

S. Baſil. orat. in 40. Martyres.

S. Gregor. Nazianz. orat. in Cyprian.

XIII.

Quia igitur teſtimonio SS. Patrum, non ſolùm Apoſtoli, neque

neque ſoli Martyres, ſed aliorum quoque beatorum hominum in cœlis mentes, curam agunt Militantis adhuc in terra Eccleſiæ; veriſimillimum eſt, infimam ejus portionem, improbos, velut plurimùm indigos, venire in primas ſollicitudinis partes: vt ijſdem & oratione ſuâ offenſum reconcilient DEVM, & media ſaluti comparandæ neceſſaria impetrent. Potamiæna Virgo, in ſexu fragili heroina, & glorioſiſſima Martyr: cùm fidei Chriſtianæ causâ ad rogum duceretur, compeſcente Baſilide, quodam gentili lictore, inſultantem Virgini multitudinem; ſincerè ſpopondit, tantillum cuſtodiæ officium, ne ſuo auctori periret, quamprimùm ad Chriſtum ſponſum per flammas penetraverit, ſe ſtrenuè acturam. Itaq; poſt triduum, homini per quietem apparet Virgo Martyr, divinitatis ſuperfuſa vndiq; radijs: atq; vt fidem ſolveret lictori datam, gemmatum capiti diadema viſa eſt imponere. Et certè pulchrum hoc omen fuit. nam paulò pòſt acceptâ religionis Chriſtianæ agnitione, homo ille carnificis gladio ſubjecit caput: in pari cauſa ſanguine ſuo, & Chriſto, & ſanctiſſimæ fidei ſubſcripturus: didicitque à prece Virginis Martyris fluxiſſe, quam ipſe poſtea Martyrij corollam accepit.

Euſeb. lib. 6. hiſt. c. 5.

S. Potamiæna Virgo, cuidam Gentili impetrat Martyriũ.

XIV.

Vt oſtenderet olim diſertiſſimus Oratorum Chryſoſtomus, quantum pondus haberent Beatorum ſuffragia, præſertim quos ſuus ſanguis tinxit, in cauſa Chriſtianæ religionis; hac ſimilitudine vſus eſt. *Sicut milites vulnera in prælijs ſibi inflicta, Regi monſtrantes, fidenter loquuntur; ita & illi abſecta capita geſtantes, & in medium afferentes, quæcunq; voluerint, apud Regem cœlorum impetrare poſſunt.* Quoniam verò nihil æquè debet eſſe in hominis deſiderio, quàm DEI miſeratio, commiſſorum venia ſcelerum, inter peſſimas mali genij tentationes [illegible]ur, commoda erigentis gratiæ auxilia: hinc in id vnum laborat Triumphans in cœlo Eccleſia, vt nobis adhuc militantibus, tam ingentia bona à DEO precibus ſuis, piaq; interceſſione obtineat.

S. Chryſoſt. ſerm. de SS. Iuventio & Maximo.

Alij ſancti, nobis impetrant Dei gratiam & miſericordiam.

XV.

Egregiè ad inſtitutum S. Leo ait: *ſicut nos experti ſumus, & noſtri probauêre majores, credimus atq; confidimus, inter omnes labores iſtius vitæ, ad obtinendam miſericordiam DEI, ſemper nos ſpecialium Patronorum orationibus adjuvandos.* Et in epiſtola Epiſcoporum Europæ, ſcripta ad Leonem Imperatorem, ſic dicitur: *ſanctiſſimum verò Proterium in choro, & ordine ſanctorum Martyrum ponimus, & ejus interceſſione miſericordiam, ac propitium DEVM habere poſtulamus.* D. Hieronymus Paulam conſolaturus, ex obitu

S. Leo ſer. 1. de SS. Petro & Paulo.

Habetur poſt Concil. Chalced.

D. Hieron. in epiſt. ad Paulam, de obitu Blæſillæ.

tu Blæſillæ in longum mœrorem abjectam: *pro te* (inquit) *Dominum rogat, mihiq; veniam impetrat peccatorum.* Et S. Ephrem Divos Divaſque Martyres, jam inter cœleſtia ovantes ſidera, in hunc modum compellat. *Precamur beatiſſimi Martyres, qui pro Domino Salvatore, proq; illius charitate ſponte & impigre tormenta ſenſiſtis, atq; adeo familiarius Domino conjuncti eſtis: vt pro nobis miſeris & peccatoribus, & de negligentiæ ſqualore ſordentibus, Dominum interpellare dignemini, vt ſuperveniat in nos gratia Chriſti.*

S. Ephrem in ſerm. de Laudibus SS. Martyrum.

XVI.

Sed omnium pulcherrimè Auguſtinus, adhuc noſtrâ ligatus mortalitate; rogavit beatos inter aſtra cives, vt communem hominum ſalutem, votis ſuis precibuſque, apud DEVM promovere vellent. Ejus devotiſſima ad ſanctos aſpiratio talis eſt. *Felices ſancti DEI omnes, qui jam tranſiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis & pacis; ſecuri & tranquilli, ſemperq; feſtivi atq; gaudentes eſtis. Obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſoliciti eſtote de nobis: ſecuri eſtis de veſtra immarceſſibili gloria, ſoliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam ſatiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti eſtis, de cujus beatiſſima viſione ſemper gaudetis; eſtote jugiter memores noſtri, ſubvenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ, circumſtantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adjuvate nos vile pavimentum, longè inferiùs jacentes. date manum, & erigite jacentes ſuper pedes, vt convaleſcentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello; intercedite & orate conſtanter, atq; indeſinenter pro nobis miſeris, multumq; negligentibus peccator[illegible], vt per veſtras orationes, veſtro ſancto conſortio conjungamur. Sumus namq; valde fragiles, & nullius virtutis homunciones; animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis veſtigium apparet. Et tamen ſub Chriſti confeſſione poſiti, ligno Crucis ferimur, navigantes per hoc mare magnum & ſpatioſum, vbi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus; vbi ſunt animalia pusilla cum magnis; vbi eſt Draco ſæviſſimus, ſemper paratus ad devorandum; vbi ſunt loca periculoſa, Scylla & charybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, & in fide dubij. Orate Dominum, orate piiſſimi, orate omnia agmina Sanctorum, & univerſi cœtus Beatorum, vt veſtris precibus meritiſq; adjuti, ſalvâ nave, & integris mercibus, pervenire mereamur*

D. Auguſt. in medit. cap. 24.

Rationes multiplices D. Auguſtinus proponit Sanctis in cœlo, ob quas nos in terris conſtitutos juvare debeant.

mur

mur ad portum perpetuæ ſalutis & quietis: & continuæ pacis, & nunquam finiendæ ſecuritatis.

Neque deſunt eorum exempla Sanctorum, qui fuſis in cœlo ad Deum precibus, periclitantes de ſalute homines ſervârunt ab interitu. Teſtem adfero omni exceptione majorem, S. Ioannem, ab eleemoſinarum largitione, celebrem Archiepiſcopum. Hunc ſemel vt adijt muliercula, ante pedes ſanctiſſimi viri proſtrata, delicti cujuſpiam à ſe admiſſi, veniam precata eſt; illud Chriſti allegans, *quæcunq. ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Sed cùm ſacer Antiſtes vrgeret confeſſionem criminis, more vtique jam tum in Eccleſia recepto; negavit fœmina id fieri poſſe, prohibente verecundiâ facinoris revelationem. Hæc nimirum peccati grandis eſt malitia, vt deſignari non pudeat, pudeat deſignatum propalari. Archiepiſcopus ergo ſciens, minùs erubeſcere literam quàm linguam; jubet, qualiſqualis illa ſit animi noxa, ſaltem calamo deſcriberet. fecit mulier, chartamque probro ſuo fœdam, ſed diligenter obſignatam, tradidit: multum obteſtata præſulis fidem, ne aut ſolveretur vnquam, aut in manus aliorum veniret. Sed (quemadmodum *incertæ ſunt providentiæ noſtræ*) poſt dies pauculos, mors virum ſanctum mundo ſuſtulit. Tum igitur ingens ſollicitudo invaſit animũ fœminæ, metuentis poſt obitũ Antiſtitis, fortaſſis reſignatum fuiſſe libellum ſuum, & dedecus jam evulgatum, quod vel maximè occultum volebat, & clam omnibus. Ita in varias diſtracta anxietates, ſuperfuſa lacrymis & plena querelarum, ante tumulum S. Joannis Eleemoſinarij ſe in faciem abijcit, per fidem ipſam defuncti Præſulis, expoſcit ſibi ſuam reddi ſyngrapham. Jam triduũ exegit fœmina ad ſacra lipſana, ſolis paſta lacrymis, gemitibuſque. Cùm ecce tibi, Archiepiſcopus ſepulchro ſuo egredi, auguſtoque in habitu, mulierculæ ſe offerre viſus eſt. quin etiam libellum ei ſuum porrexit, juſſitque vt aperiret, atque inſpiceret. Obſequitur monenti, reperitque expuncto infami illo ſcelere, hanc ſententiam: *Propter Joannem ſervum meum, deletum eſt peccatum tuum.* Sic demum recreatâ à luctu muliere, ſanctus Antiſtes ad ſuum rurſus ſe tumulum recepit.

XVII. *In Vitis SS. PP. in Vita S. Ioannis Eleemoſinarij c. 15. apud Roſweid.*

Matth. 18.

Sap. 9. 13.

De ſcelere, quod fœmina erubeſcebat confiteri, veniam impetrat à Deo per S. Ioannem Eleemoſinarium.

Hîc autem, vt intelligamus magnitudinem beneficij, à Joanne Eleemoſinario collati in fœminam, ſciendum eſt ex certa Theologorum doctrina; præceptum pœnitentiæ, ſeu ſacramentum confeſſionis integræ, in nova lege, eos omnes fideles obligare, ſaltem in mortis articulo periculoque, qui ſibi conſcij ſunt peccati alicu-

XVIII.

Et quanquam lex Dei nova, conſcium

Digitized by Google

D. Hieron. in epiſt. ad Paulam, de obitu Blaſillæ.

tu Blæſillæ in longum mœrorem abjectam: *pro te (inquit) Dominum rogat, mihiq́ veniam impetrat peccatorum.* Et S. Ephrem Divos Divaſque Martyres, jam inter cœleſtia ovantes ſidera, in hunc modum compellat. *Precamur beatiſſimi Martyres, qui pro Domino Salvatore, proq́ illius charitate ſpontè & impigrè tormenta ſenſiſtis, atq́ adeo familiariùs Domino conjuncti eſtis: vt pro nobis miſeris & peccatoribus, & de negligentiæ ſqualore ſordentibus, Dominum interpellare dignemini, vt ſuperveniat in nos gratia Chriſti.*

S. Ephrem in ſerm. de laudibus SS. Martyrum.

XVI. Sed omnium pulcherrimè Auguſtinus, adhuc noſtrâ ligatus mortalitate, rogavit beatos inter aſtra cives, vt communem hominum ſalutem, votis ſuis precibuſque, apud DEVM promovere vellent. Ejus devotiſſima ad ſanctos aſpiratio talis eſt. *Felices ſancti DEI omnes, qui jam tranſiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis & pacis; ſecuri & tranquilli, ſemperq́ feſtivi atq́ gaudentes eſtis. Obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſoliciti eſtote de nobis: ſecuri eſtis de veſtra immarceſſibili gloria, ſoliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam ſatiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti eſtis, de cujus beatiſſima viſione ſemper gaudetis; eſtote jugiter memores noſtri, ſubvenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ, circumſtantibus agitamur procellis. Vos porta pulcherrima, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adjuvate nos vile pavimentum, longè inferiùs jacentes. date manum, & erigite jacentes ſuper pedes, vt convaleſcentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello; intercedite & orate conſtanter, atq́ indeſinenter pro nobis miſeris, multumq́ negligentibus peccatoribus, vt per veſtras orationes, veſtro ſancto conſortio conjungamur. Sumus namq́ valde fragiles, & nullius virtutis homunciones; animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis veſtigium apparet. Et tamen ſub Chriſti confeſſione poſiti, ligno Crucis ferimur, navigantes per hoc mare magnum & ſpatioſum, vbi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus; vbi ſunt animalia, puſilla cum magnis; vbi eſt Draco ſæviſſimus, ſemper paratus ad devorandum; vbi ſunt loca periculoſa, Scylla & charybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, & in fide dubij. Orate Dominum, orate pijſſimi, orate omnia agmina Sanctorum, & univerſi cœtus Beatorum, vt veſtris precibus meritiſq́ adjuti, ſalvâ nave, & integris mercibus, pervenire mereamur*

D. Auguſt. in medit. cap. 24.

Rationes multiplices D. Auguſtinus proponit Sanctis in cœlo, ob quas nos in terris conſtitutos juvare debeãt.

Digitized by Google

mur ad portum perpetuæ ſalutis & quietis: & continuæ pacis, & nunquam finiendæ ſecuritatis.

Neque deſunt eorum exempla Sanctorum, qui fuſis in cœlo ad Deum precibus, periclitantes de ſalute homines ſervârunt ab interitu. Teſtem adfero omni exceptione majorem, S. Ioannem, ab eleemoſinarum largitione, celebrem Archiepiſcopum. Hunc ſemel vt adijt muliercula, ante pedes ſanctiſſimi viri proſtrata, delicti cujuſpiam à ſe admiſſi, veniam precata eſt; illud Chriſti allegans, *quæcunq; ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Sed cùm ſacer Antiſtes vrgeret confeſſionem criminis, more vtique jam tum in Eccleſia recepto; negavit fœmina id fieri poſſe, prohibente verecundiâ facinoris revelationem. Hæc nimirum peccati grandis eſt malitia, vt deſignari non pudeat, pudeat deſignatum propalari. Archiepiſcopus ergo ſciens, minùs erubeſcere literam quàm linguam; jubet, qualisqualis illa ſit animi noxa, ſaltem calamo deſcriberet. fecit mulier, chartamque probro ſuo fœdam, ſed diligenter obſignatam, tradidit: multum obteſtata præſulis fidem, ne aut ſolveretur vnquam, aut in manus aliorum veniret. Sed (quemadmodum *incertæ ſunt providentiæ noſtræ*) poſt dies pauculos, mors virum ſanctum mundo ſuſtulit. Tum igitur ingens ſollicitudo invaſit animũ fœminæ, metuentis poſt obitũ Antiſtitis, fortaſſis reſignatum fuiſſe libellum ſuum, & dedecus jam evulgatum, quod vel maximè occultum volebat, & clam omnibus. Ita in varias diſtracta anxietates, ſuperfuſa lacrymis & plena querelarum, ante tumulum S. Joannis Eleemoſinarij ſe in faciem abijcit, per fidem ipſam defuncti Præſulis, expoſcit ſibi ſuam reddi ſyngrapham. Jam triduũ exegit fœmina ad ſacra lipſana, ſolis paſta lacrymis, gemitibuſque. Cùm ecce tibi, Archiepiſcopus ſepulchro ſuo egredi, auguſtoque in habitu, mulierculæ ſe offerre viſus eſt. quin etiam libellum ei ſuum porrexit, juſſitque vt aperiret, atque inſpiceret. Obſequitur monenti, reperitque expuncto infami illo ſcelere, hanc ſententiam: *Propter Joannem ſervum meum, deletum eſt peccatum tuum.* Sic demum recreatâ à luctu muliere, ſanctus Antiſtes ad ſuum rurſus ſe tumulum recepit.

XVII. *In Vitis SS. PP. in Vita S. Ioannis Eleemoſinarij c. 15. apud Roſweid.* *Matth. 18.* *Sap. 9. 13.* De ſcelere, quod fœmina erubeſcebat confiteri, veniam impetrat à Deo per S. Ioannem Eleemoſinarium.

Hîc autem, vt intelligamus magnitudinem beneficij, à Joanne Eleemoſinario collati in fœminam, ſciendum eſt ex certa Theologorum doctrina; præceptum pœnitentiæ, ſeu ſacramentum confeſſionis integræ, in nova lege, eos omnes fideles obligare, ſaltem in mortis articulo periculoque, qui ſibi conſcij ſunt peccati alicujus

XVIII. Et quanquam lex Dei nova, conſcium

D. Hieron. in epiſt. ad Paulam, de obitu Blæſillæ.

tu Blæſillæ in longum mœrorem abjectam: *pro te* (inquit) *Dominum rogat, mihiq́ veniam impetrat peccatorum.* Et S. Ephrem Divos Divaſque Martyres, jam inter cœleſtia ovantes ſidera, in hunc modum compellat. *Precamur beatiſſimi Martyres, qui pro Domino Salvatore, proq́ illius charitate ſpontè & impigrè tormenta ſenſiſtis, atq́ adeo familiariùs Domino conjuncti eſtis: vt pro nobis miſeris & peccatoribus, & de negligentiæ ſqualore ſordentibus, Dominum interpellare dignemini, vt ſuperveniat in nos gratia Chriſti.*

S. Ephrem in ſerm. de laudibus SS. Martyrum.

XVI. Sed omnium pulcherrimè Auguſtinus, adhuc noſtrâ ligatus mortalitate, rogavit beatos inter aſtra cives, vt communem hominum ſalutem, votis ſuis precibuſque, apud DEUM promovere vellent. Ejus devotiſſima ad ſanctos aſpiratio talis eſt. *Felices ſancti DEI omnes, qui jam tranſiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis & pacis; ſecuri & tranquilli, ſemperq́ feſtivi atq́ gaudentes eſtis. Obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſoliciti eſtote de nobis: ſecuri eſtis de veſtra immarceſſibili gloria, ſoliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam ſatiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti eſtis, de cujus beatiſſima viſione ſemper gaudetis; eſtote iugiter memores noſtri, ſubvenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ, circumſtantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adjuvate nos vile pavimentum, longè inferiùs jacentes. date manum, & erigite jacentes ſuper pedes, vt convaleſcentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello; intercedite & orate conſtanter, atq́ indeſinenter pro nobis miſeris, multumq́ negligentibus peccator[illegible], vt per veſtras orationes, veſtro ſancto conſortio conjungamur. Sumus namq́ valde fragiles, & nullius virtutis homunciones; animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis veſtigium apparet. Et tamen ſub Chriſti confeſſione poſiti, ligno Crucis ferimur, navigantes per hoc mare magnum & ſpatioſum, vbi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus; vbi ſunt animalia, puſilla cum magnis; vbi eſt Draco ſæviſſimus, ſemper paratus ad devorandum; vbi ſunt loca periculoſa, Scylla & charybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, & in fide dubij. Orate Dominum, orate pijſſimi, orate omnia agmina Sanctorum, & univerſi cœtus Beatorum, vt veſtris precibus meritiſq́ adjuti, ſalvâ nave, & integris mercibus, pervenire mereamur*

D. Auguſt. in medit. cap. 24.

Rationes multiplices D. Auguſtinus proponit Sanctis in cœlo, ob quas nos in terris conſtitutos juvare debeãt.

mur

mur ad portum perpetuæ ſalutis & quietis: & continuæ pacis, & nunquam finiendæ ſecuritatis.

Neque deſunt eorum exempla Sanctorum, qui fuſis in cœlo ad Deum precibus, periclitantes de ſalute homines ſervârunt ab interitu. Teſtem adfero omni exceptione majorem, S. Ioannem, ab eleemoſinarum largitione, celebrem Archiepiſcopum. Hunc ſemel vt adijt muliercula, ante pedes ſanctiſſimi viri proſtrata, delicti cujuſpiam à ſe admiſſi, veniam precata eſt; illud Chriſti allegans, *quæcunq; ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Sed cùm ſacer Antiſtes vrgeret confeſſionem criminis, more vtique jam tum in Eccleſia recepto; negavit fœmina id fieri poſſe, prohibente verecundiâ facinoris revelationem. Hæc nimirum peccati grandis eſt malitia, vt deſignari non pudeat, pudeat deſignatum propalari. Archiepiſcopus ergo ſciens, minùs erubeſcere literam quàm linguam; jubet, qualiſqualis illa ſit animi noxa, ſaltem calamo deſcriberet. fecit mulier, chartamque probro ſuo fœdam, ſed diligenter obſignatam, tradidit: multum obteſtata præſulis fidem, ne aut ſolveretur vnquam, aut in manus aliorum veniret. Sed (quemadmodum *incertæ ſunt providentiæ noſtræ*) poſt dies pauculos, mors virum ſanctum mundo ſuſtulit. Tum igitur ingens ſollicitudo invaſit animũ fœminæ, metuentis poſt obitũ Antiſtitis, fortaſſis reſignatum fuiſſe libellum ſuum, & dedecus jam evulgatum, quod vel maximè occultum volebat, & clam omnibus. Ita in varias diſtracta anxietates, ſuperfuſa lacrymis & plena querelarum, ante tumulum S. Joannis Eleemoſinarij ſe in faciem abijcit, per fidem ipſam defuncti Præſulis, expoſcit ſibi ſuam reddi ſyngrapham. Jam triduũ exegit fœmina ad ſacra lipſana, ſolis paſta lacrymis, gemitibuſque. Cùm ecce tibi, Archiepiſcopus ſepulchro ſuo egredi, auguſtoque in habitu, mulierculæ ſe offerre viſus eſt. quin etiam libellum ei ſuum porrexit, juſſitque vt aperiret, atque inſpiceret. Obſequitur monenti, reperitque expuncto infami illo ſcelere, hanc ſententiam: *Propter Joannem ſervum meum, deletum eſt peccatum tuum.* Sic demum recreatâ à luctu muliere, ſanctus Antiſtes ad ſuum rurſus ſe tumulum recepit.

XVII. *In Vitis SS. PP. in Vita S. Ioannis Eleemoſinarij c. 15. apud Roſweid.*

Matth. 18.

Sap. 9. 13.

De ſcelere, quod fœmina erubeſcebat confiteri, veniam impetrat à Deo per S. Ioannem Eleemoſinarium.

Hîc autem, vt intelligamus magnitudinem beneficij, à Joanne Eleemoſinario collati in fœminam, ſciendum eſt ex certa Theologorum doctrina; præceptum pœnitentiæ, ſeu ſacramentum confeſſionis integræ, in nova lege, eos omnes fideles obligare, ſaltem in mortis articulo periculoque, qui ſibi conſcij ſunt peccati alicu-

XVIII.

Et quanquam lex Dei nova, conſcium

D. Hieron. in epiſt. ad Paulam, de obitu Blaſillæ.

tu Blæſillæ in longum mœrorem abjectam: *pro te* (inquit) *Dominum rogat, mihiq́ veniam impetrat peccatorum.* Et S. Ephrem Divos Divaſque Martyres, jam inter cœleſtia ovantes ſidera, in hunc modum compellat. *Precamur beatiſſimi Martyres, qui pro Domino Salvatore, proq́ illius charitate ſponte & impigrè tormenta ſenſiſtis, atq́ adeo familiariùs Domino conjuncti eſtis: vt pro nobis miſeris & peccatoribus, & de negligentiæ ſqualore ſordentibus, Dominum interpellare dignemini, vt ſuperveniat in nos gratia Chriſti.*

S. Ephrem in ſerm. de laudibus SS. Martyrum.

XVI. Sed omnium pulcherrimè Auguſtinus, adhuc noſtrâ ligatus mortalitate, rogavit beatos inter aſtra cives, vt communem hominum ſalutem, votis ſuis precibuſque, apud DEVM promovere vellent. Ejus devotiſſima ad ſanctos aſpiratio talis eſt. *Felices ſancti* DEI *omnes, qui jam tranſiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis & pacis; ſecuri & tranquilli, ſemperq́ feſtivi atq́ gaudentes eſtis. Obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſoliciti eſtote de nobis: ſecuri eſtis de veſtra immarceſſibili gloria, ſoliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam ſatiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti eſtis, de cujus beatiſſima viſione ſemper gaudetis; eſtote jugiter memores noſtri, ſubvenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ, circumſtantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adjuvate nos vile pavimentum, longè inferiùs jacentes. date manum, & erigite jacentes ſuper pedes, vt convaleſcentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello; intercedite & orate conſtanter, atq́ indeſinenter pro nobis miſeris, multumq́ negligentibus peccatoribus, vt per veſtras orationes, veſtro ſancto conſortio conjungamur. Sumus namq́ valde fragiles, & nullius virtutis homunciones; animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis veſtigium apparet. Et tamen ſub Chriſti confeſſione poſiti, ligno Crucis ferimur, navigantes per hoc mare magnum & ſpatioſum, vbi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus; vbi ſunt animalia, puſilla cum magnis; vbi eſt Draco ſæviſſimus, ſemper paratus ad devorandum; vbi ſunt loca periculoſa, Scylla & charybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, & in fide dubij. Orate Dominum, orate pijſſimi, orate omnia agmina Sanctorum, & univerſi cœtus Beatorum, vt veſtris precibus meritiſq́ adjuti, ſalvâ nave, & integris mercibus, pervenire mereamur*

D. Auguſt. in medit. cap. 24.

Rationes multiplices D. Auguſtinus proponit Sanctis in cœlo, ob quas nos in terris conſtitutos juvare debeãt.

mur

Digitized by

mur ad portum perpetuæ ſalutis & quietis: & continuæ pacis, & nunquam finiendæ ſecuritatis.

Neque deſunt eorum exempla Sanctorum, qui fuſis in cœlo ad Deum precibus, periclitantes de ſalute homines ſervârunt ab interitu. Teſtem adfero omni exceptione majorem, S. Ioannem, ab eleemoſinarum largitione, celebrem Archiepiſcopum. Hunc ſemel vt adijt muliercula, ante pedes ſanctiſſimi viri proſtrata, delicti cujuſpiam à ſe admiſſi, veniam precata eſt; illud Chriſti allegans, *quæcunq; ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Sed cùm ſacer Antiſtes vrgeret confeſſionem criminis, more vtique jam tum in Eccleſia recepto; negavit fœmina id fieri poſſe, prohibente verecundiâ facinoris revelationem. Hæc nimirum peccati grandis eſt malitia, vt deſignari non pudeat, pudeat deſignatum propalari. Archiepiſcopus ergo ſciens, minùs erubeſcere literam quàm linguam; jubet, qualisqualis illa ſit animi noxa, ſaltem calamo deſcriberet. fecit mulier, chartamque probro ſuo fœdam, ſed diligenter obſignatam, tradidit: multum obteſtata præſulis fidem, ne aut ſolveretur vnquam, aut in manus aliorum veniret. Sed (quemadmodum *incertæ ſunt providentiæ noſtræ*) poſt dies pauculos, mors virum ſanctum mundo ſuſtulit. Tum igitur ingens ſollicitudo invaſit animũ fœminæ, metuentis poſt obitũ Antiſtitis, fortaſſis reſignatum fuiſſe libellum ſuum, & dedecus jam evulgatum, quod vel maximè occultum volebat, & clam omnibus. Ita in varias diſtracta anxietates, ſuperfuſa lacrymis & plena querelarum, ante tumulum S. Joannis Eleemoſinarij ſe in faciem abijcit, per fidem ipſam defuncti Præſulis, expoſcit ſibi ſuam reddi ſyngrapham. Jam triduũ exegit fœmina ad ſacra lipſana, ſolis paſta lacrymis, gemitibuſque. Cùm ecce tibi, Archiepiſcopus ſepulchro ſuo egredi, auguſtoque in habitu, mulierculæ ſe offerre viſus eſt. quin etiam libellum ei ſuum porrexit, juſſitque vt aperiret, atque inſpiceret. Obſequitur monenti, reperitque expuncto infami illo ſcelere, hanc ſententiam: *Propter Joannem ſervum meum, deletum eſt peccatum tuum.* Sic demum recreatâ à luctu muliere, ſanctus Antiſtes ad ſuum rurſus ſe tumulum recepit.

[Margin: XVII. *In Vitis SS. PP. in Vita S. Joannis Eleemoſinarij c. 15. apud Roſweid.* — *Matth. 18.* — *Sap. 9. 13.* — De ſcelere, quod fœmina erubeſcebat confiteri, veniam impetrat à Deo per S. Ioannem Eleemoſinarium.]

Hîc autem, vt intelligamus magnitudinem beneficij, à Joanne Eleemoſinario collati in fœminam, ſciendum eſt ex certa Theologorum doctrina; præceptum pœnitentiæ, ſeu ſacramentum confeſſionis integræ, in nova lege, eos omnes fideles obligare, ſaltem in mortis articulo periculoque, qui ſibi conſcij ſunt peccati alicu-

[Margin: XVIII. Et quanquam lex Dei nova, conſcium]

Boſweidus in VitâPP. l. 1. in Vita S. Aſtionis. cap. 25.

Divorum in cœlis pietas, charitas, officia, ſtudia, erga homines in hoc mundo.

Martyr, ſuoque purpuratus ſanguine; quando poſt mortem ſe matri ſtitit, & quæ ipſius inter alios beatos eſſent ſtudia, ſic declaravit. *Pergo cum eis, per ſingulos dies ad viſitandum infirmos, ad elevandum eliſos, ad illuminandum cæcos, ad ſalvandum periclitantes in mari, ad expugnandum gentes barbaras, prœliantes in terra: ad conſolandum mæſtos, ad defendendum impotentes, atq; effugandos dæmones de obſeſſis corporibus, in nomine Domini noſtri* JESV *Chriſti.* Neque putemus, Sanctorum curam ſe tantùm extendere ad ſolatium indigorum hîc fidelium, ad declinanda naufragantium pericula, ad defendendam Eccleſiam contra barbararum inſultus gentium, ad pellendam ex oculo cœcitatis noctem: denique ad proſcribendum hoſpitio ſuo diabolum, hominis corpuſculo; major illis circa animam, & ſalutem cujuſque noſtrum, ſollicitudo eſt; maximè quibus eadem nobiſcum ſanguinis intercedit neceſſitudo. Allego in confirmationem S. Cyprianum, cujus hoc eſt pronunciatum de beatis cœlo adſcriptis. *Magnus illic nos charorum numerus expectat; parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copioſa turba deſiderat: jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita.* Vt dubium non ſit, tam hos Sanctos pro ſuis lucrandis, quàm cæteros pro ſervandis alijs, apud DEVM continuis precibus laborare; deniq; in bonum animarum, totiuſq; Eccleſiæ vtilitatem ſtudioſiſſimè intendere.

S. Cypr. in tract. de mortalit.

Sanctorum in cœlo ſollicitudo, erga hujus vitæ mortales.

XII. Et credo, hoc ipſa ſatis adſtruit Eccleſia, quando in ſacrificio Miſſæ de Apoſtolis, ante Canonem vtitur ad DEVM præfatione antiquiſſimâ, teſte Pelagio II. pontifice, qui S. Gregorium præceſſit in cathedra; & ſic habet: *Gregem tuum paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos continuâ protectione cuſtodias; vt ijſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios, eidem contuliſti præeſſe paſtores.* Et D. Leo Papa de Apoſtolorum principe, inter Divos jam, cœloſque relato, ita loquitur: *Petrus nunc plenius & potentius ea, quæ ſibi commiſſa ſunt, peragit, & omnes partes officiorum atq; curarum, in ipſo, per quem eſt glorificatus, exequitur.* In eundem ſenſum olim de SS. Martyribus, glorioſâ morte triumphantibus, exclamavit D. Baſilius: *O cuneum inexpugnabilem! ô communes generis humani cuſtodes, optimi curarum ſocij, &c.* Gregorius quoq; Nazianzenus, S. Cyprianum jam inter aſtra pulcherrimum ſidus, ita comppellat: *tu ab alto nos reſpice, noſtrumq; ſermonem, ac vitam dirige, & ſanctum ovile hoc paſce, aut ſimul vnà rege.*

S. Greg. M. in epiſt. 4. decretal.

S. Leo ſerm. 2. de anniverſario ſuæ aſſumpt.

S. Baſil. orat. in 40. Martyres.

S. Gregor. Nazianz. orat. in Cyprian.

XIII. Quia igitur teſtimonio SS. Patrum, non ſolùm Apoſtoli, neque

neque ſoli Martyres, ſed aliorum quoque beatorum hominum in cœlis mentes, curam agunt Militantis adhuc in terra Eccleſiæ; veriſimillimum eſt, infimam ejus portionem, improbos, velut plurimùm indigos, venire in primas ſollicitudinis partes: vt ijſdem & oratione ſuâ offenſum reconcilient DEVM, & media ſaluti comparandæ neceſſaria impetrent. Potamiæna Virgo, in ſexu fragili heroina, & glorioſiſſima Martyr: cùm fidei Chriſtianæ causâ ad rogum duceretur, compeſcente Baſilide, quodam gentili lictore, inſultantem Virgini multitudinem; ſincerè ſpopondit, tantillum cuſtodiæ officium, ne ſuo auctori periret, quamprimùm ad Chriſtum ſponſum per flammas penetraverit, ſe ſtrenuè acturam. Itaq; poſt triduum, homini per quietem apparet Virgo Martyr, divinitatis ſuperfuſa vndiq; radijs: atq; vt fidem ſolveret lictori datam, gemmatum capiti diadema viſa eſt imponere. Et certè pulchrum hoc omen fuit. nam paulò pòſt acceptâ religionis Chriſtianæ agnitione, homo ille carnificis gladio ſubjecit caput: in pari cauſa ſanguine ſuo, & Chriſto, & ſanctiſſimæ fidei ſubſcripturus: didicitque à prece Virginis Martyris fluxiſſe, quam ipſe poſtea Martyrij corollam accepit.

Euſeb. lib. 6. hiſt. c. 5.

S. Potamiæna Virgo, cuidam Gentili impetrat Martyriũ.

XIV. Vt oſtenderet olim diſertiſſimus Oratorum Chryſoſtomus, quantum pondus haberent Beatorum ſuffragia, præſertim quos ſuus ſanguis tinxit, in cauſa Chriſtianæ religionis; hac ſimilitudine vſus eſt. *Sicut milites vulnera in prælijs ſibi inflicta, Regi monſtrantes, fidenter loquuntur; ita & illi abſecta capita geſtantes, & in medium afferentes, quæcunq; voluerint, apud Regem cælorum impetrare poſſunt.* Quoniam verò nihil æquè debet eſſe in hominis deſiderio, quàm DEI miſeratio, commiſſorum venia ſcelerum, inter peſſimas mali genij tentationes [illegible]ur, commoda erigentis gratiæ auxilia: hinc in id vnum laborat Triumphans in cœlo Eccleſia, vt nobis adhuc militantibus, tam ingentia bona à DEO precibus ſuis, piaq; interceſſione obtineat.

S. Chryſoſt. ſerm. de SS. Iuventio & Maximo.

Alij ſancti, nobis impetrant Dei gratiam & miſericordiam.

XV. Egregiè ad inſtitutum S. Leo ait: *ſicut nos experti ſumus, & noſtri probauêre majores, credimus atq; confidimus, inter omnes labores iſtius vitæ, ad obtinendam miſericordiam DEI, ſemper nos ſpecialium Patronorum orationibus adjuvandos.* Et in epiſtola Epiſcoporum Europæ, ſcripta ad Leonem Imperatorem, ſic dicitur: *ſanctiſſimum verò Proterium in choro, & ordine ſanctorum Martyrum ponimus, & ejus interceſſione miſericordiam, ac propitium DEVM habere poſtulamus.* D. Hieronymus Paulam conſolaturus, ex obitu

S. Leo ſer. 1. de SS. Petro & Paulo.

Habetur poſt Concil. Chalced.

D. Hieron. in epiſt. ad Paulam, de obitu Blaſillæ.

tu Blæſillæ in longum mœrorem abjectam: *pro te* (inquit) *Dominum rogat, mihiq́; veniam impetrat peccatorum.* Et S. Ephrem Divos Divaſque Martyres, jam inter cœleſtia ovantes ſidera, in hunc modum compellat. *Precamur beatiſſimi Martyres, qui pro Domino Salvatore, proq́; illius charitate ſpontè & impigrè tormenta ſenſiſtis, atq́; adeo familiariùs Domino conjuncti eſtis: vt pro nobis miſeris & peccatoribus, & de negligentiæ ſqualore ſordentibus, Dominum interpellare dignemini, vt ſuperveniat in nos gratia Chriſti.*

S. Ephrem in ſerm. de laudibus SS. Martyrum.

XVI. Sed omnium pulcherrimè Auguſtinus, adhuc noſtrâ ligatus mortalitate, rogavit beatos inter aſtra cives, vt communem hominum ſalutem, votis ſuis precibuſque, apud DEVM promovere vellent. Ejus devotiſſima ad ſanctos aſpiratio talis eſt. *Felices ſancti* DEI *omnes, qui jam tranſiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis & pacis; ſecuri & tranquilli, ſemperq́; feſtivi atq́; gaudentes eſtis. Obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſoliciti eſtote de nobis: ſecuri eſtis de veſtra immarceſſibili gloria, ſoliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam ſatiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti eſtis, de cujus beatiſſima viſione ſemper gaudetis; eſtote iugiter memores noſtri, ſubvenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ, circumſtantibus agitamur procellis. Vos porta pulcherrima, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adjuvate nos vile pavimentum, longè inferiùs jacentes. date manum, & erigite jacentes ſuper pedes, vt convaleſcentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello; intercedite & orate conſtanter, atq́; indeſinenter pro nobis miſeris, multumq́; negligentibus peccatoribus, vt per veſtras orationes, veſtro ſancto conſortio conjungamur. Sumus namq́; valde fragiles, & nullius virtutis homunciones; animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis veſtigium apparet. Et tamen ſub Chriſti confeſſione poſiti, ligno Crucis ferimur, navigantes per hoc mare magnum & ſpatioſum, vbi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus; vbi ſunt animalia, puſilla cum magnis; vbi eſt Draco ſæviſſimus, ſemper paratus ad devorandum; vbi ſunt loca periculoſa, Scylla & charybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, & in fide dubij. Orate Dominum, orate pijſſimi, orate omnia agmina Sanctorum, & univerſi cætus Beatorum, vt veſtris precibus meritiſq́; adjuti, ſalvâ nave, & integris mercibus, pervenire mereamur*

D. Auguſt. in medit. cap. 24.

Rationes multiplices D. Auguſtinus proponit Sanctis in cœlo, ob quas nos in terris conſtitutos juvare debeãt.

mur ad portum perpetuæ ſalutis & quietis: & continuæ pacis, & nunquam finiendæ ſecuritatis.

Neque deſunt eorum exempla Sanctorum, qui fuſis in cœlo ad Deum precibus, periclitantes de ſalute homines ſervârunt ab interitu. Teſtem adfero omni exceptione majorem, S. Ioannem, ab eleemoſinarum largitione, celebrem Archiepiſcopum. Hunc ſemel vt adijt muliercula, ante pedes ſanctiſſimi viri proſtrata, delicti cujuſpiam à ſe admiſſi, veniam precata eſt; illud Chriſti allegans, *quaecunq; ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Sed cùm ſacer Antiſtes vrgeret confeſſionem criminis, more vtique jam tum in Eccleſia recepto; negavit fœmina id fieri poſſe, prohibente verecundiâ facinoris revelationem. Hæc nimirum peccati grandis eſt malitia, vt deſignari non pudeat, pudeat deſignatum propalari. Archiepiſcopus ergo ſciens, minùs erubeſcere literam quàm linguam; jubet, qualisqualis illa ſit animi noxa, ſaltem calamo deſcriberet. fecit mulier, chartamque probro ſuo fœdam ſed diligenter obſignatam, tradidit: multum obteſtata præſulis fidem, ne aut ſolveretur vnquam, aut in manus aliorum veniret. Sed (quemadmodum *incertæ ſunt providentiæ noſtræ*) poſt dies pauculos, mors virum ſanctum mundo ſuſtulit. Tum igitur ingens ſollicitudo invaſit animũ fœminæ, metuentis poſt obitũ Antiſtitis, fortaſſis reſignatum fuiſſe libellum ſuum, & dedecus jam evulgatum, quod vel maximè occultum volebat, & clam omnibus. Ita in varias diſtracta anxietates, ſuperfuſa lacrymis & plena querelarum, ante tumulum S. Joannis Eleemoſinarii ſe in faciem abijcit, per fidem ipſam defuncti Præſulis, expoſcit ſibi ſuam reddi ſyngrapham. Jam triduũ exegit fœmina ad ſacra lipſana, ſolis paſta lacrymis, gemitibuſque. Cùm ecce tibi, Archiepiſcopus ſepulchro ſuo egredi, auguſtoque in habitu, mulierculæ ſe offerre viſus eſt. quin etiam libellum ei ſuum porrexit, juſſitque vt aperiret, atque inſpiceret. Obſequitur monenti, reperitque expuncto infami illo ſcelere, hanc ſententiam: *Propter Joannem ſervum meum, deletum eſt peccatum tuum.* Sic demum recreatâ à luctu muliere, ſanctus Antiſtes ad ſuum rurſus ſe tumulum recepit.

XVII. *In Vitis SS. PP. in Vita S. Ioannis Eleemoſinarij c. 15. apud Roſweid.* *Matth. 18.* *Sap. 9. 13.* De ſcelere, quod fœmina erubeſcebat confiteri, veniam impetrat à Deo per S. Ioannem Eleemoſinarium.

Hîc autem, vt intelligamus magnitudinem beneficij, à Joanne Eleemoſinario collati in fœminam, ſciendum eſt ex certa Theologorum doctrina; præceptum pœnitentiæ, ſeu ſacramentum confeſſionis integræ, in nova lege, eos omnes fideles obligare, ſaltem in mortis articulo periculoque, qui ſibi conſcij ſunt peccati alicu-

XVIII. Et quanquam lex Dei nova, conſcium

Digitized by Google

D. Hieron. in epiſt. ad Paulam, de obitu Blæſillæ.

tu Blæſillæ in longum mœrorem abjectam: *pro te* (inquit) *Dominum rogat, mihiq; veniam impetrat peccatorum.* Et S. Ephrem Divos Divaſque Martyres, jam inter cœleſtia ovantes ſidera, in hunc modum compellat. *Precamur beatiſſimi Martyres, qui pro Domino Salvatore, proq; illius charitate ſpontè & impigrè tormenta ſenſiſtis, atq; adeo familiariùs Domino conjuncti eſtis: vt pro nobis miſeris & peccatoribus, & de negligentiæ ſqualore ſordentibus, Dominum interpellare dignemini, vt ſuperveniat in nos gratia Chriſti.*

S. Ephrem in ſerm. de laudibus SS. Martyrum.

XVI. Sed omnium pulcherrimè Auguſtinus, adhuc noſtrâ ligatus mortalitate, rogavit beatos inter aſtra cives, vt communem hominum ſalutem, votis ſuis precibuſque, apud DEUM promovere vellent. Ejus devotiſſima ad ſanctos aſpiratio talis eſt. *Felices ſancti DEI omnes, qui jam tranſiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis & pacis; ſecuri & tranquilli, ſemperq; feſtivi atq; gaudentes eſtis. Obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſoliciti eſtote de nobis: ſecuri eſtis de veſtra immarceſſibili gloria, ſoliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam ſatiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti eſtis, de cujus beatiſſima viſione ſemper gaudetis; eſtote jugiter memores noſtri, ſubvenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ, circumſtantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adjuvate nos vile pavimentum, longè inferiùs jacentes. date manum, & erigite jacentes ſuper pedes, vt convaleſcentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello; intercedite & orate conſtanter, atq; indeſinenter pro nobis miſeris, multumq; negligentibus peccator[illegible], vt per veſtras orationes, veſtro ſancto conſortio conjungamur. Sumus namq; valde fragiles, & nullius virtutis homunciones; animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis veſtigium apparet. Et tamen ſub Chriſti confeſſione poſiti, ligno Crucis ferimur, navigantes per hoc mare magnum & ſpatioſum, vbi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus; vbi ſunt animalia, puſilla cum magnis; vbi eſt Draco ſæviſſimus, ſemper paratus ad devorandum; vbi ſunt loca periculoſa, Scylla & charybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, & in fide dubij. Orate Dominum, orate pijſſimi, orate omnia agmina Sanctorum, & vniverſi cœtus Beatorum, vt veſtris precibus meritiſq; adjuti, ſalvâ nave, & integris mercibus, pervenire mereamur*

D. Auguſt. in medit. cap. 24.

Rationes multiplices D. Auguſtinus proponit Sanctis in cœlo, ob quas nos in terris conſtitutos juvare debeãt.

mur ad portum perpetuæ ſalutis & quietis: & continuæ pacis, & nunquam finiendæ ſecuritatis.

Neque deſunt eorum exempla Sanctorum, qui fuſis in cœlo XVII.
ad Deum precibus, periclitantes de ſalute homines ſervârunt ab interitu. Teſtem adfero omni exceptione majorem, S. Ioannem, ab eleemoſinarum largitione, celebrem Archiepiſcopum. Hunc ſemel vt adijt muliercula, ante pedes ſanctiſſimi viri proſtrata, delicti cujuſpiam à ſe admiſſi, veniam precata eſt; illud Chriſti allegans, *quæcunq; ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Sed cùm ſacer Antiſtes vrgeret confeſſionem criminis, more vtique jam tum in Eccleſia recepto; negavit fœmina id fieri poſſe, prohibente verecundiâ facinoris revelationem. Hæc nimirum peccati grandis eſt malitia, vt deſignari non pudeat, pudeat deſignatum propalari. Archiepiſcopus ergo ſciens, minùs erubeſcere literam quàm linguam; jubet, qualiſqualis illa ſit animi noxa, ſaltem calamo deſcriberet. fecit mulier, chartamque probro ſuo fœdam, ſed diligenter obſignatam, tradidit: multum obteſtata præſulis fidem, ne aut ſolveretur vnquam, aut in manus aliorum veniret. Sed (quemadmodum *incertæ ſunt providentiæ noſtræ*) poſt dies pauculos, mors virum ſanctum mundo ſuſtulit. Tum igitur ingens ſollicitudo invaſit animũ fœminæ, metuentis poſt obitũ Antiſtitis, fortaſſis reſignatum fuiſſe libellum ſuum, & dedecus jam evulgatum, quod vel maximè occultum volebat, & clam omnibus. Ita in varias diſtracta anxietates, ſuperfuſa lacrymis & plena querelarum, ante tumulum S. Joannis Eleemoſinarij ſe in faciem abijcit, per fidem ipſam defuncti Præſulis, expoſcit ſibi ſuam reddi ſyngrapham. Jam triduũ exegit fœmina ad ſacra lipſana, ſolis paſta lacrymis, gemitibuſque. Cùm ecce tibi, Archiepiſcopus ſepulchro ſuo egredi, auguſtoque in habitu, mulierculæ ſe offerre viſus eſt. quin etiam libellum ei ſuum porrexit, juſſitque vt aperiret, atque inſpiceret. Obſequitur monenti, reperitque expuncto infami illo ſcelere, hanc ſententiam: *Propter Joannem ſervum meum, deletum eſt peccatum tuum.* Sic demum recreatâ à luctu muliere, ſanctus Antiſtes ad ſuum rurſus ſe tumulum recepit.

In Vitis SS. PP. in Vita S. Ioannis Eleemoſinarij c. 15. apud Roſweid.

Matth. 18.

Sap. 9. 13.

De ſcelere, quod fœmina erubeſcebat confiteri, veniam impetrat à Deo per S. Ioannem Eleemoſinarium.

Hîc autem, vt intelligamus magnitudinem beneficij, à Joanne Eleemoſinario collati in fœminam, ſciendum eſt ex certa Theologorum doctrina; præceptum pœnitentiæ, ſeu ſacramentum confeſſionis integræ, in nova lege, eos omnes fideles obligare, ſaltem in mortis articulo periculoque, qui ſibi conſcij ſunt peccati alicu- XVIII.

Et quanquam lex Dei nova, conſcium

 jus

peccati mortalis, obliget ad confeſſionem: jus mortalis,aut plurium; illa tum, quando eſt copia ſacerdotis, nolle ad aures ejus deponere, cum ſincero dolore, veroque emendationis propoſito, eſt infringere divinæ legis juſſa, obſtringere ſe recenti & letali noxâ, denique ſe ipſum perdere, & Orco infelicem transſcribere victimam. Neque verecundia cœlandæ turpitudinis habet apud Deum excuſationem. malus pudor eſt, qui ſalubrem prohibet ſui accuſationem, qui ſuadet noxiam admiſſi ſceleris taciturnitatem. nuſquam meliùs erubeſcit homo, quàm in tribunali ſacro, quando coram Deo, ejuſque Vicario, reus purpuram in vultu induit. Denique hæc *eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* (*Eccli. 4. 25.*) Quia igitur periculum fuit, ne malâ verecundiâ ſuaſore, fœmina illa etiam moritura, ſemper probrum ſuum, facinuſque propudioſum celaret ſacerdotes: ſemper proxima fuit exitio æterno. Cui infelicem, ſic denique eripuit poſt mortem ſuam S. Archiepiſcopus, vt mulieri à Deo impetraret Contritionem veram; quâ mediante, ita ei condonatum fuit peccatum, vt nec confiteri ampliùs neceſſitatem haberet; diſpenſante nimirum Deo in ſua lege, & connivente ad merita ſanctiſſimi Præſulis, ſupplicantis pro fœmina, peritura ſolo pudore.

Deus tamẽ cum prædicta muliere diſpenſavit in lege ſua, propter merita S. Ioannis Eleemoſinarij.

XIX. Neque dubitare poſſumus fieri ſæpius, quod hîc ſemel factum videmus, Sanctoſque precibus ſuis, quàm frequentiſſimè inſiſtere pro ijs mortalibus, quorum neceſſitates in Deo ſibi proximo, velut clariſſimo ſpeculo aſpiciunt. Vruntur ipſæ quaſi beatæ in cœlis mentes, quandò infra ſe, in hujus mundi vaſtiſſimo Oceano, naufragantes inter flagitia ſua animas, vident partim abſorberi fluctibus infidelitatis, partim inter hæreſis ſcopulos elidi, partim ad malarum voluptatum, velut Sirenum cantus mergi. Atq; hinc Triumphans apud ſuperos Eccleſia, vt pereuntibus in terra membris ſuis, manum velit Deus adjutricem extendere, vehementiſſimè inſtat: illud etiam Chriſto Servatori, modeſta cum fiducia identidem ſuggerens: *nónne os meum, & caro mea es?* (*2. Reg. 19. 13.*) Minimè etiam dubium eſt, & valuiſſe olim has preces, & hodie valere; multiſque ideò hominibus in medio impietatis ſuæ curſu, meliorem redire animum, ſingulari vtiq; Numinis beneficio, & gratiam ſubminiſtrantis, & intellectum colluſtrantis, & moventis affectum. Ita non pauci per Sanctorum pias orationes, ſalutem inveniunt, abſque his ad ſtygem ituri.

Triumphãs in cœlis Chriſti Eccleſia, maximè pro periclitantibus in terra membris, ſatagit apud Deũ.

XX. Sed inter cæteros ſanctos, neſcio quid eminentiæ habeat D. Barbara. Sic enim pluribus jam inde majoribus noſtris Catholi-

cis

cis perſuaſum fuit; neminem hinc ad æternitatem abire, non munitum divinis Sacramentorum myſterijs, qui ſanctam Barbaram duplici corollâ glorioſam, Virginitatis ac Martyrij; inſuper minimè barbaram, ſed plenam piæ humilitatis, devotè coluit dum vixit. Adferam hîc, quam literis vulgavit Theodorus Pauli, Gorcomienſis Paſtor hiſtoriam, ab eventu admirabilem; cujus ipſe non tantùm ſpectator fuit, ſed etiam aliqua ex parte actor.

Piè creditur, devotos S. Barbaræ homines, ex hac vita non diſcedere, niſi munitos ſacramentis.

XXI. *Coſterus Dom. 2. advent. num. 2.*

Itaque Gorcomij in Hollandia, circa annum à Chriſto nato milleſimum, quadringenteſimum, quadrageſimum octavum, civis quidam Vltrajectinus, jam pene ſeptuagenarius (Henricus Kock) interceptus ſimul flammâ ædium & ruinâ, jacebat omni humanâ deſtitutus ope. Subibat in ea neceſſitate animum memoria D. Barbaræ, cui ſe homo ille aſſueverat à prima pueritia, quotidie enixiùs commendare: ita doctus à parentibus ſuis, neminem ex hac vita diſcedere abſque ſacra confeſſione, & diviniſſimo Corporis Chriſti viatico, qui eam ſingulis diebus pia cum veneratione imploraſſet. Tum ergo jam miſerè vſtulatus ſenex, Divam obſecrare cœpit, ne de ſe conceptam falleret ſpem, ſed adeſſet morituro, & Sacramentorum ſibi copiam à Deo impetraret. flecti ejus bonitatem facilè poſſe, ſi vel illibatum pudoris ſui lilium exhiberet, vel carnificis parentis oſtenderet gladium; quem gratiâ Chriſti ſponſi, collo olim ſuo excepit fulminantem. Audijt votum S. Barbara, & ne clienti ſuo deeſſet, eo articulo ſe præſentem ſtitit, ac primùm quidem ignem cœpit pallio diſijcere; tum deinde ruinâ extrahere hominem; denique vitam promittere, in diem craſtinum, tantum ſcilicet ſpatij, quod ſufficeret præparationi ad divina, Confeſſionis, Euchariſtiæ, & demum extremæ Vnctionis myſteria. Addidit hanc ſeni gratiam fieri, quòd ipſi honorem toties habuerit. Poſt hæc Virgo & Martyr, ſancta inquam Barbara, eò ſe recepit, vnde ad terras venit. Vir autem ſeptuagenarius, quanquam fœdè roſtus, & à flamma miſerabiliter abſumptus eſſet, ambulavit tamen ad filiæ ſuæ domum. Ibi cum præmiſsâ exhomologeſi, ſacrum viaticum atq; vnctionem accepiſſet à Paſtore vrbis: famâ (vt fit) crebreſcente de miraculi novitate, tota civitas ad ſpectaculum confluxit, alterq; alterum hortatus eſt, vt ſinguli quotidianâ veneratione colerent D. Barbaram: cujus tam preces eſſent validæ, tam efficacia apud Deum merita, vt ſalutis certiſſimum poſſint medium impetrare; nempe ante mortem Sacramentorum copiam.

Expertus eſt quidam ruinâ domus, & flammis obrutus.

Servatus ope D. Barbaræ tamdiu, donec præmiſsâ confeſſione, Viaticum, extremamque Vnctionem accepit.

XXII. Quanti ſemper fecerit Deus Sanctorum preces meritaque, patet

Digitized by Google

Etiam in veteri teſtamento, Deus populo ſuo pepercit propter ſanctos Patriarchas.

patet ex diverſis Scripturæ divinæ teſtimonijs. Certè cùm olim Idololatræ Hebræi, circa vitulum aureum turpiter vitularentur; adeò Numinis pietatem exaſperârunt in iras, vt jam periculum eſſet, ne cum ſontibus inſontes, omniſque tandem gens periret. Sed oppoſuit ſe Moyſes juſto furori; & quia ſolus non ſuffecerat, in partem deprecationis accepit, ejuſdem populi ſanctiſſimos Patriarchas, ita in cœlos ad Deum vociferans: *recordare Abraham, Iſaac, & Iſraël, ſervorum tuorum.* Et notat Theodoretus ad hunc locum, cùm ſibi Moyſes diffideret, ratus contra excitatum irati Dei æſtum, perſonæ ſuæ deficere dignitatem, aliena majorum junxiſſe patrocinia, felici eventu. ſic enim porrò memorat ſacer codex; *placatuſq; eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversùs populum ſuum.* Ex eadem cauſa, profecta eſt illa trium Hebræorum Juvenum oratio, quando inter flammas Babylonicæ fornacis innoxij, pro liberatione populorum ſuorum, longâ captivitate laborantium, ſic Deo ſupplicabant. *tradidiſti nos in manibus inimicorum noſtrorum, iniquorum & peſſimorum, prævaricatorumq; & Regi injuſto, & peſſimo vltra omnem terram. Et nunc non poſſumus aperire os; confuſio & opprobrium facti ſumus ſervis tuis, & his qui colunt te. Ne quæſumus tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum; & ne diſſipes teſtamentum tuum, neque auferas miſericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſraël ſanctum tuum.*

Exod. 32. 13. — Theodor. q. 67. in c. 32. Exod. — Ibid. v. 14. — Daniel. 3. à v. 32.

XXIII. Pulcherrimum eſt illud elogium, ab ipſa divina Veritate (neſcia erroris) datum Noëmo; *te vidi juſtum coram me*; cùm ſcilicet omnis mundus iret in præcipitium malitiæ, abreptus æſtu immanium flagitiorum, nullis niſi cataclyſmi aquis reſtinguendo. Et jam decretum erat Deo, mergere in profundum ſcelera cum auctoribus ſuis, ſolumque Noë & familiam ſuam malo eripere; hinc illa Numinis ad eum vox: *ingredieris arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum.* Vbi miratur Divus Chryſoſtomus, quomodo cum Noë ſervati ſint iſti omnes; quandoquidem eum in ſanctitate longo intervallo ſequebantur. Tandem putat familiam illam ſalute fuiſſe donatam, in honorem gratiamque Patrisfamilias Noëmi. *Conſuetudo enim miſericordis* D E I *eſt* (ait os aureum) *honorem hunc dare ſervis ſuis, vt propter eos ſalventur & alij. Id quod & B. Paulo conceſſum eſt, Magiſtro illi Orbis, qui vſquequaq; doctrina ſua radios emittebat. Quandoquidem cùm ille Romam navigaret, ortâ in mari tempeſtate magnâ, ita vt multi ſaluti ſuæ timerent, nullamq; bonam ſpem propter procellarum magnitudinem haberent, vocatis omnibus dicit: ſuadeo vobis*

Gen. 6. 1. — Gen. 5. 18. — D. Chryſoſt. homil. 24. in c. 6. Geneſeos. — Aliqui diluvio exempti fuerunt, propter Noë Patriarcham. — Actor. 27. à v. 22.

vobis bono animo eſſe, amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis. Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus DEI *, cujus ſum ego, & cui deſervio, dicens: ne timeas Paule; ecce donavit* DEVS *tibi omnes, qui navigant tecum.* Quemadmodum ergo DEVS, donavit Apoſtolo ſuo Paulo animas naufragantium, hoc eſt, vitam eorum, ſalutemq; corporis; ita dubium non eſt, eundem DEVM amicis ſuis, in cœlo Sanctis, diverſis diverſas animas donare, atq; in eorum gratiam, ab æterno liberare interitu. Præſertim quando ijs ſervandis, & preces ſuas offerunt Beati, & gratiſſima Numini merita. In hunc ſenſum nos Auguſtinus docet, *admonemur* (inquit) *cùm merita noſtra nos gravant, ne diligamur à* DEO, *relevari nos apud eum illorum meritis poſſe, quos* DEVS *diligit.* E quorum numero maximè ſunt Divi, beatorum albo inſcripti.

Aliqui naufragio erepti, propter Paulum Apoſtolum.

Sic propter alios ſanctos in cœlis, aliorum in terris animæ ſalvantur.

S. Auguſt. q. 149. in Exod.

XXIV.

Maximilianum I. Auguſtum ajunt, quo tempore Kupfſtainium, arte naturaq; munitiſſimum caſtrum, ad fauces Tyrolis ſitum, obſidione preſſit; cùm nihil admodum initiò tormenta nocerent, & ferè nunquam cum notabili vulnere illaberentur globi, ſemper cum mordaci riſu obſeſſorum exciperentur; adeo ſenſiſſe graviter factum ſibi ludibrium, vt occupatâ denique arce, cogitaverit in præſidium ejus, velut de offensâ Majeſtate reum, animadvertere. Iamque hoſtium victorum Dux, caput ſub carnificis ferro amiſerat; neque aliud reliqui expectabant, præter ſimilem ingloriæ mortis exitum. Cùm ecce, qui Imperatori aderant, partim Aulici, partim militiæ Primipili, miſerati duram inimicorum ſortem, quâ precibus ſuis, quâ antiquorum commemoratione meritorum, Maximilianum flectere conantur ad miſericordiam. Cæſar ergo contentus dediſſe ſpecimen non temerandæ Majeſtatis, poteſtatem facit eripiendi gladio, ſuperſtites damnatos. Tum igitur, quaſi ſingulis ſingulorum vita in donum ceſſiſſet, à morte exempti ſunt vniverſi; devinctis Imperatori ſuo omnium vtrinq; animis, & liberantium & liberatorum.

Maximilianus I. Imperator, Palatinis ſuis, & primipilis, donat quorundam reorũ vitam.

XXV.

Atque hic modus eſt, quem crediderim à DEO ſervari cum Palatinis ſuis in cœlo, Sanctis inquam. frequenter eis copiam facit, eripiendi velut ex inferis eos mortales, quos propria damnant ſcelera ad miſeram æternitatem. Et certè ſi vlla alia, hæc maximè commendabilis eſt Numinis liberalitas, tam reos, quàm reorum animas (hominum ſcilicet impiorum) ita donare amicis ſuis Divis, vt ad eorum interceſſiones, piaque merita, fulminantem dexteram ſuſpendat, & quos nuper ad Orcum detrudere

Deus ſanctis ſuis, pereuntium mortalium animas aliquas.

voluit, nunc recipiat in cœlum. Denique quis non videt, Sanctos in beatitudinis domicilio, plurimum momenti adferre ad hominum ſalutem, quoties pro nobis, membris ſuis, ſub eodem triumphantis ac militantis Eccleſiæ capite Chriſto, & pia vota depromunt, & magnorum cauſas meritorum explicant. Nemo tam facinoroſus eſt, qui hîc non fulcrum reperiat ſpei ſuæ, & futuræ converſionis ingens argumentum, tametſi in ſerum, & finem vivendi, differat initium reſipiſcendi. Armata eſt Divorum interceſſio, neque repulſam ferre poſſunt merita apud DEVM, quæ ex ejuſdem ſanguine, ac divinitate pretium acceperunt. Ita nunc illi pro ſocordia ſua argutantur, quibus volupe eſt, ſemper in cœno impietatis vitam trahere; tormentum, virtutis intrare ſemitam.

Hinc impijs, cum ſpe ſalutis creſcit audacia peccandi.

XXVI. Sed quantùm hallucinentur, indè patet, quòd ſibi polliceantur certitudinem in re dubia. Eſto enim pietas Sanctorum tanta ſit erga peſſimum quemque, vt ei ſervando, ſemper fluant illorum preces ad DEVM; minimè tamen certum eſt, aliena hæc ſuffragia ſemper acceptum iri à Numine, in bonum ejus hominis, pro quo offeruntur. Liberrima eſt divina Majeſtas, & nullâ neceſſitate cogitur, aliorum pro alijs orationes continuò acceptare. Exemplum habemus apud Ezechielem, cui ſic DEVS manifeſtavit exitium genti Iſraëliticæ superventurum, vt jam nullis precibus, ſanctiſſimorum etiam virorum, placari vellet. *Si fuerint tres viri iſti in medio ejus, Noë, Daniel, & Job; vivo ego dicit Dominus DEVS, non liberabunt filios, neq. filias:* quibus verbis oſtendit, tantam eſſe Iudaicorum inſolentiam ſcelerum, vt jam decreverit divinæ ſeveritas juſtitiæ, nullam admittere deprecantium pro alijs reconciliationem.

Sed in ſuũ periculum, quia non tenetur DEVS intercedentium ſanctorum aut vota, aut merita pro alijs accipere.

Ezech. 14. v. 14. & 18.

Oſtendit hoc DEVS non ſemel apud gentẽ Iudæam.

XXVII. Similis eſt illa ſuccenſentis pronunciatio Numinis, in gentem Judæam: *ſi ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* quaſi dicat, non placabor ei, neque impoſterum diligam eum, vitio obſtinantis inter flagitia animi, non intercedentium culpâ. Atque iterum alio loco, ſic comminatur tribui Juda Dominus: *projiciam vos à facie mea, ſicut projeci omnes fratres veſtros, vniverſum ſemen Ephraim.* nempe tempore Oſeæ Regis, quando captæ ſunt decem tribus Iſraël ab Aſſyrijs. Pergit DEVS in colloquio cum Ieremia. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Planè ad eum modum, quo parens

Ierem. 15. v. 1.

4. Reg. 17. 6.

Ierem. 14. 16.

rens aliquis, exulceratus nimiâ ſervi petulantiâ, interdicere filio ſolet, nihil roget pro fuſtuario condonando, peritura omnia ejus verba. Aut ſicut Imperator Principem monet, nihil gratiæ petat pro reo perduellionis, quòd offenſus tam enormi crimine, parcere nolit perfido capiti; eſto in ſimili culpa ad intercedentium preces, cum alijs reconciliationem admiſerit. Eſt enim in arbitrio ſummi magiſtratûs, & libera ejus diſpoſitione, inter ejuſdem criminis reos, vnum abſolvere, alterum ſupplicio addicere: pro vno accipere ſupplicantium preces, pro altero excutere. Neque vlla committitur injuſtitia, quando Rex aut Cæſar, per ſolam plenitudinem ſuæ poteſtatis, ex duobus capite damnatis, unum ſervat, alterum duci jubet; etiam pro vtroque laborantibus æqualiter deprecatoribus.

Faciens cũ hominibus, quod ſolent homines.

XXVIII.

Mala eſt cõſecutio: Divi in cœlis ſatagunt pro noſtra ſalute; ergo certò impetrabunt.

His ita poſitis; dico malam eſſe hanc conſecutionem, & in fraudem ſic concludentium improborum; reminiſcuntur noſtrûm ſancti cœlites, poſſuntque multùm apud DEVM precibus ſuis, & meritorum gratiâ, in cauſa promovendæ ſalutis alienæ; ergo ſecurè confidamus, quòd nobis ſint beatitudinem impetraturi. Quæſo te, an collyrio vngendus eſt tibi oculus? nondum vides quantùm hæc claudicet ratiocinatio? à poſſe fieri, ad futurum eſſe, tam abſurda eſt argumentatio, quàm à probabilitate ad neceſſitatem. Neque enim propterea, quia probabile eſt, Sanctos inter ſidera, fore tuos apud DEVM Patronos, & magnis clamoribus poſtulaturos tuam ſalutem, mediaque illius obtinendæ accommodata, ideo obtinget ea tibi infallibili certitudine. Pari ratione: non propterea, quia alijs quibuſdam graviſſimè ſceleſtis mortalibus, Divorum interceſſione permotus DEVS, conceſſit gratiam efficacem congruamque, tibi ſtatim ac neceſſariò, facturus eſt idem beneficium, poſt longas emendationis procraſtinationes, ſtaturo olim ad præcipitium mortis; quid ſi nolit juſtiſsimus DEVS, pro te Sanctorum fieri preces? quid ſi factas nolit exaudire? quid ſi ſingulis Beatorum dicat, quod olim Jeremiæ; *noli orare, non exaudiam te.* nempe poteris litem Numini indicere, & in jus vocare Juſtitiam. Sed ad quod tribunal ibis, vt non cauſa cadas?

Neque iſta valet; quibuſdam impetrarunt: ergo omnibus.

XXIX.

De Sanctæ Barbaræ patrocinio, cultoribus ſuis ante mor-

Digitized by Google

tem procurantis Sacramentorum copiam, non tam certa eſt revelatio, quàm pia Majorum noſtrorum perſuaſio; fortaſſis inde nata, quòd experientiâ docti eſſent, plurimos ejus Divæ clientes, non abijſſe extra hunc mundum, priuſquam ſacrâ confeſſione, & viatico Euchariſtico muniti fuiſſent. Cæterùm repeto in hac materia, quod in ſimili ſupra non ſemel monui: tametſi quivis improbus, fiduciam magnam ponere queat in Divos, Divaſque, fore aliquando, vt eorum oratione ac meritis, è peccatis ſuis ereptus, ſervetur felici æternitati; tamen his nemo niti poteſt, ſine juſta formidine incerti eventûs. quæ ipſa cauſa eſt, vt qui vult Sanctorum juvari ſuffragijs, abjectâ temeritate peccandi, ipſiuſque reſipiſcentiæ moroſâ protractione, quamprimùm adlaborare debeat, vnaque cum Sanctis, in propriam conſpirare ſalutem.

Poteſt quidem poni confidentia in patrocinio Sanctorũ, ſed non ſine formidine; præſertim à pœnitentiæ ſuæ procraſtinatoribus.

XXX.

Nam ſi deficit conatus noſter, ad alienum pro nobis orantium laborem, parum inde erit emolumenti; auctore S. Chryſoſtomo, qui iſta adſtruit: *preces valde proſunt, ſed quando nos quoq; aliquid agimus. ſin autem maneas piger & otioſus, ex eis non magnam accipies vtilitatem; nam ſi valerent preces nos otioſos in regnum introducere, cur non omnes Græci fiunt Chriſtiani? non oramus pro toto mundo? non hoc quoq; faciebat Paulus? non rogamus vt omnes convertantur? cur mali non fiunt boni, ſi nihil à ſe afferunt? valde ergo proſunt preces, cùm nos quoq; à nobis, quæ ſunt noſtra, attulerimus.* Sive deinde preces iſtæ, Militantis ſint Eccleſiæ in terris, ſive Triumphantis in cœlo.

S. Chryſoſt. hom. 1. ad Theſ. c. 1.

Preces alienæ Sanctorum, nihil proſunt niſi homo addat de ſuo conatu, communiter loquendo.

XXXI.

Sed nempe, quibuſdam impijs nihil agentibus ad ſuam Converſionem, imò magis, magiſque in profundum impietatis ſe ſe immergentibus: beneficio intercedentium cœlitum, & copioſior à DEO gratia impetrata aliquando fuit, & gratiæ pulcherrima appendix, vita beata. Ita ſanè; ſed tu gratuitam Numinis erga aliquos benevolentiam, noli velut debitum exigere. liber DEVS eſt, & abſque vlla obligatione diſpenſat rogatus, quibus vult beneficia, peculiaris teſtimonia affectûs. Credo ſi diuina bonitas, concederet ſalutem omnibus illis hominibus, quorum cauſâ Sancti inter Angelos, DEO ingeniculantur, nullus peſſum iret. Sic enim exiſtimo, neminem ferè mortalium in terris vivere, cujus non ipſi, quàm calidiſſimè beatitudinem ſitiant. Quia igitur certum eſt, non obſtante piâ ſanctorum interpellatione ad DEVM, pluri-

Quòd aliquando, & cum paucis ſecus eveniat, gratuitum eſt DEI beneficium, in nullam ſequelã trahendum.

plurimos inter peccata ſua æternùm perire; non potes ſalutis tuæ ſignum credere eſſe infallibile, Divorum apud Superos pro te interceſſionem: vtpote quam Deus non obligatus eſt accipere, ſed etiam ex arcanis juſtiſſimi judicij cauſis, repudiare poteſt; quarum vna eſſe non rarò ſolet, provocatio Numinis ad indignationem, per continuati ſceleris vſum, & emendationis dilationem. Crede mihi, non ſemper temeritas ſucceſſum habet, aliquando etiam infelix eſt. Dico igitur, trahere ſemper velle reſipiſcentiam in alium, aliumque diem, propter preces Triumphantis in cœlo Eccleſiæ, Divorumque merita, eſt niti fulcro inſtabili, & ruituro cum innitente. tu noli hîc Samſon eſſe, neque tibi inter columnas, & fulcimenta parare caſum, ex quo nunquam reſurgas.

Imò etiam in pœnam continuati diu ſceleris, non audit Deus ſemper interceſſionem Sanctorum pro Impijs.

PARAGRAPHVS XI.

Vndecimum Impiorum Fulcrum, ANGELORVM TVTELA AC PRÆSIDIVM:

Poſsintné eſſe cauſa rationabilis, differendæ in tempus MORTIS pœnitentiæ?

I.

STulta eſt hæc quorundam perſuaſio mortalium, in libertate conſiſtere felicitatem; miſerum eſſe omnem, cui non idem ſit lubere, & licere; ſervitutem eum ſervire acerbiſſimam, qui alienis imperijs, velut vinculis adſtringitur captivus: etiam beſtijs fieri ægrè, quando aut catenâ ligantur, aut capiſtro tenentur, aut cohibentur freno. Ita olim inſanierunt Hebræi, quibus ſingulæ Dei leges, ſanctiones, decreta, pro compedibus erant. Suſpirabant proinde ſolvi, & poſſe illuc liberè ire, quò eos ſuus tuliſſet affectus. Denique evictus quaſi Deus, longarum importunitate querelarum, viſus eſt indulgere, cùm apud Pſalten dixit: *dimiſi eos*

Tam beſtijs, quàm hominibus grata eſt libertas.

Pſ. 80. 11. *ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.* Quid ni & peribunt? Certè quemadmodum excuſſo freno, indomitus non rarò equus, ad præcipitium ſuum cucurrit, caſumque pro libertate invenit; ſic plurimi ex Judæorum numero, cùm extra divinæ legis carceres, pro animi ſui lubentia, exſpatiati ſunt ad omnium vitiorum turpitudinem, ipſum idolorum deteſtabilem cultum, lapſum denique fecerunt in tartarum: exemplo ſuo docturi, per licentiam vitæ homines trahi ad æternæ mortis præcipitia. Neque tamen aut creduntur iſta, aut multùm curantur.

Judæi olim iverunt ſecundùm deſideria cordis ſui impij.

II. Totila Gothorum Rex, flagellum Italiæ, Græciæque, poſt edita compluries barbaræ crudelitatis facinora, viſus eſt miteſcere velle, & leoninam pellem mutare cum agnina. Motus enim inſigni de Sancto Benedicto famâ, eum inviſere ſtatuit: jamque vt in conſpectum Viri Rex venit, oblitus Majeſtatis ſuæ, vel potiùs conſternatus hominis divinitate, ante Benedictum venerabundus in terram ſe proſtravit; eò admirabiliori ſpectaculo, quòd purpuræ & diademata malint adorari, quàm adorare. Tulit etiam Totila, ſubmiſſionis tam pulchræ egregium omnino præmium, vaticinium inquam à ſanctiſſimo viro; quod prodeſſe multùm Regi poterat, ſi in animum profundè admiſiſſet, cum annexa hac adhortatione. *Multa mala facis, multa mala feciſti: jam aliquando ab iniquitate conquieſce. Equidem Romam ingreſſurus es, mare tranſiturus, novem annis regnans, decimo morieris. Quibus auditis, Rex vehementer territus, oratione petitâ receſſit; atque ex illo jam tempore minùs crudelis fuit: & non multò poſt Romam adijt, ad Siciliam perrexit; anno autem Regni ſui decimo, Omnipotentis Dei judicio, Regnum cum vita perdidit.* Ita Divus Gregorius Papa refert.

Fecit & Totila, Gothorum Rex ac tyrannus.

D. Greg. lib. 2. Dial. cap. 15.

Increpitus propterea à S. Benedicto, ſed non plenè correctus.

III. Nemo Genethliacus potuiſſet Totilæ futuros eventus, certiùs deſcribere, & calculo tam probo, brevia regnandi ſpatia includere. Nempe etiam timere cœpit Rex, quando à Sancto Benedicto increpitus eſt de ſceleribus, & juſſus terminum ponere impietati; poſteaquam jam ſuis imperijs, pauculos Deus annos ſtatuiſſet metam. Et quidem emendatior inde diſceſſit Totila, quàm advenerat, auctuſque & precibus divini hominis, & ſalutis metu, quod nunquam antea didicerat, magiſterium humanitatis aliquamdiu pulchrè exercuit, correctâ priore intemperantiâ, novis continentiæ exemplis. Sed quemadmodum rarò conſtans eſt violentia, nitente ſemper in oppoſitum inveteratâ conſuetudine; ita ad ingenium reverſus eſt Totila; quando inter alia barbaræ feritatis ſpecimina, Italiæ Epiſco-

Quia brevi ad ingenium crudelitatis redijt.

Spondanus ad annum Chriſti 546.

ſco-

ſcopos & gladio ſubjecit trucidandos, & beſtijs expoſuit laniandos; non irritatus alienâ culpâ, ſed ingenitâ ſibi ferociâ. Tandem à Narſete, Juſtiniani Imperatoris Duce, cum vniverſo exercitu ad internecionem cæſus, longæ improbitatis pœnas luit. Itaque nec triſtibus vaticinijs, neque ſeriâ adhortatione, plenè emendatus fuerat Totila. &, ſi credidit, quæ à S. Benedicto accepit, parum tamen curâſſe, novis prævaricationibus oſtendit.

Spondanus ad annum Christi 553.

IV.

Hodieque Impiorum nonnulli, vt ſequantur deſideria cordis ſui, pœnitentiam differunt.

Atque hæc multorum eſt conſuetudo impiorum, quæ ad eorum correptionem ſalubriter dicuntur, aut non admittere, aut admiſſa contemnere; præſertim quando vrgentia maturandæ pœnitentiæ argumenta ſuggeruntur. tum enimverò complures volunt eſſe Lentuli; & tandem ad vitæ exitum, compenſare vehementiâ ſtudij præteritam tarditatem; connivente ſcilicet Deo ac dicente: *dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.* Sed væ! dum ſic multi eunt, etiam pereunt multi; dumque ſtudioſè excogitant, machinantur, diſponunt futuras ſcelerum illecebras, ſæpe in ipſo conatu intercipiuntur à morte; ita hinc imparati ad tribunal Numinis trahuntur, inde condemnati ad Orcum.

Pſal. 8. 13.

V.

Sed hîc iterum cauſæ ſuæ, ſuorumque tuendæ gratiâ, impius aliquis ex communi pharetra ſagittam expromet, ſeu potiùs, ſupponet novum bonæ ſpei fulcrum; nempe piam operam, ſtudiumque tutelarium Angelorum: quorum ea eſt erga DEVM obſervantia, ille in genus humanum amor, vt non facilè permiſſuri ſint perire eum, cujus ſemel cuſtodiam ſuſceperunt, ex divino imperio. Hinc variè prodeſſe ſolent clientibus ſuis; jam enim pericula monſtrant futuri lapsûs, daturi cautelæ documentum; jam ſtantes ad præcipitia ſcelerum, ſubducunt caſui; modò proſtratos inter tentationes, erigunt in pedes, erectiſque ad repetendam cum Orco pugnam, animos addunt. denique quaſi fidâ manu ad cœlum ducunt, quotquot ducentem ſequi volunt: vt nemo, quantumvis diu multumque improbus, cauſam habeat de ſua ſalute diffidendi. qui in vltimo tandem agone, defenſorem ſui experitur Angelum, nullo quaſi negotio atrum ſuperaverit genium. hoc cuſtode, nihil proficient ſtygiæ phalanges, etiamſi omnes armatæ venerint in vnius hominis interitum; clientem eripiet furori propugnator Angelus, inſeretque ſecurum beatæ æternitati. Sed vt appareat, quanta ſit ſpirituum cœleſtium tutela

Quam in morte ſecuros ſe ſperant, adjuti Angelorum auxilio.

tela

tela, quàm fidelis erga mortalium hominum immortales animas cuſtodia, quędam explicatiùs tradenda ſunt de hac materia, ſolatio pleniſſima.

VI. *B. Petrus Damianus Epiſtolar. lib. 1. epiſt. 7. ad Alex. II. Rom. Pontific.*

Igitur B. Petrus Damiani, purpuratorum decus Patrum, de tutelarium Angelorum officijs, beneficijſque ita ſcribit, *Qui divinarum ſcripturarum vacat eloquijs, non ignorat, quia per hunc mundum, cæleſtium Virtutum quotidie multitudo diſcurrit, quæ nobis auxilij manus in certamine porrigit. de quibus per Danielem dicitur, millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. ad hoc enim* DEO *miniſtrant, vt nos ab iniquorum ſpirituum impugnationibus protegant. Vnde & Paulus ait: ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Neque enim verſutiæ tam callidi, tam exercitati hoſtis, poſſet fragilitas humana reſiſtere, niſi eos à tentationibus electorum virtus Angelica propulſaret. Vnde vnicuiq; noſtrum à die baptiſmatis, vſque ad obitum delegatus eſt Angelus, qui & viriliter decertantem à tentatione cuſtodiat, & auxilium præbere in bonis operibus non deſiſtat.*

Daniel. 7. Hebr. 1.

Angelus cuiq; homini datur in ſubſidium contra malignos ſpiritus.

VII. *In VitisPP. lib. 3. n. 10. apud Roſ-VVeid.*

Et quidem id genus auxilij cœleſtis, Abbas olim Moyſes clariſſimè doctus eſt ab Iſidoro Abbate. hunc enim cùm ille adijſſet, ſalubris gratiâ conſilij, quo tempore graviſſimis vrgebatur ſtimulis ad impuram Venerem, materiam ingentis meriti apud victorem; ductus ab Iſidoro in ſupremum cellulæ tectum, & occidentem aſpicere juſſus eſt. cùm ecce totus aquilo hoſtilem objecit aciem, excitas è ſtyge copias, & neſcio quid barbarum infrementes, tartareumque. Jamque Moyſes Abbas, clamore ſolo, aſpectuque hoſtis, velut contra ſe ituri ad certamen, conterritus, de ſua imbecillitate cœpit diffidere. Atque iterum Iſidorus, vt Orientem contemplaretur, monuit. Et hem! integer Angelorum exercitus, diſpoſitis pulchrè ordinibus, ſe effudit in oppoſitum hoſtem; pugnaturi omnes videbantur pro vno Moyſe. Denique Iſidorus imperavit, vt metum poneret; certò perſuaſus, ſi multi eum dœmones mali, peſſimis infeſtarent tentamentis, plures è cœlis Genios adfore, qui eidem ſuppetias laturi ſint; repetito illo Vatis Eliſæi verbo, erigentis ad fiduciam ſervulum ſuum, trepidantem inter Syrorum explicata vndique ſigna: *noli timere; plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. cùmq; oraſſet Eliſæus, ait; Domine aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.*

Moyſes Abbas, vidit ſe defendi à bonis Genjis adversùs malos.

4. Reg. 6. v. 16. & 17.

VIII. A Moyſe Abbate, ſaltum facio ad Abbatem Theodoſium. hic jam grandævus ſenecio, narrare ſolitus erat, ſpeciem ſibi objectam, ante-

Digitized by Google

antequam primordia poſuit vitæ ſolitariæ. Igitur venuſtus quidam, & ſupra humanam Juvenis pulchritudinem (Phœbum diceres à circumfuſo jubare, certè Angelus erat) apprehenſâ Theodoſij manu; Veni inquit, luctandum tibi eſt hodie. Mox in theatrum ductus, virtutis ſuæ ſpectatores habuit diverſos. aliqui enim veſte albâ, velut Candidati ex parte vna; ex parte altera, alij nigro amictu vultuque, quaſi Maurorum ex gente forent, comparuêre. Crederes Cœli & Orci incolas confluxiſſe, ad futurum certamen arbitros. Cùm ſubitò Æthiops, invſitatæ molis, eminentiæque prodijt. nullus huic machinæ, par eſſe poterat Goliath, nullus Polyphemus, nemo ex ijs Gigantibus, de quibus olim exploratores Hebræi dicebant: *terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos: populus quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt; ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac, de genere gigantæo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* Interim bonus Angelus Theodoſium monet, cum hoc ſibi prodigioſæ magnitudinis homine luctandum eſſe. Sed ille expalleſcere, contremiſcere, ac pugnam imparem detrectare; verruculam ſe ad iſtum montem, nihil audere; contingi monſtri talos non poſſe, ne dum apprehendi ejus brachia, aut caput ipſis nubibus inſertum; denique ſolo ſe hoſtilis oculi fulmine proſternendum. Neque tamen deſtitit cœleſtis Genius, hortari ad certamen Theodoſium; manum admoveret fortiter, & inciperet luctari; ſe ad primum ejus conatum, fore adjutorem, ſimulque & laboranti dexteram porrecturum, & vincenti corollam. Itaque pugnatum eſt; & ferente ſuppetias Angelo, Æthiops victus fuit; Theodoſius victor lauro eſt coronatus, ſpectatoribus in factiones diviſis. nam ſicut obſcura illa Maurorum gens, inter ejulatus evanuit; ita pars Candidatorum, & gratias retulit auxiliatori Angelo, & triumphatori Theodoſio applauſit. Atq; hæc ipſa eſt imago ejus luctæ & certaminis, quod nos mortales in hoc orbe, gerimus cum Sathana quotidie. illecebræ quas menti noſtræ inijcit ad malas voluptates, arma ejus ſunt: potentiora ſæpe, quàm humana infirmitas ferre poſſit. franguntur tamen, ſi Angelus tutelaris interveniat, noſtræ imbecillitati adjutor; omnes tunc mali ſpiritûs tentationes, ſunt velut aranearum tela; cui injuriam facis, ſi vim inferſ; vix tenendis muſcis ſufficit.

Sophron. in prato ſpirit. cap. 66.

Theodoſius imaginem futuræ cum Sathana luctæ, accipit ex objecta viſione.

Num. 13. 33.

Cum Æthiope Gigante maximo (ſeu dæmone) luctatur Theodoſius.

Vincit etiam ſuppetias ferente Angelo.

Sed quàm officioſi ſint Cuſtodes Angeli, clientibus ſuis juvandis, quando eoſdem doloſâ machinatione, ſtudet ad peccatum IX.

 pelli-

Digitized by Google

S. Bern. in Pſal. qui habitat. ſerm. 12.

pellicere cacodœmon, facturus letale vulnus animæ, dum corpori, ſenſibuſque offert placituras momento oblectatiunculas: pereleganter oſtendit mellifluus Doctor Bernardus, ſuper illa Regij Vatis Sententia: *Angelis ſuis mandavit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis; in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* *Parum* inquit, *tibi videtur, quòd non ſit lapis offenſionis in via? conſidera quæ ſequuntur. ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Quàm neceſſarius pædagogus, imò etiam bajulus, præſertim parvulo inter hæc gradienti; in manibus inquit, portabunt te. In tuis quippe vijs cuſtodient te, & deducent parvulum, quâ poteſt parvulus ambulare. Caterùm non te patientur tentari, ſupra quàm ſuſtinere potes; ſed in manibus tollent, vt pertranſeas offendiculum. quàm facile tranſit, qui illis portatur manibus? quàm ſuaviter (juxta vulgare proverbium) natat, cujus alter ſuſtinet mentum?*

Facilè evadit periculum tentationis, quē Angelus portat manibus ſuis.

Facilè enatat è naufragio, cujus mentū tenet Angelus.

X.

Ita evaſit, ita enatavit Iuditha.

Et videamus obſecro, an non Iuditha, Hebræarum mulierum gloria, Angeli portata manibus, animæ ſuæ periculum exiverit; quando pio dolo liberatura gentem ſuam, patriamque vrbem, petulci Holofernis caſtra adijt. Hic enim poſtquam ex Iudithæ elegantiſſima venuſtate hamum per oculos induit, nihil magis laboravit, quàm vt amatæ jam fœminæ cor, ſibi etiam affigeret; vſus pro telo, lenocinijs, blanditijs, convivijs, & ejuſdem cubilis conſuetudine. Sed nempe, pudicitiam ſe ſuam conſervâſſe inviolatam, inter vngues Aſſyrij prædonis, & quidem angelico beneficio ac tutelâ, cùm redijt victrix heroina, ſic conteſtata eſt ad Bethulienſes: *vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari; ſed ſine pollutione peccati, revocavit me vobis gaudentem in victoria ſua, & in evaſione mea, & in liberatione veſtra.*

Iudith. c. 13. v. 20.

XI.

Tutelari Angelo, conſervante caſtitatem ejus inter media pericula.

Diſputant hîc, quis ille Angelus fuerit, cujus auſpicijs auxilioque, pudorem ſuum ſervaverit illibatum Iuditha; tot circumquaque invitantibus ad Venerem argumentis? Et quamquam alij inclinent ad Raphaëlem, ad Gabrielem alij, aut Michaëlem; ego tamen cum Serario exiſtimo, Cuſtodem à DEO ei aſſignatum Angelum, fuiſſe. quo ſenſu, etiam caſtitatis ſuæ propugnatorem Genium tutelarem ſe habere, olim S. Cæcilia affirmavit. Nam cùm Virgo hæc, Virginitatis ſuæ florem, jam du-

Serar. in c. 13. Iudith. ad finem.

dum

dum ex voto conſecrâſſet Numini, & nihilominus à parentibus vrgeretur ad nuptias; nocte primâ ſponſum Valerianum monuit, caveret pudori ſuo manus inferre, cujus longè fortiſſimum Cuſtodem è cœlo Angelum haberet. Hunc coram intueri cùm ille percuperet, ſuaſit impuros, ab Idolorum ſuperſtitione oculos, ſanctioris priùs baptiſmatis vndâ elueret. Eluit, & deſiderij mox compos, formoſiſſimum, multaque luce veſtitum Ephebum vidit; qui ſerto nobili vtrumque coronavit, ſponſam ſcilicet cum ſponſo, miroque precantes odore perfudit. Et fecit hic odor, aſpectuſque Angeli, poſt Chriſtum currere etiam Tiburtium Valeriani germanum; neque finem currendi priùs fecit par nobile fratrum, quàm cùm in meta glorioſi ſteterunt martyrij. Quos ſecuta eſt Cæcilia, tribuſque acceptis in collo vulneribus, velut totidem monilibus ornata, eò feliciùs occubuit, quòd tumulum intraret & Martyr, & Virgo. Sed nempe beneficium hoc poſtremum conſecuta eſt Cuſtodis ſuis Genij, ſingulari tutelâ ac defenſione, ratione pari cum Iuditha: vtraque enim Angelicis portata manibus, offendiculum evaſit, periculum inquam illicitæ ſibi Veneris; vtraque ambulavit ſuper aſpidem & baſiliſcum, dœmonem; vtraque conculcavit leonem & draconem: Cæcilia tyrannum, Iuditha Holofernum; vtrique ſtetit victoria, cum diſcrimine tamen; nam Cęcilia accepto ictu à Tyranno, eundem triumphavit; Iuditha vero inflicto vulnere, & reſecto Holofernis capite, Aſſyrios cum Duce ſuo vicit.

Affirmavit quoq; S. Cęcilia, ſe integritatis ſuæ ac virginitatis, propugnatorem habere cœleſtem Genium.

Quo viſo, ſponſus Virginis Valerianus, cum fratre Tiburtio, ad Chriſtiana ſacra converſus eſt.

XII. Redeo ad Divum Bernardum, cujus hæc eſt de Cuſtode Genio ad Lectorem adhortatio. *Quoties ergo graviſſima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca Cuſtodem tuum, Doctorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione: inclama eum, & dic: Domine ſalva nos, perimus. Non dormit neque dormitat (etſi ad tempus quandoq; diſſimulet) ne fortè periculoſiùs ab illius te manibus ipſe præcipites, ſi te eis ignoraveris ſuſtentatum; ſpirituales enim ſunt manus iſtæ, & auxilia vtique ſpiritualia, quæ ſingulis electorum, pro cujuſque diſcriminis modo, & objectæ difficultatis, tanquam lapideæ molis quantitate, ab his qui ſibi deputati ſunt Angelis, ſpiritualiter & multipliciter exhibentur.* Itaque Angeli tutelaris in clientem ſuum frequens officium eſt; et malas peccandi occaſiones intercidere, & illecebras vo-

S. Bern. loco ſupra cit.

Ab homine in neceſſitate, invocãdus eſt Angelus cuſtos, tanquam Doctor & Adjutor.

Digitized by Google

Inter varia Angelorũ officia, vnũ eſt, periculum ſalutis oſtendere clienti.

luptatum amaro felle aſpergere; jam arcere extrinſecùs advenientia Sathanæ tentamenta; jam robur addere luctanti adversùs ſtygem; modò colluſtrare mentem veritatis luce; modò tenebras fugare errantis ignorantiæ; tum deinde voluntatis affectum flectere ad pietatem, abſtrahere à vitijs; proponere & piorum merita, & impiorum ſupplicia. Denique, ſi quod eſt periculum ſalutis, ob oculos ſiſtere.

XIII. *Surius in Vita S. Landelini, ad 15. Iunij.*

In quam rem pulchrè facit Landelini hiſtoria. Hic è prima Gallorum nobilitate, atque à puero inter literarum & pietatis ſtudia educatus, dum aures vocanti DEO claudit, aperit avocantibus; dum amicis eſſe amicus ad aram ſtudet, pene ad inferos ivit. Certè, quem inter religioſorum hominum cohortes, militare cognati noluerunt, inter publicos prædonum manipulos, mereri viderunt. Sed quantum cuſtodi Angelo debuerit, audiamus. Diripiendis cujuſdam ædibus, nox erat indicta à Landelino. Sed fortior mors, Landelini familiam prior diripuit; Socium, quem in paucis charum habebat, ſubitò auferendo. Ob id triſtiori, in ſomnis bonus Genius adſtitit, & malum Sodalem à pejoribus Genijs, ad inferorum flammas abripi monſtrans: heus ajebat, an & nunc, ſocius hujus eris? enimverò non placuit jam Theſeum eſſe, Pirithoo ad Orcum abeunte. Damnat proinde vitam priſtinam; ter ſupplex ad DD. Apoſtolorum it limina, & poſt extructa compluria Cœnobia, Magnæque Matri templum; poſt edita ſæpius miracula, ſub annum Chriſti DCL. cilicio incubans & cineri, ſanctè emoritur. Itaque dum Angelus Landelino periculum ſalutis oſtendit, eidem eripuit.

Ita Landelinus, monſtrato ſibi ab Angelo, damnationis ſuæ periculo, ſcelera poſuit, ſanctitaté amplexus eſt.

XIV. *Iob. c. 33. 23.*

Quid verò dicam, de pia tutelaris Genij interceſſione, pro impio cliente apud DEVM? Hic ego illud Scripturæ allego: *ſi fuerit pro eo Angelus loquens, vnus de millibus, miſerebitur ejus.* Quæ verba olim Eliu, amicus Iobi locutus fuerat; nimirum futurum, vt ſi quis ex Angelicis ſpiritibus, pro illo DEVM oraverit, facilè ad miſericordiam flectat, & Jobum velut mortis ereptum faucibus, ad florentem, primamque ætatis prioris fortunam reſtituat. Ex quo loco, communis hominum ſenſus eſt enatus, Angelos bonos de eorundem ſalute, non tantùm ſollicitos eſſe, ſed verò etjam laborare precibus apud Numen, eam vt ſuis clientibus impetrent. Huc referri poſſunt iſta ſancti Auguſtini: *diligunt nempe concives ſuos* (Angeli) *per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras reſtaurari expectant.*

Interceſſio vnius Angeli pro homine, quantum poſſit?

Sanctius in Iob. c. 33. v. 23. nu. 28.

expectant. ideoq́, magnâ curâ, & vigilanti ſtudio adſunt nobis: omnibus horu & locis ſuccurrentes, & providentes neceſſitatibus noſtris, & ſolliciti diſcurrentes inter nos & te Domine; gemitus noſtros atq́, ſuſpiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem. S. Aug. Soliloq. c. 27.

XV. Neque mirum eſt, cœleſtes Genios quâ precibus, quâ mille alijs modis ſatagere, pro æterna hominum incolumitate, quando pro eorundem temporali, adeò ſtrenuè laborant. Certè, quo tempore Numen iratum, ſuper Gomorrham & Sodomam, igneum, ſulphureumque imbrem depluit; id vnum & curæ & cordi habuerunt boni Angeli, vt Loth, integerrimæ ſanctitatis virum, cum ſua familia, incendio fatali eximerent. Peccaverat olim Iſmael puer, Iſaacum tractando aſperiùs; & ecce mater ſimul, filiuſque luere debuit puerilem inſolentiam: nam Abrahami domo ejecta Agar parens, ſolitudinem vix ingreſſa eſt cum Iſmaele parvulo, quando hic cœpit extremam pati ſitim, & perire inediâ aquæ. Sed areſcente jam filio, tabeſcenti matri Angelus puteum monſtravit, cujus aqua abeuntem tum animam, vtrique revocavit. Ab Iſmaele ad Iſaac gradum facio, qui tametſi ſpes foret ingentis poſteritatis, ſub gladium tamen venit patris ſui, futurus Deo victima, breve Abrahamo gaudium. Iamque ſupra lignorum ſtruem, operiebatur à paterna manu feralem ictum obedientiſſima proles: & hem! Angelica mens cœlo delapſa, euntis in collum innoxium, letalis ferri impetum cohibuit; docuitque & Abrahamum ſanguini ſuo parcere, & Iſaacum Dei beneficium agnoſcere.

Laborat Angelus quidam pro ſervando Loth cum ſuis, ab incendio. *Gen.* 19.

Alius proſpiciendo Iſmaeli, jā areſcenti præ ſiti. *Gen.* 21.

Alius liberando Iſaaco, de gladio paterno. *Gen.* 22.

XVI. Quid de Raphaele memorabo, Tobiæ fidiſſimo Achate? Comes hic ei fuit longo itinere, & comes bonus; an potiùs vehiculum in via? ſanè duxit & reduxit ſalvum,

Per varios caſus, & tot diſcrimina rerum. *Virgil.* 1. *Aeneid.*

Nam quo tempore, immanis cum cetus invaſit, ſedentem ad littora Tigris fluvij; Raphaël effecit, vt manum trahentis Tobiæ ſequeretur beſtia, atque exporrecta in gramine, domitori ſuo porrigeret herbam. Cùm verò etiam periculum eſſet ab Aſmodæo ſpiritu, ne Tobiam, Saræ Raguelis filiæ deſponſatum, nocte primâ nuptiarum, eâ crudelitate tolleret è medio, quâ ſuſtulit ſeptem alios, ejuſdem ſponſos; Raphael Angelus & pijs inſtructionibus, & fideli patrocinio ſolertiſſimè cavit. Meminit etiam Daniel Vates, memorabile Angeli cujuſdam facinus. Cùm enim tres è Judæa Juvenes, Regio Nabuchodonoſoris mandato, in fornacem ideo iniecti eſſent,

Tobiæ 6.

Alius eripiendo Tobiam ceto, & Aſmodæo diabolo.

Digitized by Google

Alius fovendo tres pueros in fornace.
Daniel. 3. 2. 5. 49. & 50.

quòd nollent auream ſtatuam aut præferre, aut æquiparare vero Deo; *Angelus Domini deſcendit in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem; & non tetigit eos omnino ignis, neq; contriſtavit, nec quidquam moleſtia intulit.*

XVII.

Alius Danielé protegendo inter leones.

Sed & Daniel ipſe, á malevolis apud Babiloniæ Regem, poſtulatus ad beſtias, ire debuit in lacum leonum; & quoniam belluis ſubtracta tum fuit eſca quotidiana, nemo dubitavit, ad ſtimulum longæ atque inſolitæ famis, Danielem proximâ nocte ceſſurum in cœnulam feris. Neque aliud Rex ſuſpicabatur; qui tametſi probè intelligeret, nullam præter innocentiæ culpam in Daniele, ab invidis prætexi, potuiſſe impietati ſuæ, tamen furori cedere voluit. præſtolabatur interim, ex commiſeratione erga inſontem ſollicitus, primæ noctis, quæ Danielem captivum inter leones habuit, eventum. Sic enim ſcriptura loquitur. *Rex primo diluculo conſurgens, feſtinus ad lacum leonum perrexit; appropinquansq; lacui, Danielem voce lachrymabili inclamavit, & affatus eſt eum: Daniel ſerve Dei viventis, Deus tuus, cui tu ſervis ſemper, putasné valuis te liberare à leonibus? Et Daniel Regi reſpondens ait: Rex in æternum vive; Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo juſtitia inventa eſt in me: ſed & coram te Rex, delictum non feci.*

Dan. 6. 9. 19.

XVIII.

Quantò magis ſatagent Angeli pro averruncandis hominum ſpiritualibus, æterniſq; damnis?

Ex his & ſimilibus argumentis rectè arguitur: ſi tam officioſi ſunt cœleſtes Angeli, ad temporalia hominum promovenda commoda; nequaquam ſegnes erunt in procurando bonorum maximo, æterna ſalute, Clientibus ſuis. Itaque tunc præſertim credibile eſt, eos ſtudioſiſſimè adlaborare, quando vident curæ ſuæ commiſſos, à morte compellari de æternitate adeunda, ſimulque ab Orco vndique impedimenta obijci, ne reconciliati Deo ſuo, hinc abeant: tum enimverò primus cuſtodis Genij conatus eſt, morientis animum erigere ad divina, à terrenis abſtrahere vanitatibus deſiderium, patratorum ſcelerum obijcere deteſtationem, firmare voluntatem ad meliora; denique hoc vnum agere, vt per arcana ſacramentorum myſteria, ſi quâ parte læſa eſt Numinis amicitia, eandem reſtituant in integrum. Et quoniam, cùm ſumma rei vertitur, tam induſtrios ſe exhibent tutelares Angeli; meritò fulcra dici poſſunt cujuſque impij, qui in tempus mortis pœnitentiam ſeram diſtulit. Satis eſt ſecura fiducia, quæ tum innititur Angelicæ cuſtodiæ & pietati, vt iterum cuſtos Genius (quem S. Bernardus *pediſſequum animæ* vocat) rectiſſimè dici poſſit, magni peccatoris ſuccollator.

S. Bern. ſerm. 31. *in Cant.*

Sed

Sed nunc obviam eundum eſt, ſpecioſis eorum argumentis, quibus ſe communiunt non pauci, ad longam continuandæ impietatis audaciam; ex occaſione ejus pietatis, quæ tutelari Angelo, velut ingenita eſt erga Clientem ſuum, in ſalutis diſcrimine juvandum. Quod ego, tametſi non negavero; ajo tamen fieri aliquando poſſe, imò & ſolere, vt ſtudium auxiliandi in languorem abeat; evictâ Angeli pietate ac patientiâ, per temeritatem obluctantis ſibi perpetuò clientis. Quo tempore Deus Iſraëliticam gentem, in terram dudum promiſſam introducturus erat, Ducem itineris Angelum adjunxit, cum hac proteſtatione. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paravi. obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaveris, eſt enim nomen meum in illo.* Quaſi dicat DEVS, quia Angelus ille meam refert perſonam, divinamque authoritatem, & quidquid mandaturus eſt, ex nomine meo mandabit; hinc nequaquam per inobedientiæ vitium, aut animi refractarij culpam, provocandus eſt ad amaritudinem; niſi vindicem cupiatis ſentire, pietatis irritatæ. XIX.

Aliquando tamē continuata cliētis impietas; facit auxilium angelicum elangueſcere.

Exod. 23. à v. 20.

Idem ajo de Angelo, quem Deus cuique aſſignat, non ducem tantùm ad cœlos, ſed etiam fidum cuſtodem, dum ſimul iter agunt per hujus mortalitatis deſerta; obſervandus nimirum eſt à cliente, tanquam divinæ voluntatis interpres; quiſquis pia ejus monita temere ſpreverit, conſilia ſana inſanis diu riſibus exploſerit, divina ſæpe atque impudenter excuſſerit imperia; impunè non abibit, habebit ipſum tutelarem Genium improbitatis ſuæ vltorem. Scire voles, quis denique modus ſit, quo Cuſtos Angelus plectere ſoleat hominis ſibi commiſſi projectam in ſcelera temeritatem? dico potiſſimùm cōſiſtere in ſubtractione majoris benevolentiæ, quâ complexus eſſet clientem ſuum, niſi indignum ſe feciſſet. Planè ſicut DEVS, continuis criminibus, provocatus ad iram, juſtiſſimæ titulo vindictæ, negat audaculo peccatori vberioris gratiæ ſuæ auxilia, ſubſidiaque. Fit igitur ex hoc capite, vt offenſus quandoq; Angelus tutelaris, longâ ac protervâ cliētis ſui impietate, quas pro eo fūdere ſolebat, ad propitiandū Deū preces, intermittat. XX.

Ita vt tutelaris Genius, minuat benevolētiæ ſtudiū, in pœnam impio.

XXI.

Accipio hujus rei ſimilitudinem ex immani Judæorum peccato, quando in Chriſtum, Dei Filium, manus intulerunt violentas; ipſamque humani generis Vitam, ex ligno Crucis ſuſpenſam, miſerunt in funeſtam mortem. Super quo facinore, Hieroſolymæ patrato, hęc ſcribit Origenes. *Angeli, qui ſemper auxiliabantur ei deſe*

Fecerunt hoc Angeli cum Ieroſolyma, poſtquam Chriſtum in Crucem ſuſpendit.

Orig. hom. 10. in Ierem. *deſeruerunt eam, & dixerunt: multis facinoribus oppreſſa eſt; JESVM interfecit, & in Dominum noſtrum miſit manus. quamdiu minora peccavit, potuimus rogare pro ea, potuimus obſecrare Dominum, potuimus parcere ei. ſuper iſta quis parcat? ſi peccaverit vir in virum, exorabitur pro eo: ſi autem peccaverit in Deum, quis orabit pro eo?* Itaque nullus dubito, ſolere aliquando humanam eò vſque excreſcere malitiam, vt ſive propter enormitatē culparum, ſive propter diuturnam ſceleris conſuetudinem, ad indignationem provocati Cuſtodes Angeli, ſubtrahant clientibus ſuis, & calidiora ad Deum ſuffragia, & frequentiora intercedendi ſtudia, & profuſiora opitulandi officia; imò & ſe ipſos quaſi. Confirmat hæc ſuo calculo D. Auguſtinus, in hunc ſenſum de Angelis diſputans. *Grandis eſt eis cura de nobis, magnus eſt affectus dilectionis eorum erga nos, & hoc totum propter honorem (ô Deus) tua inæſtimabilis charitatis, quia dilexiſti nos. diligunt enim quos tu diligis, cuſtodiunt quos tu cuſtodis, & deſerunt quos tu deſeris; nec diligunt operantes iniquitatem, quoniam & tu odiſti omnes operantes iniquitatem, & perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

S. Auguſt. in ſoliloq. c. 27.

Quos Deus deſerit homines, deſerunt & Angeli.

XXII. Inter prodigia, quæ excidium Jeroſolymæ anteibant, futurum ſub Tito ac Veſpaſiano, Romanis Imperatoribus; puta Cometem, integro anno vrbi imminentem; agnellum à bove effuſum in medio fani; armatas acies nubibus ſuſpenſas; etiam à ſacerdotibus in templo hæc vox ſæpius clarè excepta eſt; *migremus hinc.* quia verò tum nemo clamantium viſus eſt, creditur vox fuiſſe Angelorum, migrare volentium, & præſidio ſuo deſtituere illud templum, quod ſimul cum Ieroſolyma civitate, propter graviſſimas incolarum culpas, paulò pòſt in cineres iturum erat. Itaque parem Jeroſolyma condemnationem habuit cum Babylone, de qua jam olim conclamavit ſanctiſſima Trias; *curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Et quid dubitamus? idem verbum hodieque non rarò ambulat, exhortantium ſe invicem tutelarium Geniorum, *migremus hinc*: nempe, quando graves ipſis ſunt clientes ſui, quando ſæpe ingrati, quando refractarij continuò, aut ſurdi ad pia monita, aut aſperi ad correctionem, aut pigri ad ſequelam. Faſtidire tum enimverò incipiunt clientelam tam improbam, & deſerere volunt ſibi commiſſos, & abire, & migrare; ſaltem languidiùs agere, frigidiùs protegere, parciùs opitulari, lentiùs extimulare, rariùs illuſtrare, quàm feciſſent ſi morigeros, & ad nutum ſuum faciles, habuiſſent diſcipulos.

Ioſeph. de bello Iud. lib. 7. c. 12.

Migrabant olim ab Ieroſolyma & ejus tēplo, Angeli.

Ierem. 51. 9.

Migrant etiam hodie à Clientibus ingratis, refractarijs, impœnitentibus.

XXIII. Quantùm Cuſtodes Angeli offendantur grandibus eorum hominum

minum criminibus, quos ſemel in ſuam curam acceperunt: egregiè oſtendit Angelicus vir B. Petrus Damiani, cùm in hæc verba ſcribit. *Deputat DEUS Virtutes Angelicas humanæ cuſtodiæ, & infelix homo relictâ munditiâ, & puritate virtutum, ſqualoribus ſe polluit ac ſordibus vitiorum. Nam cùm in exhalantis, ac cænoſæ luxuriæ fœtore provolvitur; cùm vermeſcentis avaritiæ ſordibus inquinatur; cùm deniq; ad inſtar Ægyptiorum fluminum, homicidialis anima, in odij ſanguinem vertitur; poſtremò cùm velut in cloacam ſtercorum corruens, multiplicis nequitiæ fæcibus involuta fœdatur; hunc Angelus fœtorem & inhoneſtam purulentiæ nauſeam, invitus ſatis, & graviter tolerat; etſi cæleſtis imperij lege conſtrictus, obedientiam non mittat. In Angelorum quippe conſpectu nil horridum, nil ſordidum, nil fœtet obſcænum, niſi vitium & peccatum; & ſic noſtri reatûs exhorrent & abominantur illuviem, ſicut homo compellitur ad exhalantis latrinæ, ſcreare fœtorem. Vnde quotidie ante tribunal æterni Judicis, de commiſſi ſui pravitate conqueritur; & quia gravem ferat injuriam, illius obſcæna dinumerans, profitetur.*

B. Petrus Dam. Epiſtolar. lib. 1. epiſt. 2. ad Alex. II. Pontific.

Horrent Angeli peccata gravia, ſupra omnẽ ſpurcitiem.

XXIV. Rem omnem eleganti declarat ſimilitudine, deſumptâ à Principe, cui Regis filius in cuſtodiam datus, ſolâ ſpurcitie gravis eſſe incipit. *Nam* inquit, *ſi Rex potens, cuilibet de ſuis Principibus, impuberis filij velit delegare cuſtodiam: & ille poſtmodum in furorem verſus inſaniæ, ſalivis ſe fluentibus, auriumqué mucoribus oblinat, & vel in ignem ſe phreneticâ temeritate projiciat, vel certè in ſqualentis cœni volutabrum, ſordidè ſuis ſe more provoluat: nonné protinus ille depoſcat reconſignare depoſitum? Quantò magis ergo credendum eſt, quòd Angelica illa ſublimitas, & largitorem bonorum omnium DEUM, de conſpicua ſanctorum converſatione glorificat, & in eius conſpectu, perverſorum hominum ſcelera, ſubtiliter enumerando condemnat? Huc accedit, quòd in die judicij, eorum ſunt nequitiæ teſtes, qui, ſi rectè vixiſſent, eorum fierent defenſores. Hoc itaq; modo, malè agentibus vertitur in perniciem, quod rectè viventibus proviſum eſt ad ſalutem; quia ſancti Angeli, qui deputati ſunt juſtis in adjutorium, perditionis in reprobos exaggerant incrementum.*

Hinc illis exoſi ſunt, peccata amantes.

Declaratur exemplo regij filij, ſordes amantis.

XXV. Atque ex his patet, quàm ſibi malè blandiantur ij mortales, qui communem Angelorum tutelam, autumant eſſe poſſe rationabilem cauſam, protrahendæ ſemper reſipiſcentiæ ad veſperam mortis. timere debent, ne ſi interim perpetuam gravium flagitiorum exhalent mephitim, offenſi puriſſimi ſpiritus,

Digitized by Google

fœtore tam prolixæ impietatis, ſi non officium tutelæ reſignent, ſaltem remiſſiore ſtudio exequantur: ipſoque in obitu (quo tempore omnis rei cardo vertitur) minùs profuſi ſint ad auxilia non debita: quæq; ex ſingulariſſimi favoris ſui benevolentia, in obſequentes ſolent clientes partiri, magno ad ſalutem eorum emolumento. Quòd ſi tandem improbus, longâ peccandi aſſuetudine inveteratus, ſuo more, vitioq; excluſerit, quas ei moribundo bonus Genius affert, communes mentis illuſtrationes circa DEVM, æternaque; aut conſueta ſuſcipiendi doloris conſilia ſuper peccatis; vel etiam vſurpandorum piè Sacramentorum injectas cogitationes; atque ita nihil planè munitus contra Sathanam, vltimo congreſſu per propriæ culpam inertiæ, victus fuerit: experietur miſer, Angelum ſuum ex Cuſtode, tranſijſſe in graviſſimum contra ſe accuſatorem apud DEVM, ſedentem pro tribunali.

Timendũ eſt, ne Angelos ſuos fugent, qui continuam ſcelerum exhalant mephitim.

XXVI.

Quiſquis deſiderat, & nunc per omnem vitam, Genium tutelarem ſibi ſtudioſè addictum ſervare, & ſub mortis neceſſitatem loco fulcri habere, adversùs ſtygij veteratoris impetus; eo jam ipſum reverentiæ aſpiciat oculo, quo ſenex olim Abbas, ſolitus iſta de ſe enunciare. *Ego Angelum meum aſſiſtentem mihi, juxta me expecto, & cuſtodio memetipſum, quod ſcriptum eſt reminiſcens: providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear. Timeo ergo eum, vt cuſtodientem vias meas, & quotidie aſcendentem ad DEVM, & inſinuantem actus meos & verba.* Atque hic modus eſt, conciliandi benevolum Angeli affectum; eum piè obſervare, colere, timere, amare. Etiam inter homines, is ſe magis oſtendit amicum alteri, officioſumque, quem alter ſibi magis demeretur. Ita cuſtodes Genij, eos clientes frequentiùs divinis colluſtrant radijs, ſuaviuſque ac fortiùs impellunt ad virtutis ſtudium, odium peccati; quorum erga ipſos major eſt obſervatio, cultuſque.

In Vit. PP. l. 7. c. 44.

Angelum ſuum ſibi conciliare, eſt colere, timere, amare eundem.

XXVII.

Sed inquies; magiſtrâ experientiâ, etiam malè de ſe, DEOq; ſuo, meritos homines, juvit tamen pietas Angelorum; ipſaque in morte eripuit improborum aliquos ex inferis, quò per continuata totiùs vitæ ſcelera, paſſu grandi properârunt. Ita crediderim, fuiſſe aliquando pauculis talibus vice fulcri cuſtodes Genios, ne æterno ſe præcipitio involuerent morituri. Sed dum concedo pauculis hanc fortunam contigiſſe improbis, tacitè nego multis, aut omnibus eveniſſe: vt proinde tu, niſi turpiter deſipere cogites, ſalutem tuam incertæ aleæ non debeas exponere, neque

Optima ſpes ſalutis, fundatur in proprio ad Virtutem conatu.

ſub

ſub pallio Angelici præſidij, trahere in ſerum pœnitentiam. nunquam meliùs ſpes ſalutis conſequendæ fulcitur ab homine, quam proprio ejus ad Virtutem conatu.

PARAGRAPHVS XII.

Duodecimum Impiorum Fulcrum, REGINÆ ANGELORVM PIETAS. DEIPARÆQVE VIRGINIS PATROCINIVM, An perſeverantibus in ſua improbitate ſecuritatem promittat, pœnitentiæ ſub MORTEM agendæ?

EA innata eſt hominum animis pietas, vt etiam jam olim proſpectum fuerit contra vim, ſi quis ad Aſylum, ſeu tutum legibus receptum confugiſſet. Qualis apud Græcos erat quondam *Ara*, quam *miſericordiæ aram* compellabant. neminem indè abſtrahere potuit violentus lictor: & ne poſſet, inſcriptio cavit; *hæc ara tuebitur omnes*. Romulus quoque ſceleſtiſſimis quibuſve, Aſylum Romæ conſtituit; ſeu locum, vbi impietas omnis (ſi eò ſe recepiſſet auctor ſuus) extra ferrum eſſet, & vulnerum dolores, & moriendi neceſſitatem. I.

Pauſanias l.1. in attici.

Aſylũ vnũ Romulus conſtituit Romæ, cõtra vim.

S. Auguſt. l. 1. de Civit. cap. 34.

Poſtquam vero Gentilis Roma in Chriſtianam abijt, illud vetus Romuli Aſylum, translatum fuit per ſacros Pontifices, in templa jam ſanctioris vrbis; eâ conditione, vt nulli illuc confugientium trucidarentur. Numini data eſt hæc reveren- II.

Nunc tot Romæ sũt Aſyla, quot templa.

tia, ne in ſuis fanis humanum aſpiceret cruorem, inhumanæ crudelitatis exemplum. Et certè, quo tempore Alaricus Gothorum Rex, ſuæ poteſtatis Romam fecit, profuit civibus ad ſacras ædes ſe recepiſſe; etiam apud militem barbarum ac ferocem, prævaluit religio loci mentis furori; ita imperante Alarico, vt ſui manus abſtinerent ab ijs, qui apud DEVM in templo perfugium quæſiviſſent.

III. *Rodericus Tolet. lib. 2. rer. Hiſpan. c. 5.*

Etiam Alarico Gothorum Regi ſacroſancta.

Evenit autem vt Gothus tum quidam, in communi vrbis ſpolio, apud Virginem DEO ſacram, vaſa ſacra deprehenderet; cui illa; *hæc vaſa mihi de ſacrario B. Petri ſunt commiſſa, tange ſi audes?* Ille ergo tametſi audito Apoſtoli nomine, nonnihil perterrefactus eſſet, tulit nihilominus Regi ſuo munus, argenteam illam aureamque, & ſacratam ſupellectilem: ſed ab eodem juſſus eſt reponere illuc, vnde acceperat, quòd diceret Alaricus: *cum Romanis ſe bellum gerere, non cum Apoſtolis JESV Chriſti.* neque extendi jus belli ſui, aut in dicatas DEO Eccleſias, aut ſacras templorum gazas, aut ſupplices illos homines, qui apud aras Numen obteſtantur pro vita.

IV.

Neque Dominus in veteri lege, oblitus eſt gentis ſuæ: ſed vt ſibi Aſyla facerent, Hebræis mandavit; ſex nimirum vrbes juxta

Num. 35. 6.

Jordanem; quas alio nomine ſcriptura vocat *Civitates refugij.* Cùm enim lege divinâ permiſſum fuiſſet Iudæis, ob crudi pectoris duritiem, vt quocunque caſu modoque, alter alterum occidiſſet; conſanguinei ejus, qui trucidatus erat, poſſent vindictam capere de homicida, eumque ſine alia Iudicis condemnatione, quocunq; loco repperiſſent, è medio tollere; ideo DEVS juſſit ſex vrbes in Aſyla extrui, ad quas ſi perfugiſſent, qui aut caſu feciſſent cædem, & præter intentionem: vel certè ad juſtam ſui tutelam; ſecurum haberent receptum, atque extra omnem violentiæ injuriam: donec eorum causâ apud tribunal examinatâ, aut innocentes & liberi pronunciarentur, aut rei ſupplicium penderent.

Deus quoque in ſex civitatibus Refugij, totidem conſtituit Aſyla Genti Iudaicæ.

V.

Sunt alia inſuper Aſyla, quæ ſibi magno numero ſtruunt homines impij; tot nimirum, quot fulcra erigunt ſtabiliendæ ſuæ improbitati. Etiam ſcelus millies reum, millies damnandum ad rogos infernales, tamen ſibi ſecuritatem fingit, ſpondet impunitatem. Magna illa DEIparæ pietas in impios, & ſingulare apud DEVM patrocinium, ipſis pro fulcro & aſylo eſt, vt non paucis ſibi argumentis perſuadeant, quantumvis in negotio pœnitentiæ

Eſt & Deipara Impijs civitas Refugij.

Digitized by Google

nitentiæ cunctatores ſint, nihilominus ſe ſalutis ſuæ certitudinem reperturos, apud hanc *Refugij Civitatem*; ita enim Sanctus Damaſcenus compellat Virginem Mariam. Et quidem non vanam eſſe fiduciam eam, quam perditiſſimus quiſque de ſalute ſua concipit, ex capite obvij præſidij, ſubſidijque Mariani, videntur antiqui Eccleſiæ Patres manifeſtè ſenſiſſe; ego paucorum aliquot teſtimonia delibabo. *S. Damaſc. orat. 2. de obdormit. Virg.*

Et primum quidem S. Bernardus dabit, caſtiſſimus Virginis ſanctiſſimæ amator, cujus hæc eſt vox: *Vocatur Regina miſericordiæ, quòd divinæ pietatis aſylum, cui vult, & quod vult, & quomodo vult, creditur aperire; vt quivis enormis peccator non pereat, cui ſancta ſanctorum, patrocinij ſui ſuffragia præſtat.* Quin etiam Eutychianus, vir ante mille ab hinc annos ſanctimoniâ ſuâ celebris, Dei Genitricem in hæc verba ſupplicabundus compellat. *O Domina, defenſio generis humani, portus & protectio eorum, qui ad te confugiunt! quis vnquam hominum tuam fideliter rogavit opem, & fuit vnquam derelictus? reverà nullus vnquam.* Pluribus encomijs, caſtiſſimam Virginem extollit Beatus Ephrem, in hunc modum: *Tu es ſpes deſperantium, corona Sanctorum, Domina Apoſtolorum, liber afflictorum, ſalus & vita omnium hominum, gloria theſauri cœleſtis, miraculum creaturarum, ſponſa Spiritûs ſancti, mater talis Filij, qui per tuas manus, merita ſui ſanguinis elargitur.* VI. *S. Bern. ſerm. 5 ſuper Salve Regina.* Et pietatis aſylum. *Eutychian. in Vita Theophili.* *B. Ephrem orat. de laud. B. M. Virginis.*

Atque vt videamus, quantum poſſit Dei Mater, cum Filio ſuo, apud Patrem æternum pro cliente, impio homine; ita eum animat Arnoldus, devotiſſimus Numini Abbas. *Securum acceſſum homo jam habet ad Deum, vbi mediatorem ſuæ cauſæ, Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Chriſtus Patri oſtendit latus & vulnera: Mater Chriſto pectus & vbera; nec poteſt eſſe repulſa, vbi concurrunt & orant omni linguâ diſertiùs, hæc clementiæ monimenta, & charitatis inſignia: quando videlicet petitur, vt ſanguis Chriſti, & lac Matris, pro noſtra cauſa loquantur.* Nemo ſanè caſtiùs vnquam dixerit pro gravi peccatore quàm virgineum lac Mariæ, Virginis inter mortales omnes caſtiſſimæ; nemo calidiùs vnquam pro cauſa flagitioſorum peroraverit, quàm ſanguis Chriſti, ab amoris ſui igne bulliens. Quid ergo mirum, ſi Deus Pater tam potentibus, tam & diſertis oratoribus annuat? VII. *Abbas Arnold. tract. de laud. Mariæ.* Chriſti latus & vulnera, Mariæ pectus & vbera, apud Deũ Patrem sũt quaſi omnipotentia.

Sed quoniam fieri poteſt, vt Servator etiam humani generis, alienum ab eo gerat animum, cujus frequentiori ſcelere exaſperatus eſt ad vindictam: nihilominus Dei Genitrix tantæ eſt eloquentiæ, vt facilè reſtituat in gratiam Filij ſui, exoſum peccatorem. VIII.

Idiota in contempl. B. V. Idiotam hîc audi, verè non Idiotam, ſed doctiſſimum ſcriptorem. *tanta* inquit, *eſt Mariæ miſericordia, vt ab ea nemo repellatur. Ipſa eſt advocata noſtra apud Filium, ſicut Filius apud Patrem; immò apud Patrem & Filium procurat negotia, & petitiones noſtras. & ſæpe quos Juſtitia Filij damnare poteſt, Matris Miſericordia liberat; quia theſaurus Domini eſt, & theſauraria gratiarum ejus.* Denique S. Laurentius Juſtinianus, Venetorum Patriarcha, daturus impio guſtum B. Virginis, ſimul & ſpem ad eandem excitaturus deſperato, ita ſcribit. *Ipſa eſt ſcala paradiſi, porta aurea cœli, patrona mundi, fuga dæmonum, terror inferni, ſpes peccatorum, ſtella propitia navigantium, conſolatrix fluctuantium inter mortem & vitam, confidentia perturbatorum: vera deniq; mediatrix inter Deum & hominem.*

Et ſæpe quos Juſtitia Filij damnare poteſt, Matris Miſericordia liberat.

B. Laurentius Iuſtin. ſerm. de Ann.

IX. Qualis olim fuit Eſther, inter Aſuerum Regem & populum Hebræum; quando jam tumido Ammani decretum erat, occultâ machinatione omnem Judæorum gentem perdere, & propter Mardochæi conſtantiam potiùs religioſam, quàm capitale delictum, capita omnia, ex Abrahami nata poſteritate, totis Aſueri provincijs tollere. Eam rem cùm Eſther intellexit, viditque extremam ſuæ nationi fortunam, ſupremaque fata imminere; vt ab inſontibus tam grande periculum amoliretur, Regem ipſum adijt; poſtulatura à conjuge Aſuero gratiam innocentię alienæ, liceret nihil malè meritis, jugulum cultro ſubducere. Cumque has preces ſecum adhuc meditabunda coqueret, viſus eſt Rex præcipere aliquid animo, quod Eſther volvebat: *& quæ,* inquit, *eſt petitio tua, vt detur tibi? & quid vis fieri? etiamſi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.* Tum illa animoſior facta, & regiâ benevolentiâ, & tam liberali pollicitatione, ita Aſuero reſpondit: *ſi inveni gratiam in oculis tuis ô Rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obſecro; traditi enim ſumus ego & populus meus, vt conteramur, jugulemur, & pereamus.*

Eſther Regina, deprecans apud Aſuerum Regẽ pro populo Hebræo:

Eſther c. 7. 2.

X. Nempe ſicut inter alios homines, ejuſdem ſanguinis conjunctio, & communis patriæ ſocietas, affectum concitat amoris; ita eum diſſimulare non potuit Eſther, erga populares ſuos & contribules Judæos; periculum illorum ſibi commune æſtimabat, totieſque credebat ſe morituram, quoties ſuorum aliquis occubuiſſet: diviſâ jam animâ ſuâ, in omnium eorum corpora. Itaque rogat Aſuerum Eſther, valde ſollicitâ prece: *ſi inveni gratiam in oculis tuis ô Rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obſecro.* Neq; difficile hoc fuit impetrare, dicente de Eſther ſcripturâ:

Eumq; eximens ab inſidijs Ammanis:

râ: *adamavit eam Rex, pluſquàm omnes mulieres, habuitq́; gratiam & miſericordiam coram eo, ſuper omnes mulieres.* Atq; hæc cauſa fuit, cur ſervatâ Hebræorum gente, improbum conſilium in caput auctoris ſui Ammanis, ſit detortum: qui tandem infamis è patibulo litera factus, exemplo ſuo docuit ſpectatores, nunquam impunè ab invidia cudi inſontibus fabã, ſemperq; cũ periculo alienę illudi innocentię. *Eſther. 2. 17.*

XI. Sed nunc gradiamur ab vmbra ad corpus, à figura ad veritatem, ad prototypon ab exemplari imagine, Virginem ajo Mariam; quæ tametſi generatim omnes amet mortales, vtpote filij ſui morte temporali, redemptos ab æterna: erga illos tamen ſingulariùs afficitur homines, à quibus ſibi frequentiùs videt deferri pia ſtudioſi cultûs obſequia. hi deniq; ſunt populus ejus & anima ejus, ſi non tota, ſaltem dimidiata; certè charior portio. Quando igitur Deipara, his talibus devotis ſibi ſervulis advertit periculum imminere, & quidem periculoſiſſimũ illud ſalutis æternæ periculum; jamq; videt ſtygium hoſtẽ, per non ſuſpectas blandorũ ſcelerũ inſidias, exitium incautis ſempiternum machinari, mox illa ſupplicis habitu geſtuq́;, ante Deum velut proſtrata, ſic orat: *ſi inveni gratiam in oculis tuis ô Rex* (Deus meus) *dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obſecro*; ſervos inquam meos, cultores meos, dimidium quaſi animæ meæ. noli permittere vt mihi fraudi ſit cacodæmon, meamque gentem eâdem ſecum damnatione, ijſdem inferorũ ignibus involvat. quòd ſi nunc clientes meos implicuit flagitiorum reti, tu laqueos & nodos ſolve, vt aſſerti in libertatem filiorum tuorum, æternis olim inter beatos laudibus celebrent bonitatem tuam, dignam encomijs materiam. ita te rogo ô divina Majeſtas, admitte has preces, *ſi inveni gratiam in oculis tuis.*

Imago eſt B. Virginis, ſupplicantis pro ſalute Chriſtiani populi:

XII. Neq; aliud reponit Matri ſuæ Dei Filius, quàm illud pulchrum Angeli Raphaëlis ſolatium: *ne timeas Maria, inveniſti gratiam apud Deum.* Certè auſim affirmare, longè perfectiùs, veriuſq; dici de glorioſa Virgine, & ſupremo Numine, quàm olim de Aſuero & Eſther: *adamavit eam Rex, plus quàm omnes mulieres, habuitq́; gratiam & miſericordiam coram eo, ſuper omnes mulieres.* vt ferè vnica jam hæc ſit interrogatio Chriſti ex Genitrice ſua: *quæ eſt petitio tua, vt detur tibi? quid vis fieri? etiamſi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.* multò magis, ſi miſericordiam rogaveris pro miſeris & indigentibus, quales ſunt multùm ſcelerati, turpique vitiorum gravium cœno immerſi homines; genus mortalium, ſi vllum aliud, planè miſerum, & miſerabile. Denique magnus DEVS, qui olim *Lucæ 1. 31.*

Et filium ſuum feliciter pro miſericordia exorſatis.

olim majeſtate ſuâ verendus erat & tremendus orbi, exhibitis velut quotidie, rigidiſſimæ vindictæ exemplis, jam per vocem vnius fœminæ flectitur ad clementiam, ſed Matris ſuæ Virginis; poſtquam in eam ingreſſus, humanam carnem, nobiſque omnibus communem induit mortalitatem.

XIII. Et quidem D. Antoninus, Florentinorum Pontifex, eleganter hoc omne myſterium, explicat per ſolis curſum. Hic enim, quando Zodiacum pervagatus, intrat ſignum Leonis, maximè quaſi accenditur: ſimulque & mortalibus, & animantibus intemperantiâ caloris ſui, quàm plurimùm officit. cùm verò idem ſol, Virginis ſignum ingreditur, jam mitigatur æſtus, & radij clementiùs ardent. Ita inquit Sanctus Antoninus: quondam in veteri teſtamento Sol Juſtitiæ Deus, ferè continuò hærebat in ſigno leonis, ſeverus peccantium vltor, totuſque igneus. Experti ſunt fœdi Pentapoleos incolæ, quos irati Numinis flamma, pene conſumpſit priùs in flagitio, quàm adverterent ſe peti. Experti ſunt Hebræi illi, quibus ingentem cladem, ſtragemque fecit ignis in deſerto, poſtquàm auſi ſunt Moyſi, tum ſuo Magiſtratui, protervè reluctari. Et illi, quibus in ſimili pervicacia, igniti ſerpentes per eremum carnifices fuerunt. Et alteri, quorum Deus audaciam punivit flammis, volentium Eliam Vatem, per vim Achabo Regi ſiſtere captivum. Sanè in lege antiqua, quod Jovi in manum tribuunt Poëtæ fulmen, frequenter in impios torſit Numinis ſeveritas, vltura indies velut hoſtium ſuorum injurias.

S. Anton. p.4. tit.15. cap. 21.

Olim in veteri lege, Sol Juſtitiæ Deus, ferè hærebat in ſigno leonis, ſeverus vltor ſcelerum.

XIV. Sed poſtquam Deus, Sol Juſtitiæ, ſignum Virginis intravit; ſeu potiùs in Virginis Mariæ caſtiſſimo vtero, dignatus eſt homo fieri: eodem tunc quaſi momento, cœpit mitigari Numinis ira; & totus rigor, tam gravis mortalium generi, tranſire in manſuetudinem. Cujus iterum ſimilitudinem nobis aliquam præfert, potentiſſimus Regum Aſuerus; qui qualis compareret, cùm alios ad ſecretam communiter admitteret audientiam, teſtatur Scriptura in hunc modum: *reſidebat ſuper ſolium Regni ſui, indutus veſtibus regijs, auroq́; fulgens, & pretioſis lapidibus, eratq́; terribilis aſpectu.* nimirum per frontis rugas, & adducta ſupercilia, & fulminantes oculos, majeſtati ſuæ conciliare voluit authoritatem, terrore plenam. Contigit ergo, vt eo ſemel habitu vultuque, Eſther offenderet Aſuerum pro tribunali ſedentem, moxque *Regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinavit caput*, vt refert ſacra pagina. Sed quantùm ſtatim à ſe ipſo mutatus fuerit Aſuerus, ad præſen-

Poſtquam per incarnationem intravit in Virginem Mariam, ſimul trãſijt in manſuetudinem.

Eſther 15. v.9. & 10.

ſentiam amabilis Eſther, conjugis ſuæ, ita ſacer textus proſequitur. *Convertit* DEVS *ſpiritum Regis in manſuetudinem, & feſtinus ac metuens exilivit de ſolio, & ſuſtentans eam vlnis ſuis, donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: quid habes Eſther? ego ſum frater tuus, noli metuere.* *Eſther 15. v. 11. & 12.*

XV. Itaque etiam DEVS in veteri lege, multùm terrificus ſpirabat minas cœdeſq; in refractarios legis ſuæ mortales: ſemper tum quaſi Majeſtatem Numinis, humana exhorruit natura: & ferè continuò ante divinam potentiam, mortalis infirmitas expalluit in deliquium. Donec tandem Virgo Maria, concepto intra viſcera ſua DEI filio, ſtitit ſe ante eundem: ſtatimque hic, convertit ſpiritum ſuum in manſuetudinem, cum blanda interrogatione: *quid habes Eſther? ego ſum Frater tuus, noli metuere.* ſeu potiùs; quid petis Maria? ego ſum Filius tuus, quia ex te natus; quid jubes fieri ô Mater? nihil negabit tibi pietas mea, nihil patris mei liberalitas, vtrique gratioſa es. & rectè Angelus te meus ſalutavit, cùm dixit: *Ave gratiâ plena.* Neq; ferè jam aliquid negare poteſt Matri ſuæ, quam Angelus dixit eſſe GRATIA PLENAM.

XVI. Timantes, inter nobiles pictores aut primus, aut primis proximus, quemadmodum Plinius meminit, vt magnitudinem Cyclopis in parva objectum tabula oſtenderet, Satyros adjunxit, qui pollicis ejus molem admirabundi metiebantur, cum hac epigraphe; *in Timantis operibus plus ſemper intelligitur, quàm exprimitur.* Sic res habet, in magno illo ac prodigioſo opere divinæ omnipotentiæ, Deipara inquam; plus intelligi debet, quàm expreſſit Angelus, cùm eam ſalutaturus, vocavit *gratiâ plenam.* Neque enim ſibi tantùm fuit *gratiâ plena*, ſed alijs quoque hominibus: ad impetrandos nimirum DEI favores, culparum veniam, condonationem ſcelerum; illis præſertim, quos ſibi devotos animadvertit, & ſingulari pietatis cultu affectos; vt vel hinc habeant ſuæ ſalutis aliquam aut certitudinem, aut probabilem conjecturam, quotquot (etiam impij) peculiari cum veneratione, ſibi DEI matrem demerentur; futuram indubiè inter ipſos olim, & filium ſuum, patremq; cœleſtem, fidiſſimam mediatricem; nec permiſſuram, vt eos ſibi dœmon in prædam rapiat, à quibus illa multis precibus in patrocinium invocata fuit.

Plin. l. 25. c. 11. In quibus verbis plus intelligitur, quam exprimitur, ſicut in Timantis pictura.

Neq; ſibi ſolùm DEI Mater fuit gratiâ plena, ſed alijs quoque.

XVII. Et confirmat hanc piam opinionem S. Damaſcenus, cujus iſta eſt oratio ad Mariam Virginem. *Spem tuam habens ô Deipara, ſervabor; defenſionem tuam poſſidens, non timebo; perſequar inimicos meos, & in fugam vertam, te ſolùm habens vt thoracem, prote-* *S. Damaſc. in Annunciat. Dei Gen.*

 ctionem

Digitized by Google

ctionem tuam, & præſens auxilium tuum. Nam devotum tibi eſſe arrha eſt quædam ſalutis, quam DEVS ijs dat, quos vult ſalvos fieri. Neque ab hoc propoſito abludit P. Binetus è Societate noſtra, in libello quem Teſſeram ſalutis inſcripſit; vbi compluribus argumentis ex Scriptura, Patribus, rationeque deſumptis, præclarè oſtendit, cultum ac devotionem erga Deiparam Virginem, eſſe vnam ex notis inſignioribus prædeſtinationis. Et ne dubium alicui eſſe poſſit, ipſa veriſſima Veritas, Pater æternus, teſte Bloſio, Abbate religioſiſſimo, ſanctæ cuidam Virgini Catharinæ, in hæc aliquando verba enunciavit. *Mariæ, vnigeniti filij mei glorioſæ Genitrici, à bonitate mea conceſſum eſt, propter incarnati Verbi reverentiam, vt quicunq; (etiam peccator) ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à dæmone infernali.*

Devotio erga Mariã Dei genitricem; eſt arrha quædã ſalutis.

Bloſius in Monili ſpirit. cap. 1.

Propter incarnati Verbi reverentiam.

XVIII. Sed intelligere aliquis cupit, quanta denique oporteat eſſe opera, facienda in honorem Deiparæ, ex quibus pius glorioſæ Virginis cultor, indicium prædeſtinationis ſuæ poſſit accipere? an neceſſe ſit vulnus facere marſupio, & largas egenti dare eleemoſinas? aut ſuſcipere difficiles ad Divorum templa peregrinationes? aut corpuſculum multiplici inediâ emaciare? aut ferrato cingulo lumbos in arctum conſtringere? vel dorſum quotidianis increpare flagellis, lacerare verberibus? Non nego, potentia hæc ſunt argumenta, demerendo B. Virginis præſidio. quia tamen ſimul plurimum difficultatis habent, neque omnium infirmitas mortalium adeo robuſta eſt, vt velit, aut poſſit illa ardua ſuſcipere rigoroſæ aſperitatis experimenta: hem! minimi laboris opus adfero, quo pariter & conciliare tibi poſſis caſtiſſimum amantis Deiparæ affectum, & pariter ſignum habere tuæ prædeſtinationis, ſive electionis ad gloriam. Atque ne dubitare audeas, ipſa tibi Deiparæ verba allego, quæ ex ore ejuſdem, ſibi dicta olim conſignavit B. Alanus de Rupe, & ſic habent. *Secretum tibi pandam divinæ providentiæ. Scias enim & ſecurè intelligas, & inde latiùs patefacias, quòd videlicet ſignum probabile eſt, & propinquum æternæ damnationi, horrere ac negligere ſalutationem Angelicam; habentibus verò devotionem ad hanc, ſignum eſt prædeſtinationis permagnum ad gloriam.*

Sicut omnia pœnitentiæ opera, B. Virgini facta in obſequium, eidem grata ſunt:

Ita ex proprio ejus teſtimonio, devotio ad AVE MARIA, per magnũ ſignum eſt prædeſtinationis.

B. Alanus l. de Pſalt. Virginis cap. 11.

XIX. Quis hîc improbus non animos ſumet? quis non ſibi gratulabitur feliciſſimam ſortem? quis non inter media ſcelera fortunæ ſuæ tam fortunatæ applaudet? quis non cum ſpe mutabit deſperatio-

Digitized by Google

ſperationem, puſillanimitatem cum fiducia? nam ſi interim ejuſmodi Mariæ cultor eſt, ſi devotum Virgini obſequium præſtat, ſi ſupplex ſervulus ante Dominæ ſuæ procumbit imaginem: aut in templo ſæpius ante aram, cum Angelo eam piè ſalutat, petitque à matre Miſericordiæ, miſericordiam ſibi fieri; eo maximè tempore, quo ſub mortem plurimùm indigebit, perire omnino non poteſt; experturus tum, quod toties poſtulavit, fidele Deiparæ auxilium. Et loquuntur innumeræ velut hiſtoriæ, multos, quia in medio curſu flagitiorum, ſingularibus officiorum ſtudijs addicti fuerunt Reginæ cœlorum, mori non potuiſſe ſine confeſſionis Sacramento; multos eorum, etiam ſub extremum mortis articulum, Virginis ope & concupiſcentias ſuas, malâ totius vitæ conſuetudine roboratas, feliciter ſuperâſſe, & totum inferorum gregem triumphâſſe; victoriâ glorioſâ, æternaque.

Quis hominum nolit frequẽter cum Angelo ſalutare MARIAM?

XX.

Ex quibus omnibus id denique conficiunt improbi Sophiſtę, DEI Genitricem Mariam, & refugium eſſe peccatorum, & Fulcrum. Eſto enim non deſinant mali eſſe, pergantque morum emendationem protrahere longiùs, & ipſam quoque pœnitentis animi reſipiſcentiam, differre ad morti proxima momenta: nihilominus ſi perſeverant in ſancto Virginis cultu, ſi ad ejus januam frequenti prece pulſant, jam rem factam habere: quod ſupra ſenſiſſe vidimus Eccleſię Patres. Imò, ſicut generatim pietas in DEI Matrem, prędeſtinationis facit ſignum, teſte Damaſceno; ita ſpeciatim ſola illa angeli ſalutatio, Ave Maria inquam, devoto ſępius corde prolata, ſalutis quędam eſt teſſera; quemadmodum ex ipſa Deipara B. Alanus quondam excepit, ingentis ſolatij verbum, pulchram confidentiæ materiam, magnum ſive infirmitatis humanæ, ſive malitiæ fulcimentum. Ita non nemo argutulus pro cauſa impiorum, trahentium moroſè pœnitentiam in ſerum.

Quis impiorũ, nolit cum peſſima vita ſua, continuò jungere ſalutationem Angelicã?

XXI.

Sed age ſodes, pedem fige; arietare contra te volo, fulcrumque illud ſubruere, quod tantâ molitione, firmandæ improbitati erexiſti. Et primùm quidem tecum ipſe ajo: D. Virginis tutelam pręſidiumq; magnarum non tantùm eſſe virium, ſed multis etiam profuiſſe, quorum jam ſalus conclamata erat. Plures Rex ſtygius numeraret orci incolas, niſi eos inde eripuiſſet cœlorum Regina, correctos in melius vitę genus. Verùm vt corrigerent ſe, effecerunt illę ejus validiſſimę preces, quibus armata,

Etſi verò non paucis ſceleratis profuerit ſub mortẽ Deipara, & gratiã; eis efficacem exoraverit, priùs officioſè ſalutata;

ta, filium ſuum expugnavit ad miſericordiam: nempe vt ſponte ſuâ ruentibus in tartarum, opponeret ſufflamen: gratiam puto ſuam, & illam copioſam vberemque, quam Theologi in ſcholis, efficacem nominant, certum atque infallibile beatitudinis obtinendæ medium. Cæterùm ſicut aliquibus impijs clementiſſima Angelorum Domina, ingens prædictæ donum gratiæ impetravit à DEO, vt denique exirent æternam Satanæ tyrannidem, cujus ſervitijs per longa annorum ſpatia, ſe vltro tranſcripſerant in mancipia; ita nego id ſingulare genus beneficij, vniverſim omnibus ſceleratis exoraſſe DEI matrem Virginem; defectu non tam ſuæ miſericordiæ, quàm vitio obſtinantium in peccatis mortalium, & velut pietati alienæ objicientium impedimenta.

Non tamē exoravit omnibus; quia ipſi impedimēta objecerunt pietati Marianæ.

XXII. At enim officioſè addictum eſſe Deiparæ, & cum devotione ei repetere Angelicum Ave, ſigna ſunt divinæ prædeſtinationis; ergo quoties facinoroſus homo, per hanc Angeli ſalutationem, aliaque piorum obſequiorum ſtudia, in vota ſua vocat Mariam, ſalutemque orat, neceſſe eſt vt exoret; perire enim æternùm non poteſt, qui electionis indicium, & velut promiſſionem habet. Hîc autem, ô quiſquis inter graves noxas callum inducis, obteſtor te per caſtiſſimum Virginis amorem; noli tibi ipſi adeo periculosè blandiri, atq; in exitium animæ tuæ, tam imperitè argutari. Nam diſtinguere omnino debes, duplex genus mortalium impiorum. Alterum eorum eſt, qui tametſi profundiſſimè adhuc cœno impietatis ſunt immerſi, emergere tamen ſolerter cupiunt, & ſine mora DEO ſuo reconciliari, & vitam impoſterum omnem, ad rectæ rationis amuſſim, divinęq; regulam voluntatis conformare. In quem finem, ſi Mariæ Virginis prenſant benevolentiam ſtudioſis obſequijs, rogantque per gratioſum illud, atque Angelicum Ave: vt inter ipſos, velut capitis reos, ſuumq; filium Judicem, ſe interponere velit mediam; ſimul etiam ad futura cum diabolo certamina, gratiam impetrare: profectò quotquot tales ſunt inter impios tam piè affecti, quamdiu etiam ſeriò iſthæc coquunt deſideria: credere poſſunt, & ſignum ſe habere ſuæ electionis ad gloriam; & ſua obſequia, illudq; ſalutantis Angeli verbum AVE, devotè recitatum, ſuaviſſimè ſaluberrimeq; ad aures Deiparæ allapſurum.

Peccatorū ſtatim emergere cupientiū è culpis ſuis, placet AVE datum Virgini.

XXIII. Occurrit hoc loco corvus ille, quem hominis Magiſtri induſtria loqui docuit, & reducem ex pugna Actiaca Cæſarem Auguſtum, cum ſalute excipere, dicereque; *Ave Imperator.* Neque dubium eſt, nigra avis apud ſpectatores plauſum, apud Auguſtum

Suetonius in Auguſto.

ſtum gratiam tulit & amorem; turpitudinem corporis, & atrorem plumarum humana vox, & ſermocinandi ars condecoravit. Sed quantò plus ſcivit, tantò magis placuit corvus alter Romanis, de quo Plinius meminit ſequentia. Tiberio principe, ſupra Caſtorum ædem genitus pullus, in oppoſitam ſutrinam devolavit, etiam religione commendatus, officinæ Domino. Is maturè ſermoni aſſuefactus, omnibus matutinis evolans in forum versùs, Tiberium, deinde Germanicum & Druſum Cæſares nominatim, mox tranſeuntem populum Romanum ſalutabat; poſtea ad tabernam remeans, plurium annorum aſſiduo officio bene meritus eſt. Hunc ſive æmulatione incitatus, manceps proximæ ſutrinæ, ſive iracundiâ ſubitâ (vt voluit videri) excrementis ejus impoſitâ calceis maculâ, exanimavit; tantâ plebis conſternatione, vt primò pulſus ex ea regione, mox & interemptus ſit. funus autem innumeris aliti celebratum exequijs, ſuper Æthiopum duorum humeros in lecto bellè conſtrato, præcedente etiam tibicine, elatum eſt, cum publica Romani populi comploratione.

Plinius nat. hiſt. lib. 10. c. 43.

Cùm etiam Corvi AVE, quotidie datum Imperatori Romæ & populo, placuerit.

Mirum hoc videbitur non nemini. nam ſi pſittacus aliquis, variè pictus ac coloratus, & doctus cum plebe Cæſares officioſâ linguâ ſalutare, tam indignè obijſſet, privati hominis odio; fortaſſis juſtior fuiſſet ſuccenſendi occaſio, quia **XXIV.**

Gratius è pulchro veniſſet corpore verbum.

nunc luctum inſtituere; & corvo nigricanti funebria parare ſumptuoſa, an operæ fuit pretium? ſed nempe ingenium contemptæ avis, & quotidiana corvi ſalutatio, amorem ſurtantum conciliavit omnibus, vt vniverſi ejus fata, communi lamentatione proſequerentur. Ita planè, ita res habet cum ijs improbis, qui licet per atrorem graviſſimorum ſcelerum, nigerrimis corvis ſint quàm ſimillimi, oculo Numinis judice; nihilominus pulchras Virgini glorioſiſſimæ delicias faciunt, ſi eam per Angeli Gabrielis AVE, frequenter ac piè ſalutant: ſimulque auxiliares ejus manus expoſcunt, vt relictâ quantocyus perditionis viâ; ad Deum cœlumque, magnis itineribus contendere poſſint. Iſti prorſus, in hac verè ſeria mentis diſpoſitione, & pignus quoddam ſalutis ſuæ habent, & indicium prædeſtinationis: ſub certa ſpe, quòd ſi imposterum ſibi non deſint, nunquam ipſis defuturam Dei Matrem. quā etiam fiduciam, jam dudum ipſa ſtabilivit apud S. Brigittam, quando ſe ita depinxit. *Mater ſum omnium juſtorum, etiam omnium peccatorum, emendare ſe volentium; quos defendere, & ab omni periculo ſalutis eripere non ceſſo.* Qui-

Delicias facit Deiparæ, quiſquis per Gabrielis AVE, ab ea rogat auxilium ſurgendi è cœno vitiorum.

Teſtimonio proprio, Maria periculo ſalutis eripit improbos, emendare ſe volentes.

Digitized by Google

Bloſius in mon. ſpirit. & in ſpecn. ſpir. c. 12. bus ego Deiparæ verbis, hæc Bloſij Abbatis jungo: *citiùs cœlum cum terra perierit, quàm ipſa* (B. Virgo) *aliquem ſeriò ſe implorantem, ſuâ ope deſtituat.*

XXV. Alterum genus eſt improborum hominum, qui licet nihil cogitant de morum compoſitione, deteſtatione criminum, voluptatũ illicitarum abdicatione; imò certi ſunt, magis magiſq; blandas concupiſcentiarum illecebras, in longum trahere: tamen non omittunt ex devoto affectu, quotidianum velut penſum, ſalutationem Angelicam ad D. Virginem mittere, aut ſimile aliud ejus gratiâ factum obſequiolum; jamque ſecuros de ſalute ſe arbitrantur, & ſtare extra periculum amittendæ beatitudinis, & genuinos eſſe filios miſericordiſſimæ Matris, quibus neque cœleſtis Pater cœlum negare poſſit.

Hinc metuere poſſunt obſtinati, & cũctatores emendationis ſuæ.

XXVI. Ego verò metuo vehementer, ne ſint in eodem numero liberorum, quos olim Oſeas Propheta, mandato Numinis, ex fornicaria genuit muliere. Et quidem vt filiam accepit, præceptum ſimul iſtud accepit à Deo: *voca nomen ejus*, ABSQVE MISERICORDIA. Cùm igitur ſubnatus eſt ei filius, iterũ divinum audivit imperium: *voca nomen ejus*, NON POPVLVS MEVS. Quæſo tam inſolens nomenclatura, quid tacitæ conſiderationis, aut occulti habuit ænigmatis? Nempe Deus jam ſæpius à populo ſuo offenſus, & præſertim fœdè exulceratus à decem tribubus Iſraël, per continua turpis Idololatriæ probra, ſtatuit patriam eorum hoſtibus facere ſpolium; ipſos autem in duram captivitatem tradere, mittendos ſub Babyloniorum & Aſſyriorum jugum. Scirent proinde, quoties filiam Oſee audirent compellari, ABSQVE MISERICORDIA; & filium ejuſdem, NON POPVLVS MEVS; de ipſis narrari fabulam, vtpote quos nollet ampliùs pro ſua gente agnoſcere, neque ipſis miſereri impoſterum, vt olim; quando Joſuas, Gedeones, Samſones, Davides ſubmiſit, libertatis antiquæ defenſores, expugnatores hoſtium. Quia tamen eodem tempore, inter complures ex Hebræa natione flagitioſos, pauculi bonorum, piorumque fuerunt reliqui; idcirco iterum divina Majeſtas præcepit, vt hi ſe mutuò ſolarentur, atque in ſpem erigerent, tanquam evaſuri duram ſervitutis ac captivitatis neceſſitatem: *dicite fratribus veſtris*, VOS POPVLVS MEVS, *& ſorori veſtra*, MISERICORDIAM CONSECVTA.

Oſee 1. 6.

Ne ſint ſicut liberi Oſee Prophetæ, & ſicut Judæi per idololatriam corrupti.

Quorum titulus fuit iſte: ABSQVE MISERICORDIA: NON POPVLVS MEVS.

Cùm meliores aliqui gauderent hoc nomine: VOS POPVLVS MEVS &c.

Oſee 2. 1.

XXVII. Conjecturam hîc de ſe ipſis facere poſſunt impij, qui Deiparam piè cum Angelo ſalutant, alijſque modis officiosè venerantur, hoc fine & ſincero voto, vt in amicitiam cum Deo redire-

queant,

Digitized by Google

queant, & ſanctiones ejus ſanctiſſimas poſthac obſervare; iterumque per verum dolorem ac pœnitentiam, reſurgere fortiores ad pugnam, quoties infeliciter ceciderint, proſtrati ab hoſte ſtygio; ſanè hos pro filijs ſuis genuinis agnoſcit Deiparẽs, quibus ipſa velut gratulatur: VOS POPVLVS MEVS, VOS MISERICORDIAM CONSECVTI. Illos autem quorum prima ferè cura eſt, quâ ratione peccata ſemper peccatis accumulent; poſtrema, quomodo Deo exactori accuratiſſimo ſatisfaciant, nõ habet Virgo pro legitimis, ſed ſpurijs: eſto eam quotidie demereri ſtudeant devoto cultu, atque vt Matrem ſuam, cum Angeli AVE ſalutare. nullum illi guſtum facit oratio, ex ore & corde ſceleribus inquinato profecta, nauſeam potiùs ac horrorem parit.

Quinam ex impijs & peccatoribus, ſint populus B. Virginis, ab eadem miſericordiam conſecuturus.

XXVIII.

Quod impurus olim edoctus eſt adoleſcens, jungere ſolitus & Veneris amores, & Virginis Mariæ honores, ſive obſequia; ſocietate omnino diſpari, & vix coiturâ amicitiâ. Nam cùm juvenis ille, per ſylvas aliquando vagatus, famis malum intra ventrem ſuum impatiens circumferret; objecit ſe ei in occurſum Regina Angelorum, auguſto habitu Domina, & quam cœleſte Gynæceum longo ordine ſequebatur, inſtructum omni ferculorum apparatu, velut è Dei triclinio ſubmiſſorum. vnum tamen erat illis omnibus vitium, quòd vaſis immundis, ſordidiſque continerentur. Mox Deipara hominem ad præſentes delicias invitat, duræ famis ſuave ſolatium; ſed ille nauſeabundus abnuit, multùm queſtus ſuper vaſorum contaminatione. Et illa: tuus hic mos eſt mi bone; nam tametſi oratio, & illa Angeli ſalus, quâ me ſalvere juſſit, & avere in Nazareth, ſecundùm ſe conſiderata, ſit apud me in magno pretio, atque velut inter primas cupedias; tamen quia illam mihi offers, ex lingua & pectore, multùm vitioſis membris, delicatum cibum præbes in patina immunda, hincque nauſeam concitas; dixit & abijt, inſtructo ad emendationem adoleſcente.

Spec. Exempl. V. ſalut. Angelica, exemplo 6.

Sicut cibus pretioſus in patina immundâ parit homini nauſeam:

Ita Dei Genitrici facit horrorem, AVE Angelicum ex corde, ſceleribus inquinato, profectum.

XXIX.

Egregiè omnino Dei Genitricis ſenſum deſcripſit S. Damaſcenus, his pauculis: *ingluviem execratur, impuras cogitationes, non ſecus ac viperarum fœtus fugit, ſermones fœdos propellit, iræ tumorem odio habet, invidiam non admittit, ſuperbiæ hoſtili animo reſiſtit.* Vnde colligitur omnes illos, quotquot pedem firmârunt in impietate, animumq; certi ſecum per omnes ætates trahere peccata ſua in ſerum, neq; priùs linquere, quàm à ſanitate & vita ipſa linquantur, parum Virgini Mariæ placere: eſto in ejus obſequiũ vel templa frequẽtent, vel peregrinationes ſuſcipiant, aut ſtipem largiantur, aut jejunia iterent,

S. Damaſc. orat. 2. de dormit. Virg.

Nõ placẽt B.V. qui ei obſequia, deferunt & ſimul vitã inter vitia & flagitia trahunt.

Digitized by Google

iterent, aut preces multiplicent; vitiantur hæc, ſimiliaque alia opera, ab vna mentis obſtinatione, & neceſſitate magis deſerendi veteres illecebras, quàm ſpontaneâ voluntate; vt nequaquam tam malè diſpoſito homini, ſignum eſſe poſſint ſuæ prædeſtinationis. timendum potiùs eſt, ne ſi perſeveret in propoſito, jam conſuetæ, diuque exercitæ improbitatis, indicium ſuæ reprobrationis indè habeat. atque inter illos denique ſit, quibus in altera vita Dei Filius, & ejus caſtiſſima Mater, repulſam dabit ſupplicaturis pro venia, cum hoc amaritudinis verbo: VOS NON POPVLVS MEVS; VOS ABSQVE MISERICORDIA.

Timere poſſunt ne ab ipſa audiant: VOS NON POPVLVS MEVS, VOS ABSQVE MISERICORDIA.

XXX. Et ea ipſa cauſa eſt, cur Binetus noſter, in libello, quo probat devotionem, cultumque erga Mariam Virginem, notam eſſe inſigniorem electionis divinæ ad gloriam, hanc ſalubrem cautelam appoſuerit. Nemo inquit, conjecturam faciat, me prætextu hujus devotionis erga Deiparam, peccatoribus velle blandiri, eiſque perſuadere, ſatis nimirum eſſe ad ſalutem conſequendam, vt in extremo mortis artitulo conſtituti (etiamſi totam ætatem in peccatorum ſordibus traduxerint) oculos ad divinam Matrem ſuſtollant, illamque vel vnâ duntaxat ſalutatione dignentur. Non hæc mea mens eſt; id potiùs oſtendere volo, neminem ſine pœnitentiæ operibus, ſalutem aſſequi poſſe. Patrocinium autem divinæ Matris, eſſe adjumentum & vehiculum quoddam, quo faciliùs & certiùs illam adipiſcamur. Ad mentem ſcilicet Innocentij III. Papæ, ſic exhortantis impium. *qui jacet in nocte culpæ, reſpiciat lunam, deprecetur Mariam, vt ipſa per Filium cor ejus ad compunctionem illuſtret. quis enim de nocte invocavit eam, & non eſt exauditus ab ea? qui ad diluculum pænitentiæ ſurgit, reſpiciat auroram, deprecetur Mariam, vt ipſa per Filium cor ejus ad ſatisfactionem illuminet.*

Binetus ſuè præcitatus.

Spes in Deiparam, non debet Impios facere pœnitentiæ ſuæ procraſtinatores.

Innocent. III. ſerm. in Aſſumpt. B. V.

XXXI. Idem Binetus, alibi temerariæ quorundam præſumptioni, aliud malagma opponit. nam vbi hæc dixiſſet: Etiamſi aliquis in ſtatu ſit deploratiſſimo, & cauſâ ſuâ quodammodo cecidiſſe videatur; attamen ſi Reginam cœlorum, Advocatam ſibi conciliaverit, cauſam ſe obtenturum ſperare poterit. mox iſta ſubjungit. Neminem verò tam temerarium, aut impium eſſe opinor, vt ſpe tanti patrocinij fretus, vitam velit inſtituere liberiorem, vel inde peccandi occaſiones captare. Hoc tantùm affirmare volo, ſi quis ex imbecillitate, aliaue de cauſa, in peccatum fuerit lapſus, & quamprimùm concipiat peccata fugiendi deſiderium, firmumque vitæ in melius commutandæ propoſitum; ſi Mater ſanctiſſima, cauſam ipſius apud

Nec præſumptuosè temerarios in licentia peccandi.

Filium

Digitized by Google

Filium, egerit (vt ſolet) ejuſmodi hominem de ſalute ſua bene ſperare poſſe.

XXXII.

Et huc pertinet, quod S. Gregorius Magnus quondam impio homini pollicitus eſt: *pone finem in voluntate peccandi, & invenies Mariam (indubitanter promitto) promptiorem carnali Matre, ac mitiorem in tui dilectione.* Id ipſum aſſeruit aliquando Deipara ſanctæ Brigittæ, vt teſtis eſt Bloſius in hanc ſententiam. *Quantumcunq; homo peccet, ſi toto corde, cum vera emendatione, & charitate ad me confugerit, ſtatim parata ſum recipere venientem. nec attendo quantum quis peccaverit, ſed quali voluntate ac intentione redit ad me.* Advertit hoc in objecta ſibi quadam ſpecie B. Gertrudis; nempe quando ipſo feſto Virginis Aſſumptæ, vidit eam pallium ſuum explicare; neque tantùm admittere varias illuc ſe recipientes beſtiolas, ſed etiam blandâ manu delinire; puta ſceleratos mortales (interprete Virgine) qui moribus brutis, velut in pecora tranſierunt, fœdâ metamorphoſi; ſed tamen parati ſunt ad humanum redire ingenium, DEI que ac rationis accipere imperium, auxiliante ipſis Mariano præſidio. Denique etiam Chriſti verbum eſt ad Matrem ſuam, apud Brigittam ſponſam. *Omnis quicunq; invocaverit nomen tuum, & ſpem habet in te, cum propoſito emendandi commiſſa, iſta tria dabuntur ei; contritio pro peccatis, ſatisfactio & fortitudo ad faciendum bona, & inſuper regnum cæleſte.* Vbi vides, nequaquam promitti impio aut gratiam DEI, aut condonationem culpæ, aut beatitudinem, ſolo intuitu cœleſtis Reginæ, pro eo patrocinantis; niſi rectè diſpoſito, per ſerium piæ voluntatis ſenſum, & præſentem ſinceræ correctionis affectum.

S. Greg. l. 1. Epiſt. 47.

Bloſius in mon. Spirit.

Lib. 4. B. Gertrudis cap. 49.

Promiſſio auxilij Mariani, ferè ſupponit in peccatore pium voluntatis affectum.

In revel. B. Brigittæ, cap. 50.

XXXIII.

Sed obganniet hîc iterum adverſarius; omnia quæ huc vſque dicta ſunt de Virginis patrocinio, militare pro impiorum cauſa, differentium pia propoſita, ac veram de flagitijs pœnitudinem in ſeros annos, vltimaſque vitæ horulas. nam qui tunc ad commune Aſylum peccatorum confugerit, Virginem inquam DEI genitricem, cum animo ſe reconciliandi offenſo DEO, negotium ſalutis confectum accipiet, à pijſſima miſerorum Patrona Deipara. Ita ſperaverim; at enim quanti ſunt ex obſtinatis peccatoribus, ac converſionem ſuam quotidie procraſtinantibus, qui ad vltima inſtantium fatorum momenta, nihil reſipiſcunt, neque animum componunt ad meliora? partim vi conſuetudinis contrariæ, tum maxime reluctantis; partim vehementiâ irruentium ex Orco tentationum; partim ſubtractione gratiæ efficacis, ac vberioris

Neq; dicas ſufficere propoſitũ futuræ olim tandẽ emendationis, ſaltẽ ſub mortẽ; quia apud multos tũc effectũ non habet.

Digitized by Google

non debitæ; partim vi morbi, hebetantis & corporis ſenſus, & animæ facultates, ad tam ſeria, & naturæ multùm corruptæ, difficillima negotia; denique etiam occaſione præcipitantis, atque vrgentis ad abitum mortis?

XXXIV. Ex quibus omnibus liquidò conſtat, nimis infirmum, inſtabile, futile, fragile illud eſſe fulcrum, cùm gravis peccator temere transfert in mortis tempus pœnitentiam, nixus ſpe Mariani patrocinij, ac pientiſſimæ tutelæ, quam eo maximè articulo erga omnes impios, imprimis autem erga ſibi devotos clientes, gerit Mater Chriſti. Neq; aliud hîc repeto, præter illam magni Pauli admonitionem, *qui ſtat, videat ne cadat.* Videtur ſibi non raro homo ſtare, & ſecurè ſtare, quia inclinat ſe & fulcit; ſed cadit denique, ſi fulcrum eſt ſine robore, putridum lignum, arroſus ſenio baculus. Ita ſæpe aliqui, in gravibus obdurati flagitijs, ſecuros ſe conſiſtere arbitrantur, & innixos optimæ de ſalute ſuâ fiduciæ. Sed denique experiuntur cum damno, fulcimentum ſpei fuiſſe inanem duntaxat perſuaſionem, occaſionem lapſûs nunquam ampliùs emendabilis. Itaque *qui ſtat, videat ne cadat.* Ceterà, nondum hîc ceſſat hominum improbitas; plura de certitudine ſalutis, vi Marianæ tutelæ, ſibi ſomnia fingit; quorum nunc vanitatem vlteriùs oſtendo.

1. ad Corinth. 10.12.

Itaq; proterviter Impius, qui ſe fulcit ſpe præſidij Mariani, *Videat ne cadat.*

PARA-

PARAGRAPHVS XIII.

Decimum tertium Impiorum Fulcrum,

PROMISSIO FACTA SCAPVLARI B. VIRGINIS DE MONTE CARMELO,

An certitudinem det ſalutis, & juſtam occaſionem pœnitentiæ ſemper prologandæ?

DIvus Bernardus, melleæ vir eloquentiæ, I.
quam Spiræ in templo Cathedrali, creditur ſuxiſſe cum lacte, ex vberibus Virginis Mariæ; de eadem in grati animi teſtimonium, hæc olim pius cliens ſcripſit. *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur; quia hæc eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Ad Patrem verebaris accedere, Jeſum tibi dedit Mediatorem. Advocatum habere vis & ad ipſum? ad Mariam recurre, exaudietur & ipſa pro reverentia ſua. exaudiet vtiq; matrem filius, & exaudiet filium Pater. Filioli hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. quid enim? poteſtnè filius aut repellere, aut ſuſtinere repulſam? non audire, aut non audiri filius poteſt? neutrum planè.* Itaq; Clarevallenſis Abbas, confidentiæ apud mortales roborandæ, de conſequenda gloria ac beatitudine, duplex fulcrum ſuppoſuit, Chriſtum, ejuſque Genitricem; vtrumq; ad DEVM Patrem advocantes, pro hominum ſalute, atque improborum cauſa.

S. Bern. ſer. de Nativit. Mariæ.

Maria Virgo, maxima homini fiducia, & tota ratio ſpei eſſe poteſt.

Scio autem hîc ſanctum Patrem, quibuſdam fieri *Petram ſcandali, & lapidem offenſionis*; hæreticis inquam, de ſchola Lutheri ac Calvini, diſcordibus ſemper fratribus. nunquam enim ſine gra- II.

vi vulnere audire queunt, in totiùs ſpei, maximæque fiduciæ rationem, venire homini aut poſſe, aut debere patrocinium Deiparæ, cum filij ſui interceſſione apud Patrem. Sed omnem ſcrupulum pulchrè eximit D. Thomas, Angelicus Doctor eâ quæſtione, vbi interrogat, an liceat ſpem ſalutis ponere in homine? & concludit: *quanquam in* DEO *ſolo, vt principali cauſa beatitudinis, ſit ſperandum; licere tamen in homine, vel in alia creatura, tanquam in agente ſecundario & inſtrumentali, vtili ad conſequendum aliquod bonum ad beatitudinem ordinatum, ſpem collocare.* Quia ergo ſanctorum omnium Regina eſt Deipara, ideo rectè cum S. Bernardo, totam beatitatis noſtræ ſpem, in eam poſſumus reponere: non tanquam in principalem ſalutis obtinendæ cauſam, ſed velut in adminiculum quoddam, & efficaciſſimam mediatricem inter DEVM & hominem; tandem in Genitricem Chriſti, apud quem maternum jus, poteſt quaſi omnia.

D.Tho.2.2. q.17.a.4.

Non tanquam principalis cauſa ſalutis obtinendæ, ſed tanquã efficaciſſima mediatrix, ratione juris materni in Chriſtum filium.

III.

Marcius Coriolanus, maximi vir animi, & altiſſimi conſilij, optimeque de Roma, patria ſua meritus; cùm iniquâ ſententiâ in exilium pulſus eſſet, ad Volſcos, infeſtos tum Romanæ reipublicæ, confugit. Magnǫ iſti pretio virtutem hominis æſtimabant. Itaq; quò latebras quæſitum venerat, ibi brevi ſummum adeptus eſt imperium; evenitque, vt quem pro ſe ſalutarem Imperatorem cives ſui habere noluerunt, peſtiferum adverſùs ſe Ducem experirentur. frequenter enim fuſis Romanorum copijs, Volſco militi aditum ſtruxit ad ipſa Vrbis mœnia; quæ cauſa fuit, vt damnato exuli ſupplicaret populus. Sed miſſi primùm ad eum deprecandum Legati, nihil profecêre. Profanis ſucceſſerunt Sacerdotes cum infulis; neq; iſtorum habita fuit ratio. nihil religio, nihil ſacrorum evicit reverentia; ſtupeſcente ſenatu, trepidante populo, viris pariter ac mulieribus, exitium imminens lamentantibus. Itaque ad Veturiam, matrem Coriolani ventum eſt, vt filium pro communi ſalute deprecatum iret. Perſuaſa hæc tam plauſibili argumento, cum imbelli agmine, nuru ac nepotibus parvulis, Volſcorum caſtra petit. Iamque vt ante filium comparuit, ſordidata in morem lugentium, ejus animum (obfirmatum licet ad eluctandas quaſcunq; moleſtias) primo tamen congreſſu, ac ſalutatione lacrymabili fregit, vt abreptus humanis affectibus Marcius, & ipſe comploraret matri ſuæ. Tum illa initiò perſuadere homini cœpit, æquiſſimum eſſe divinam placabilitatem æmulari, & patriæ pœnitenti, atque in gratiam redire volenti, reconciliari; id ſe poſtulare per amorem vxoris ſuæ, & ſuaviſſi-

De hoc Livius, Plutarchus, Val. Max.

Demonſtratur exemplo Marci Coriolani, offenſi Romæ, patriæ ſuæ.

Digitized by Google

ſuaviſſimæ prolis, quam triſti habitu, vultuque objecit, ad everberandam parentis mentem. Sed cùm nihil admodum ſic promoveret cauſæ publicæ negotium, valentiſſimam adhibuit machinam, ad expugnandum Marcij cor; Jus videlicet matris in ipſum. Quo explicato: *Marci fili* (inquiebat) *ego te rogo, ne bellum inferas patriæ; & obſiſto tua violentiæ. Aut igitur me, priorem reſiſtentem tibi matrem, tuâ manu furibundus interfice, & tunc bellum infer patriæ; aut matricidium exhorreſcens, ei cede; & vltrò fili, dona hanc gratiam matri tuæ.* Hæc ſimiliaque vbi dixit, inter lacrymas Veturia, humi ſe abjecit, & ambabus manibus filij ſui pedes amplexa, ita vicit Marcij furores, vt è ſella proſiliens, ſemianimem parentem erigeret, cum hoc pleno ſolatij verbo, *Viciſti mater.* Itaque conceptum fatale in ſuos odium, pietas ſuperavit, vniúſque matris obſervantia, bellum atrox cum pace mutavit.

Quem mater ſua civibus & magiſtratui reconciliavit, interpoſito Jure materno.

IV.

Oratio Deiparæ pro Impijs, eſt efficacior orationibus Sanctorũ.

Atque hinc facile eſt colligere, quantæ potentiæ ſit illa interceſſio, quando Maria Virgo ante pedes Filij ſui, quaſi ſupplicis in morem proſtrata, per materni, caſtiſſimique amoris tot illa obſequia, per materna & plena virginei lactis vbera, denique per maternum ſibi jus, ipsâ generatione acquiſitum, precatur; ne bellum inferat hoſti ſuo, ne ferro & flammâ armatus, impios mortales obruat in ſcelere; ſed potiùs vindictæ ſuæ clementer ereptos, eripiat ſimul & periculo æternùm pereundi, injecto melioris vitæ deſiderio. Audire juvat S. Antoninum, qui ad propoſitum meum egregiè philoſophatur, facto diſcrimine inter orationem Deiparæ, aliorumque Sanctorum. *Oratio* inquit, *Sanctorum, non innititur alicui rei ex parte ſui, ſed tantùm miſericordiæ ex parte Dei. Oratio autem Virginis, innititur gratiæ Dei, juri naturali, & juſtitiæ Evangelij. Nam filius non tantùm tenetur audire matrem, ſed & obedire, juxta illud Apoſtoli: filij obedite parentibus veſtris; quod etiam eſt de jure naturæ.* Et mox: *Oratio Deiparæ, erat nobiliſſimus modus orandi, tum quia habebat rationem juſſionis & imperij; tum quia impoſſibile erat eam non exaudiri, juxta illud, quod in figura ejus dixit Salomon matri ſuæ Berſabeæ, cùm aliquid petere vellet: pete inquit mater mea, neque enim fas eſt, vt avertam faciem tuam.*

S. Anton. 4. p. tit. 15. c. 17. §. 4.

Quia Oratio Deiparæ, fundatur in Jure naturali, quod acquiſivit per generationem in filium Chriſtum.

3. *Reg.* 2. 20

V.

Et quia nulliùs filij erga matrẽ vnquã fuit major amor atque affectus, quàm Chriſti erga Mariam.

Denique vt certiſſimum accipimus, quò tenerior eſt amor ſanguinis in ſanguinem, Genitricis in ſobolem; eò plus efficaciæ accedere affectui. cùm igitur nulliûs filij erga matrem, vnquam fuerit affectus ſincerior, vehementiorque, quàm in Chriſto erga ſuam Genitricem (perficiente naturam gratiâ divinitatis) conſequens eſt, vt Deiparæ interpellatio apud natum ſuum, pro quovis pecca-

Accedit Improbis hominibus novũ ſpei fulcrum apud B. V. ejuſdem Scapulare de monte Carmelo.

tore ſit validiſſima. Accedit ſingulariſſimum maximi ſolatij argumentum, & firmiſſimæ ſpei recens fulcrum; omnibus ſcilicet illis, qui in ſignum devoti erga Deiparam animi, continuò geſtant *Scapulare* Beatæ Virginis de monte Carmelo. Nam ex ejuſdem atteſtatione, certam de beatitudine ſua promiſſionem habere videntur, quemadmodum patebit ex ſequentibus; altiùs repetitâ hiſtoriâ de Carmelo monte, ejuſque habitatoribus religioſis, eximijs ſemper Deiparæ cultoribus.

VI.

4. Reg. 2.

Diſcipuli Eliæ Prophetæ, in monte Carmelo ab Apoſtolis ad fidem Chriſti, traducti.

Polydorus lib. 1. c. 2.

Ajunt enim, poſtquam Elias Propheta, Carmeli ſedulus incola, terræ & mortalibus ſubtractus fuit, curru è cœlis miſſo in compendium itineris; quos ſecum ad ſocietatem vitæ ſolitariæ adſciverat, tenaces arrepti ſemel inſtituti, eodem in loco ſemper perſtitiſſe, vſque ad ipſa Chriſti Servatoris tempora. Vbi verò Spiritus Sanctus, Apoſtolos in Pentecoſte gratiâ ſuâ largiſſimè ſuperfuſos, juſſit negotiũ alienæ ſalutis promovere; inter alios vicinos, etiam Carmeli habitatores, ad fidem Evangelicam, ſacraque Chriſtiana traxiſſe; teſte Polydoro cùm ait: *tempore prædicationis Apoſtolorũ, ſunt Carmelitæ converſi ad Evangelicam perfectionẽ; atq; humiles fidem Chriſti, in primordijs naſcentis Eccleſiæ, conſtantiſſimè defenderunt & prædicaverunt.*

VII.

Tribus religioſorum votis ſe poſtea obſtrinxerſit.

P. Cyprian. à S. Maria in theſauro Carmelit. c. 1.

S. Hieron. in epiſt. ad Paulinam.

Quoniam verò ad plenam fidei cognitionem ſpectat, Conſiliorum quoque Evangelicorum habere notitiam: ea ſic huic hominum generi arriſiſſe ſcribunt, vt voluntariâ paupertate, caſtimoniâ, obedientiâque ſe ſe Deo adſtrinxerint in arctius ejuſdem obſequium; auſpicaturi ſimul & religioſæ vitæ exemplar, & daturi alijs pulchræ imitationis occaſionem. Itaque fatetur D. Hieronymus, injectâ mentione de ſui temporis monachis: *Noſter princeps eſt Elias, noſtri Duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula prope fluenta Jordanis.* Et Polydorus qui ſupra: *quidquid* (ait) *virtutis & perfectionis eſt in quovis monaſtico ordine, à caſtiſſimo propheta & patre Elia, tanquã à primordiali Eremitarũ, monachorum, & etiã univerſorũ religioſorũ inſtitutore, velut à fontali principio emanavit.*

VIII.

Carmelitæ initiò FF. Eliæ de mõte Carmelo, poſtea FF. B. V. de mõte Carmelo, dicti ſunt.

Sed & Carmelitana Religio, ex Elia ſanctiſſimo Vate, ejuſque aſſeclis, hæreditariâ quaſi ſucceſſione originem ſuam trahit; quod non tantùm copioſis rationibus Carthagena adſtruit, ſed etiam diverſi Pontifices diverſis bullis confirmant. Inter hos Sixtus IV. bullâ quæ incipit; *dum attentâ meditatione &c.* teſtatur Carmelitas Religioſos, ſpecialis privilegio favoris, Deiparæ nomine inſignitos fuiſſe, vt non ampliùs dicerentur, Fratres Eliæ de monte Carmelo; ſed, *Fratres B. Virginis de monte Carmelo.* Sunt etiam qui referunt,

Dei

Dei Genitricem poſt Filij ſui in cœlos abitum, ſæpe ex Nazareth in vicinum vrbi montem Carmelum aſcendiſſe, & ſibi devotos ſive fratres, ſive ſervulos, mirâ cum amoris ſignificatione ſalutâſſe. *P. Cypr. à S. M. in th. Carm. c. 3.*

IX. Hanc plenam benevolentiæ ſingularis viſitationem, arbitrantur aliqui Eliæ Prophetæ, imò & Patriarchæ, & Archimandritæ, à Deo fuiſſe adumbratam in ſpecie exilis nubeculæ. Nam vt ſacra pagina meminit: cùm triennali ſiccitate, juſtâ Numinis vindictâ, perfidiam Achabi caſtigaret, ſimulq; & ſubditos eâdem cum ſuo capite pœnâ involveret, vt ſterileſcentibus vndiq; agris, nihil præter luridam famis, mortiſq; faciemupereſſet; miſertus denique Elias communis neceſſitatis, in ipſo Carmeli vertice, preces ad Deum effudit pro pluvia, quam etiam copioſam impetravit: præeunte velut prodromo, tenui nubeculâ; ſic enim ſacer textus memorat. *ecce nubecula parva, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Et paulò pòſt: *Ecce cœli cõtenebrati sũt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grandis.* *3. Reg. 18.* B. Virgo viſitatura fratres ſuos in monte Carmelo, adumbrata fuit Eliæ Prophetæ.

X. Exiſtimant igitur nonnulli in hac parvula nube, velut oculis Eliæ objectam fuiſſe Mariam, deſcenſuram olim cum pleno gratiarum imbre ſuper Carmelum, & nepotes ſuos, omnemq; ſacram poſteritatis Carmelitanæ familiam. *Ecce nubecula parva, quaſi veſtigium hominis.* quis non coloribus hîc ſuis, hoc eſt, demiſſi animi modeſtiâ, depictam videat glorioſiſſimam Virginem? quæ jam ab Angelo ſalutata Mater Dei, abjecit ſe tamen ad infima ancillulæ obſequia, præſtanda Redemptori ſuo, quin etiam infra pedes viliſſimorum hominum, futura (ſi ita Deo ſuo placuerit) humani pedis protrimentum. Niſi etiam veſtigium hominis in nubecula, cum aliquibus accipere velimus, pro humanæ ſtaturæ magnitudine, ſeu aliqua hominis ipſius ſimilitudine; quam quidem ita invenies in Regina cœlorum, vt cùm omnia habuiſſe videatur cæteris mortalibus communia, in quibuſdam planè fuerit ſingularis, Nam vt nihil dicam de exemptione originalis culpæ (inter puros homines, ſolum ſibi vni conceſſum privilegium) etiam Dei ſui parens facta eſt; atque vt ſic dicam, Creatoris ſui & plaſmatoris, creatura plaſmatrix; quale miraculum nunquam Orbis antea ſpectavit, in vllo altero mortalium. Et quod admirationem auget, ita Dei ſimul hominiſque, Chriſti inquam, Mater facta eſt, vt pudoris florem nulla ex parte læſerit; obſtupeſcente naturâ, in eandem perſonam coaluiſſe & matris fœcunditatem, & Virginis integritatem, abſque neutrius imminutione; novo prorſus exemplo, & hactenus inaudito. Deiparens Maria, eſt nubecula parva, quaſi veſtigiũ hominis. Quia cùm multa haberet alijs hominibus cõmunia, in quibuſdam fuit ſingularis.

XI. Romulum ajunt, cùm quondam elegans ſibi Romæ extrueret palatium,

Digitized by Google

S. Petrus Damian. Epiſtolar. lib. 2. epiſt. 17.

palatium, & quod longam æſtimabat poſſe ætatem ferre, dixiſſe iſtum ædificium hoc fatiſcet in ruinam, cùm Virgo aliquando peperit: ratus, quia hoc nunquam futurum eſſet, æternitati ſtaturam molem. Sed ea corruiſſe dicitur illâ ipsâ nocte, qua Beatiſſima Virgo Maria, Filium Dei in humana carne, humano generi ſervatorem genuit. Igitur, *ecce nubecula parva, quaſi veſtigium hominis.* Similis omnino alijs eſt hominibus Domina Angelorum, ſi naturam mortalibus cõmunem ſpectes; diſſimilis multùm, ſi attendas conditionem, & ſingulariſſimos favores, quibus ſupra cæteros homines, ab ipſo Numine eſt eminentiſſimè ſublimata. Videamus autem nunc, quibus Deiparens, fœcunda nubes, benedictionum pluvijs gratiarumque, omnem Carmelũ, ſeu potiùs de Carmelo monte, Fratres irrigaverit.

Præſertim in virgineâ fœcunditate.

XII.

Eſt autem neceſſe præmittere, ſanguineum illum imbrem, quem perſecutorum ſævities Carmelitis, religioſis Eliæ ſucceſſoribus, in odium Chriſti expreſſit inter tormenta. Nam ab anno redemptionis humanæ ſexcenteſimo trigeſimo, vſque ad annum milleſimum, duceteſimum, nonageſimum, aliquot millia, ex ſacra Carmelitarum familia, pro Chriſtiana fide occubuiſſe glorioſos Martyres, & ſuo omnes ſucco purpuratos, author eſt S. Cyrillus Alexandrinus, prædictæ Religionis membrum. Et quoniam ea ſtrages, maximè in Aſia illata fuit à Saracenis, alijſque infidelibus, hinc ſuperſtites ex Ordine Carmelitico, coacti ſunt inſano furori cedere, atque in Europam transferre ſedes. Ibi tum circa annum à partu Virginis milleſimum, duceteſimum, decimum quintum, in Generalem, totiuſque caput Religionis, communibus ſuffragijs electus eſt S. Simon Stock, qui nomen iſtud occaſione trunci accepit; nam antequam ſacrum hunc Ordinem amplexus fuit, in Angliâ angelicam vitam duxit, arboris trunco vſus pro domicilio in nemore; anguſtâ quidem habitatione, ſed commodâ ad divinarum rerum contemplationem, & quæ animo expeditum daret iter exſpatiandi ad ipſa ſidera. Ab hoc igitur excavato ligni trunco, nomen accepit Simon, vt paſſim Stock diceretur, cùm minimè truncus eſſet, ſed ingenio ſimul ac pietate illuſtris.

Carmelitæ magno numero martyres.

Apud F. Cyprianum à S. Maria, in Theſauro Carmelit. c. 1.

Idem eodẽ lib. c. 4.

XIII.

S. Simon Stock, Gener. Carmel. rogat à Deipara ſpeciale Ordini ſuo privilegiũ.

Cùm verò jam ad clavum ſui Ordinis ſederet, Majorum exemplo egregiè Deiparam Virginem coluit, eam aſſiduis precibus fatigans, vt quos olim in Aſia fovit, etiam in Europa amplecti vellet, filios ſuos Carmelitas, Eliæ nepotes; quin etiam amoris materni, externum aliquod teſtimonium dare. in hunc finem, repetijſſe

dicitur

dicitur crebrò ſanctus Simon, hanc ad Dei Genitricem precatiunculam.

Flos Carmeli, Vitis florigera,
Splendor cœli, Virgo puerpera:
Singularis Mater, viri neſcia,
Carmelitis da privilegia.

Carthag. de B Virg. lib.17.hom. 1.ex Vita S.Simonis.

Et viſa eſt placuiſſe viri devotio: nam cùm nocte quadam genuflexus, iterumque ſupplex ad gratioſæ Virginis pulſaret oſtia: ipſa quam in ſua vota vocavit, præſentem ſe ſtitit, Domina majeſtate plena: & quam inter fulgentes radios, Angeli vtrinque cingerent, cœleſtes Palatini. Eminebat è medio, auguſtior omnibus Maria, & porrecto ex vtraq; manu *Scapulari*, monaſtici ordinis inſigni, inter ſuaves, blandoſque riſus, ſic hominem allocuta fertur. *Dilectiſſime fili; hoc recipe tui ordinis SCAPVLARE, meæ confraternitatis ſignum; tibi & cunctis Carmelitis privilegium; in quo quis moriens, non æternum patietur incendium. Ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni.*

Et accipit SCAPVLARE, cum ampla promiſſione.

Hanc S. Simoni objectam ſpeciem, veram fuiſſe apparitionem, non inane ludibrium: probat tum Viri pietas, & religioſa prudentia; tum antiquiſſimus Doctorum ſenſus, ipſiuſque Eccleſiæ authoritas; bullæ item variorum Pontificum; denique miracula devotam SCAPVLARIS geſtationem non ſemel conſecuta, & diligenter paſſim deſcripta. miracula autem ſunt veritatis teſtimonia. Quo etiam argumento, ſuam divinitatem apud Iudæos confirmavit Chriſtus, quando interrogatus à Ioanne Baptiſta, ipſené Meſſias foret? ejuſdem diſcipulis mandavit: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis; quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt.* XIV.

Cujus etiã devotam geſtationẽ, varia miracula comprobârunt.

Luc. 7. 22.

Hîc autem notandum venit, tametſi Deipara Virgo vnum duntaxat SCAPVLARE tradiderit S. Simoni: ſolere nihilominus plura alia, ad ſimilitudinem illius accepti SCAPVLARIS, Ordinem Carmelitarum diverſis quoq; fidelibus in Eccleſia diſtribuere. Atque ita fatentur ſtatim feciſſe ipſum Simonem, nemine reclamante; dein poſteros ejus, approbantibus etiam Pontificibus, & facultatem ampliſſimam concedentibus, vt Carmelitæ, Fraternitates ſub titulo B. Virginis, & SCAPVLARIS erigere poſſint. Demum non tantùm hodie per Italiam, Germaniam, Belgium, aliaſq; orbis partes, omnis ætatis, ſexûs ac conditionis homines geſtant collo appen- XV.

F. Cyprian. à S. Maria in Theſaur. Carmelit. c. 6.

Fraternitas Scapularis, numerat nobiliſſima membra.

Digitized by Google

ſum SCAPVLARE; ſed jam olim quoq; idem facere, receptum fuit principibus perſonis. Nam & Ludovicum Galliæ, & Odoardum Angliæ Reges, & Angelam Bohemiæ Regis filiam, & Henricum Alencaſtri Ducem, & Henricum Notrumbriæ Comitem, alioſq; ex magno ſanguine natos, diu noctuque hoc Mariani favoris inſigne portâſſe memorant: vt nihil dicam de maximis vtriuſque ſexûs perſonis, quæ idem poſterioribus ſæculis geſtârunt; vtiq; ejus promiſſionis gratiâ, quam D. Virgo SCAPVLARI annexuit, cùm dixit: *in quo quis moriens, non æternum patietur incendium.*

Carthag. loco ſup. cit.

XVI. O igitur felices, & ter quaterque beatos, affirmabit aliquis, omnes illos mortales, qui ex pio erga DEI Matrem affectu, ejus ſibi SCAPVLARE ad pectus, humeroſque ſuſpendunt, ab ejuſdem Fratribus Carmelitis acceptũ! licet enim improbiſſimi ſint, & homines patibularij, digni ob facinora non tantùm laqueo, ſed rotâ quoq; & rogo, imò & inferis; perire tamen non poſſunt, neq; miſerâ alterius orbis æternitate, cum damnatis puniri. quin potiùs neceſſe eſt, vt per efficaciſſimam Mariæ interceſſionem, ſaltem vltimo vitæ articulo, redeant ad pœnitentis animi frugem, DEIq; ſui ſeram quidem, ſed ſinceram amicitiam. Ita edixiſſe glorioſam Virginem, SCAPVLARE quod communicavit F. S. Simoni, jam ſæpius repetito, *ſignum eſſe ſalutis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni, in quo quis moriens, non æternum patietur incendium:* neque ampliùs pollicitationem ſuam infringere, non retractare verba, non revocare ſententiam. Denique ſibi conſtare Mariam, & veracem eſſe, quia Veritatis Mater eſt.

Scapulâre, & annexa ei promiſſio, quibuſdam eſt occaſio continuandæ impietatis, & protrahendæ pœnitentiæ.

XXVII. Quæ omnia nihil aliud ſunt, quàm novi fulcri ſubſtructio, pro ſtabilienda multorum conſuetudine impiorum, reſipiſcentiam ſuam & converſionem, protrahentium ad moriendi neceſſitatem. Ita non vnus, ſed plures improbi ſibi occinunt, ſæpe fatales in perniciem ſuam Muſici. Quod enim Theodorus olim apud Plutarchum queſtus fuit, ſe doctrinam ſuam auditoribus dexterâ porrigere, ſed illos ſiniſtrâ accipere, ſiniſtrè intelligere, & bene dicta in partem malam accommodare: id ipſum multis obijcere poteſt ſanctiſſima Virgo, quòd promiſſionem ſuam SCAPVLARI annexam, nimis laxè, & contra pollicentis mentem explicent: quaſi verò nemo fœnerator, nemo adulter, homicida nullus, aut quiſquis alius gravium flagitiorum pertinax amator, æternùm poſſit interire: ſi cum pia erga DEI parentem fiducia, SCAPVLARE corpori ſuo appendulum circumgeſtaverit, eoque velut Mariano inſigni, mor-

Plut. in apoph.

B. Virginis pollicitationem, quam adjunxit Scapulari, multi non rectè accipiunt, & malè explicãt.

tem

tem ſuam obſignaverit. Qui ſenſus, quemadmodum humanæ malitiæ habenas laxat, viamq; ſternit temeritati ad omne ſcelus: ita minimè gentium à Deipara intenditur, in neceſſariam filij ſui injuriam.

XVIII.
Illud: in quo quis moriens, non æternum patietur incendiū, ſanè debet accipi ſicut alia plura vniverſalia ſcripturæ dicta.

Debent igitur verba illa: *in quo quis moriens, non æternum patietur incendium*, prudenter accipi; ſcilicet juxta regulas fidei & veræ Theologiæ, ſicut alia plura divinæ ſcripturæ vniverſalia dicta. Cujuſmodi eſt iſta Chriſti promittentis enunciatio apud Ioannem: *ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* & illa apud Matthæum; *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* neque enim ſenſus eſt, cum ſalutem conſequi, qui ſemel legitimè baptizatus in Chriſtum credidit, eundemque pro cibo animæ ſuæ, in Euchariſtico ſemel ferculo accepit; eſto poſtea cum letifero peccato hinc migraverit; ſed iſte potiùs: niſi homo aliunde ponat obſtaculum, per recentes & mortiferas noxas, mandatis divinis contrarias: quantum eſt ex parte ſua, fidem veram, baptiſmi item, atque Euchariſtiæ ſacramentum, æternam ſalutem conferre.

De Euchariſtia. *Ioa. 6.*
De Fide & Baptiſmo. *Matth. vlt.*

XIX.
De Eleemoſyna. *Tob. 4. 11. Daniel. 4. 24. Luc. 11. 41.*

Similia ſunt illa generalia ſcripturæ pronunciata: *Eleemoſyna ab omni peccato liberat. peccata tua eleemoſynis redime.* Et illud Chriſti ad avaros Phariſæos verbum: *date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Quid enim? num Phariſæi, ſi longas feciſſent largitiones, in Chriſtum autem, vnicum ſalutis humanæ auctorem, non crediſſent: mundi, id eſt juſti, coram Deo fuiſſent? tam parum atque illi, qui cum deſtinata, ac certa voluntate continuandi ſcelera, liberales ſimul ſunt in pauperes. Horum ſic meminit S. Auguſtinus. *qui ſceleratiſſimi vivunt, neq; curant talem vitam, moreſq; corrigere; & inter ipſa facinora ac flagitia ſua, eleemoſynam frequentare non ceſſant; fruſtra ſibi in eo blandiuntur, quoniam Dominus dixit: date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Et rurſum alio loco idem propoſitum vrgens ait. *Sanè cavendum eſt, ne quiſquam exiſtimet, infamia illa crimina, qualia agant, qui regnum* Dei *non poſſidebunt, quotidie perpetranda, & eleemoſynis quotidie redimenda. In melius quippe eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus* Devs: *non ad hoc emendus quodammodo, vt ea ſemper liceat impunè committere.* Cùm igitur dicitur, Eleemoſyna liberare ab omni peccato, & omnia munda facere; ſenſus eſt juxta Bedæ, Bonaventuræ, aliorumq; Theologorum mentem; eleemoſynam non propriè remittere peccata,

S. Aug. tom. 3. in Enchirid. c. 75.
Idem in Enchirid. cap. 70.

ſed tantùm diſponere ad remiſſionem eorum: ſeu viam præmunire ad divinam miſericordiam, ex qua fluit gratuita condonatio culpæ, ac juſtificatio. Conformiter illi, quod Angelus dixit Cornelio

Actor. 10.4. Centurioni, in numerum fidelium adſcribendo: *eleemoſyna tua*

Eccl. 19.15. *aſcenderunt in memoriam, in conſpectu* Dei. Cui ſimile eſt iſtud ſapientis: *conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Poteſt etiam ſententia illa, de eleemoſina omnia mundante, intelligi de emundatione quoad pœnam temporalem, in homine jam juſtificato; puta per verum contritionis dolorem, aut per ſacramentum pœnitentiæ, in lege nova præceptum, ad remiſſionem culpæ mortalis; quod vniverſali illo de Eleemoſyna dicto, nequaquam eliditur.

XX. Huc refero etiam teſtimonium, à S. Ioanne Evangeliſta generatim prolatum de proximi dilectione, quemadmodum id D. Hie-

S. Hieron. in cõment. ſuper epiſt. ad Galat. lib. 1. c. 6. ronymus conſignavit, verbis ſequentibus. *Beatus Ioannes Evangeliſta, cum Epheſi moraretur vſq; ad vltimam ſenectutem, & vix inter diſcipulorum manus, ad eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura vocem verba contexere; nihil aliud per ſingulos ſolebat proferre collectas, niſi hoc: filioli diligite alterutrum. Tandem diſcipuli, & fratres qui aderant, tædio affecti, quòd eadem ſemper audirent, dixerunt: Magiſter quare ſemper hoc loqueris? qui reſpondit dignam Joanne ſententiam, quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fit, ſufficit.* An verò prudenter hinc colligas, S. Apoſtolum & Evangeliſtam, omnem perfectionis plenitudi-

De Dilectione proximi, ex S. Ioanne Evangeliſta.

nem, ita collocare voluiſſe in ſolo, & vnico præcepto, de diligendo proximo, vt alia Numinis mandata, circa fidem, ſpem, pœnitentiam, ipſamque ejus charitatem excluderet? minimè gentium; ſed cùm ſciret veram proximi dilectionem, fundari in Dei amore; in hoc autem, velut in radice ſua, contineri aliorum præceptorum obſervationem; ideo ex frequentibus chariſſimorum ſibi capitum conventiculis, diſcipulorum inquam ſuorum, atq; in fide Chriſtiana filiorum, toties vrſit, potiſſimum, inter cætera Chriſti mandatum, de conſervanda invicem mutua charitate. Sicut enim inter metalla aurum, ignis inter elementa, ſol inter planetas, inter cœleſtia corpora cœlum empyreum, inter angelicas mentes, ſeraphici Spiritus eminent: ita virtutibus reliquis, velut Regina, ſuperior eſt Charitas, affirmante idem Paulo: *Fides, ſpes, charitas, tria hæc:*

1. ad Cor. 13. 13. *maior autem horum eſt charitas;* quæ tam in proximo, quàm Deo, ſummum ſemper bonum habet pro objecto.

XXI. Attexo hìc aliud vniverſale magni Apoſtoli dogma, quod non

niſi

Digitized by Google

niſi ad ſanum ſenſum reſtringi debet; vt cùm generatim ait de Deo: *omnes homines vult ſalvos fieri.* Nunquid igitur omnes ſalvabuntur, quandoquidem omnia quæcunque vult, faciat Deus? Sed nempe opus eſt diſtinctione S. Damaſceni, qui ponit in Deo duplicem voluntatem. Vna vocatur antecedens, quæ ſcilicet antecedit omnem prævisionem bonorum, & malorum operum in homine; & hæc ſe tantùm tenet ex parte Dei, ejuſque in homine benevolentia. Altera ejuſdem voluntas appellatur cõſequens, quia præmiſſis bonis, vel malis operibus ex parte hominum, vult eos ſalvare vel damnare. Quando ergo Apoſtolus in genere ait, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, debet intelligi de voluntate non conſequente (hac enim impios, prævisâ eorum impietate, vult damnare, non ſalvare) ſed antecedente; quòd nimirum Deus, ante prævisionem finalis impœnitentiæ in aliquibus, quantum eſt ex parte ſua, velit, optet, cupiat feriò, atque ex animo, omnium hominum ſalutem; ideoque omnibus dedit Chriſtum Redemptorem, & per eum Sacramenta, aliaque ad ſalutem neceſſaria, & ſufficientia media. Cæterùm vt hæc Dei voluntas antecedens, fiat completa & efficax, ſive vt efficaciter ſortiatur effectum; debet ex parte hominis, tanquam à Deo requiſita conditio, accedere: ejuſdem ſcilicet cooperatio, & voluntaria mediorum ad ſalutem præſcriptorum applicatio. quæ mens communis eſt SS. Patrum. Quia verò hîc multorum induſtria mortalium deficit, excutientium quæ Deus liberaliter offert, beatitudinis conſequendæ adjumenta, auxiliaque gratiarum, hinc multi pereunt; ſed vitio propriæ ſocordiæ.

De voluntate Dei omnes homines ſalvandi. 1. *ad Timoth.* 2. 4.

Damaſc. lib. 2. *de fide c.* 29.

Vide Cornel. 1. *ad Timoth.* 2. v. 4.

Hac igitur ratione (vt redeam vnde digreſſus ſum) quando B. Virgo pollicita eſt, eum qui in SCAPVLARI ſuo morietur, non iturum ad inferos, cum ſale intelligi debet; nempe quantum eſt ex parte ſua, & ex capite gratiæ illius copioſæ, quam eidem apud filium ſuum impetrabit, intuitu SCAPVLARIS, jam olim collati *in ſignum ſalutis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni.* niſi ſcilicet ex alio capite, impingat in petram ſcandali, & lapidem offenſionis, per temerariam divinæ legis transgreſſionem. Meminerunt ſacræ litteræ pacti ac fœderis, quod olim Deus pepigit cum Noe, ſublato per cataclyſmum humano genere, vſque ad pauculas tantùm animas. nam veluti pœnitens facti, & tam rigidæ juſtitiæ, ita ad Noe, ejuſque ſuperſtitem familiam pronunciavit. *Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluvij, neq; erit deinceps diluvium diſſipans terram. Dixitq; Deus: hoc ſignum fœderis, quod do inter*

XXII. Scilicet geſtantem Scapulare, non periturũ, quantum eſt ex parte gratiæ copioſioris, quã B. Virgo illi impetrabit apud Filium, intuitu SCAPVLARIS.

Gen. 9. à v. 11.

Sicut enim arcus in nubibus ſignum Deo eſt, facti olim fœderis, de cavendo diluvio ſecundo:

ter me & vos, & ad omnem animam viventem, quæ eſt vobiſcum in generationes ſempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram. cumq́ obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum; & non erunt vltra aquæ diluvij, ad delendam vniverſam carnem. Eritq́ arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni, quod pactum eſt inter Deum, & omnem animam viventem, vniverſæ carnis, quæ eſt ſuper terram.

XXIII.

Ita SCAPVLARE eſt ſignum quoddam taciti pacti, quo Deipara quaſi obligavit liberalitatem ſuam ijs, qui ex pietate SCAPVLARE portant.

Liceat hîc mihi ſacrum SCAPVLARE cum arcu cœleſti, & pulchra iride componere. Nam tametſi ipſum in ſe, vi ſuâ nativâ, nihil habeat efficaciæ, ac virtutis activæ in hominem; eſt tamen nihilominus ſignum quoddam fœderis initi, tacitique pacti, quo Deipara quaſi obligat liberalitatẽ ſuam ijs omnibus, qui ſingulari erga illam pietate ducti, ejus SCAPVLARE geſtant. Et quoniam authoritate materna, plurimùm apud Filium ſuum pollet, iſtis ſibi devotis vernulis ſervuliſque, majores & abundantiores gratias impetrat, quàm alijs communiter hominibus; vt ſi eas acceptare velint, breve ſalutis ſuæ compendium habeant: facileque poſſint, tam copioſis muniti auxilijs, cœlum lucrari, & inferos evadere. Quòd ſi repudiaverint hos Dei, ſuæque Matris favores, manuque ingratâ excuſſerint compendioſa beatitudinis adipiſcendæ media, immerſi vitiorum illecebris; profectò non obſtante SCAPVLARI, pereunt; ſed ſuâ culpâ, & maximâ culpâ, quia ex temporali in æternam tranſibit.

XXIV.

Et quanquam aliquibus ex hoc numero, SCAPVLARIS intuitu, impetret à Filio, ſub mortẽ pœnitentiam, non tamen omnibus impetrat. Aliàs certitudinẽ ſalutis haberent; quod eſt contra fidem.

Contendet autem non nemo, propterea quòd Divę Virginis promiſſio abſoluta eſt, cum non aditurũ inferni cruciamenta, quem mors in Carmelitico SCAPVLARI invenerit; ſaltem illud evincis hujus intuitu omnibus (etiam ſceleſtiſſimis mortalibus) quotquot id piè geſtaverint; Dei Genitricem impetraturam efficacem à Filio ſuo gratiam: vt ſaltem ante vltima fata, ſincero animo prioris vitæ ſuæ peccata deteſtati, ad Dei ſe recipiant ſemper apertiſſimum ſinum. Quoniam verò ſic omnes, qui in Virginis obſequium, ejus ſibi SCAPVLARE appendunt, certitudinem haberent ſalutis ſuæ (quod Scripturæ repugnat, fideiq́;) conſtat totam illam contentioſi diſputatoris opinionem, inane commentum eſſe. Interim non negaverim, etiam in propoſita materia fieri ſolere, vt ſubinde Deus ex abyſſo conſiliorum ſuorum, quibuſdam flagitioſiſſimis conferat gratiam non debitam, efficacem illam congruamque (certum atq́; infallibile ſalutis medium) velut connivens ad caſtiſſimæ Matris ſuæ preces, interpellantis pro indignis quidem clientibus, inſignitis tamen ac veſtitis SCAPVLARI ſuo. Nihilominus benevolentias

iſtas,

Digitized by Google

iſtas, quæ privatis fiunt, & quaſi præter cõmunem rerum ordinem, nunquam licet trahere in conſequentiæ neceſſitatem, certamque regulam; quaſi omnibus graviter diuque ſceleratis, propter SCAPVLARE geſtatum, eadem fortuna, gratiaque obventura ſit. Satis eſt hanc pietatem ita à Deipara compenſari, vt ejus causâ, ſingulis plus gratiæ ſufficientis conferatur, & tanta ejus copia, vt qui eam volet amplecti, facile, planumque ad cœlum iter habeat. Somniare autem eos de gratia efficaci (vt vocant Theologi) qui cùm ſunt ſacro tecti SCAPVLARI, audent continuis, quotidianiſque flagitijs, Mariæ Virginis ſibi dilectiſſimam prolem, Chriſtum vulnerare, præter dubium, etiam periculum habet.

Reſtat igitur dicere, Deiparam propter Scapulare, homini impetrare à Filio gratiam ſufficientem copioſiorẽ.

XXV.

Lugubre eſt & gemitu dignum, quod Stephanus Juliacus de S. Coleta commemorat, Virgine Religioſa, & multùm Deo, ejuſq; Matri amata, ob virtutis pretium. Evenit vt aliquando pro peccatoribus Orbis hujus, calidas ad Angelorum Reginam preces mitteret, & hem! in conſpectum Magna Mater ſe, & Filiolum ſuum dat; non eum qui è ſinu vel Matri, vel Coletæ arrideret: ſed qui vnum jam toto vulnus corpuſculo, lacrymis ſuis commiſerationem videretur, atque opem expoſcere. Adjecit Filio adgemiſcens Mater, illam etiam hodie facinoroſorum crudelitatem eſſe. *Et qui vis* (inquit ad Coletam) *vt pro illis intercedam, qui peccatis ſuis Filium meum, quantum quidem ipſi poſſunt, ita vt hic vides, in fruſta diſcerpunt?* Hinc omen habent, quid quantumque confidere de ſalute ſua audeant, omnes illi profligati mortales, quorum tota vita teritur in ſceleribus ſuis augendis, & novis Chriſto faciendis vulneribus. Imò & Deiparæ; nam cum Mariæ Filioque, idem quaſi cor ſit: fieri non poteſt, quin per latus Chriſti, ipſa ejus configatur Mater, eodem velut doloris ſenſu ac vulnere. Mihi itaque certum eſt; ſicut pijs omnibus, & bonæ vitæ hominibus, tum erigitur Fulcrum ſpei ſuæ de conſequenda beatitudine, cùm ſimul & Virginis Beatæ, & SCAPVLARIS ejus cultores ſunt; ita promiſſionem de eodem SCAPVLARI à Deipara factam, neque certitudinem ſalutis dare, graviter & obſtinatè impijs; neque juſtam occaſionem pœnitentiæ ſemper prolongandæ. Imò juſtiſſimus hinc metus naſcitur, ne repulſam patiatur à Deipara, qui ſub pallio SCAPVLARIS audet eſſe cum præſumptione flagitioſus, cum temeritate pertinax, & ſceleris amator, & oſor pœnitentiæ; conſequenter bis inimicus, in Chriſtum & Mariam, Filium & Matrem.

Apud Surium tom. 7. in ejus Vita c. 29.

Ipſi homines aliquãdo protervia culpæ ſuæ, minuunt ſibi Mariæ favores.

Denique ſicut pij, occaſione SCAPVLARIS, ſpem ſalutis ſuæ poſſunt augere:

Ita Impij, pœnitentiam ejuſdem intuitu, prolongare non poſſunt.

✠

PARA-

PARAGRAPHUS XIV.

Decimum Quartum Impiorum Fulcrum.

RECITATIO FREQUENS ROSARII, CORONÆ, PSALTERII, IN OBSEQUIUM B. VIRGINIS:

An reddere poſsit orantem de ſalute ſua certum, aut rationabiliter facere cunctatorem in negotio pœnitentiæ?

I. VEteribus mos fuit, epulis ſuis doctas quæſtiones interſpergere, condimenti vice. Qualis illa fuit diſputatio inter ſeptem Græciæ ſapientes, ejuſdem menſæ convivas, de domo optimè conſtituta. Et primus quidem Solon pronunciavit in hanc ſententiam. *Ea mihi optima videtur domus, ubi res eſt neq; injuſtè parta; neq; in ea vel conſervanda diffidentiæ, vel inſumenda pœnitentiæ eſt locus. Bias; in qua Dominus ſuâ ſponte ſe talem gerit, qualem foris, propter leges. Thales; in qua plurimum otij domino conceditur. Cleobulus; in qua plures ſunt qui diligant, quàm qui metuant Dominum. Pittacus; ubi neq; requiruntur ſupervacanea, neq; deſiderantur neceſſaria. Chilon; maximè oportet domum urbi, quæ ſub Rege eſt, ſimilem eſſe; adjecitq; Lycurgum cuidam, qui populare imperium Spartæ inſtituere ipſum juberet, reſpondiſſe: prius tu hoc domui tuæ facito.*

Plutarchus in Convivio ſeptem Græciæ Sapientum.

Diſputatio inter ſeptem Græciæ Sapiẽtes, de domo optimè conſtituta.

II. Sed bonâ horum Sapientum pace dixero; illam domum facilè anteſtare omnibus alijs, quam increata Sapientia extruxit, apud Salomonem Encomiaſten ſuum, ita narrantem. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum,*

Proverb. 9. v. 1. & ſeq.

vinum, & propoſuit menſam ſuam, & inſipientibus locuta eſt; venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis, relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ. Hîc obſerva, paulò ſupra à Salomone meretriculam quaſi in theatrum fuiſſe productam, quæ incautum juvenem verborum blandimentis ita circumvenit, vt eum initiò domum ſuam, ad opiparam menſam adduceret; tum deinde impuris amoribus, venereiſq; amplexibus irretiret; denique obſequentis ſibi animam jugularet, non alio telo, quàm ſcelere voluptatis. Igitur Rex Salomon, conſulturus pereunti adoleſcentiæ per illecebras ſcortorum; eorum ædibus anteponit domum Sapientiæ, veriſſimis inſtructam delicijs, ſaſuberrimoq; convivij apparatu; nempe ſapientiſſimis pro ſalute aſſequenda monitis, præ quibus nullum aliud ferculum, nullus hauſtus, animæ ſapienti guſtum facit. Ea eſt DomusSapientiæ, à Salomone deſcripta, & nixa ſeptē columnis.

III. Eſt autem quæſtio, qualis domus ſit illa, quam æterna ſapientia columnis ſeptem ſuperſtruxit? more præſertim apud Æpyptios, Babylonios, & Romanos antiquitus vſitato: quibus nulla ædificia viſa ſunt ſplendida, niſi ingentibus è marmore fulcris incumberent. Et quidem S. Gregorio hæc domus ſapientiæ, eſt Chriſti Eccleſia; Lyrano ſeptem columnæ, ſunt ſeptem Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramenta; imperfecto authori in Matthæum, apud ſanctum Chryſoſtomum, ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, quibus ipſe Eccleſiam DEI ſuffulſit. O felix ille eſt, quiſquis in hac ſapientiæ domo, Eccleſia inquam Chriſti, & diviniſſimorum ſe participem facit Sacramentorum, & illarum capacem gratiarum, quibus in pia hominum corda ſolet influere Spiritus ſanctus. profectò inconcuſſo durabit animo ad timores nocturnos, dœmonium meridianum, omnemque toto Orco excitam cacodœmonis potentiam. quàm ſolidè ſtabit Domus ſapientiæ, tam verè ipſe non corruet.

S. Greg. 33. mor. c. 15.

S. Chryſoſt. hom. 50.

Seu potiùs Eccleſia eſt Chriſti, cū ſeptem Sacramentis, aut ſeptem donis Spiritûs ſancti.

IV. Longè aliter res habet cum illis, qui tametſi in vera Eccleſia comprehenduntur, ſunt tamen velut putida ejus membra, computreſcentia in ſtercore flagitiorum ſuorum. Hinc toti luteis delicijs immerſi, neque Sacramenta (ſalutis ſuæ media) rectè vſurpant; neque gratias à DEO oblatas, incitamenta virtutis admittunt; neque cogitationem ſuſcipiunt valedicendi aſſuetis longo vſu ſceleribus, antequam mors imperet diſceſſum. tum autem jurant ſe acturos ſtrenuè, non tam pro aris & focis, quàm pro animabus ſuis. Interea ne in medio vitiorum curſu, puſillanimitate deijciantur, &

Quorū ſe tamen plures Improbi participes non faciunt.

Et nihilominus bene ſperant de ſalute ſua.

Digitized by Google

metu amittendæ ſalutis; ſpes ſuas ſtabiliunt pluribus fulcris, quàm domus ſapientiæ divinæ innititur, ſeptem omnino columnis.

V.

Novo auxilio Mariano confiſi.

Enimverò impiorum ſeriam emendationem reijcientium in mortis neceſſitatem, jam tredecim fulcra, totidem paragraphis ſubrui. Supereſt decimum quartum, vltimumq;, iterum ex patrocinio Mariano, ſeu potiùs, Mariani Roſarij frequenti recitatione depromptum. Sic enim ſibi aliquammulti perſuadent, ob efficaciam dignitatemque, ſive Pſalterij, ſive Coronæ, ſive Roſarij, in obſequiū B. Virginis ſæpius repetiti, ab eadem neminem ita orantem (licet inter ſceleratiſſimos agmen ducat) in morte deſeri; ſed potiùs tam benignè adjuvari, vt deniq; proximo ereptus naufragio, feliciter ad littus æternæ beatitudinis appellat. Quantum verò ſpes iſta, ſeu dicta in Deiparam confidentia, fulcrum ſit, quantique roboris, jam oſtendam; facturus initium ab origine Pſalterij, Coronæ, Roſarij, eorumq; præſtantia.

Efficaciā ſcilicet perſoluti à ſe Pſalterij, Roſarij, Coronæ, in quotidianū Virginis obſequiū.

VI.

Pſalterium Deiparæ, excogitatū eſt ad imitationem Pſalterij Davidici.

Pſalterium igitur communi vſurpatione, accipitur pro centum & quinquaginta ſalutationibus Angelicis, ita vt in ſingulas decades præponatur oratio dominica, eleganti precum mixturâ & cognatione. Credibile eſt hoc B. Virginis Pſalterium excogitatum fuiſſe, ad imitationem Pſalterij Davidici, quod centum quinquaginta pſalmis conſtat. Et quidem Carthagena, indubitatum ejus auctorem nominat S. Dominicum, Patriarcham Ordinis Prædicatorum: factâ illi à Deipara revelatione, vt contra graſſantem tunc paſſim Albigenſium hæreticorum inſaniam, Pſalterio ipſe, alijque pugnarent, religioſo genere armaturæ, & planè efficaci, vt eventus docuit; multùm enim per iſtas preces imminuta eſt hæreſis. Confirmat etiam propria Pij IV. & Gregorij XIII. bulla, ſanctum Dominicum Pſalterij jam dicti inſtitutorem fuiſſe; diviſis per quindecim decades, quindecim myſterijs ex vita Chriſti, ejuſque Matris deſumptis, quæ partim vocant gaudioſa, partim doloroſa, partim glorioſa.

Carthag. de arcanis Deiparæ l. 16. hom. 1.

Ejus auctor & propagator fuit S. Dominicus.

VII.

Corona B. Virginis, certa precandi formula, nomen accepit à corolla florum.

Corona, alia precandi formula eſt, conſtans ſexaginta tribus Angeli ſalutationibus (in memoriam annorum quibus vixiſſe DEI genitrix creditur) interjectis tamen ſingulis decadibus, oratione Dominicâ. Nomen accepiſſe videtur à Corolla florum, quæ exornando capiti plectitur. Et certè quantùm ſanctiſſimę Virgini Corona precatoria arrideat; quàm ſingulæ ejus ſalutationes, pro floribus ipſi ſuaviſſimum exhalent odorem, doctus eſt quidam ex Ordine Minorum. Hic aſſueverat quotidie in ſæculo,

Deipa-

Deiparę imaginem florum ſertò coronare, laudabili pietate. quam cùm videret ſe in Religione non poſſe (vt voluit) proſequi, obſtantibus officij ſui miniſterijs; ſtatuit rurſus mundum repetere, & prius orandę Virgini ſtudium, Sed ipſa illa, cui facere obſequium meditabatur, inhibuit ne vitam religioſam desereret. quin potiùs, ſi omnino animus eſſet, caput ejus cingere floreâ corollâ, ſexagies ter illam repeteret ſalutationem, quam à Gabriele acceperat Angelo in Nazareth; ſimul etiam tum meminiſſet pręcipuorum gaudiorum, quibus olim in his terris perfuſa fuit; gratius ſibi nullum plecti poſſe ſertum. Auxit fidem miraculum.

Belhartus in ſtellario l. 2, part. 2. art. 3. Chronic. Minor. part. 3. l. 1. cap. 34.

Et docuit piũ aliquẽ Diva, ex ſalutationibus Angeli, ſibi velut ſertum plecti.

VIII.

Nam cùm homo ille, Mariano jam magiſterio inſtructus, pergeret frequentare pręſcriptam orandi formulam; contigit vt ſylvam cum fratribus aliquot ingreſſus, Coronam Virgini ſacram recitaret. Interim latrones nonnulli, ex inſidijs obſervaturi Monachos, vident aſpectabili formâ, Dei parentem precanti aſſiſtere, atque ad ſingulas Angeli ſalutationes, pulchrum florem carpere, tandem omnes filo aureo in Corollam texere. Interim è latebris ſuis emergunt ſicarij, & quænam eſſet illa Virgo, aut cui fini floſculos in ſertum compingeret, cum interjecta minis violentia, ſciſcitantur ex fratre: ignaro omnium rerum, & trepidante ad ſanguinarias manus. Sed mox excuſſit timorem huic Maria: illis furorem. Nam inter glorioſos Angelorum cœtus, ſe præſentem ſtitit; redimita eâ, quam viſa fuit antea ex floribus corollam nectere, cum hoc devoti ſibi ſervuli elogio: *ecce quali me coronâ frater ille ornavit?* ſimul ſe ex oculis ſpectantium ſubduxit; injectâ latronibus religione, vt crudelem quæſtum cum voluntaria paupertate, ſylvam cum monaſterio, vitam ſolutam cum pœnitentia permutarent. Atq; hæc cauſa fuit, cur Fratres ex Ordine Minorum, & ipſi quotidie Coronam Virgini perſolverent, & publicis concionibus eandem pietatem inculcarent populo Chriſtiano: quòd viderent ipſam Deiparam Coronæ ſuæ auctorem eſſe, nullumque ipſi pręe hac, ſertum florigerum placere.

Viderunt etiam latrones, cũ is poſtea homo in ſylva Coronam diceret, ad ſingula AVE MARIA, Deiparam florem carpere, & inde corollã texere.

IX.

Rosarium, nomen habet à roſis, quas etiam B. Virgo, viſa eſt aliquando accipere ex ore ſe ſalutantium,

Venio ad Roſarium, quod tametſi ſępius promiſcuè accipiatur pro Pſalterio, in bullis Pontificum; nunc tamen communiter ſignificat vnam duntaxat quinquagenam ex ſalutationibus Angelicis, quarum ſingulę decades inter ſe, oratione dominicâ ſeparantur. Porrò Roſarium, locus eſt roſis conſitus, vt intelligamus illam orandi formulam, quam Roſarium appellamus, meras

Digitized by Google

& in ſertum compingere. ras Virgini Matri roſas ſpirare. Et notat Epiſcopus Crotonenſis, ſæpe conſpectam fuiſſe Mariam, ex ore ſe ſalutantium cum Angelo, carpere candidas, purpureaſque roſas; jamque abſolutis roſarij globulis, roſeum in virgineo capite ſertum ſtetiſſe; quod Deipara ita ſecum in cœlos ſuſtulit, præſentandum filio ſuo, vt parata eſſet iterum referre ad eum morientem coronandum, qui hoc genere precum, ipſam ſtudioſè veneratus fuit.

Epiſc. Croton. t. 3. ſua epitomes, in feſto Roſarij.

X. Neque mirum eſt aut D. Virgini, aut Chriſto ejus filio, aut æterno Patri, tam ſuave eſſe Roſarium Pſalteriumque; quando ex inſtitutione ſancti Dominici, in eo coaleſcunt nobiliſſimæ duæ partes, Oratio inquam Dominica, & ſalutatio Angelica. Et quidem de prima in hunc modum loquitur S. Auguſtinus: *ſpem habemus obtinendæ cauſæ noſtræ, quando talis juriſperitus nobis preces dictavit.* Et D. Cyprianus: *qui fecit nos vivere* (ait) *docuit & orare; vt dum orationem, quam filius docuit, apud patrem loquimur, faciliùs audiamur, & agnoſcat Pater filij ſui verba, cùm preces fundimus.* Planè eo modo, quo Rex Ieroſolymæ David, Ducis ſui Ioabi cognovit verba, per ſapientem feminam Thecuitim, orantis & deprecantis pro filio Abſalone. nam teſte ſacrâ paginâ, ſic mulieri locutus eſt Ioab: *ingredieris ad Regem, & loquêris ad eum ſermones hujuſmodi: poſuit autem Joab verba in ore ejus.* dictando ſcilicet cum exacta diligentia, omnem illam ſententiam. quam placando Patri, & reconciliandæ ſoboli regiæ, quaſi ad libellæ examen proferre deberet. Facilè autem David ex ingenioſo ad perſuadendum ſermone, Ioabum deprehendit artificem. neq; Thecuitis interrogata negavit, eum totiùs actionis, conſilijque fabrum eſſe. Itaque vocato Ioabo, *Rex ait: ecce placatus feci verbum tuum, vade ergo & revoca puerum Abſalon.* Ita omnino Servator Chriſtus, ad reconciliandos Patri irato peccatores, verba ſua, orationem ajo Dominicam, ponit in ore ipſorum; nec difficulter veniam accipiunt, quando ad paternas aures dilectiſſimi filij verba pertingunt, ab amore divino, quem ſecum trahunt, potentiſſimè armata.

D. Auguſt. hom. 42. ex quinquaginta.

S. Cyprian. de orat. Domin.

2. Reg. 14. 3.

Pſalteriũ, Corona, & Roſarium Deiparæ, efficaciam ſuam accipiunt tum ab oratione Dominica.

3. Reg. 14. 21.

XI. Proxima dignitas poſt Orationem Dominicam, ſalutationi Angelicæ debetur, in qua tres velut ſtructores laborârunt. Gabriel Archangelus cùm dixit: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*: Eliſabetha, quando Virgini peregre venienti, gratulata eſt dicens: *benedictus fructus ventris tui.* Deniq; Eccleſia Catholica, cùm ex pio affectu prioribus hæc ſubnecti voluit:

Lucæ 1. 28.

Lucæ 1. 43.

Jeſus,

Jeſus, Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ, Amen. Et quidem jam ab exordio fidei Chriſtianæ, hanc Angeli ſalutationem, apud omnes in pretio atq; æſtimatione fuiſſe, inde eſt conijcere; quòd & S. Jacobus Apoſtolus, & S. Chryſoſtomus, & S. Baſilius Magnus, in ſuis quiſque lithurgijs, eam cum devota Virginis invocatione inſerant. Neque immeritò hæc Angeli ad Deiparam ſalutatio in honore eſt; quandoquidem vt B. Petrus Damiani advertit, ſummi beneficij, ac ſupremi myſterij in ea continetur memoria: Incarnatio ſcilicet Dei, & gratioſiſſima humani generis redemptio.

Tum à ſalutatione Angelica, ſemper apud veterem Eccleſiã in pretio habita.

B. Petrus Dam. ſerm. 1. de Nativit. B. V.

XII. Porrò ſalutationis jam dictæ, ſi quis vtilitatem ſcire deſiderat, inveniet non vnam apud B. Alanum. Ejus iſta ſunt verba. *Auſcultet ſancti Nominis tui amator, ô* MARIA; *cœlum gaudet, omnis terra ſtupet, cùm dico* AVE MARIA. *Sathan fugit, infernus contremiſcit, cùm dico* AVE MARIA. *Mundus vileſcit, cor in amore liqueſcit, cùm dico* AVE MARIA. *Creſcit devotio, oritur compunctio, cùm dico* AVE MARIA. *Spes proficit, augetur conſolatio, cùm dico* AVE MARIA. *Recreatur animus, & in bono confortatur æger affectus, cùm dico* AVE MARIA. *Siquidem tanta eſt ſuavitas hujus benedictæ ſalutationis, vt humanis non poſſit explicari verbis: ſed ſemper altior manet & profundior, quàm omnis creatura indagare ſufficiat.*

B. Alanus lib. de Pſalt. Virg. c. 70.

Salutationis Angelicæ, vtilitates eximiæ.

XIII. Atq; hæc puto, tam varia Roſarij vtilitas, occaſionem Patriarchæ Dominico ſubminiſtravit, vt Fraternitatem ejuſdem Roſarij, ſive Pſalterij, pro fidelibus vtriuſque ſexûs inſtitueret; quam Pontifices non tantùm approbârunt, ſed magnis indulgentiarum largitionibus locupletârunt. Et quoniam tota S. Patris Dominici religioſa familia, paulò poſtquàm is inter Divos relatus eſt, domicilijs quater millenis, centum & quadraginta ſeptem, paſſim per orbem Chriſtianum diſperſa fuit, vt Genebrardus memorat; ideò Fraternitas dicta, in immenſum crevit, magno hodieque eorum bono, qui in illa cenſentur; gaudet enim vnuſquiſque alterius ſuffragijs, boniſque operibus, tanquam ſuis ac proprijs. Et quoniam citra dubium, plurimi innocentes ſanctique homines, in hoc cœtu continentur, quorum merita in alios quoque copioſo proventu diſpenſantur; hinc tam confidenter Carthagena ſcripſiſſe videtur ſequentia: *arbitror ſanè, nec immeritò, inter argumenta & ſigna prædeſtinationis, illud non infimum locum obtinere, quod quiſpiam nomen dederit, huic ſacræ* FRATERNITATI.

Fraternitas Roſarij erecta à S. Dominico in honorem Deiparæ.

Genebr. in Chron. lib. 4. ſub init.

Carthag. de arcanis Deip. lib. 16. hom. 6.

XIV. Imò doctiſſimi Viri opinionem, videor extendere poſſe ad o-

Videtur ſignum habere prædeſtinationis, qui in obſequium MARIÆ, libenter orat Roſariũ, Pſalteriũ, aut Coronam.

mnes eos Chriſtianos, qui ex ſingulari erga Deiparam cultu, pioque amoris ſanctiſſimi affectu, Pſalterium ei, aut Roſarium frequenter perſolvunt. In cujus rei confirmationem adfero rem plurimùm admirandam, & idoneis comprobatam teſtimonijs. Nam quo tempore glorioſus Patriarcha Dominicus (vt juſſus fuerat à Chriſto, & ejus Matre) cœpit publicis laudibus extollere Roſarium, omneſque pro concione ad hoc genus precandi excitare; ſicut multos habuit faciles ad obtemperandum, ita non defuerunt hæretici, irriſores B. Virginis, cujus Angelicam ſalutationem Dominicus commendabat. Et quidem horum vni, magno ſtetit ſuus riſus, & jacta in Dei genitricem calumnia; nam quindecim millia dœmonum eum invaſerant, ſingulis Pſalterij decadibus (quas ipſe per contemptum exſibilavit) mille ſpiritibus in carnificinam admenſis; quod propriâ confeſſione teſtatus eſt ipſe reus, quando jam ſui eum energumenum adduxerunt Dominico, Sancti Viri precibus, meritiſque vindicandum à tam diris hoſpitibus. Sed placuit magno Dei, ejuſque Matris famulo, antequam tot illas diabolorum legiones, occupato expelleret domicilio; quæſtionem vnam proponere, ſolvendam à tortoribus illis ſpiritibus, bono ſpectatorum tum præſentium, quorum capita ad quindecim millia excreviſſe putantur. Interrogat ergo S. Dominicus, edicerent ſine mendacij fraude, quis homo præ cæteris omnibus in cœlo beatis, plus haberet gloriæ, plus in Orcum poteſtatis. Sed cùm mali hîc genij multum tergiverſarentur, ipſa Virgo Virginum, auguſto cum ſatellitio, ſe ſe è nubibus penetrans, juſſit omnem veritatem promere. Accepto igitur altiore imperio, damnati ex energumeno Angeli, ſic inter publicos gemitus, & mutuos ejulatus reſponderunt. *Audite vos Chriſtiani: hæc Chriſti Mater potens eſt nimis in præſervandis ſuis ſervis, quò minus præcipites in barathrum inferni ruant. Illa eſt quæ diſſipat, vt ſol tenebras, omnes noſtras fallacias, illa enervat, & ad nihilum redigit omnia noſtra machinamenta. Fatemur coacti, neminem vobiſcum damnari, qui in ejus ſancto cultu, & pio obſequio devotus perſeverat. Vnicum ejus ſuſpirium, ab ipſa, & per ipſam Sanctiſſimæ Trinitati oblatum, ſuperat & excedit omnium Sanctorum preces; magiſq; eam reformidamus, quàm omnes paradiſi cives; neque contra fideles ejus ſervos quidquam poſſumus prævalere. Amplius etiam neceſſitate compulſi renunciamus, nullum in ſancto exercitio SS. Roſarij perſeverantem, æternos inferni ſubire cruciatus; ipſa enim devotis ſervis ſuis, veram impetrat contritionem. quâ ratione fit,* vt

Bzovius ad annũ Chriſti 1213. n. 12. ex Humberto & alijs.

B. Alanus de Rupe lib. de dignit. Pſalt. B. V. c. 10.

Teſtante ex energumeno cacodæmone, poteſtatem B. Virginis magnam eſſe, & pietatem:

Eripientis ſibi devotos è damnatione; medio collatæ ijſdẽ contritionis in morte.

vt & peccata confiteantur, & eorundem indulgentiam à Domino conſequantur.

Atque hîc jam aliquibus cornua ſurgunt impijs, vt & mihi inſultare audeant, & ſibi blandiri, illudque palam jactare; *hic murus aheneus eſto*: propriâ dœmonum confeſſione, nemo, qui in devoto Virginis obſequio continuaverit; nemo qui in pia Roſarij conſuetudine perſeveraverit, ibit eò, quò plurimi ſolent, ad locum nempe calamitatis æternæ; vbi nulla cruciamentorum eſt interruptio, vnus perpetuuſque dolor. Et quis nolit, etiam inter enormia ſcelera, quàm optimè de ſua beatitudine confidere? quis timeat procraſtinare emendationis propoſitum, & reſipiſcentiam omnem in mortis ablegare articulum? Nam, ſi interea diligens Mariæ cultor eſt, ſi frequenti obſequio coronas ei texit, & roſaria ex ſalutationibus Angeli Gabrielis, ſupra Hyblæ & Pæſti flores, ſuavè olentibus roſis: malè omnino mori non poteſt, interire non poteſt, neque avernalis rogi infelix pabulum fieri: nam vt iterum confitentium patet teſtimonio cacodœmonum, Deipara his talibus devotis ſibi ſervulis, impetrat à filio, ante extremum vitæ halitum Contritionem: veriſſimum pœnitentis animi dolorem, certumque & infallibile medium, ſecuturæ cum Deo reconciliationis. vt meritò iterum quibuſvis impijs (cultoribus tamen B. Virginis) tot quaſi fulcra videantur conſurgere, ſtabillendæ de ſua beatitudine ſpei, quot ipſi Coronas, Roſaria, Pſalteria, in Deiparæ honorem pio cum affectu perſolverint. XV.

Et hoc ipsũ eſt, quod cultores B. Virginis, facit benè confidere de ſua ſalute, etiam Impios.

Sed vt putent homines profligati, novum ſe hîc cauſæ ſuæ reperiſſe fulcimentum: ajo ego veterem quercum eſſe, jam ſuperioribus paragraphis à me in ſimili materia excuſſam. Nam ſi verum eſt, quod ſpiritus mendax aſſeruit; neminem eorum, qui in ſancto Roſarij exercitio perſeveraverit, æternos aditurum inferni cruciatus; reſpectu illorum verum dixit, qui cum debitis circumſtantijs, hanc precandi formulam Deiparæ offerunt: puta cum ſincero peccati gravis odio, cum ſeria culparum ſuarum deteſtatione, cum fixo animi decreto, reſurgendi quamprimùm à lapſu, & cavendi imposterum ſtudioſè relapsûs occaſionem; quotieſcunque denique ſive ex malitia, ſive ex infirmitate ceciderint. Credibile igitur eſt, quamdiu iſti ſic conſtituti, matrem miſericordiæ in partem laboris ſui, auxilijque piè invocant, ſertiſque eleganter plexis, & coronis, & roſarijs ex Angeli ſalutatione, Beatam Virginem ad ſua vota, preceſque trahunt, poſtulata impetrare; & denique XVI.

Quod maximè verum eſt de ijs Improbis, Virgini devotis, qui habent deſiderium & propoſitũ proximæ converſionis.

(ſi

(ſi ad manus non foret Sacramentorum copia) ejuſdem ope, per veram contritionem à peccatis ſuis ante mortem expiari.

XVII. Alia prorſus ratio eſt cum illis, qui Chriſtiani immemores officij, laxant frenum per totam quaſi vitam licentiæ, effuſi in omne genus facinorum, capitaliſſimi virtutis hoſtes, amici voluptatum gaudiorumque, quibus Dei pietas exaſperatur in vindictam. Nam ſi hæc peſſima ſoboles ſub mortis articulum, quo denique ſtatuit reſipiſcere ad frugem, certum ſpondet neceſſitati ſuæ contritionis dolorem, ope Sanctiſſimæ Virginis obtinendum: vtpote cujus amorem frequenti Roſario, ſibi ſtuduit devincire, timeo ne actum agat. Cauſam invenio in communi juris axiomate, quod negat fraudulento homini debere fraudem ſuam patrocinari; pari modo neque illuſoribus ſua illuſio. Eſt autem quoddam inſolentiſſimum genus illudendi, in ipſam Dei, Deiparæque cedens injuriam, quando ſceleſtus homo impiuſque, idcirco B. Virginem colit, ſimulque per frequentem Roſarij recitationem, eam ſibi demereri conatur, vt velut ſalutis ſuæ certus, & Mariani ſub mortem patrocinij, audeat liberiùs interea cupiditatibus ſuis indulgere.

Non autem de illis, quibus voluntas eſt perſeverādi in impietate, ſimul & ſtudio colēdi Deiparam.

Quia nec fraus debet patrocinari fraudulento, nec illuſio illuſori.

XVIII. Hæc enimverò impudens præſumptio in miſericordiam Chriſti, palliata Matris ſuæ pietate, indignum facit temere præſumentem, & Filij gratiâ, & parentis interceſſione. Exemplum eſt in Abſalone, quem ſi ſciviſſet David, & ſapientiſſima illa Thecuitis, adhuc in exilio ſuo moliri pernicioſa in caput paternum conſilia, atq; occultare tantùm ſub inimico pectore latentem flammam, erupturam, cùm proxima ſe occaſio nocendi obtulerit: citra dubium, & Thecuitis judicâſſet eum indignum ſuâ interceſſione, & David gratiâ. Quod ſi autem clementiſſima Dei Genitrix, ſolicitata continuis precibus, ab obſtinato in ſceleribus mortali, non deſiſtat apud Filium ſuum interpellare pro ejus ſalute; tamen plerumque hæc interpellatio & frigidior eſt, & faciliùs patitur repulſam à Chriſto, quando ſcilicet in damnum quaſi ſuum, propria devolvitur conniventis indulgentia.

Obfuiſſet etiam Abſaloni, ſi perſpectam habuiſſet David ejus fraudem.

XIX. Certè Salomon, prudentiſſimus Regum, eſto matrem Berſabeam, pro Adonia fratre ſuo ſupplicaturam invitaverit vltro: *pete mater mea, neq; enim fas eſt, vt avertam faciem tuam*; tamen vt intellexit, id eam poſtulâſſe, quod ſibi, Regnoque ſuo periculoſum foret: vacuam dimiſit, factus inexorabilis filius. Sic planè cùm Deus animadvertit, Majeſtatem ſuam toties, tamque diu violâtam eſſe, & porrò violatùm iri ab impio homuncione, cujus ſalutem rogat Mater

3. Reg. 2. 20.

Et ſicut Salomō, Berſabeā matrem, orans

Digitized by Google

Mater ſua, jam ſupplex facta; tamen non ſemper, neque continuò patrocinium ejus admittit, quia redundaturum quaſi videt in præjudicium juſtitiæ ſuæ, cujus officium eſt, aliquando plectere malè de ſe meritos, & improba capita ſupplicijs mulctare. præſertim quibus voluntas obduruit in malum, & continuam Numinis offenſam. Itaque pluribus illud occini poteſt, quod in exordio naſcentis Eccleſiæ, quibuſdam fidelibus exprobravit S. Iacobus Apoſtolus: *petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis.* Occupatio eſt hæc tacitæ objectionis; cùm enim aliqui queri ſolerent, non ſe omnia ſuſtentandæ vitæ neceſſaria, precibus à DEO impetrare, proinde bellis & litibus agendum pro augenda ſubſtantia ac lucello: Reſpondet D. Iacobus, idcirco inania à DEO abire poſtulata eorum, quòd illa quæ petunt, non rectè petant; ſed in eum plerumque finem, vt iiſdem cum divinæ bonitatis injuria, abutantur ad proprias libidines.

tem pro Adonia filio, non exaudivit; ita nec Chriſtus ſemper exaudit Matrem ſuam deprecantem pro Impijs.

Iacob. 4. 3.

XX. Timere igitur poſſunt meritò, ne circa poſtremum vitæ terminum nihil reſipiſcant, qui illuc omnem ſuam diſtulerunt pœnitentiam: facti in ſcelera audaculi, vnius maximè ſperato B. Virginis patrocinio: quaſi repetitis interea ſæpius Roſarijs, ita ejus ſibi caſtiſſimum cor illigâſſent, vt maximè ſub mortem indigentibus Contritione, & ſincero de anteacta vita dolore, impetrare hoc beneficium tantùm non debeat Mater à filio. Sed nempe fallitur non rarò, hæc vaniſſima leviculorum hominum perſuaſio. Nam licet optimus DEVS, ſicut omnibus alijs, ita quoque iſtis ad ſalutem ſuam largiatur, ſufficientem gratiam, qua cum ſi volunt, ſervari poſſunt: tamen efficacem illam alteram, ſine qua clarè perſpicit, eoſdem perituros, juſtiſſimo ſæpius judicio negat. Fit adeo, vt cùm obdurati in marmor peccatores, ſub vltima vitæ momenta precum ſuarum, Roſarijque fructum expectant: nimirum DEIparæ beneficio impetrandam à nato ſuo contritionem, & largam illam, vberemque gratiam, certiſſimam ſemper beatitudinis arrham; inveniant non ſemel matrem DEI cum filio, incautè ſperantibus tergum obvertere, more indignantium.

Præſertim ſi impietatem ſuam protrahant ſub pallio Roſarij Mariani, Pſalterij & Coronæ.

His talibus filius & mater, non rarò tergum obvertunt, indignãtes.

XXI. Memoratu jucundum eſt, quod anno milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo tertio, ex Tenerifa Canariarum inſularum vna, de imagine quadam miraculis celebri, ſcripſerunt P. Alfonſus de Andrada, & P. Michaël de Mampean, vterque Societatis noſtræ. Anno igitur poſt Chriſtum natum milleſimo, quadringenteſimo,

In Relatione ex Tenerifa Inſula.

Xxx quo

quo tempore prædicta Inſula, ſub Barbarorum adhuc, infideliumq; poteſtate fuit: reperta eſt à paſtoribus in excelſa rupe, ſtatua fœminæ ſimilis, longitudine vnius vlnæ cum ſpitama. Tenebat effićta in imagine mulier, alterâ manu cereum, alterâ nudum infantulum, inter cujus digitos aviculâ, paſſis alis videbatur quaſi puero colludere. Ejus matri veſtis erat aurea, chlamys cerulea, & floribus eleganter inſertis diſtincta. capillus in humeros defluebat, ſed intra ſex ſpiras collectus. Denique per omnes quaſi veſtimenti limbos, errabant variæ inſcriptiones, charactere peregrino, & linguâ barbaris tum incolis vſitatâ. eæ latino idiomati redditæ, ſic ſonant. Ad collum legebatur: *Typus matris.* Apud ſiniſtram manum in chlamyde: *Incorrupta, deſponſata Imperatricis Cæli & terræ, Sponſi Creatoris æterni.* A dextrâ: *Hic eſt infans, qui genitus fuit ſine principio, ab Omnipotente Creatore.* In fimbrijs: *Hæc eſt pacifica Maria, quæ fuit Annæ partus.* Supra Zonam: *Pro nobis ora;* vel, *Advocata.* Ad lævam manicam: *Purificatio & Præſentatio Infantis.*

Deſcribitur ſtatua pervetuſta Mariæ purificatæ, & præſentati in templo Chriſti infantis.

XXII. Mihi probabile eſt, Imaginis hujus artificem, fuiſſe Chriſtianum aliquem, ex eorum numero, quos olim S. Thomas Apoſtolus in India, inſuliſq; Canarijs, gentilitiarum ſuperſtitionum tenebris erutos, ad Chriſti fidem perduxerit. Cui proinde, ſolennitatem purificatæ Virginis, placuerit in ſtatua dicta ſic efformare, vt avicula inter infantis digitos, ſignificaret duos pullos columbarum, aut par turturum, ex lege Moyſis offerendum pro maſculo, elapſis quadraginta diebus à matris puerperio. Cereus autem, quem in icone geſtabat mulier, indicaret Chriſtum Mariæ filium, eſſe *lumen illud ad revelationem gentium*, prodigioſè exortum, cujus meminerat Simeon in ſuo cantico. Accedunt ad fidem huic conjecturæ faciendam, ſententiæ illæ, quæ velut elogia adjectæ ſunt imagini: & pereleganter tam Chriſti præſentationem in templo Solymæo, quàm Chriſtiparæ purgationem, lege veteri præſcriptam, loquuntur.

Creditur facta ab artifice Indo, poſt prædicationem S. Thomæ Apoſtoli in India.

Luc. 2. 32.

XXIII. Quia verò ſucceſſu annorum, ita omnis Catholica Religio, quam S. Thomas Indiæ invexit, ibidem expiravit, vt vix ejus aliqua veſtigia remanſerint; hinc anno milleſimo, quadringenteſimo, tametſi Inſulæ Teneriffæ habitatores vniverſi, ſuperſtitioſi idolorum cultores, linguam ſuam legerent in reperta ad rupem ſtatua (neſcio quâ occaſione illuc, quando, & à quibus collocatâ) nihil tamen de myſterio intelligerent, donec à

Chri-

Chriſtianis didicerunt. Illud interim vehementer admirati ſunt Ethnici, quod juxta ſpecum (vbi ſervabatur ſacra effigies) ſæpius audirent melos, ſupra Orphei fides, & Muſarum choros ſuave; quin etiam ſentirent ex ore ſuo ſtatuam, gratum exhalare odorem; ex toto vultu, inſolitos non rarò ſplendores diffundere. Hinc perſuaſum illis fuit, cœleſte quidpiam eſſe, & vel Numen ſolare, vel Creatoris Matrem. Certè Rex ejus loci decrevit, vt imago hæc omnibus eſſet venerabilis: & quod inſolens eſt, Gentiles incolæ, quia eam pio affectu coluerunt, etiam beneficam ſenſerunt, quadraginta omnino annis, quibus hunc (ſibi licet incognitum theſaurum) conſervârunt.

Fuit miraculoſa per inſolitum ſplendorē, odorem, melos.

XXIV. Vbi verò proximis fama Hiſpanis vulgaverat, prodigioſam D. Virginis Iconem, à Tenerifanis infidelibus poſſideri, neſcientibus tam ſacras opes dignè æſtimare; ejus ſeu vindicandæ, ſeu aſſerendæ in majorem apud Chriſtianos venerationem, vi arreptam, in Forteventuram Inſulam tranſtulerunt. Sed evenerunt duo ſtupenda, & præter communem rerum ordinem: quæ ſatis oſtenderunt, nec Chriſto, nec ſuę Matri collibitum eſſe, alibi conſiſtere, quàm vbi primùm reperta eſt ſtatua. Alterum erat morbi contagio, non tantùm in eos graſſata, qui rapinę dederant operam, ſed inſulam quoque omnem; nec poterat vllis ſacrificijs, ſupplicationibus, aut votorum nuncupationibus detergi. Alterum fuit, quòd ſacra Imago faciem parieti, tergum obvertere ſoleret populo; etiam ſępius correcta in ſitu, & collocata ante oculos ſibi ſupplicantium, ſemper tamen ſtationem mutavit. His ſignis edocti voluntatem divinam Hiſpani, retulerunt ſtatuam Barbaris; quæ apud eoſdem in Tenerifa Inſula permanſit. donec anno milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo quinto, Ferdinandus Hiſpaniarum Rex, Inſulâ in ſuam poteſtatem redactâ, Patribus Dominicanis eam tradidit, etiam hodie miraculis claram.

Maximè verò Hiſpanis prodigioſa fuit, quibus tergum ſolita eſt obvertere, quaſi indignabunda.

XXV. Sed inter omnia, quæ cum hac prodigioſa DEIparæ effigie, admiranda contigere; nihil mihi videtur admirabilius, quàm illud ſacro horrore pleniſſimum, cùm piam rapinam vltura Virgo, Hiſpanos non oculo, ſed dorſo aſpexit; quidquid etiam illi emendarent in ſitu ſtatuæ, & aliter atque aliter verterent, vt ſerenum cœleſtis Lunæ vultum contemplari poſſent. Sed prævaluit juſta indignatio, & amabiliſſimam Divæ faciem ſubtraxit reis, fruſtra ingeniculantibus, & pro benigno Mariam intuitu

Digitized by Google

Etiam D. Virgo nonnunquam cultoribus ſuis, ſed protervis peccatoribus, opponit dorſum ſub morte; quia dum vivebant, dorſum oppoſuerunt filio ſuo.

rogantibus. Atque hic modus eſt, quem hodieque tenet Dei genitrix cum quibuſdam mortalibus; illis nempe, qui ex conſuetudine, creaturas malè inter flagitia depereunt: converſi ad vanitates & inſanias falſas, averſi à virtutis honeſtate, ipſiuſq; DEI lege. deniq; nuſquam vnquam moroſi, niſi ad mores, vitamq; componendam, ſecundùm Chriſtianæ rectitudinis amuſſim. Et licet (quos jam deſcripſi) dum ſunt graviſſimis ſceleribus cum voluptate immerſi, nonnunquam prenſent D. Virginis gratiam, Roſarijſque & Coronis ejus benevolentiam ſibi conciliare nitantur; maximè opportunam, neceſſariamque eo momento, quo ex tempore iſto, eundum erit ad æternitatis infinita ſpatia; tamen (vt prona atq; obvia eſt ſuſpicio) quod Hiſpanis ſupra fecit Deipara, etiam iſtis, velut indignabunda cum filio ſuo, non rarò dorſum opponet, lege talionis; quoniam ipſi & DEO mandata ſua inculcanti, & Matri ejus obedientiam ſuadenti, graviſſimâ ruſticitate, pro vultu tergum quaſi obverterunt.

XXVI. Frequens ſuper Iudæis olim querimonia audiebatur, quòd ſanctiſſimo Numini, ejuſque templo, velut per contemptum terga opponerent; neque diſſimulata fuit hæc turpiſſima inurbanitas, ſed plerumque (vt merebatur) acerbiſſimis pœnis caſtigata. Ita ſanè Ezechias Regum optimus, palàm ſuo populo conteſtatus eſt,

2. Paralip. 29. à v. 6. & ſeq. ad 10.

Peccaverunt patres noſtri, & fecerunt malum in conſpectu Domini DEI noſtri, derelinquentes eum: averterunt facies ſuas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorſum; clauſerunt oſtia quæ erant in porticu, & extinxerunt lucernas, incenſumq; non adoleverunt, & holocauſta non obtulerunt in ſanctuario DEI Iſrael. Quis hîc non expuat ſuper communi inſolentia, & intermittentium conſtituta à DEO ſacrificia, & ſubducentium vultus ſuos à templo, & obtrudentium dorſa? ſed pergit Ezechias. *Concitatus eſt itaq; furor Domini ſuper Judam & Ieruſalem, tradiditq; eos in commotionem, & in interitum, & in ſibilum, ſicut ipſi cernitis oculis veſtris. En, corruerunt patres noſtri gladijs, filij noſtri, & filiæ noſtræ, & conjuges captivæ ductæ ſunt, propter hoc ſcelus.*

Ita DEVS punivit lege talionis Iudæos, ante tempora Ezechiæ Regis.

XXVII. Neq; tamen ſic Iudæorum impietas emendata fuit ad ſanitatem; videtur potiùs inter plagas & verbera ſumpſiſſe incrementum. Nam eo ipſo tempore, quo magna eorum pars ab exaſperato plurimis ſceleribus DEO, Babylonem in exilium grave, longumque miſſa fuit: qui reliqui Ieroſolymæ manſerant, neque ſuorum civium pœnâ cautiores facti, talia perpetrârunt facinora,

qui-

Digitized by Google

quibus iterum divina bonitas ad novas indignationes, vltioneſque provocari debuit. Igitur Deus Ezechielem, inter exules Babylone Judæos, mente & ſpiritu elevatum, quaſi in templo Solymitano ſtatuit: vt videret Idololatriæ probra, quæ ibidem vtriuſque ſexûs homines, ſacri etiam profanis intermixti, ſummo cum ſacrilegio exercebant, in manifeſtam veri Numinis ignominiam. Sed omnium maximam fecerunt abominationem divinis oculis Sacerdotes, *quaſi viginti quinq; viri, dorſa habentes contra templum Domini*; ſive contra arcam Domini, ipſumque Deum in ſancto Sanctorum; qui propterea dolenti ſimilis ad Ezechielem dixit. *Certè vidiſti fili hominis; nunquid leve eſt hoc domui Juda, vt faceret abominationes iſtas; quia replentes terram iniquitate, converſi ſunt ad irritandum me?* Statimque hoc tonitru ex ore Numinis irati ſecutum eſt. *Ergo & ego faciam in furore; non parcet oculus meus, nec miſerebor: & cùm clamaverint ad aures meas voce magnâ, non exaudiam eos.* quod nihil aliud eſt, quàm velle culpam peccantium Jeroſolymæ incolarum, ſimili pœnâ plectere, eiſque à Deo ſuo averſis, tergum quoque obvertere; quando & ipſi ab hoſte, ad duriſſimam ſervitutis, aut cædis neceſſitatem vocati, divinam è cœlo opem poſtulaverint, etiam importunis vociferationibus.

Nec non & poſt Ezechiæ Regis tempora.

Ezech. 8. 16. & ſeq.

XXVIII. Idem ſe facturum juſtiſſimus DEUS exertiſſimè promittit, quando populum ſuum per Jeremiam Vatem, fruſtra ad cavenda ſcelera, & mores emendandos cohortatus eſt; nihil quoque promoventibus minis, quibus vſa eſt Numinis pietas, efficaciſſimis communiter ad evincendos animos ſuaſoribus. *Quomodo confunditur fur* (verba Dei recito) *quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Jſraël, ipſi & Reges eorum, Principes & ſacerdotes, & Prophetæ eorum, dicentes ligno: pater meus es tu: & lapidi: tu me genuiſti. verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis ſuæ dicent: ſurge & libera nos.* quibus reſpondet Deus. *Vbi ſunt Dij tui, quos feciſti tibi? ſurgant & liberent te in tempore afflictionis tuæ.* Hæc verba conſiderans S. Hieronymus ſic ait: *imprudens poſtulatio, tempore neceſſitatis & anguſtiæ, ab eo quærere auxilium, quem in proſperitate contempſeris.*

Ierem. 2. 26.

Repetunt Iudæi ſcelus ſuum.

XXIX. Et quoniam proclivis ſemper ad parcendum eſt Numinis bonitas, Jeremiam ſubmittit viris Juda, & habitatoribus Jeruſalem, qui eoſdem periculi impendentis moneat, ſi obturaverint aures ad ſana. *Hæc dicit Dominus* (Dei mandatum ad Jeremiam audis). *Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem. revertatur vnuſquiſque à via ſua mala, & dirigite vias veſtras & ſtudia veſtra.* Itaq;

Ierem. 18. v. 11. & ſeq.

poterant Hebræi, quæ Deus ipſorum flagitijs admenſus fuit mala temporaria, exire; ſi ſciviſſent hortantem audire patrem, & viâ aliâ, hoc eſt, Virtutis, incedere didiciſſent. Sed quòd diverſa ipſis planè mens fuerit, hoc reſponſo demonſtrârunt apud Jeremiam. *deſperavimus; poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & vnuſquiſque pravitatem cordis ſui faciemus.* Chaldæus legit pro voce *deſperavimus, averſi ſumus à cultu tuo:* imò & à vultu. Septuaginta verò: *Obfirmati ſumus*; quaſi dicerent; actum eſt, deſperatum eſt, inolita jam vitia ponere, hauſtas tamdiu voluptates nauſeare, conſuetudines tanto ſenio roboratas deſueſcere: verbo, ad Dei timorem, legiſque obſervantiam reverti, nimis omnino difficile eſt. Stat proinde certum nobis fixumque, cœptum iter proſequi, & quæ porrò deſtinavimus ſcelera, non ſegniter perficere.

Et iterum atque iterum avertunt à Deo vultum.

XXX. Admiratus hîc Deus, non tam Gentis ſuæ levem impudentiam, quàm ferocem proterviam, indignabundo ſimilis exclamavit: *quis audivit talia horribilia?* ſimul & fulmen meritiſſimæ in reos vindictæ expedivit, inquiens: *ſicut ventus recens diſpergam eos coram inimico; DORSVM ET NON FACIEM OSTENDAM EIS, in die perditionis eorum.* Vbi Maldonatus hæc verba ſic paraphraſticè reddit, in perſona loquentis Dei. *Adverſus illis ero, non propitius, ſicut ipſi mihi vocanti dorſum obverterunt, ita & ego eis ejulantibus, opemq; meam invocantibus, dorſum obvertam.* Huc pertinet Judæorum inſania, Chriſtum jam Cruci affixum, ſic in monte Golgothæo collocantium, vt facie ſuâ Occidentem ſpectaret, tergum verò opponeret Orienti, ipſique Hieroſolymæ; eo quidem conſilio, quòd indignum putarent Dei Filium ſanctæ vrbis aſpectu; cùm ipſi maximè indigni fuerint, quos Servatoris noſtri amabiliſſima faciès, divinitatis ſuæ radijs colluſtraret, benignoque aſpiceret oculo. Itaque tunc cum impijs Judæis impleta fuit vaticinatio, pluribus antea ſeculis ab Jeremia conſignata: DORSVM ET NON FACIEM OSTENDAM EIS, IN DIE PERDITIONIS EORVM.

Sed iterũ, iterumque puniuntur à Deo.

Franc. Lucas in Matth. 27. 35.

Præſertim verò, quando nõ vultui, ſed dorſo Chriſti, in monte Calvariæ crucifixi, oppoſuerunt vrbẽ ſuam Jeroſolymam.

XXXI. Expergiſcimini hîc mortales! qui ſepulti graviſſimo cupiditatum veterno, & continuo peccatorum ſomno, cum deſperatiſſimis Judæis hos infames ronchos trahitis: *deſperavimus, poſt cogitationes noſtras ibimus, vnuſquiſq; pravitatem cordis ſui faciemus.* nulla inquiunt expeditior ſine moleſtia vivendi eſt ratio, quàm permittere habenas effreni concupiſcentiæ. triſtem nimis vitam facit, ſemper cum animo ſuo luctari, neque audere occaſionem arripere adblandientem carni. jurgium hoc quotidianum, atrox bellum eſt, quod

annos

annos homini accidit, & fatum maturat. nihil humanam libertatem tam cruciat, quàm inconnivem ſervare oculum ad Dei placitum, rigidaſque ejus leges. juvat aliquando hæc ſeria poſt ſe relinquere à tergo, & obtutum figere ad naturæ commoda, ad corporis illecebras, ad Gratias voluptatum. quiſquis hîc ſibi negat, quod habet in deſiderio, tyrannidem exercet, domeſticus ſui ipſius carnifex. vbi non ampliùs licuerit præſentis mundi oblectamentis frui, neceſſitate mortis hinc extrudentis in alium orbem; tum enimverò palinodiam cantabimus, & vitijs quamprimùm vale facto, ſalutabimus exituri Virtutis honeſtatem; manibuſque ambabus obviam complexi pœnitentiam, id vnum curabimus, vt cum Deo (de cujus læſa Majeſtate, ſæpiſſime nos reos facimus) iterum redeamus in amicitiam, beneficio maximè Beatiſſimæ Virginis, quam frequenter & Roſarijs, & Pſalterijs compellamus: vt patrona eſſe nobis velit, quando inter mortem & vitam comprehenſi, pauculis momentis cum tota ſtyge gladiabimur, pro beata æternitate. In quem etiam finem ſæpe Deiparam rogamus, vt ſub eum articulum, quo ſalutis noſtræ cardo vertetur, gratioſo nos cum Filio ſuo JESV, dignetur oculo aſpicere.

Senſus protervè impiorum hominum, ſibi ipſis blandientium ſuper felici morte eventura, accedente præſertim auxilio Mariano.

XXXII. Sed cavete mali! qui in Numinis veſtri ignominiam, tardo pede ire vultis ad ſalutarem reſipiſcentiam, & non niſi aut morbis proſtrati, aut ſenio incurvati, aut à morte vocati ad Judicis Dei tribunal. cavete inquam ſoboles improba, neque niſi neceſſitate pia; nam vos quoque feriet illa Chriſti comminatio, ſive è cruce penduli, ſive in cœlo glorioſi: DORSVM ET NON FACIEM OSTENDAM EIS, IN DIE PERDITIONIS EORVM: hoc eſt; in die illa, quâ deſinent vivere, adhuc peccatis gravibus obnoxij; neque divinæ priùs Juſtitiæ reconciliati, per legitimam reſipiſcentis animæ diſpoſitionem. O Inferi! quanto apud vos numero æternis ignibus coquuntur impij; quibus DEVS ſuprema mortis horulâ, pro FACIE, OSTENDIT DORSVM! non quòd eiſdem ſubtraxerit neceſſariam ad ſalutem, ſeu ſufficientem gratiam (vt loquuntur in ſcholis) ſed quia majorem illam & vberiorem, quam Theologi vocant, gratiam efficacem (cui etiam ſoli annexa eſt hominis cooperatio, & beatitudinis conſecutio) non communicavit. Sed ideò non communicavit; tum quia nullo debito tenebatur eam conferre; tum quia eâdem, ſceleſti illi ſe reddiderunt indignos, quando per longam malitiæ protervíam averſi à Numine

Nec tamen omnes eorum, mortē felicem experiuntur, opponente Deo illis tergum, ſive negante gratiam efficacem, juſto judicio.

mine

mine & Creatore ſuo, ad illicitum creaturæ ſe vſum converterunt. Quoniam igitur continuò, velut tergum ſuum oppoſuerunt Deo, ab eodem per ſimilem pœnam caſtigati ſunt, VT DORSVM ET NON FACIEM, OSTENDERET EIS IN DIE PERDITIONIS EORVM.

XXXIII. Et hæc juſtiſſima cauſa eſt, cur hodieque meritiſſimò timere ſibi poſſint, imò verò & debeant ij mortales, qui cum Numini ſubducunt vultum ſuum, obvertuntque tergum, proh quanto cum ignominiæ probro! frontem interim totâ adeò ætate, exporrigunt hilarem lætamque, ad omnem hujus ſæculi pompam, ſplendidas miſerias; lubricas opes, breves delicias; furtiva gaudia, vaniſſimas vanitates. Ad inſtitutum hoc, ſic loquitur S. Auguſtinus: *qui concupiſcentias ſuas perſeveranter ſequuntur*, DORSVM *quodammodo habent ad Deum; quamvis in vnitate* (*fidei*) *conſtituti, ſæpe illum retorto collo conentur aſpicere*. Metue quiſquis hîc Camœleon es, & inanem captas aërem, & levibus muſcis inhias! majus tuis voluptatibus tibi malum acceſſis, Dei inquam indignantis levitati tuæ, iras diraſque. Væ tibi! ſi morienti DORSVM, ET NON FACIEM OSTENDAT: volo dicere, ſi ſupra ordinariam ac ſufficientem gratiam, neget efficacem ex rigore æquitatis ſuæ; perditus tum eris, & ſemel perditus, & ſemper perditus. Neque blandiaris tibi, de quorundam felicitate improborum, quibus tandem clementiſſimum Numen ſub obitum, faciem ſuam exhibuit, benignitate pleniſſimam cùm nihil eorum totâ velut ætate, præter dorſum & tergum vidiſſet. Noli ô noli, incertæ te fortunæ credere. Nam cùm veriſſimum ſit, plurimos homines, qui inter ſcelera trahunt emendationis propoſitum, vſque ad mortem, æternùm perire: vindicante ſic Deo per negationem efficacis gratiæ, præteritas vitæ culpas, & temeritatem peccantium, cum ſui injuria conjunctam; timere potes & debes, ſi perrexeris certam tibi olim morituro pœnitentiam ſpondere, ne inter alios, tibi etiam Chriſtus occinat fatale illud carmen: DORSVM ET NON FACIEM OSTENDAM EI, IN DIE PERDITIONIS EIVS. Sanè hominis nimis quàm inſani eſt judicium, ibi portum ſibi promittere ſalutis, vbi complures naufragium & paſſi ſunt, & patiuntur quotidie.

S. Auguſt. in lib. quæſt. Evang.

Scelerati, qui nunc fronté exporrigunt ad illicita, dorſum Deo, ejuſq; præceptis oſtendunt, timere poſſunt, ne puniantur lege talionis.

Nec refert Deū quoſdā in morte aſpexiſſe gratioſo oculo, cui illi quaſi per omnē vitā vultū ſuum negârūt. Non enim omnibus cōtingit improbis hæc fortuna.

XXXIV. Sed inquiet aliquis; multis hîc olim proderit impijs, cultores fuiſſe Magnæ Virginis, eamque frequenti prece Roſariorum, Coronarum, Pſalteriorum rogâſſe, pro tabula contritionis, veroque ſuper peccatis omnibus dolore: quin etiam pro placido & ſuo, & filij

Digitized by Google

lij ſui aſpectu, antequam eorundem oculos mors claudat, in longæ noctis tenebras. Ita nimirum firmiſſimè teneo, nullum tam exile ab homine proficiſci in Mariam obſequiolum, quod non illa magnis gratijs compenſatum velit. Cæterùm nego eam, omnibus ſibi devotis ſervulis, Contritionis donum, veramque ſub mortem pœnitentiam obtinere; quando magnam, aut omnem vitæ ſuæ partem combuſſerunt inter voluptates ſcelerum; ſemper refractarij Deo, ſive cùm terruit per calamitates publicas, ſive cùm affulſit per radium ſanctæ inſpirationis. Deniq; quoniam idem vtriq; affectus eſt ac ſenſus, matri & filio; quoties Deipara advertit Chriſtum peccatoris inſolentiâ, graviſſimè offenſum, eundem abſoluto voluntatis decreto, à gratia ſua efficaci repudiare, tergumq; & ſibi ingratiſſimo, & favoribus ſuis indigniſſimo, opponere: tum enimverò & Maria ſe quoq; ſubtrahit, exaſperata filij ſui injurijs; illudq; non ſemel cum eodem, quaſi comminanti ſimilis, relinquit grave verbum, graviter ſceleſtis hominibus; Dorſum et non Faciem oſtendam eis, in die Perditionis eorum. Vnde apertum eſt, recitationem frequentem roſarij, ex pio colendæ Virginis affectu, nec orantem de beatitudine ſua certum reddere poſſe, nec facere debere cunctatorem in negotio pœnitentiæ.

Deniq; etiam Deipara, accommodat ſe filio ſuo, quoties ille impium, abſoluto decreto, à gratia ſua efficaci excludit, tum enim etiã Diva tergũ ei quaſi obvertit.

Vt proinde frequens recitatio Roſarij, orantem de ſalute certum reddere non poſſit, nec facere cunctatorẽ in negotio pœnitẽtiæ.

XXXV.

Atq; hîc ego, materiam de quatuordecim Fulcris Impiorum concludo, & breviter ſic ſtatuo. Eos mortales, qui ſincerè, ſerioq; conantur divinas leges ſervare, neq; tam ex inſolentia temerariæ voluntatis peccant, quàm ex naturæ ſemel corruptæ imbecillitate: jure merito plurimùm contra puſillanimitatis vitium erigi poſſe, ad ſpem ſalutis adipiſcendæ; ſi conſideraverint. 1. Libertatem reſiliendi à peccatis, liberrimam penes quemvis eſſe hominem. 2. Gratiæ divinæ præſentiam, efficaciamq;. 3. Exempla eorum, qui poſt gravia ſcelera, ad frugem pœnitentiamque redierunt. 4. Exempla illorum, quos propter vnum alterumq; opus bonum, benigniſſima Numinis miſericordia, Orco exemptos cœlo, inſeruit. 5. Merita Chriſti Iesv, & immenſum pretium fuſi ab eo ſanguinis, in humani generis redemptionē. 6. Dignitatem atque efficaciam Sacramentorum, præſertim Confeſſionis. 7. Auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium, ejuſq; fructus eximios. 8. Preces militantis in hac terra Eccleſiæ, ſeu piorum hominum pro improbis interceſſionem. 9. Meritorum alienorum participationem, bonorumq; communicationem operum, inter militantis Eccleſiæ membra. 10. Preces triumphantis in cœlo Eccleſiæ, Divorumq; merita. 11. Angelorum

Quatuordecim fulcra hactenus explicata, ijs ſpẽ beatitudinis augent, qui ex infirmitate lapſi in peccata gravia, cõtinuò laborant ſurgere.

Digitized by Google

tutelam ac præſidium. 12. Reginæ Angelorum, Deiparæ Virginis pietatem ac patrocinium. 13. Promiſſionem factam SCAPVLARI B. Virginis de monte Carmelo. 14. Recitationem frequentem Roſarij, ex devoto MARIÆ cultu.

XXXVI. Sed quemadmodum hæc capita, totidem quaſi FVLCRA ſunt, ſtabiliendæ eorum mortalium ſpei, qui cum Abrahamo ſolicitè *ambulant coram DEO ſuo*; & juxta S. Pauli doctrinam, *cum metu & tremore, ſalutem ſuam operantur*: ita ſceleratis, perverſis, obſtinatis, induratis, non ſunt fulcimenta; ſed velut arundinei, leveſque baculi, quibus omne pondus, ſui casûs fit occaſio. Machometus olim commentus eſt, Salomonem poſt mortem, ita collocatum fuiſſe, vt dormienti ſimilis, ſuperincumberet baculo. hic deniq; per vermiculum arroſus, cùm cecidiſſet, etiam regium cadaver eâdem ruinâ fractum, in cineres defluxiſſe. Heu miſeri! qui nequitias veſtras, longamque impietatem ſuffultum itis, ſpe faciendæ ſub mortem pœnitentiæ, hæc enimverò non tam ſpes, quàm temeritas, infirmus eſt ſcipio, qui ſæpe fractus collabitur, ſibiq; innixos in profundum deponit: vt impij malè ſperantes, præter ſpem omnem ſubitò deprehendant, & corpus ſuum ad ſepulchrales favillas per mortem deturbatum, & animam ad ſtygios ignes infeliciſſimè dejectam. Nempe ex FVLCRIS ſuis ruina nata eſt: & dum procraſtinaturi pœnitentiam, cum DEO quaſi ludere voluerunt, ſibi imprimis damnoſiſſimè illuſerunt. jamque nihil habent reliquum, præter inania vota, & nuda deſideria, quibus plenus eſt omnis infernus. Veriſſimè ſapiens: *ſepties cadet juſtus, & reſurget; impij autem* (obfirmati & procaces) *corruent in malum*.

Gen. 17. 1.

Ad Philipp. 2. 12.

P. Scherer in Ult. conc. contra Machomet.

Illis verò mortalibus, qui ex malitia nõ tam cadũt, quàm ſe in flagitia præcipitant, & poſtea hærent, quatuordecim deſcripta fulcra, ſunt infirmus ſcipio.

Prov. 24. 16.

PRO-

PROMONTORII MALAE SPEI

LIBER IV.

IN QVO OPPONVNTVR IVDICIA SANA, EORVM IMPROBORVM INSANIAE,

Quibus decretum eſt morum correctionem, vitæque emendationem, in longum protrahere, ipſaq; moriendi tempora.

COmmendatur multùm in ſacro codice Abrahami laudabilis hoſpitalitas, quando peregrinos de cœlo Angelos, excepit convivas, raros in terris hoſpites. Itaq;, vt divinæ commemorant literæ; *feſtinavit Abraham in tabernaculū ad Saram, dixitq; ei: accelera, tria ſata ſimilæ cōmiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe verò ad armentū cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditq; puero: qui feſtinavit, & coxit illum. Tulit quoq; butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit corā eis, ipſe verò ſtabat juxta eos ſub arbore.* Quis neget hoc nobile fuiſſe epulum, vbi convivator Patriarcha fuit & magnus DEI amicus vbi convivæ, cœleſtes fuêre Genij; vbi parabili menſæ, & ſimplici cibo, I.

Gen. 18. & 6.6.

Solicitudo Abrahami in tractandis hoſpitibus Angelis.

optimum condimentum aſperſit, indefeſſum illud centenarij ſenis obſequium?

II. Existimo tamen, longè plus officioſi ſtudij præſtitiſſe Martham, quando non jam Angelos, ſed Angelorum Regem, Chriſtum inquã, DEI filium, domi ſuæ hoſpitem ſuſcepit. Tum enimverò diſcurrere illa, & ſolicitè pręparare digna tanto Domino fercula. Si quid aviaria, piſcinæ, macella habuêre pretioſum, totum id ad ignes & focos, fuerat damnatum; vt nimirum creatura guſtum creatori ſuo faceret, jam inter mortales veſcenti. Sed & cella omnis inſpecta, & dolia aperta, vt ſapidiſſimus vini liquor, flueret fonti bonorum omnium, oceano gratiarum. Neq; diceres, aliàs bellaria tam bellè riſiſſe, quàm cùm ante humaniſſimam Chriſti divinitatem collocata ſunt. Sed ad hæc omnia paranda hoſpiti DEO, nempe quod ſacer textus ait: *Martha ſatagebat circa frequens miniſterium.* Imò indignata tum Magdalenę, ſorori ſuę; velut otioſè ſedenti ad pedes Domini, ejuſq; verbo auſcultanti, ſuppetias poſtulavit, ſic quęrebunda: *Domine, non eſt tibi cura, quod ſoror mea, reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, vt me adjuvet.* Negotioſa oppidò fuit Martha, & tota in externum ſervitij genus effuſa; in quo tamen, quia nimia cum axietate laborabat, & ſupra Chriſti modeſtiſſimam frugalitatem; ab eo tale reſponſum ad poſtulata ſua accepit: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima. porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* quia cum verbo ſuo, vitam elegit ęternam, cujus illud ſemen eſt, dicente Petro ad Salvatorem: *Domine, verba vitæ æternæ habes.*

Major fuit Marthæ, in Chriſto ad menſam ſuam excipiendo.

Luc. 10. 40.

Loco cit.

Luca 18. v. 41. & 42.

Ioan. 3. 69.

III. Quoties ex alto DEVS in terras deſpiciens, velut commiſeranti ſimilis, mortalibus paſſim hanc cantilenam ingeminat; ah! homines *ſollicitì eſtis, & turbamini erga plurima. porrò vnum eſt neceſſarium.* Et quid illud? gratia mea, cœlum meum, beatitudo mea, vobis ſunt neceſſaria: me ipſo niſi olim fruamini, miſeram vivetis ęternitatem. Huc igitur curas veſtras extendite, hoc tantum lucrum, dignum eſt veſtrâ omnium ſollicitudine. Sed nimirum, *quia ſenſus & cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*; ita facilè ab eo, quod *vnum eſt neceſſarium* homini, detorquentur ad aucupandas vanitates; prępertim artium nihil profuturarum, nociturarum etiam voluptatum; vt illa Numinis commonitio cautioque, nihil apud multos ponderis habeat Chriſtianos.

Solicitudo erga vnam beatitudinem neceſſaria, detorquetur ab hominibus ad tẽporalia.

Gen. 8. 21.

Ad vanitates aucupãdas, olim laborabant gentiles.

Videas

Videas igitur perplures, non tam ſtudioſè virtutis proſequi honeſtatem, ab ipſa natura, ratione, legibus commendatam; quàm induſtriam mirandarum artium; conſimili cum Gentilibus aucupio, hoc eſt vano; ſolâ ſcilicet ſpe nominis ampliandi, ex raro magiſterio. Tacebo hîc picas, corvos, pſittacos, aliaſque promiſcui generis volucres, à veteribus operosè doctas, humanum ſermonem loqui. Sybaritæ profectò, ita ſuos equos inſtruxerunt, vt apud convivia ad tibiam concinnè ſaltarent. Et Romæ alij ſic condocefacti ſunt equi, vt ſine auriga & ſeſſore, ſeptem in Circo ſpatia peritiſſimè conficerent; atque ad locum palmæ conſiſterent, quaſi præmium victoriæ poſtulaturi. Illud longè mirabiliùs; Elephantes paſſim didiciſſe, & ſaltitare ingenioſè, & ingeniculari obſequioſè, & armis ſcitè vti, & motus edere gladiatorios, & in theatris velut perſonas agere, varioſque geſtus effingere, & cum vaſtiſſima corporis ſui mole, ſupra reſtem ambulare, funambuloſque incedere.

Per doctas beſtiarum inſtructiones, picarũ, corvorum, pſittacorũ garrientiũ.

Athen. lib. 12. Dypnoſ.

Equorum ſponte ſuâ ſaltantium, & ad metam currentium.

Solinus c. 47.

Elephãtorum gladiantium, funambulorum, ſcribẽtiumq;.

Narrat quoque Ælianus, Romæ ſe ſcribentem vidiſſe Elephantem, vſumque eſſe digitorum vice, ſuâ proboſcide. Quin etiam, eodem teſte ac ſpectatore Æliano, ſpectaculum olim fecerunt inſolitum Romano populo, duodeni Elephantes; nam præeunte beſtiario, eleganti ad numerum ſaltu, ingreſſi ſunt theatrum; quo finito ad paratam menſam, per diſtincta lectiſternia, pulchrè & more veteri, accubuerunt; ita vt ſingulis, ſinguli ad latus Ephebi adſiſterent pro miniſterio. Sed nunquam majorem riſum moverunt belluæ, quàm cùm cibos ex patinis, carpſerunt vice manûs, longâ promuſcide. Præſertim verò, quando pueris vina miniſtrantibus ex argentea pelvi, poſtquam hauſerunt quod ſatis erat ſiti extinguendæ; etiam proximè adſtantes, liberali pluviâ aſperſerunt. Vbi dubium fuit, vter plus laudis ſecum abſtulerit in digreſſu, diſcipulus Elephas, an homo Magiſter. Certè prima laboris merces ei fuit, placuiſſe ſpectatoribus, & plauſum tuliſſe.

V.

Lipſius Epiſtolar. Cent. 1. epiſt. 50.

Et Convivantiũ ad lectiſternia.

Sed vlteriùs progreſſa eſt humani vis ingenij, comparatura nominis æternitatem artifici. Iamque tam docto cœlo laborabant ſtatuarij, tam penicillo erudito pictores, nihil vt imaginibus præter animam deeſſet, vitamq;. Sanè, adeò pulchro mendacio ſpirabant, vt equis colore ſolo adumbratis, vivi alij adhinnirent; & uvis in picturata tabula propoſitis, aves advolarent, velut ad recentem autumnum. Itaque jucundiſſimum fuit, ſpectare artem cum natura certantem, æmulatione variâ. Neque hîc ſubſiſtit celebrandæ famæ aviditas. nonnulli in rebus parvis, ſcientiæ ſuæ pepererunt

VI.

Quidam Ethnici nominis æternitatem aucupati ſunt in artificijs.

Miraculis picturarũ.

 ad-

Brevitate ingenioſorum operũ.

Solinus polyhiſt. c. 6. Ælian. lib. 1. c. 17.

admirationem. Sic non nemo, Homeri Iliadem, volumen magnum, coëgit in tenuem membranam, & nucis teſtam. Callicrates Lacedæmon, formicas ex ebore ſculpſit affabrè, tam minutas, vt portio earum à vivis ſecerni non potuerit. Myrmecides Mileſius, currum equis & aurigà, opere adeò parvo inſtruxit, vt tota fabrica, ſub muſcæ vnius corpuſculo, poſſet abſcondi.

VII.

Mole grandium machinatum.

Coloſſo Rhodi.

De his vide Guid. Pancirollum lib. de memorabilib. rebus perditis.

Pyramide Ægyptiâ.

Gen. 11. 3.

Scientijs quoq; naturalibus & liberalibus.

Alij verò etiam in machinis ſtuduerunt excellere. Inter quos, admiranda fuit Navis Ptolomæi Philopatoris, tantæ capacitatis moles, vt aliquot millia caperet hominum: hortis quoque ad voluptatem, & delicias navigantium inſtructa. Quoties alto mari vehebatur, vrbem crederes, ſpatioſamque inſulam, innatare pelago. Coloſſus Rhodi, ex ære in Solis imaginem conflatus, quàm vaſtus altuſque fuerit, eæ docent naves, quæ plenis olim velis, divaricatos ſtatuæ pedes tranſire debebant. Laboratum fuit in perficiendo opere, duodecim ipſis annis, inſumpto trecentorum talentorum pretio. Sed hunc Solis Coloſſum, ſuperavit longè pyramis illa, cui ſculpendæ, celandæ, erigendæ, viginti totis annis, ſexaginta tria hominum millia, operam ſuam collocârunt, fructu & fine tanti laboris eodem, quo illi conſpirarunt, qui ſe mutuo hortati ſunt: *venite & faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen noſtrum.* Denique ſicut ex mechanicis quondam artificijs, fumum gloriolæ quæſiverunt ferè Ethnici: ita multo magis ex ſcientijs liberalibus. major ſemper fuit, qui melior Poëta, Rhetor, Philoſophus, Mathematicus fuit. huc omnis eorum ſudor ibat, poſſe doctiorem alijs pronunciari, & vel primum, vel primo proximum eſſe.

VIII.

Gentilium præpoſtera ſtudia, ſequuntur paſſim Chriſtiani.

Præſertim in vanitate variæ ſcientiæ.

S. Auguſt. lib. 8. confeſſ. cap. 8.

Eſt hodieq; multorum hæc cura Chriſtianorum, vt alijs præcedant non moribus bonis, ſed artibus vanis, non honeſtate virtutis, ſed vanitate doctrinæ; non conſcientiæ innocentiâ, ſed ſcientiæ faſtu. Credunt optimum illum, non qui meliùs vixerit, ſed qui dixerit pulchriùs, ingenioſiùs diſputaverit, aptiùs concluſerit, fortiùs ſtrinxerit, qui biberit copioſiùs, ſaltaverit elegantiùs, equitaverit peritiùs, qui iaculatus fuerit certiùs, gladiatus expeditiùs, in moribus peregrinis ac linguis, plura complexus. Toti igitur in eo ſunt, vt multùm ſciant; parùm ſolliciti vt benè agant, malunt docti audire, quàm eſſe boni: nec turpe putant ſe cum eruditione ſua atq; artibus, *ſine corde volutari in carne & ſanguine*; inter Veneres & Cupidines, gulam & crapulam. quin etiam vim & fraudes, rapinas & furta, iras & odia, cœdes & vulnera, aliaq; Chriſtianis legibus proſcri-

proſcripta facinora. Nempe quod eſt *Circulus aureus in naribus ſuis*, hoc eſt variarum rerum ſcientia, in improbo Chriſtiano: cujus tantò erit major damnatio, quantò minor cura fuerit eâ bene vti. præſertim cùm ipſa, literata maximè eruditio, frequenter ſit regula benè vivendi. Ita planè ex mente mea ſanctus Bernardus ait. *Prov. 11. 22.*

IX. *S. Bernar. ſuper Cant. ſerm. 36.*

Sunt qui ſcire volunt, eò tantùm fine, ut ſciant; & turpis curioſitas eſt. & ſunt qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi; & turpis vanitas eſt. Et ſunt item qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæſtus eſt. ſed ſunt quoq; qui ſcire volunt, ut ædificent; & charitas eſt. & item qui ſcire volunt, ut ædificentur; & prudentia eſt. Horum omnium ſolùm ultimi duo, non inveniuntur in abuſione ſcientiæ; quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant. Deniq; intellectus bonus, omnibus facientibus eum. Reliqui omnes audiant: ſcienti bonum & non facienti, peccatum eſt ei: ac ſi per ſimilitudinem dicat, ſumenti cibum, & non digerenti, pernicioſum eſt ei. Cibus ſiquidem indigeſtus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita eſt multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ (quæ eſt memoria) ſi decocta igne charitatis non fuerit, & ſic per quoſdam artus animæ, mores ſcilicet atq; actus, tranſfuſa atq; digeſta, quatenus ipſa de bonis quæ noverit, vitâ atteſtante & moribus, bona efficiatur; nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus converſus in pravos, noxioſq; humores? Annon malus humor peccatum? an non mali humores, pravi mores? an non inflationes & torſiones in conſcientia ſuſtinebit, qui hujuſmodi eſt, ſciens videlicet bonum, & non faciens? an non reſponſum mortis & damnationis toties in ſemetipſo habebit, quoties in mentem venit ſermo, quem dixit Deus: quia ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis.

Fines ſciendi, boni ac mali.

Pſal. 110. Iacob. 4.

Luca 12.

X. Scientia ſcientiarũ eſt, ſcire beatitudinem (vnũ illud neceſſarium) lucrari.

Itaq; ars artium eſt, cùm multa ſciveris, id maximè ſcire, rectè vivere; neq; hoc ſolùm, ſed ipſum quoque agere, quod nôſti faciendum eſſe. Quiſquis neglectâ hac verâ Chriſtianæ ſapientiæ praxi, alijs ſcientijs animum ſuum curioſè impendit, ſanè malè diſcit, quia cœlum aut lucrari neſcit, aut diſſimulat; vt meritò acclamare ei poſſim: ô homo ſollicitus es, *& turbaris erga plurima* (ſciendarum rerum non profutura capita) *porrò vnum eſt neceſſarium*: bonum nempe optimum, & compendium bonorum omnium, æterna beatitudo. hac qui exciderit, dicendus eſt nihil profeciſſe, & malè curas ſuas quibuſvis artibus applicuiſſe; quâ nunc inſaniâ totus ferè mundus laborat.

XI. Eſt verò etiam aliud genus ſtultitiæ, eorum præſertim hominum, qui nullo luxu, nullis delicijs ſatiari poſſunt; ſed cum ſumma ſollicitudine, cogitationes ſuas continuò extendunt ad noxas voluptatum inventiones. Heliogabalum hîc ſiſto, Romani Orbis Imperatorem & portentum, de quo Ælius Lampridius meminit ſequentia, nunquam ſatiati animi exempla, documenta ſumptuoſæ luxuriæ. Itaque triclinia, lectos & porticus, roſis, violis, lilijs ſtravit, vt ſuaviùs & jaceret, & ambularet molliùs. Vvas miſit in præſepia equorum. pſittacis & phaſianis leones, aliaque animalia pavit. Ipſe ſupra Vitellij & Apicij delicias, pretioſè epulatus eſt. Naumachias, ſeu navales ludos inſtituit in Euripis, non jam aquâ plenis (vt communiter fieri ſolebat) ſed vino; ad ſolandum remigantium laborem, & demonſtrandum majeſtatis ſuæ argumentum. Ipſe etiam non ſemel natavit in piſcinis, vnguento nobili, crocoque infectis. Lucernas ſuas non oleo, ſed balſamo concinnavit. Annulos nunquam iteravit, neque calceamenta inſertis gemmis gravia. Atque (vt honos ſuus auribus ſit) quemadmodum in myrrhinis & onychinis minxit, ſic onus ventris auro excepit. Gladios habuit aureos, in eum finem diſpoſitos, vt ſi vis aliqua vrgeret extrema, ſibi ipſi manus inferret. ejuſdem rei gratiâ, in hiacinthis & ſmaragdis paratâ ſecum venena circumtulit. Demum ex eodem inſidiarum metu, altiſſimam turrim conſtruxerat, ſubſtratis ex auro, variaque gemmâ tabulis, vnde ſe præcipitaret, alienam evaſurus violentiam; quòd vellet etiam mortem ſuam pretioſam eſſe, & ad ſpeciem luxuriæ; atque vt nemo ſic diceretur perijſſe. Sed contra evenit; nam idem Heliogabalus, tum propter alia turpiſſimorum facinorum probra, tum maximè ob inſignem ſpurciſſimæ vitæ notam, primùm à militibus occiſus, deinde in cloacam tractus, denique in Tiberim projectus eſt, nomine ejus è ſenatu expuncto. Atque huc quotidianus eum luxus duxit, magnus ad impietatem fomes, & futurorum ſcelerum anteambulo. Qui ſi in homine Ethnico vituperium meruit, commendationem in Chriſtianis habere non poteſt; quorum cognitio major, religio verior, profeſſio eſt arctior.

Sed hoc lucro neglecto, aliqui curas ſuas extendunt, ad hujus vitæ voluptates & delicias.

Ælius Lamprid. in Anton. Heliogab.

Exemplo Heliogabali Imperatoris delicioſiſſimi & ſceleſtiſſimi.

XII. Neque tamen hîc extra culpam omnes ſumus, quando tacentibus alijs, luxus ipſe clamat, ſui gratiâ omnia in motu eſſe, & marſupia, & ciſtas, & cenſus. Illud miſerabile eſt, vt clientelæ poſſint conſervari, & magni famulantium greges; vt convivia poſſint continuari, frequenteſque epulæ; vt meretriculæ poſſint ali, & infa-

mes

Digitized by Google

mes amaſij; vt ſplendor veſtium poſſit augeri, & mundi mulieribris pompa; ut in ludos & luſus poſſint profundi opes; alienæ innocentiæ illudi, & pauperum ſudores conflari in aurum. Heu! qualis hæc Theologia eſt, ut tu pingueſcas unus, alios deglubendos; ut facultates tibi cumules, alios expilandos; ut tibi in ſingulos dies novæ ſuccreſcant deliciæ, alios inclementer flagellandos; ut tibi ſit benè, alijs inſontibus malè eſſe oportere. Et tamen iſta jam ſunt hujus ſæculi axiomata: præſentem vitam inter pereuntia gaudia ſic exigendam eſſe, ut voluptas vna excipiat alteram, luxus luxum: neque intereſſe de tuo hunc foveas, an de alieno. in iſta materia, fas & nefas pari gradu ambulare. huc denique curas omnes eſſe referendas, ut tibi vnde vnde accedat lucroſa commoditas delitiandi. Sed ego hîc illud Poetæ ingemo: Etiam hodie multorum Chriſtianorum luxus & deliciæ, terminantur in ſceleribus.

O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane! *Perſius Sat. 1.*

Hoc totum iſtius mundi inane, ante oculos impio ſubijciet vna horula, & illa ultima, quâ inter mortales vivere deſierit. Neq; diſparem ſibi audiet leſſum fieri ab eo, quem olim mercatores collapſæ, ac inter cineres ſepultæ Babyloni cecinerunt, in modum ſequentem: *Væ, væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis: quoniam vnâ horâ venit judicium tuum. Væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat byſſo, & purpurâ, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis; quoniam vnâ horâ deſtitutæ ſunt tantæ divitiæ. Væ, væ, Civitas illa magna, in qua divites facti ſunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretijs eius; quoniam vnâ horâ deſolata eſt.* Sic omnino, ſic inquam horâ vnâ, horâ mortis ſuæ, peribunt improbo ſplendor, opes, luxus, voluptas; neque illi tum apparebunt aliud fuiſſe, quàm ſunt, *magnum inane*, nimiſque humilem deſiderijs humanis materiam. Quin etiam pernicioſam; ſi contigerit inter hæc nondum expiatum, nondum DEO reconciliatum excedere; quod enim Babyloni ad cruciatus ituræ, dictum eſt, hic ſibi audiet repeti: *quantum glorificavit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* *Apoc. 18. à v. 10.* Quibus ſuccedit leſſus, cantatus Babyloni poſt ſuum interitum. *Apoc. 18. 7.*

XIII.

Itaque mortales, quos terrarum rerum curæ faciunt anxios, vobis inculcatum credite, quod Chriſtus olim hoſpitæ ſuæ dixerat: *Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima: porrò vnum eſt neceſſarium.* Ego à Martha, ad cujuſvis noſtrum animam digredior, eamque cum Richardo de S. Victore ſic alloquor. *O infœlix anima, quid ſollicita es erga plurima? porrò cùm vnum ſit neceſſarium, dilige vnum, in quo ſunt omnia; & ibi fige cor tuum & deſiderium.* Cura noſtra omnis ac ſolicitudo, tendere debet ad obtinendã beatitudinem. *Rich. de S. Vict.*

S. Auguſt. Soliloq.

derium. Exemplo magni Auguſtini, qui DEUM cœlumq́; (nobis vniverſis, bonum ſummè neceſſarium) pulcherrimè affectibus ſuis centrum poſuit: cùm in pio mentis æſtu exclamavit ſequentia.

XIV. *O fons vitæ! vena aquarum viventium! quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ, de terra deſerta, invia, & inaquoſa? vt videam virtutem, vitam, & gloriam tuam, & ſatiem ex aquis miſericordiæ tuæ ſitim meam! Sitio Domine, ſitio te DEUM vivum. O quando veniam, & apparebo Domine ante faciem tuam? putaſné videbo diem illum, diem inquam jucunditatis & lætitiæ? diem quam fecit Dominus, vt exultemus & lætemur in ea? O dies præclara & pulchra, neſciens veſperum, non habens occaſum: in qua audiam vocem laudis, vocem exultationis & confeſſionis; in qua audiam, intra in gaudium ſempiternum, in domum Domini DEI tui: vbi ſunt magna, & inſcrutabilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus. Intra in gaudium ſine triſtitia, quod continet æternam lætitiam. vbi erit omne bonum, & non erit aliquod malum. vbi erit quidquid voles, & non erit quidquid noles. vbi erit vita vitalis, dulcis & amabilis, ſemperq́ memorialis, vbi non erit hoſtis impugnans, ſed ſumma & certa ſecuritas, ſecura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, fœlix æternitas, æterna beatitudo, & beata Trinitas, & Trinitatis vnitas, & vnitatis Deitas, & Deitatis beata viſio: quæ eſt gaudium Domini DEI tui. O gaudium ſuper gaudium! gaudium vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium: quando intrabo in te, vt videam DEUM meum, qui habitat in te? Ibo illuc, & videbo viſionem hanc grandem. Quid eſt, quod me detinet? heu me! quia incolatus meus prolongatus eſt. heu me! quamdiu dicetur mihi, vbi eſt DEUS tuus? quamdiu dicetur mihi expecta, reexpecta? Et nunc quæ eſt expectatio mea? nonne Domine DEUS meus, ſalvatorem expectamus Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ? Expectamus Dominum quando revertatur à nuptijs, vt inducat nos ad ſuas nuptias. Veni Domine, & noli tardare. Veni Domine JESU Chriſte, veni & viſita nos in pace. Veni, & educ vinctos de carcere, vt lætemur coram te corde perfecto. Veni Salvator noſter. Veni deſideratus cunctis gentibus; oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Veni lux mea, redemptor meus, educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini ſancto tuo.*

Ad imitationem S. Auguſtini, ſuſpirantis ſolum Deũ, cœlum & cœleſtia.

XV. Hem tibi alterum Danielem, & magnorum Virum deſideriorum! quot verba loquitur, tot ignes jacit exæſtuantis erga DEUM, cœloſq́; animi. Neque dubita, æmulos etiamnum habere in terris, qui non tantùm paribus votis, ſed factis etiam, & ijſdem

virtu-

virtutum Chriſtianarum paſſibus, ad eundem ſcopum tendunt, beatitudinem aio. Quanquam (vt eſt facilis conjectura) plures omnino ſunt illorum, quibus præ terra, cœlum eſt in faſtidio. major ferè hominum pars, animum ſuum intra fungos divitiarum nunc ſepelit, aut fumos dignitatum, aut voluptatum ſpumas. hîc ſi licet eſſe opulentum, honoratum, delicioſum, jam DEVS vilis eſt, jam cœlis datur vale, & jubentur ſalvere flagitia. Quæ vbi ſuâ diuturnitate invaleſcunt, nihil ampliùs Catholicæ lumen fidei, nihil rationis jubar, nihil divinæ ſeveritas legis, nihil ſuperni tribunalis metus, aut interminabilium horror ſuppliciorum, extorquet impio, præter frigidam illam, futuræ tandem aliquando emendationis promiſſionem. ſub hoc pallio laxantur frena licentiæ, bellumq; longum indicitur pietati. Nec parva creditur felicitas eſſe, vtroque in ſæculo fieri poſſe beatum; & hic quidem indulgendo cupiditatibus, ibi autem fruendo DEO; ſi nimirum (quod fortiſſimè credunt.) olim aliquando morti ſuæ præmittant ſinceram pœnitudinem, aliaque Chriſtianorum piè hinc abeuntium officia. Cæterùm quantum periculi habeat, hæc tam inſana pœnitentiæ apud impios procraſtinatio, decretum eſt palàm facere ex ſanis multorum Iudicijs, ſacrarum inquam Scripturarum, Divorum in Eccleſia Patrum, Sanctorum olim in terris pœnitentium, Doctorum Scholaſticorum ac Theologorum, ipſius denique Auctoris ſenſu.

Non pauci Chriſtiani, tantùm ſuſpirant terram & terrena.

Aliqui volunt hujus vitæ beatitudinem, conjungere cum alterius, & ideo pœnitentiã non excludunt penitus, ſed procraſtinant.

Periculoſa tamen eſt talium procraſtinatorum alea.

Quiſquis hîc æger eſt, & ſanari vult, apud ſana conſilia judiciaque, inveniet medicinam.

Digitized by Google

PARAGRAPHVS I.
Ex libro Eccleſiaſtici.

JVDICIVM JESV SIRACIDIS
De ijs mortalibus, Qui poſt multa ſcelera, Ad agendam pœnitentiam ſunt LENTVLI.

I. DIfficile eſt creditu, quàm potenter humanos oculos perſtringat, aut modicum in terris lucrum, aut parvarum rerum poſſeſſio. Ejus enim gratiâ mortales, etiam futuras ſpes diſponunt in mortem alienam. Miratur id D. Chryſoſtomus, & ſuis ita momentis expendit. *Sæpe vir, quando uxorem ducere vult, mortis meminit in deſponſatione, & ſcribit in dote. Nondum introducta eſt, & mors ſtatim deſcribitur; nondum convixerunt, neq; nuptiæ habitæ, & mortem ſtatim definit. nondum nuptam vidit, & mortis adversùs illam calculos proponit. ſcribit enim in hunc modum; ſi mortuus fuerit vir ante mulierem, ſi mulier ante virum, hoc & hoc diſponatur. Sic formatæ ſunt patriæ leges; ubiq; omnibus naturæ ſunt monumenta. Et non ſolùm eorum, qui ſunt & vivunt, mortis feruntur ſententiæ, ſed & eorum, qui nondum nati. Quid enim ultra dicit? quòd ſi natus fuerit filius, & mortuus fuerit &c. nondum natus, & ſententia lata eſt.*

S. Chryſoſtomus.

Induſtrij ſunt homines ad augenda bona temporanea.

II. Indignatur denique ſanctiſſimus Patriarcha, cùm plerique homines ad tranſituras hujus vitæ utilitates, tam ſunt induſtrij, tantâ ſocordiâ ferri in bona perennatura. Certè primam noſtrum omnium curam, jure ſuo cœlum ſibi depoſcit, & nunquam finienda Beatorum æternitas. Quam ut obtineamus, aptiſſima neceſſe eſt applicare media. E quibus illud fuerit palmarium,

Socordes in lucrandis æternis.

aut

aut depuratam à ſcelere ſervare conſcientiam, aut à conſuetudine ſceleris expeditam. Nihil ſecuriùs, quàm poſt lapſum peccati gravis, ſtatim reſurgere per pœnitentiam, animumque reſumere & pugnã, adversùs cacodœmonis inſultus. Tarda hîc molimina nõ amat Deus, nec prodeſt cunctantibus procraſtinata vitæ correctio; ita nos docet ſacræ paginæ auctoritas. Quamquam nolo ex vniverſa, quàm latè patet Scriptura, oſtendere, quid divinæ judicent literæ, de ijs impijs, quorum lentitudo eſt ſupra teſtudinem, in negotio reſipiſcendi; contentus ero pauculis duntaxat eorum, gnomis ſententijſque, quos ſingulariſſimè Spiritus Dei afflavit luce ſapientiæ, nobiſque omnibus magiſtros eſſe voluit diſcendæ veritatis. Inter hos numero, Jeſum filium Sirach, civem Jeroſolymæ, ævo ſuo Phœnicem; qui vt largè imbiberet omnem melioris diſciplinæ ſcientiam, varias regiones, ipſamque Ægyptum, ſapientiæ & ſapientum commune domicilium, adijt. Sed nuſquam reperit terſiorem, verioremque doctrinam, quàm cùm omniſcius Deus, ejuſdem Doctor dignatus eſt fieri, dictato ad calamum Eccleſiaſtico. In eo, quid ipſe Siracides de hominibus graviter impijs ſentiat, eorumq; procraſtinata in dies pœnitentia, luculentè declarat. Quæſo hîc omnes ſimus boni diſcipuli, & magiſtrum ex cathedra, Spiritûs Sancti verba loquentem, audiamus venerabundi. qui libenter ac ſtudiosè auſcultat docenti, jam dimidium laboris ſuperavit in diſcendo, & fructum ſuum habet in aditu alieni magiſterij. Itaque Siracides, lecturus nobis de pœnitentia caput, ſic auſpicatur.

Hinc naſcitur procraſtinatio reſipiſcentiæ apud multos.

Cornel. in prolog. ad Eccli. cap. 2.

Sed contra Siracidis doctrinam.

III. *Ne dixeris peccavi, & quid mihi accidit triſte?* hæc inſolentium vox eſt, qui propterea liberrimè feruntur in conſuetas ſcelerum turpitudines, quòd vident ſe impunè deliquiſſe, neque fulmina tonantis ſupra ſe Dei, cecidiſſe in noxias cervices. quaſi verò vindicta Numinis, vna ſit, & ſola culparum appendix. O bardi! dum etiam parcè, & velut extremis labris, deguſtatis vetitas lege delicias, mellis aliquid in ſcelerata voluptate; jam facitis jacturam piorum meritorum, gratiæ ſupernaturalis, favoris divini, totius cœli, ipſiuſque adeò æternitatis beatæ: interim mercamini Divorum contra vos odium, execrationem Numinis, ſocietatem ſtygis, totamque perpetuæ damnationis molem. & audetis adhuc gloriari, ſi poſt infanda crimina, non cœlum ſtatim vos obruat, aut major cœlis Deus, nihil admodum grave vobis eveniſſe?

Eccli. cap. 5. 4.

Jactura & lucrum hominis impij, per quodvis peccatum grave.

IV. Quamquam neque impunitatem ſibi impius debet polliceri; cùm aliquamdiu vltricem Dei manum ſuſpendit clementia; cauſam

Deus non ſtatim punit ſcelus peractum.

ſam aſſignat Sirach ad illa verba: *ne dixeris: peccavi, & quid mihi accidit triſte?* vbi ſtatim ſubjungit: *altiſſimus enim eſt patiens redditor.* Nam ſi quoties peccant homines, toties divina inſurgeret Juſtitia; ſi contra ſe laceſſentes, toties ſua tela deſuper mitteret; vbique ſtrata jacerent mortalium cadavera, & totus quaſi orbis, funus vnum foret. Nunc igitur Deus *cunctatur, talis eſt enim Numinis natura* (vt Plutarchus ait) reijcitque in ſerum vindictam, ſerò tandem venturam, ſed oppidò ſeriam, gravemque improbis capitibus. Quod S. Hieronymus præſenti confirmat ſimilitudine. *Sicut qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri vt fugiat; qui ſi fugere nolit, tantò fortiùs ſagittâ emiſsâ configitur, quantò majori tempore, arcûs intenſio fuit facta; ſic Deus, qui laneos habet pedes, ferreas manus, tarditatem ſupplicij gravitate compenſat.*

Plut. lib. de ſera Num. Vind.

D. Hieron. in epiſt. ad Rom. 2.

Tarditatē tamen ſupplicij, gravitate cōpenſat.

V.

Salubris metus habendus eſt, etiam de peccato propitiato, ſeu, quod creditur remiſſum.

Eccli. 5. 5.

Quia nemo pœnitens evidēter certus eſt, ſuā pœnitentiā legitimam fuiſſe.

Duo ſunt, quæ plerumq; hominibus, viam ſternunt ad licentiam peccandi; præſumptio impunitatis, propter vltionis divinæ moram; & præſumptio facilè miſeraturi Numinis. Quia igitur Siracides primam modò reſecuit præſumptionem, jam alteri ſecurim applicat, cùm ait: *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neq; adijcias peccatum ſupra peccatum.* Quibus verbis Spiritus Sanctus, omnibus mortalibus ſalutaris metûs frenum voluit imponere, vt tametſi exiſtiment ſe adhibuiſſe omnia ad pœnitentiam neceſſaria, de venia tamen & juſtitia ſua, tantùm moraliter certi eſſe poſſint, non autem evidentiam habere. Et ſanè, quàm plena difficultatibus ſit vera pœnitudo, demonſtrat S. Ambroſius tremendâ omnino ſententiâ. huic tu auriculam porrige, & impoſterum à ſceleribus nunquam tibi ſatis caviſſe exiſtimes.

VI.

S. Ambroſ. lib. 2. de pœnitent.:

Pœnitētia rigida & aſpera, ſuadetur impio tanquā vtilis.

Neceſſaria autem omni reſipiſcenti improbo, eſt pœnitētia,

Itaque ait cœleſti ambroſiâ & nectare digniſſimus Antiſtes Mediolanenſis: *faciliùs inveni, qui innocentiam ſervaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Loquitur autē de pœnitentia illa rigida, quam ex opere ſupererogationis (vt vocant) quidam ſanctiſſimi olim homines exercuerunt, ad regulam primæ in Eccleſia auſteritatis. Sic enim D. Ambroſius propoſitionem ſuam confirmat. *An quiſquam illam pœnitentiam putat, vbi acquirendæ ambitio dignitatis, vbi vini effuſio, vbi ipſius copulæ conjugalis vſus? Renunciandum ſæculo eſt, ſomno ipſi minus indulgendum, quàm natura poſtulat; interpellandus eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpirijs, ſequeſtrandus orationibus; vivendum ita, vt vitali huic moriamur vſui: ſeipſum homo abneget, & totus immutetur.* Quod vltimum quidem, totius ſententiæ pondus eſſe arbitror, & ſimpliciter requiri ad neceſſitatem legitimæ pœnitentiæ; ſicut

Digitized by Google

cut priora ad liberam ejuſdem perfectionem ſpectant. Nam vt quis verè dicatur pœnitere, negare ſibi debet veteres delicias, nova purioris vitæ concipere deſideria, aliam induere quaſi cutem; certè mentem aliam, aliumque hominem, *qui ſecundùm Deum eſt*. vt teſtari poſſit ſe non eſſe ampliùs eum, qui nuper fuit. Exemplo illius adoleſcentis, quem, cùm amori ſpurco, & aſſueto proſtibulo nuncium remiſiſſet, mutato etiam ſolo: vbi rediit, & veteri dilectæ fortè fortuitò occurrit; meretricula interpellavit: *Ego ſum*. Cui adoleſcens: *ſed ego non ſum*; mutatus ſcilicet in hominem alium. Quoniam igitur nemini conſtat cum evidentia, an, quando reſipuit ad meliorem vitam; ſincerum odium adversùs peccata omnia excitaverit; an dolor de iiſdem, propoſitumque abſtinendi, nullo vitio laboraverint; hinc Sirach ait: *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu*; non vt deiiciaris in puſillanimitatem; ſed ut cum humilitate & ſancta cautela, progrediaris in via Chriſtianæ perfectionis: ex eo capite, quòd planè non ſit compertum, an tibi Deus reconciliatus fuerit; quando (ſicut dictum eſt) neſcis vtrum vera, neque vitioſa tua fuerit pœnitudo. S. Auguſtini hæc ſunt: *quoniam non ſecuratur homo vivens ſuper terram, vt ſerviamus tibi piè & caſtè cunctis diebus vitæ noſtræ, in timore, & exultemus tibi cum tremore; vt non ſit ſervitium ſine timore, neq; gaudium ſine tremore, & non glorietur, accinctus æquè atq; diſcinctus: neq; glorietur ante te omnis caro, ſed paveſcat & contremiſcat à facie tua; cùm ignoret homo, vtrum amore, an odio dignus ſit.*

ejus mentē & volūtatē ad meliora immutans.

Exemplo converſi Juvenis.

S. Auguſt. in ſoliloq. c. 29.

Et de hac pœnitentia neceſſaria ac legitimè à ſe peracta, nemo vnus homo evidentiā habet.

VII.

Nemo etiā improbus ſcit, an talē aliquando facturus ſit olim.

Cùm verò idem metuendum ſit de propitiatione Numinis olim futura, ſiquidem eſt æquè incertum, an olim ſeriam, veramq; acturus ſis pœnitentiam; hinc monet iterum Siracides: *neq; adiicias peccatum ſuper peccatum, & ne dicas: miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur*. Graviſſima hæc eſt præſumptio, & peccatum ingens in ipſam Spiritûs Sancti pietatem; abuti nimirum Dei bonitate ad malitiam, & miſericordiam ejuſdem torquere ad iteranda ſcelera. Nam vt Palatius advertit: Miſericordia Domini magna eſt; non vt adiicias peccata, ſed vt remittenda credas, ſi ampliùs ea non committere decernas. Itaq; intolerabile flagitium eſt, clementiam Numinis lenam facere Diaboli, & ibi erigere lupanar impietati, vbi domicilium reſipiſcentiæ collocare debueras. Neq; iniuriam hanc ſuā continuò diſſimulat optimus Deus; teſte noſtro Siracide: *miſericordia enim & ira, ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius*. ſenſus eſt, ſicut Dei miſeratio citò adeſt, & ſubvenit volentibus ſincerè pœnitere, vt apparet in

Eccli. 5. 5. 5. & 6.

Eccli. 5. 7.

Magda-

Magdalena, latrone &c. ita impœnitentibus ingruit vindicta divina, eoſque ſubitò atque ex improviſo, nihil tale expectantes occupat; quemadmodum Lucifero, alijſque nonnunquam evenit. Et velut leo, irretortis in prædam oculis hæret aliquamdiu, poſtea furibundus inſilit; ſic juſtiſſima Numinis ira *reſpicit peccatores*; eos maximè, quorum & vitia in habitum ſunt obfirmata, & voluntas in ſaxum indurata. Tandem cùm extra omnem ſunt metum ac ſuſpicionem mali, fulminantur repente à Deo, vt culpâ ſuâ, extra miſericordiam ejus defuncti, nullis eam ampliùs ſæculis, nullâ æternitate recuperare poſſint.

Quia juſtâ Dei ſententiâ, occupari poteſt à morte, antequam eam perficiat.

VIII.

Eccli. 5. 8.

Sed pergit ſapientiſſimus Magiſter, hortando quemlibet in peccata mortifera lapſum: *non tardes converti ad Dominum.* frequenter hîc mora periculum habet; ideò cunctator reprehenſione dignus, & ſtimulo. quis peſtem in corpore ſuo voluntarius alat, & non ſtatim ſi poteſt eliminet? quis domi ſuæ toleret draconem, & non momento aut ſe, aut illum eijciat inde? O homo! lethalis noxa tibi peſtis, hoſtis, draco eſt, ſtygiuſque draco; & audes in ejus societate perſeverare, neque times exitium quod tibi parat? Verè S. Auguſtinus conqueritur, de communi mortalium ignavia. *Domine peſſima inſania noſtra; quia cùm continuè videamus contra nos Draconem ore aperto, paratum ad devorandum; nihilominus dormimus, & laſcivimus in pigritijs noſtris; tanquam ſecuri ante eum, qui nihil aliud deſiderat, quàm vt nos perdat. Inimicus vt occidat, ſemper vigilat, ſine ſomno: & nos, vt cuſtodiamus nos, nolumus evigilare à ſomno.* Pudenda verè eorum eſt ſocordia, qui vt temporali ſe incommodo expediant, nunquam non laborant; in diſcrimine ſalutis amittendæ, nunquam non otioſi ſtant, & velut ſine omni motu inanimes ſtatuæ; quibus tamen (ſi aures habent) clamat Eccleſiaſticus velut ſtentoreâ voce: *non tardes converti ad Dominum.*

Peccator ſuæ emendationis cunctator, fovet ſerpentem & draconem in ſinu ſuo.

D. Auguſt. in ſolilog. c. 16.

IX.

Eccli. 18. v. 26. & 27.

Hanc oſcitabundam, pigramque hominis improbi cunctationem, etiam alibi cavet, cùm dicit: *à mane vſque ad veſperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei. homo ſapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum attendet ab inertia.* Palam eſt ſubitò rerum vices inter ſe mutari, ortus & occaſus, nox & dies, lux & tenebræ, tempeſtas & ſerenitas, luctus & gaudia, metus & ſpes, riſus & lacrymæ, lamenta & jubilus, amor & odium, in perpetuo reciprocæ converſionis, & confuſionis gyro rotantur; & dum quædam cadunt, premuntur, infirmantur: alia ſurgunt & convaleſcunt, neceſſariâ quaſi viciſſitudine. Denique ſub eodem hu-

jus

Digitized by Google

ſius mundi ſole, dominantur SORS & MORS, duo imperioſa Numina, vt ait Tragicus; & quemadmodum non ſemel, manè ſerenum deſivit in nubilam veſperam; ſic non rarò, qui manè ſanus fuit, & veſpere æger eſt, & cadaver. Ac quanquam in hujus vitæ ſcena, homines videantur perſonas ſuas agere diu; dies tamen omnes, anni, luſtra, tempora, citato curſu eunt; maximè arbitro DEI oculo, cui præter æternitatem nihil magnum apparet. Atque hoc eſt, quod monet Siracides, hominem verè ſapientem, & ſalutis ſuæ cupidum, metuere debere, quin etiam attendere ab inertia, ne deprehenſus à ſubita morte, in diebus delictorum ſuorum, hinc excedat gravi culparum ære obſtrictus, vt ampliùs apud DEUM ſoluendo nunquam ſit. Impio prudenter ſuſpecta eſſe debet, ſubita mutatio vitæ in mortem.

Quiſquis ergo prudentiæ micam habet, ſequetur ſapientiſſimi Viri conſilium, ita quemlibet impiorum adhortantis: *non tardes converti ad Dominum.* Atq; vt ſciamus omnes, quàm celerem pœnitentiæ terminum peccatori ſtatuat, annectit: *& ne differas, de die in diem.* ergo multò minus, de hebdomade vna in aliam, de menſe vno in alterum, de anno in annum, de ætate in ætatem. Eodem die, quo à DEO bonorum optimo, defluximus ad malas illecebras, breves voluptatum nugas; antequam ſol veſpertinus occumbat, neceſſe eſt vt revertamur ſupplices, & deprecabundi offenſum Numen iterum nobis placemus. Eâdem die, quâ contaminata eſt hominis anima, emaculari debet per lacrymas pœnitentis animi; & ſcelus mortiferum, quâ luce natum fuit, neceſſe eſt vt gemitibus ſuffocetur, ſuſpirijs elidatur, contritione deleatur; quia periculum eſt, ſi cunctator hic fuerit peccator, ne ipſi parenti moriendum ſit, ante monſtroſum ſuum ex diabolo partum; negante DEO longas dierum inducias, quas ſibi in fraudem propriam impius promiſit. X. Eodẽ die, quo natum eſt homini ſcelus, per pœnitentiã elidi debet.

Breviter ad hunc Siracidis locum, ſed neruosè magnum Eccleſiæ lumen D. Auguſtinus. *Promiſit tibi DEUS, quoniam quo die converſus fueris, obliviſcitur mala tua præterita; ſed nunquam vitam craſtini diei promiſit tibi. An fortè non tibi illam promiſit DEUS, & promiſit tibi Mathematicus, vt damnet te & illum DEUS?* Ita prô dolor! nunc in mundo apud plures fieri amat, vt cùm vitę diem craſtinum, velit eſſe dubium alicui, incertumq; DEUS; modò ex probabili aſtrorum conjectura (vt nugantur) certos faciat Aſtrologus judiciarius, & dies & annos, quibus ſupervicturus ſit; jam mendaci homini fides habetur, æternæ Veritati abrogatur; ſed pari evẽtu, vt plerumq; à Numine damnetur, & qui deceptus ante pœnitentiam XI. *S. Aug. homil 13. inter 50. tom. 10.* Quia craſtinum pro hoc negotio incertum eſt.

Quidquid de futuris annis, mentiendo promittant Aſtrologi.

tiam obijt, & qui pereuntem decepit mendacio ſuo; eò pernicioſiore, quò ſub pallio ſcietiæ & pulchriùs tegitur, & pluribus cœlum adimit. nempe ad mentem S. Auguſtini jam relati, qui ſic porrò loquitur. *Diem mortis incertum ſalubriter conſtituit* DEVS, *vt vltimum ſuum quiſq; ſalubriter cogitet. Miſericordia* DEI *eſt, quia neſcit homo quando moriatur; latet vltimus dies, vt obſerventur omnes dies.* Et alibi hanc brevem interrogatiunculam proponit: *O homo, quare differs de die in diem, fortè hodie habiturus vltimum diem?*

XII.

Eccli. 5. 9.

Aliquando dilatæ pœnitentiæ, pœna eſt repentina mors.

Mors tumultuaria, ſecum trahit communiter tumultuariam pœnitentiam.

Perſuaſio ſecuturæ olim reſipiſcentiæ, cuditur impijs in fraudulenta dæmonis officina.

Atque hic idem rationabilis metus eſt, quo velut calcaribus extimulat impios Sirach, quando ad verba illa exhortatoria: *non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem:* ſubjungit cauſam dilationis cavendæ: *ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Videtur de repentina aut præcipitante morte loqui, quâ mortalium aliquando præterita ſcelera plectit æquiſſimus DEVS. Heu pœnam gravem! quia cum tam celeri vitę fuga, & tumultuaria diſceſſione, plerumque etiam apud ſceleratos pœnitentia eſt tumultuaria, & nulla. concitato in portum curſu deferri, periculoſę tempeſtatis quoddam genus eſt. ita ferè ſemper mors improborum pręcipitata, ſalutis æternæ ſecum diſcrimen trahit, & animæ naufragium. Atque hæc ipſa verſutia eſt, & mala fraus, quam juratus humani generis hoſtis conſuit in perniciem multorum, nempe vltimum ſolem necdum occubuiſſe; ſecuturos plures, quibus licebit factorum pœnitere, & DEI meminiſſe offenſi; mortem alibi occupatam inter funera, ipſis ſanis vegetiſque, nec à fronte, nec à tergo imminere; vivant porrò malorum ſecuri, & quotidiana Bacchanalia hilares celebrent; venturum diem vnum, quo poterunt abſtergere, quidquid turpis maculæ, per omnes retro annos, mens eorum contraxerit. Sed dum expectant hunc diem, aliumq; & alium fore ſuſpicantur, dum futuram olim reſipiſcentiam moliuntur, moriuntur ſubitò; tandemq; errore ſuo intelligunt, in vindictæ diem tranſijſſe, quem miſeri & pœnitentiæ ſuæ, & divinæ miſericordiæ præfigebant: contra apertam Siracidis prohibitionem.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS II.
Ex libro Proverbiorum.
IVDICIVM SALOMONIS REGIS,
De ijs improbis, qui vitæ emendationem remittunt in MORTEM.

QVantus Salomon in pulpito Doctor fuerit, Scriptura oſtendit, cùm de eo aſſerit: *diſputavit ſuper lignis, à cedro quæ eſt in libano, vſq; ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete; & diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam ejus. Sed & Regina Saba, auditâ famâ Salomonis, venit tentare eum ænigmatibus. Et ingreſſa Jeruſalem magno cum comitatu, venit ad Regem Salomonem, & locuta eſt ei vniverſa, quæ habebat in corde ſuo. & docuit eam Salomon omnia verba, quæ propoſuerat; non fuit ſermo, qui regem poſſet latere, & non reſponderet ei.* DEVM bonum! qualis hic magiſter? & quale ejus magiſterium? nihil hactenus ſimile vidit orbis, quàm cùm Regem Salomonem ſpectavit in cathedra docentem: in ſubſellijs diſcipulorum vice, Reges ac Reginas auſcultantes. quibus ita ſatisfecit ſingulis, vt præ illo & Pythagoras, & Plato, & Ariſtoteles, balbutientes videri poſſent infantes.

I. 3. Reg. 4. v. 33. & 34. 3. Reg. 10. à v. 1. Salomon Philoſophorū Rex.

Sed nolim putes, Salomonem Regem duntaxat Philoſophum fuiſſe, & naturæ ſcientem; etiam Theologum ſe demonſtravit, & divinorum intelligentem: quando & Virtutis ſtudium, & odium vitiorum, DEVMq; & blandum morigeris, & ſeverum refractarijs mortalibus, lectione brevi, ſed oppidò gravi, in hunc modum propoſuit. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua, dicens: vſquequo parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia cupient? & imprudentes odibunt ſcientiam? convertimini ad*

II. Etiam Theologus fuit, & Eccleſiaſtes. Prov. 1. à v. 20.

correptionem meam. Quod mater ſolet cum filiolo agere, vt eum à nucibus, crepundijs, puerilibus nugis avellat, trahatque paulatim ad ſeria; & nunc quidem blandienti ſimilis, nunc increpantis in morem, ac comminantis aſpera: Ita profectò ſapientia æterna, quâ hortando, quâ invitando, quâ & terrendo, conatur à ſuavi voluptate ſcelerum, à ſaccareis mundi illecebris, velut infantilibus, nec maturo animo dignis cupedijs, abſtrahere mortales; atque ad ſui obſequium ſervitiumque, rem omnino ſeriam pellicere.

III. Et quoniam magna hominum pars, communis paſſim amans ſtoliditatis, præ terrenis, & quæ humi naſcuntur oblectatiunculis, cœleſtes nauſeat voluptates, contemptâ pariter divinâ Sapientiâ, & ejus amicitiâ; ideo Salomon velut ex afflatu Spiritûs ſancti, recitat verba horrore plena: qualibus excipiet iratus olim DEVS omnes illos, quotquot cum eodem longas foverunt inimicitias, jurati quaſi pietatis & virtutis hoſtes, vſque ad vltimam vitæ periodum. Audite ergo improbi, quos nulla ampliùs ſcintilla rationis ducit ad meliora; quibus animus omnis è cera molli, in durum calybem abijt, nullo divinæ ſuggeſtionis everberandus malleo. audite inquam, vos enim feriet aliquando hæc ſevera Numinis per ſapientem denunciatio. *Quia vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis advenerit; cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit; quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc invocabunt me, & non exaudiam; manè conſurgent, & non invenient me; eò quòd exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint.* Sed placet ſive lectionem hanc Salomonis, ſive DEI comminationem, & fulminatricem æternæ Sapientiæ ſententiam, paulò accuratiùs perpendere, emendandæ multorum inertiæ.

Maximè verò inculcat, divinã Vocationẽ audiendam eſſe peccatori.

Prov. 1. à v. 24.

IV. Suppono hîc, quod ex Scriptura certiſſimum eſt, veraque Theologia, nullum ex adultis hominem, toties tamque graviter in peccata ſe ſe immergere, quem benigniſſimus DEVS, quantum in ipſius eſt deſiderio, non cupiat inde extrahere, iterumque revocare ad ſalutarem pœnitentiam; alteram, neceſſariamque relapſis poſt baptiſmum tabulam: ne faciant animæ ſuæ, juxta ac ſalutis naufragium. Vocat autem divina bonitas malos, impioſq; ad reſipiſcendum, tum exteriùs per Doctores, concionatores,

Vult enim Deus omnes homines ſalvos fieri; & hinc omnibus offert ad ſalutẽ gratiam, ac

Digitized by Google

res, viros pios, Magiſtros ſpirituales, moderatores conſcientiæ; tum præcipuè interiùs per gratiam illam, quam appellant vocantem atque excitantem; vt cùm humano intellectui, quaſi ad vivum depicta objiciuntur, jam ingentia peccati damna, mox intolerabilia gehennæ tormenta; tum deinde inexplicabilia cœli gaudia. Atque hoc nihil aliud eſt, quàm à Deo flagitioſos ad meliora vitæ mutandæ conſilia, ſuaviter invitari; quin etiam porrectâ quaſi, atque extentâ manu juvari, vt ſi velint, è profundo iniquitatum cœno eluctari poſſint; recuperaturi ſimul, quam turpiter perdiderunt, juſtitiæ gratiam. media ſufficientia.

V. Itaque nullus eſt, fuit, eritque homo, gravium ſcelerum amator, cui non veriſſimè optimus Deus aliquando dicturus ſit: *Vocavi, extendi manum meam*: adjutum te volui, & ereptum ex volutabro impietatis: gratiam meam, auxiliumque tibi obtuli, imò non cogitanti vltro ingeſſi, obtruſi. Neque id adeò mirum videri debet; innata eſt beneficentia Numini, aſſueto in liberalitate à nemine vinci. Artaxerxes, qui à longiore manu, Longimanus eſt cognominatus, pulchrè atque ingenioſè ſolitus fuit dicere: ſibi quaſi Principi (qui eſt Dei imago in terra) manum ad dandum (puta dexteram) eſſe longiſſimam; alteram verò ad detrahendum, nempe ſiniſtram, contractam eſſe & breviſſimam: cauſam ſubjunxit cum epiphonemate: *regaliùs multò eſſe addere, quàm adimere*: Hæc etiam Dei eſt indoles; continuò profundere gratias, favores, beneficia, quamdiu ſunt homines, qui grato pioq; ſinu excipiunt. Longimanum verè eum dixeris, quia probis mentibus omnia dare paratus eſt, cœlum quoque ſuum, & ſeipſum. Quin etiam rectè appellabis Brevimanum, imò Nullimanum; nam quantum in ipſius eſt bonitate, nemini mortalium quidquam ſubtrahere cogitat de ſua benevolentia, amore, gloria; niſi ipſum impium propria impietas, & indigniſſima peccandi libido, his bonis ſpoliet, cœliſque exturbatum detrudat in ſtygem. Quod ne fiat, omnibus velut conatibus obſiſtit divina pietas; in ſingula quaſi momenta & invitans placidè ad virtutem, & porrigens manum ad conatum.

Plut. in apoph.

Deus in largienda gratia, longimanus eſt, in ſubtrahenda brevimanus.

VI. Scimus, quem modum tenuerit Servator humani generis, quando pretium redemptionis noſtræ perſolvit in Cruce. manibus in extremos ligni fatalis ramos diſtentis, numeravit paternæ juſtitię litrum pro nobis; ſimul hoc habitu, geſtuque corporis inſinuans, brachia ſe ideò extendere, vt volentes exſurgere è barathro flagitiorum, potenter extrahat; vt quæſituris beatitudinem, viam oſten-

Chriſtus olim in mõte Calvario & cruce, bra-

chia extẽdit ſcelerato mundo, ad amplexum.

dat regiam, vt deſideraturis reconciliationem poſt offenſas, ipſe prior dexteram porrigat, ad firmanda novæ pacis fœdera; denique vt totum (ſi ad ſe redire velit) mundum, amantiſſimo complexu excipiat. Ita jam tum, verè de ſe affirmare potuit illud: *Vocavi, extendi manum meam.* Neque hodie alius eſt Chriſtus, aut aliter affectus erga mortales, quàm cùm in monte Calvario ſublimis pependit ex infami ſtipite. *JESVS Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula,* dicebat olim Apoſtolus ad Hebræos; aſſerturus (vt nonnulli putant) ſimul cum humanitate, divinam in Chriſto naturam. Ego verò de ſimilitudine atque identitate, vnius quaſi voluntatis in Chriſto, hæc verba accipio, vt ſenſus ſit: idem Salvator, qui heri, hoc eſt, olim extra Jeruſalem, amoris ſui brachia expandit redeunti impio ad amplexum, eodem hodie affectu expectat peccatores: etiam hodie caput inclinat ad oſculum, etiam hodie latus aperit, vt per illud oſtium intrare volentibus, pateat aditus ad Cor JESV, conclave diviniſſimæ charitatis. *JESVS Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula;* idem eſt nunc in cœlo gentis humanæ amator, qui fuit, cùm ante mille ſexcenta ſæcula, hanc terram mortalis incoluit. ſed & idem manebit, dum iſte orbis ſteterit, nunquam imminuto affectu ſubveniendi peccatoribus, & neceſſaria ſalutis media ſubminiſtrandi; vt hodieque iterum aſſerere poſſit: *Vocavi, extendi manum meam.*

Ad Hebr. 13. 8.

Eadẽ quaſi hodie in cœlo extendit, recipiendis in gratiam impijs.

VII.

Et tamen aliquando repudiatur hæc Salvatoris benevolentia, non ſine ejuſdẽ querimonia & exprobratione:

Sed nihil tantopere dolet optimo Deo, quàm ſi profuſa ejus liberalitas, & liberaliſſima pietas non agnoſcitur; ſi dextera tam benevolè ad auxiliandum protenſa, repudiatur; ſi impij homines ſurdis auribus prætereunt Numinis ſe Vocantis monita; & ne de impudentia ſua erubeſcere poſſint, frontem ſibi corneam induunt. O! vt timendum, ne tales & verbera olim accipiant, & duriora plagis verba, conquerentis graviſſimè contra ſe Dei: *Vocavi & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret.*

VIII.

S. Anton. p. 3. tit. 24. c. 9. §. 7.

Quam Juvenis, religioſi propoſiti de-

Ad propoſitum rem memoratu dignam, & ab eventu ſuo triſtem, narrat S. Antoninus, Florentinorum Pontifex. Fuit qui emiſſo voto, conſcientiam ſuam obſtrinxit Deo, niſi D. Franciſci amplecteretur familiam; ſed mutato poſtea conſilio, religionem mutavit in ſtatum Eccleſiaſticum; neſcio perſuaſus ſpecioſo Canonici titulo, an pinguis illicio menſæ? Cæterùm non integer annus interceſſit, & lethalis hominem morbus ſtravit; eum igitur frequentes domeſtici hortantur, vt æternitatis adeundæ memor, & reddendæ coram ſummo tribunali rationis, præmittat Chriſtianæ morti

neceſ-

Digitized by Google

neceſſaria; præſertim animæ ſuæ expiationem, per Confeſſionis Sacramentum. Sed miſer turbati animi, ac deſperantis ſigna præferens, negavit ſibi iſtis opus eſſe; quòd hæc contra ſe Judicis Chriſti jam audiſſet, ſive verba euntia, ſive tonitrua: *Vocavi & renuiſti, ideò vade ad pœnas inferni.* Vix iſta memorando abſolvit Canonicus, & anima infelix ſuâ carne ſoluta eſt, mutato corporeo carcere in deteriorem alterum.

ferror, audire debuit.

IX.

Hîc adverto cum Theologis, tametſi Vocatio ad religionem, non tam præcepti, quàm conſilij ſit; nihilominus ſi ea opportunè, diu & frequenter offeratur à Deo: citra ejus injuriam hanc ſingulariſſimæ familiaritatis divinæ invitationem, repudiari non poſſe. ſæpe etiam contingere, vt qui gratiam tam peculiarem cum contumacia refractariæ voluntatis reſpuunt, juſto Dei judicio permittantur ſequi impetum naturæ: & poſt ejus corruptelam, mundi illecebras, carnis deſideria ire, tandemque culpâ ſuâ perire; nunquam perituri, ſi injecta religioſæ vitæ conſilia obedienter ſuſcepiſſent. vt veriſſimè ad tales videantur illa quadrare: *noluit benedictionem, & elongabitur ab eo; & induit maledictionem, & intravit ſicut aqua in interiora ejus, & ſicut zona, quâ ſemper præcingitur.* Ea propter Eccleſiaſtico quem diximus, ſi non cauſa damnationis ſuæ, ſaltem occaſio fuerit, divinæ vocationis neglectus, & ſaluberrimi conſilij turpis repulſa.

Platus de bono ſtatûs Religioſi lib. 3. cap. vlt. & alij.

Vocatio Religioſæ vitæ à Deo injecta, & ab homine rejecta, etſi tantùm ſit conſilij, poteſt tamen culpam & pœnam inducere.

Pſal. 108. à v. 18.

X.

Ex quibus manifeſtè colligitur, longè arctiorem homini obligationem incumbere, quando Deus in materia præcepti ſuggerit mentem ſuam placitumque; vt cùm ſuadet celerem à peccatis reſipiſcentiam, ipſorum legitimè pœnitentium ingenti bono. Ita enim quidam, loquentem ad mortales immortalem Deum introducit. *Filij aperite mihi vnam aperturam pœnitentiæ, quantum eſt foramen acûs; & ego aperiam vobis aperturas miſericordiæ, per quas poterunt intrare currus & quadrigæ.* Hem! Numinis infinitam ſive bonitatem, ſive charitatem! etiam apud impium, hoſtem ſuum capitalem, deſiderat ſibi cor aperiri, vel minimâ ſui parte, per clavem veræ pœnitudinis; vt intrare illuc poſſit cum theſauro miſerationum ſuarum, gratiarumque ditiſſimus hoſpes. Et tamen duriſſimi adhuc ſunt homines, qui Deo ejuſque ardentiſſimis votis, corda ſua claudunt; vix aperienda ampliùs, niſi cùm illato vulnere, & quadam amantis violentia.

Multò magis Vocatio Dei, in materia præcepti.

Victor. fid. p. 2. c. 10.

Improbus per pœnitentiã debet aperire cor ſuum Deo, vt poſſit intrare cum quadrigis gratiarum.

XI.

D. Bernardus Clarevallenſis Abbas, ſicut multis auctor fuit religioſæ vitæ ſic eandem Germano ſuo fratri Gerardo, ſæpius ſuaſit, ſed non perſuaſit; ſæculi præſentis imago, & militiæ fervor,

juve-

In Vita S. Bernardi.

Lancea aperuit pectus fratri S. Bernardi, ad vocationem Dei admittendam.

juvenem abſtraxerunt ad vana. Tunc ergo Bernardus, prophetiæ ſpiritu impulſus, digito in fratris latus intento: *veniet* inquit, *dies & citò veniet; cùm lancea huic tuo lateri infixa, pectus aperiet ſalutaribus conſilijs, quibus nunc eſt clauſum.* Ita evenit: paucos enim poſt dies, eo ipſo loco, vulneratus in pugna Gerardus, captuſque ab hoſtibus fuit. ſimul & memor fraterni vaticinij, exclamare cœpit; ſe Monachum eſſe Ciſtercienſem. Nihilominus in cuſtodiam à victoribus eſt collocatus: ſed brevi evaſit, & vinculis ſolutis, & patefacto oſtio; vt ſciret divinâ ſe virtute ad vtrumque dimitti, libertatem & monaſterium.

XII.

Hodieque Deus ſceleſtorum hominum mentes, conatur expugnare ferro & flammâ, ſeu præſentis vitæ calamitatibus ac malis.

Habemus hîc, quod conſideremus cum attentione. quot ſunt quantique mortalium, quibuscum Deus nihil proficit, ad meliora convertendis! Exempla proponit Sanctorum, quos pœnitentia velox poſt lapſum, fecit vtrique orbi commendabiles; nihil movent ferreos animos. Funeſtos eorum caſus adducit, quorum mala voluptas inopinatâ morte terminata eſt; imò per mortem, tranſijt in ſupplicium interminabile; nihil afficiunt ſtupidas mentes. Cœlum omne, totum infernum, oculis ſpectandum objicit: ſed neque illud ſui pulchritudine trahit; neque iſte ſuâ infœlicitate terret, lippientes & faſcinatos; perſeverant inter quotidiana ſcelera eſſe protervi, & Deo vocanti, invitanti, & tantùm non roganti, cor omne claudere. Tandem igitur amor Numinis in piam ſeveritatem abit, & pectus, quod conſilijs monitiſque emendare non potuit, ferro & flammâ conatur expugnare; puta ſubitis triſtibuſque infortunijs, ſive ab incendio, ſive à tempeſtatibus, ſive ab hoſtili graſſatione, ſive à morte chariſſimorum, ſive à periculoſa ægritudine, communi malo, aut privato, natis. Et certè non pauci, ejuſmodi neceſſitate circumventi, his talibus conciſi vulneribus, cor ſuum Deo reſerant, & dant victori manum; amplexi quam ſecum adducit, honeſtam matronam, cæterum macie confectam, rugis aſperam, vultu ſeveram, virgâ & flagello minitabundam, Pœnitentiam ajo.

XIII.

Neque tamen expugnat oēs ad pœnitentiã, aut iſtâ violentiâ, aut amicâ benevolentiâ.

Sed alij, etiam hîc feri ſunt, & verè ferrei, & cataphracti adversùs amantis Dei ſalubres inſultus. decretum illis eſt inter aſſuetas mundi voluptates, gratas concupiſcentiarum lenas, blandas affectuum conciliatriculas, ætatem terere; vno verbo, brutum non hominem agere; neque ad Chriſtiani officium animi redire ante neceſſitatem mortis. O miſeros! quibus ſuæ deliciæ tam pernicioſæ ſunt, quàm charæ fuerunt! Nam ſi neſcis, non vult illudi ſapien-

pientiſſimum Numen, neque ſemper naſo trahi, & ſuſpendi expectatione futuræ reſipiſcentiæ: neque continuò canere ſurdis fabulam, ſed ſeriam adhortationem;neque ſemper porrigere brachium, irriſuris oblatum auxilium. Tandem contempta DEI bonitas, in pœnam tam obfirmatæ contumaciæ,ſubtrahit quaſi ſe, & ſinit volentes interire; neque ad præcipitium ſponte currentes, dexterâ ſuâ revocat, toties tamque indignè repudiatâ. Denique repentinum ſceleſtorum interitum, amaro riſu & ſatyrâ, faciet amariorem pereuntibus. Salomon quo DEVS ſarcaſmo, exſibilaturus ſit impiorum turbam, ſic deſcribit.

Et hęc cauſa eſt, cur DEVS extenta ſua brachia, & diu cõtempta aut excuſſa, aliquibus tandem ſubtrahat.

XIV.

Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis; ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis advenerit; cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit; quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. perſtringit hoc loco divina Sapientia eos, qui DEI juſſa conſiliaque, jocis, ſannis, riſu & ludibrijs exceperunt; aitque juſtâ punitionis menſurâ, ex parte ſua reſponſuram quaſi ſannæ ſannam, riſum riſui, cachinnum cachinno, futuræ indignationis ſigna Quem ſenſum eleganter exprimit, hæc D. Auguſtini lectio: *Ego quoq; perditioni veſtræ ſuperridebo.* Quod nihil aliud eſt, quàm riſum excipere riſu acerbiore. Et quidem illuminatiſſimus Eccleſiæ Doctor, cùm loco citato conſtituiſſet duo hominum genera; alterum, quod deſperatio à virtute deterret; alterum, cui ſpes nimia, omnem ſolicitudinem adimit ſalutis curandæ; de hoc potiſſimùm verba irati Numinis dicit eſſe intelligenda: *ego perditioni veſtræ ſuperridebo.* Siquidem teſte eodem ſanctiſſimo Patre, inanis illa, & temere concepta ſpes, vivendi licentiam parit, metuq; omni liberum hominem præcipitat in vitiorum abyſſum: donec ſui, Deique immemorem, inter ludos & jocos, ſcelera & flagitia adhuc laſcivientem, mors inexpectata excutiat ad inferos; cum amara Numinis ſubſannatione, factura novum vulnus alienæ calamitati.

Prov. 1. à v. 24.

Non ſine acerbo, ſupra pereũtes ſarcaſmo.

XV.

Sed contendet aliquis, non ideo cum ijs ſtatim conclamatum eſſe, quos in ſordibus peccatorum malè collutulatos, vltima deprehenderint fata; nam ſi mors paulò lentior fuerit, dederitq; breve aliquod ſpatium, colligendi vaſa & animum; poterit nimirum etiam cum DEO ſuo, rationes impius ponere, & quam eò vſque peſſimus cunctator diſtulit, ſeriâ pœnitentiâ ac veriſſimis lacrymis, omnes animæ nævos abſtergere; dignus, quem omni jam ſcelere

Futura olim pœnitentia, nũc eam procraſtinantium impiorum, dubia eſt.

Digitized by Google

purum, aperti ſtatim cœli recipiant in ſinum beatitudinis. Et hæc quidem, ſicut pertinacibus diu improbis, ſolatium aliquod poſſunt conferre, ac velut frigidam morituris aſpergere; ita ſolidæ certitudinis nihil habent, ſemperque relinquunt ſperantem in periculo, & quaſi ſub cultro. Neque mea hæc ſunt ſomnia; ad omnes mortales, quotidianâ reſipiſcentiæ ſuæ procraſtinatione infames, ita loquitur DEI ſapientia, interprete Salomone. *Tunc invocabunt me, & non exaudiam; manè conſurgent, & non invenient me; eò quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint conſilio meo. comedent igitur fructus viæ ſuæ, ſuiſq; conſilijs ſaturabuntur.*

Etiam propter comminationē Numinis.

Prov. 1. v. 28.

XVI.

Cornel. hic.

Nunquam in hac vita pœnitentia eſt ſera, ſi vera; ſed rarò eſt vera, quæ ſera.

Objectionem hîc movet Cornelius: *ergonè in hora mortis, ſera eſt peccatoris pænitentia, & invocatio DEI?* eamque breviſſimè ſimul ita reſolvit: *Nunquam ſera eſt in hac vita, ſi vera; ſed rarò vera, quæ ſera.* Ratio ſumitur à multiplici difficultate, quam ſentit, qui peſſimos mores per omnes ferè annos circumtulit; exuere tum veterem pellem, & naturæ corruptæ tam mordicus adhærentem, opus eſt ſupra humanam infirmitatem. Nec dixeris, hanc imbecillitatem viribus divinæ gratiæ poſſe roborari, vt evincat homo ſe ipſum, & malè aſſueta: poteſt enim verò, neq; ſubtrahit liberaliſſimus DEVS ſufficientia gratiæ ſuæ auxilia (vt repetitam ſæpius tibi cantilenam occinam) ſed interim etiam limpidiſſimo perſpicit oculo, hunc illumve, obfirmatum in ſcelera peccatorem, his talibus auxilijs munificentiſſimè oblatis, ignaviæ ſuæ culpâ non vſurum. Et quanquam DEVS intelligat, ſi ampliora daret, atq; efficaciora ſubſidia; vehementiores ſcilicet impulſus, lucidiores radios, & intellectum, & voluntatem impij evictum iri ad frugem, doloremq; neceſſarium ſuper peccatis; tamen quia per moroſam pœnitentię dilationem, ſæpe antea, aut ſemper oblatam ejus dexteram, vocantis ad reſipiſcendum, indigniſſimè reſpuit: vitio ejuſdem fit hominis improbi, vt etiam clamando atq; orando ſub mortem, non impetret, quod maximè deſiderat, gratiæ efficacis auxilium. Ita juſtiſſimus DEVS par pari reddit, & ſurdis ſe quoq; ſurdum præbet tunc, cùm maximè poſtulabunt ab eo juvari.

Hominibus quoq; diu ac protervè impijs, dat quidem ſemper Deus ſufficientem gratiam, ſed quacū videt nihil acturos.

Vberem illam & efficacem, non dat ſemper: quia dare non tenetur, præſertim malè de ſe meritis.

XVII.

Quanquam diffiteri non poſſum, divinam ſæpiùs pietatem indulſiſſe ſceleratiſſimis quibuſdam, & vſq; ad vitæ poſtremā lineam obduratis peccatoribus, vt tandem connivente quaſi Numinis juſtitiâ, & ejuſdē miſericordiâ ad dictaturam ſedente, ipſis in mortis ſuæ faucibus, erepti ſint tartaro. Sed ſtultus fuerit, & mente omni captus, qui vbi nunc flagitioſiſſimam traxerit vitam, ſimilem ſibi fortunam,

Digitized by Google

tunam, eoſdem DEI favores, deniq; ſanctiſſimum obitum promiſerit. Noli autem quæſo te, hîc ſecreta ſecretiſſima ſcrutari, cur in paribus culpis vitijſq;, alteri DEVS impio, potentiæ ſuæ dexteram porrigat, alteri ſubtrahat; ſive quod tantundem eſt: cur vni DEVS ex miſericordiſsima ſua benignitate conferat gratiam efficacem, nullâ obligatione debitam; alteri verò neget; vt hic fiat Orci victima, ille cœli incola. de his, inquam, arcanis noli diſputare, ſi non vis errare. Hoc certum eſt, nulli DEVM injuriam facere, nullum etiam niſi propriâ culpâ interire, & vitio libertatis ad illicita applicatæ. Denique ſemper dubiam, incertamq; eorum eſſe ſalutem, quibus conſuetudo eſt, pœnitentiam reijcere ad vltimos vivendi terminos. Nam de iſtis communiter SS. Patres accipiunt hanc DEI interminationem: *tunc invocabunt me, & non exaudiam.*

Cur autem divina bonitas, gratiam efficacé quibuſdam in morte ſceleſtis, non omnibus conferat, ſecretũ eſt Dei ſecretiſſimum.

XVIII.

Eſt tamen alia quoque cauſa, ob quam preces ſceleſtorum mortalium, in vltima fatorum neceſsitate non audiantur à DEO. quia ſcilicet eo tempore, non tam orant remiſſionem culpæ, quàm pœnæ, ipſamq; à morte liberationem; exemplo Antiochi profligatiſſimi Regis, de quo alibi actum eſt. Fit proindè ſæpe ſępius, vt quam ijdem ſub vitę ſuę exitum auſpicantur pœnitentiam, nulla ſit, quoniam tota ex metu ſervili conſuta eſt. Lycurgus Spartanorum Legislator dicere conſuevit: omnem Rempublicam *præmio & pœnâ*, rectè atq; ordine adminiſtrari. perditiſsimus quiſq; vix aliter coërcetur, quàm ſuppliciorũ metu. probi trahũtur liberaliter ad officiũ; munuſculum illis, & ſperata dignitas, & promiſſus favor; quin etiam ſolus Honeſti amor, pro imperio eſt; teſtimonio poëtę accinentis:

Quòd aliqui improbi jam morituri, non impetrent à Deo gratiam efficacem per ſuam orationé, cauſa eſt, quòd ſit vitiata per metum ſervilem.

Ci. in epiſt. ad Brut.

Oderunt peccare boni, Virtutis amore;
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

Horat. l. 1. epiſt. ad Quinct.

Hoc diſcrimẽ eſt inter bonos, improboſq; homines, quod inter ſervos ingenuoſq;. niſi mancipio nervum quotidie oſtenderis, ſupplicium pedibus excogitatũ; aut flagellum increpando dorſo concinnatum; niſi quotidiano jentaculo fuſtuarium junxeris pro condimẽto, rarò ſervus homo frugi erit; cùm interim liberales animi, ipſa ſolius recti pulchritudine, ducantur ad obſequiũ. Conſtituit etiam DEVS actionibus noſtris pœnam & prœmiũ, ſtimulatq; vniverſos, vt pareant; tum metu tormentorum infernalium, tum amore ſui, velut ſummi boni; ſpe item cœleſtis patriæ. denique virtutis ipſius honeſtiſſimâ amœnitate. Sed nempe, poſteaquam primâ libertate per noxam Adami perditâ, facti ſumus mancipia, hodieq; damus cõtractæ ſervitutis indicia: quando pleriq; ſolo inferni timore, divinas

Ingenui amore, ſervi ducuntur timore.

Poſt lapſũ Adami, pleriq; homines ſolo metu ſervili, & timore inferni, abſtinemus à peccatis.

divinas obſervamus leges, aut dolemus offenſum à nobis eſſe Numen.

XIX.

Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4.

S. Thom. 3. p. q. 85. a. 5. cum communi.

Timor ſervilis, ſi includit, vel ſaltem non excludit timorem filialem, ſervit ad pœnitentiam, & delenda peccata.

Et quanquam in ſacris ſcripturæ tabulis, hic ipſe ſervilis metus ſuam habeat commendationem, veluti conſuetus impijs anteambulo ad veram pœnitentiam, & ſanctiores vitæ emendandæ conatus; tamen ſolus nequaquam ſufficit comparandę ſaluti; debet ſibi ſocium jungere (aut ſaltem non excludere) illum timorem, quem docti in Scholis, *filialem* appellant; & eſt divinæ charitatis genuina ſoboles, quâ incitamur ad lethales noxas, ideo maximè cavendas, ne DEVS optimus Pater, ſummum omnino bonum, injuriâ gravi afficiatur; quod quidem neceſſariò evenit per quodvis notabile peccatum. Cùm igitur aut humana infirmitas aliquem dejecit, aut vis mali dœmonis ſtravit, non ſatis eſt poſt lapſum angi duntaxat, quia ſtygias ſibi flammas conciliavit; heu! quale breviſſimæ voluptatis ſtipendium! multò magis dolere opus eſt, quòd contra DEVM immortalem, parentem benigniſſimum, ſervatorem animæ ſuæ, infinitum bonum, bonorum omnium fontem, ipſius quoque bonitatis inexhauſtum oceanum; vægrandi temeritate, maximâ malitiâ, auſus fuerit terræ vermiculus, caput improbum erigere: & peſſimus mortalium diviniſſimas Numinis leges, pudendâ libidine transgredi.

XX.

Lib. 3. § 6. n. 8. ſupra.

Quia verò multi peccatores graves, in morte tantùm ex ſervili timore dolent ſuper ſceleribus præteritis, ideo actû agunt.

Ita de ſuis culpis dolere, ingenuorum eſt inſigne filiorum, quos potiùs DEI charitas agit, impellitque ad rectum, quàm timor ſuppliciorum. Illud alterum, pœnitere causâ ſolius mali, quod improbus homo in vindictam prævaricationis incurrit, naſcitur à ſervo metu; eſtque abjectorum, & ſervilium ingeniorum certiſſima nota. Denique quiſquis ſine charitate DEI, ſive abſque filiali timore, ſolo metu ſervili inſtructus, in extremo vitæ diſcrimine, propterea tantùm dolorem ſuper flagitijs ſuis concipit, quia inferorum non perituras flammas horret, nullâ offenſi Numinis habitâ ratione, actum agit; quemadmodum jam alio in loco docui. Vnde concludo; quandoquidem obſtinati peccatores, divini nihil amoris habent, ſolumque poſt veſtigia gregum ſuorum abeunt, puta concupiſcentiarum & voluptatum deſideria; cùm dies illis ad migrandum hinc dicitur, non tam de DEI causâ, quàm propria ſua ſoliciti, ſuaſore metu ſuper ſceleribus dolent, lacrymantur, ingemiſcunt, eadem apud ſacerdotem per confeſsionem expiant; quin etiam diviniſſimo ſe viatico, oleoque ſacro communiunt, ad vltimum cum Sathana prælium. At enim communiter iſta

faciunt,

Digitized by Google

faciunt, non ex ſincera deteſtatione peccati, velut divinæ offenſæ graviſſima materia; ſed tantùm ne pro meritis longæ improbitatis, plectantur æternitate inferni: qui ſi ipſis nihil formidandus eſſet, nihil etiam angerentur, Deum ſe ſuum toties, & tam protervâ læſiſſe audaciâ.

Planè ad ingenium Semei, perfidiſſimi hominis, quem neque pudor ſuæ perfidiæ, neque Majeſtatis Regiæ dignitas abſterruit, quò minùs Davidem Jeroſolymâ profugum, & declinantem inſidias Abſalonis, non ſolùm duris lapidibus, ſed durioribus etiam convitijs, inſolentiſſimè peteret. At verò poſtquam vindice Deo, & causâ cecidit Abſalon, & prælio; jamque iterum David triumphanti ſimilis, reducebatur cum pompa à Magnatibus in vrbem; etiam Semei Victori ac glorioſo Regi occurrit, prope Jordanem; non vt nuper petulans convitiator, ſed humilis deprecator. Nam Scripturâ teſte, proſtratus corpore ante Davidem, ſic ei inter gemitus, lacrymaſque locutus eſt. *Ne reputes mihi Domine mi iniquitatem, neq; memineris injuriarum ſervi tui, in die, quâ egreſſus es Domine mi Rex de Jeruſalem, neq; ponas Rex in corde tuo. Agnoſco enim ſervus tuus peccatum meum; & idcirco hodie primus veni de domo Joſeph, deſcendiq; in occurſum Domini mei Regis.* Hem aſtutam vulpem! vt pulchrè ſcivit diſſimulare. nolo enim credas, quam dixit culpæ ſuæ agnitionem deteſtationemque, profluxiſſe ex reverentia, atque amore offenſi à ſe Regis ſui, ſed ex mera neceſſitate metuque, ne capitis reus, vitam amitteret: extra hoc periculum ſi fuiſſet, nunquam veniam delicti poſtulâſſet. Atque hæc ratio eſt, quam communiter tenent, qui exactis inter mundi, carniſque illecebras annis, jam mortis approperante horâ, de peccatis ſuſpirant, Sacramentorum ſe participes faciunt, Deumque orant, vt ſibi propitius eſſe velit, proximè ad tribunal ituris: plerumq; enim hæc omnia proficiſcuntur, non ex vero amore, ſeu dolore læſi Numinis; ſed neceſſitate quâdam, & timore ſolius declinandæ ſtygis: quibus circumſtantijs, tota eorum pœnitentia, omneſque eorum preces vitiantur, vt ad homines præſertim iſtiuſmodi, ſpectet illa Dei comminantis denunciatio: *tunc invocabunt me, & non exaudiam; manè conſurgent, & non invenient me.*

XXI.

2. Reg. 16.

Pœnitẽtia Semei, ex ſolo metu ſervili cõcepta:

2. Reg. 19. v. 18.

Similis eſt pœnitentię multorum in obitu ſuo impiorum.

Prov. 1. 28.

Porrò difficultatem habet, inquit Salazar, de illis improbis, qui converſionem ſuam diſtulerunt in finem vitæ, quaſi in veſperum; ſi manè ſurrexerint, hoc eſt, ſi (vt primùm ſentiunt ſibi imminere mortem) ſimul diligentiam adhibent, & ſtudium quærendi per

XXII.

Salazar in prov. hic.

Digitized by Google

pœnitentiam Deum, quomodo eundem non inventuri dicantur,
Prov. 8. 17. affirmantem ex ore Sapientis: *qui manè vigilant ad me, invenient me.*
Sed in promptu eſt reſponſio ex dictis; plerumque enim cunctabundi illi, tametſi jam morituri multùm ſatagere videantur, pro reconciliando ſibi Numine; tamen parum efficiunt, quòd omnis eorum labor, ferè conſumatur in amoliendo, aut æterno malo, aut temporali, inferis inquam, aut morte pręſente; hoc autem eſt vitiosè Deum quęrere; & pro pœna habet, eundem non invenire. Poteſt & alia eſſe hujus loci explicatio; vt per *manè*, quo dicuntur quęſituri Deum in morte ſua impij, intelligatur initiũ ęternitatis, conjunctum illi momento, quod eorundem vitam terminat. Quis autem non videt, tunc ſeram eſſe nimis diligentiam, negligentiam priorem retractandi? Vult omnino Deus, vt quęratur ab homine, legis ſuæ prævaricatore; ſed dum hujus adhuc vitæ affulget *manè*, tempuſque miſericordiæ conceſſum. Hoc vbi ſemel effluxit, & illuxit æternitatis exordium, nulli ampliùs pœnitentiæ locus eſt.

Improbi, qui Deum per pœnitentiam quærunt *manè*, hoc eſt, poſt mortem, æternitatis initio, fruſtra quæruntur.

Multis ſui interitûs cauſa fuit, ſuum pœnitere nimiùm diſtuliſſe. Meminerunt ſacræ literæ gravis prælij, quod per integrum diem exarſit inter Joabum & Abner, egregios militiæ duces. ſed cùm iniquum ſibi Martem ſentiret Abner, ſub veſperam miſit nuntios ad
2. Reg. 2. 27. Joabum, qui inducias paciſcerentur. Cui ille: *vivit Dominus, ſi locutus fuiſſes manè, receſſiſſet populus, perſequens fratrem ſuum. Inſonuit ergo Joab buccinâ, & ſtetit omnis exercitus, nec perſecuti ſunt vltra Iſraël.*

XXIII.

Eadem Deo optimo eſt conſuetudo: ſi peccator homo, putidus terræ vermiculus, proh quantæ infirmitatis creatura! audet aliquamdiu hoſtilia arma in Creatorem ſuum vertere; ſed mutato deinde conſilio pacem, veniamque ab eo flagitat, *manè* quaſi, hoc eſt, tempeſtivè, maturè, ſine longa procraſtinatione; tum enimverò facilè ſupplex Deum exorat, & irato extorquet gladium. Contrarium illi ferè ſemper experiuntur, qui toto vitæ decurſu, perrexerunt divinę Majeſtati, quotidianum velut bellum movere; & modò ad veſperam, cùm moriendum eſt, miſericordiam ejus frigidè, vitioſeque inclamant, impendente ſuper ſceleſtum caput juſtitiâ. Denique veriſſimè dixit Iſaias: *Dominus manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum.* O! vt impleatur cum vniverſis ex impiorum grege, quod additur: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem*
Iſa. 50. v. 4. & 5. *non contradico, retrorſum non abij.* quotquot hîc aut contradicunt benè monenti Deo, aut retrorſum eunt à conſilijs ejus, aut ſurdi ſunt ad Vocantis clamores: timeant illud triſte, ac multis fatale verbum: *tunc invocabunt me, & non exaudiam.*

Qui poſt peccata ſua *manè*, hoc eſt, maturè, & ſine longa procraſtinatione, ad Deum accedunt, facilè recipiuntur.

Ac

Atenim, ſi pro impijs ſerò in morte ſua, nec tamen ſeriò pœnitentibus, intercedant pij apud Deum; nunquid periclitantibus de ſalute, impetrabunt perfectæ converſionis gratiam? nunquid is, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, accipiet obteſtationum preces, animaſque ſervabit pereuntes? Id quidem poteſt, immò & ſervavit ſubinde Deus, perſuadente clementiam innatâ ſibi bonitate, aliorumque poſtulantium obſecratione. Interim non dubito, ſæpe etiam benigniſſimum cæteroquin Numen, alienas intercedentium preces repudiâſſe; clamante Juſtitiâ, & rogante vindictam infligi, protrahentibus cum ſummo divinæ injuriæ flagitio, ſuam emendationem. vt verba illa æternæ Sapientiæ: *tunc invocabunt me, & non exaudiam*, apud vtroſque non rarò verum habent: & ſceleratos, qui primùm in vitæ exitu languidè, miſerè, vitiosè pœnitentiam agunt; & illos, qui talibus jam morituris proximi, conantur à Deo orationibus ſuis, neceſſarium ſuper peccatis dolorem impetrare. Neq; deſunt confirmãdæ veritati exempla. Vnum ego illuſtrius, atq; à novitate gratius adducam, ex relatione fide digna. XXIV.

Preces alienæ, pro impijs pœnitentiam ſuam procraſtinantibus, non ſemper apud Deum locum habent.

Toleti in Hiſpania nobilis adoleſcens, ante annos non adeò multos, ignobilem ſanè, & vel ſanguineis deplorandam lacrymis, vitæ ſuæ clauſulam impoſuit. Exuto Religionis ſuſcipiendæ conſilio (quod aliquamdiu ſecum coxerat) Canonicum induit. Et initio quidem officio ſuo functus eſt, non illaudabili induſtriâ. Sed quemadmodum cerea juventus, facilis eſt ad omnem ductum; ita improvidus homo, nactus peſſimos ductores, preſſo veſtigio ſecutus fuit præeuntes ad vitia. tandem & ipſe factus aliorum anteſignanus, ad ſcelera non mediocria duxit ſequentes. Miſerum juvenem! ſi putabat turpitudines ſuas, aut citiùs abſcondi ſub toga ſerica, aut ſpecioſiùs palliari. Sed tandem ſicut Deum habuit inſpectorem ſuæ improbitatis, ita & vindicem expertus eſt. nam brevi cum febricula expedivit, juſſitq; ad plures ire; ſive ſub terra in cinere ſuo fatiſcentes mortuos, ſive ad ipſos Erebi incolas, magnum infeliciſſimæ ſocietatis numerum. Audi ô bone, & obſtupeſce non tantùm vim, roburque imbibitæ ſemel impietatis, ſed etiam ſeveri Numinis formidanda judicia. Vix rumor vrbem pervaſit, de morbo Canonici jam paſſim à probris ſuis, inſolentiaque infamis; cùm Toletanus Eccleſiaſtes ęgrum adit, monetque, vt conſcientiam excutiat, erratorumque ſemper periculoſo onere, ſe ſe levet. Negare ille ejus rei neceſſitatem tunc eſſe; ſi ęgritudo accreverit, memorem fore animum datę admonitionis. Interim Medicus ponè aſſiſtens, neſcio XXV.

P. Reeb. in Reg. & Mor. prud. Chriſt. c. 11 num. 19.

Didicit ſuo damno, Iuvenis flagitioſus.

ex

Cui morti jam proximo, nemo aſſiſtentiũ potuit perſuadere Confeſſionem & pœnitentiam:

ex quibus ſignis deprehenderit, mortem intra pauculas horas adfuturam. Quare conſternatus Eccleſiaſtes, magis cœpit inſtare, etiam divini Judicij interpoſito rigore. Vbi verò Æthiopem ſe lavare vidit, cubili egreſſus, nobiles quos obvios ſibi habuit, familiares decumbentis, in partem laboris ſanctiſſimi vocat; jamque omnes hominem Chriſtiani officij, in eo diſcriminis articulo commonefaciunt; ſed nullo effectu. Adeſt iterum Medicus, iterumque vicinum nunciat periculum: poſt horam actum fore cum vita ægrotantis. Itaque Eccleſiaſtes, cæterique lecto circumfuſi, maximâ quâ poſſunt vehementiâ contendunt, vt ſalutarem Canonico morituriento, dolorem perſuadeant, ſcelerumque ex præſcripto divinæ legis, faciendam confeſſionem. Sed neque tunc quidem proficiunt, aſſerente ægro, periculum remotius eſſe, quàm ipſi arbitrentur. mox obmutuit miſer, & ratione turbatâ, nihil ampliùs pro ſano egit. Ergo deſperatis jam prope rebus, opem à Numine implorandam cenſuit Eccleſiaſtes; ſimulque apprehensâ Chriſti è cruce pendentis effigie, Pſalmum *de profundis* exorſus eſt. Iamque ad illa venerat Davidis verba: *fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ*; cùm ecce tibi lignea imago, totâ præſentium coronâ inſpectante, brachia ad crucem fixa reſolvit, & vtrâque manu aures obſerans, formidabilem hanc vocem miſit: *quia vocavi te, & renuiſti, ego quoq; in interitu tuo ridebo.* Fulmen hoc fuit; quod vbi ab imagine jactum eſt, infelicem animam ex corpore ſcelerati juvenis, in tartarum deturbavit.

Pſal. 129.

Hinc orantibus pro eo jam mortuo, Crucifixus retractis è ligno brachijs, aures clauſit.

Prov. 1.24.

XXVI.

Quis leviculus homuncio, hæc talia audiens, non totis perhorreſcat artubus, ſtatimque vale impietati facto, non ſe ad Deum componat, tam ſeverum vltorem criminum? Nam ſub incerta ſpe futuræ reconciliationis, ad obitum & abitum remittere pœnitentiam, præter novum crimen, certum periculum habet; tantò gravius, quantò major eſt jactura cœli, & totius beatæ æternitatis. Igitur quod proverbium dicit, *nata in aqua, ante veſperam*: ſibi quiſque dictum velit in propoſito. Experientia teſtis eſt, ferè ſemper natationem in tenebris periculoſam eſſe, quòd homo tunc imprudens, facilè in ſcopulos, ſyrtes, voragines, euripos impingat, non prævisum ſibi exitium. Ita ſanè, cùm inveteratus peccator, ſub vitæ veſperam, quando ſol ipſi vltimus occumbet: cogitat apprehendere ſalutaris pœnitentiæ tabulam, & evadere inferorum æſtus: timendum omnino eſt, ne ipſo in portu naufragium animæ faciat, non reparabile. Nemo ſecuriùs, feliciúſque appellit ad littus

Natare oportet ante veſperã:

Hoc eſt, ante occaſum vitæ, maturè &

tus ſalutis, quàm qui conſuevit natare ante veſperam; hoc eſt, maturè poſt lapſum, emendare errores, diſſutamq; cum DEO aliquamdiu amicitiam, ſtatim reſarcire, & redintegrare fortiùs. nequaquam autem, Vocantem ad reſtauranda pacis fœdera DEVM negligere, aut reſipiſcentiam differre in ſerum. Salomonis iterum vox eſt, torporem noſtrum excutientis: *vſquequò parvuli diligitis infantiam? & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia cupient? & imprudentes odibunt ſcientiam? convertimini ad correptionem meam.*

celeriter ſuper peccatis agere pœnitentiam, & reſipiſcere.

Prov. 1. 22.

PARAGRAPHVS III.

Ex libro Evangeliorum.

IVDICIVM CHRISTI SERVATORIS

De ijs ſceleratis, Qui pœnitentiam ſuam trahunt ad ipſam moriendi neceſsitatem.

I.

HActenus ad rivulos ſedimus, bibituri à ſapientiſsimis Magiſtris veram ſapientiam; nunc ad ipſum fontem eundum eſt, Chriſtum aio, noſtri generis Servatorem. de quo rectiſsimè intelligi poteſt illud Siracidis: *fons Sapientiæ Verbum DEI, in excelſis.* Et quidem vt *Verbum DEI*, ſapientia Patris, Chriſtus inquam, docere poſſet humanam ignorantiam, cœlo ſeſe demiſit, velut olim ad erudiendum Laurentium Iuſtinianum deſcendit.

Fons ſapiētiæ VERBVM DEI, etiam in terra doctrinam ſuā effudit.

Eccli. 1. 5.

II.

Hic cùm adoleſcentiam ageret communi ætatis more, æſtuque juvenili, abripi cœpit ad vana & inania; ut ſatietatem quęreret in mundi hujus oblectamentis, nunquam ſatiaturis mortalium cupiditatem. Inter hæc, dum implendis deſiderijs pergit ſervire miſerum mancipium, & amores ſuos partiri cum doloribus, metu, curis, periculis: fortè quo die graviores eum ſollicitudines tenebant, de captanda voluptatulę vnius pręda; hem tibi! Virginem

Surius in Vita S. Laurent. Iuſtin. ad 8. Ian.

Digitized by Google

ex aſtris delapſam, atque omnia divina ſpirantem, ante oculos admirabundus intuetur. Et ſi interrogas, quid ea Laurentio Iuſtiniano cœleſtis attulerit muneris? dico, præter caſtiſſimum amplexum oſculumque, verum ſapientiæ magiſterium tuliſſe. clarè enim aſſeruit, omnem perdi operam, collatam in delicias hujus orbis: quòd res omnes creatę abſque fundo ſint, ſemperq; famem ſui relinquant; neque exſaturare poſſint capacitatem humani cordis, aut totas ejus concupiſcentias explere. Quin potiùs, ſi iſtam velit ſatietatem, ſe ſolam ambiret Virginem. Iamq; Laurentius Iuſtinianus, ſciendi cupidus quocum loqueretur, verecundâ interrogatione, quid nominis haberet, poſtulat: Et illa, Sapientia inquit, ſum divina, quę olim redemptura homines, carnis veſtræ mortalitatem indui. Dixit & evanuit; optimè inſtructo in melius diſcipulo, quem ſibi formandum ſuſceperat. Nam ab eo tempore, omnis illi Mundus deſipere, una ſapere Religio cœpit: vt ſub hac Magiſtra, copioſiùs diſceret ſapientiam DEI. Eandem poſtea complexus probè, etiam ſub mitra alios docuit, & Eccleſiaſtes inſignis, & ſcriptor egregius. Denique Sapientia divina, ſe quoque nobis, quaſi ſingulis tum communicavit, quando veſtitum humanitate noſtra *Verbum DEI*, quâ voce, quâ exemplo, docuit viam ſalutis capeſcendæ.

Sapientia æterna, Dei filius, Laurentium Iuſtinianum ad viam ſalutis inſtruit, in forma aſſumpta.

III. Præclarè in hunc ſcopum D. Baſilius olim ſcripſit: *omnis actio* (verba ejus legis) *omnis item ſermo Salvatoris noſtri JESV Chriſti, excolendæ pietatis, virtutiſq; obeundæ regula eſt. Propter hoc enim etiam naturam humanam ſuſcepit, vt ſe velut in tabula quadam, veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamq; nobis, maribus ſimul ac fœminis, ante oculos ſtatutam, vnicuiq; pro viribus imitandam, ceu archetypon proponeret.* Et advertunt Docti, parum Chriſto viſum eſſe homines redimere, niſi etiam redemptis oſtenderet modum, mediaq; conſervandę cum DEO Patre ſuo amicitię, quam ipſe filius exhibito ſanguinis pretio redintegravit. Magna eſt ad peccandum injecta mortalibus proclivitas ab Adamo, facilis etiam relapſus, in eandem vnde ſurreximus, ſcelerum foveam, impellente vi ſtygiâ; ne igitur pręcipites iremus in veterem animę ruinam, Chriſtus Servator cavit, tot objectis periculo munimentis, quot ſalutaribus nos inſtruxit documentis.

S. Baſilius Conſt. Mon. cap. 2.

Cùm jam priùs, totũ mortalium genus inſtruxiſſet in carne aſſumpta.

IV. Et quidem præter quotidiana ſanctiſſimæ vitæ exempla, quàm diligenter, quàm & frequenter Chriſtus in terris peregrinus, verbo ſuo docuerit homines, loquuntur ſinguli Evangeliſtæ; teſti-

Exemplo & verbo.

monia

monia de eo ex multis paucula, hæc ſunto. *Et circuibat JESVS totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni*, ait S. Matthæus. & idem alibi; *videns IESVS turbas, aſcendit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & aperiens os ſuũ, docebat eos.* Et iterum: *circuibat JESVS omnes civitates & caſtella, docens in Synagogis eorum.* Apud Lucam ſic legimus: *& deſcendit in Capharnaũ civitatem Galilææ, ibiq; docebat illos ſabbatis.* Et rurſus: *aſcendens in vnam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere puſillum; & ſedens docebat de navicula turbas.* Atq; iterum. *& erat docens quotidie in templo.* Ex quibus, ſimilibuſq; aliorum Evangeliſtarum teſtimonijs, ſole clarius patet, indefeſſum Chriſti Magiſteriũ. docuit enim locis ferè omnibus, ſacris & profanis, in templo & privatis ædibus, in civitatibus & pagis, in montibus & vallibus, terra & mari. docuit etiam omnes ſine diſcrimine; vulgus, plebem, diſcipulos, Apoſtolos, phariſæos, principes quoq; ſcribarum & ſacerdotum.

Matth. 4. 23.
Matth. 5. 1.
Matth. 9. 35.
Luca 4. 31.
Luca 5. 3.
Luca 19. 47.

V. Sed hîc quæſtio illa ventilari poteſt, quid deniq; filius DEI, non tantùm *Rex Regum, Dominus Dominantium*, ſed vero etiam Doctor Doctorum; inter cætera ſæpius inculcaverit, tanquam breve ſalutis noſtræ compendium? Et invenio; vigilantem oculum ad mortis inſidias, ſive ſollicitam præparationem ad obitum. hinc enim cum tota pendeat hominis æternitas, aut miſera, aut beata; vtraque æternùm ſibi eadem, conſtans, nullaq; viciſſitudine permutabilis: monet, hortatur, vrget frequentiſſimè Salvator Chriſtus, vt fixis ſemper oculis animoque, illud obſervemus punctulum, in quo non de capræ lana, ſed de rei totius ſumma decernetur. Itaq; ſanctiſſima ejus voluntas eſt, vt ſinguli ſe quàm optimè, & ſecuriſſimè ad fata olim ſuperventura diſponant; minimè pœnitentiam ſuper peccatis agendam, reijciendo in futurum manè, & multò minùs in dies ſequentes, annoſque. Et ſanè, quàm nihil in hoc negotio, aut tergiverſationis longæ, aut moroſæ cunctationis, aut oſcitantis ſomnolentiæ admittendum ſit; *Verbum DEI*, Veritas æterna, Chriſtus inquam in Evangelio, non ſemel duntaxat, neque perfunctoriè, ſed iterum iterumq;, graviſſimis ſententijs, & quotidianis ſimilitudinibus demonſtravit; deſumpto maximè argumento ab incertitudine temporis, quo & DEVS ad tribunal ſuum citabit hominem, & mors ejuſdem apparitor, reum ducet.

Apocal. 19. 16.

Compendiũ ſalutis quod Chriſtus docuit, conſiſtit in præparatione ad incertã mortem, ſeu Vigilantia.

VI. Verba vitæ æternæ hæc invenies apud Marcum. *Videte, vigilate, orate, neſcitis enim quando tempus ſit. Sicut homo qui peregre profectus, reliquit domum ſuam, & dedit ſervis ſuis poteſtatem cujusq; operis,*

Marci 13. 26. 33.

Digitized by Google

Quam declaravit Salvator, ſimilitudine ſervorũ, expectantium noctu dominum.

peris, & janitori præcepit vt vigilet. Vigilate ergo (neſcitis quando Dominus domûs veniat, ſerò an mediâ nocte, an galli cantu, an manè) ne cùm venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod vobis dico, omnibus dico, Vigilate. Et alibi apud Matthęum. *Si autem dixerit malus ſervus in corde ſuo: moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere conſervos ſuos, manducet autem & bibat cum ebrioſis; veniet Dominus ſervi illius, in die, quâ non ſperat, & horâ quâ ignorat, & dividet eum, partemq́ ejus ponet cum hypocritis.* Apud Lucam verò, inſiſtens Chriſtus illatę de ſervis ſimilitudini, ſic porrò ait. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertetur à nuptijs, ut cùm venerit & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. Beati ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes; & ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi.*

Matth. 24. à v. 48.

Luc. 12. à v. 35.

VII.

Similitudine patrisfamilias, obſervantis nocturnos fures.

Gradum deinde facit Servator noſter, à famulorum vigilanti obſequio, ad nocturnas furis inſidias, vix evitabiles humanę induſtriæ; quod id hominum genus, cùm minima eſt ſuſpicio, imò cùm omnes in quiete ſunt domeſtici, in medijs tenebris; horiſq́; non certis, ſoleat januas perfringere & furtivum pedem, manuſq́; inferre nocituras. *Hoc autem ſcitote* (ſermo eſt Verbi divini) *quoniam ſi ſciret paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret vtiq́; & non ſineret perfodi domum ſuam. Et vos eſtote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.* neque ſolus, ſed ſtipatus mortis ſatellitio, intento ad nutum imperantis, vt hominem ægrum, ſanum; divitem æquè ac pauperculum, ictu lethali feriat. Ita copioſus ille, quod non timebat, ſubitò mortis jaculo confixus eſt, de quo Chriſtus apud Lucam iſta narrat. *Hominis cujuſdam divitis, vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra ſe, dicens; quid faciam? quia non habeo, quò congregem fructus meos. & dixit, hoc faciam: deſtruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona, poſita in annos plurimos; requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi* DEVS: *ſtulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti, cujus erunt?* Itaque dives iſte, ab avaritia ſua ſordidus, cùm ſe crederet ſapientiſſimè œconomiam inſtituiſſe, ad futuros vſus & neceſsitates: ipsâ nocte, quâ in ſomnis diſponenda ſecum putabat conſilia, ex Numinis imperio juſſus eſt morti in ſpolium cedere.

Luca 12. à v. 39.

Luca 12. à v. 16.

Iucun-

Digitized by Google

Iucunda eſt etiam de Virginibus decem parabola, quarum pars media commendationem habet à prudentia ſua, pars altera vituperium, ob inſignem fatuitatem. Præmitto hîc apud Judæos conſuetudinem tenuiſſe, vt ſponſus, quo die connubium inchoare voluit, veſpertino tempore, non ſine comitatu multorum juvenum, ſe in domum ſponſæ conferret. tum autem ei ſponſa cum gynæceo obviam exijt, atque inter ignes & lampades, cum pulchra & honorifica ſolennitate, in ædes ſuas novum ſponſum deduxit, feſta nuptialia celebraturum. Nunc ergo Chriſtum audiamus, docentem nos ſapere ex aliena Virginum inſipientia. Ejus tibi ſententiam propono ex Evangeliſta. *Tunc ſimile erit Regnum cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obviam ſponſo & ſponſæ. quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes; ſed quinq; fatuæ acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum, prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Moram autem faciente ſponſo, dormitaverunt omnes & dormierunt. Mediâ autem nocte clamor factus eſt; Ecce ſponſus venit, exite obviam ei. Tunc ſurrexerunt omnes Virgines illæ, & ornaverunt lampades ſuas. fatuæ autem ſapientibus dixerunt; date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur. Reſponderunt prudentes dicentes: ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua. Noviſſimè verò veniunt & reliquæ Virgines, dicentes: Domine, Domine aperi nobis. At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos.* Deinde appoſuit Chriſtus pro coronide brevem adhortatiunculam, cujus gratiâ totam parabolam narraverat, vt Sapientia æterni Patris, noſtram erudiret inſipientiam, excitaret ſocordiam: *Vigilate itaq;, quia neſcitis diem neq; horam.* VIII.

Matth. 25. à v. 1.

Similitudine Virginum, præſtolantium in nocte ſponſi adventum.

Quibus verbis apertè innuit, magnâ opus eſſe vigilantiâ homini, vt animam quam accepit vnicam, ſervet ſibi, & glorioſæ æternitati. Scimus, excubias numerari inter principalia diſciplinæ militaris exercitia. Quando milites, & tota caſtra ſopor habet: hoſtis ſuperveniens, plerumque dormientium ſomnum & ſomnia, cum morte & ſanguine confundit. Hinc ſemper capitale fuit, repertum eſſe excubitorem non vigilantem, ſed merſum ſopore; quia cum ſuo capite, omnem exercitum periculo exponit. Epaminondas certè, quendam vigilem haſtâ transfixit, quòd deprehendiſſet dormientem in ſtatione excubiarum; & reprehenſus quaſi ob crudelitatem, *talem* inquit, *eum reliqui, qualem inveni.* Si igitur in ma- IX.

Vigilantia æquè eſt neceſſaria Chriſtiano in pugna ſpirituali.

atque militi in militia exteriori. litia crimen eſt, nolle uti vigilantiâ adversùs hoſtium inſultus, ut corpori ſuo vita conſervetur: quantum ſcelus erit, ſalutem animæ per oſcitantiam ponere in diſcrimen? præſertim quando Chriſtianis omnibus potiſſima *colluctatio, non eſt adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs principes & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* *Vigilate itaq;*, monet omnes generis noſtri amator, & liberator Chriſtus, idemque ſupremus Dux illius belli, quod pro ejuſdem gloria, noſtroque bono, gerimus contra fortiſſimos Orci gigantes.

Ad Epheſ. 6. 12.

X. Quæri tamen hîc poteſt, quidnam ſit vigilare in hâc ſacra militia? Et reſpondet Divus Gregorius. *Vigilat, qui ad aſpectum veri luminis, mentis oculos apertos tenet. vigilat, qui ſervat operando, quod credit. vigilat, qui à ſe torporis & negligentiæ tenebras pellit.* Atque ut de meo ſenſu aliquid aſſuam: Vigilat, qui ad DEI ſanctiſſimas leges, inconniventem oculum tenet. Vigilat, qui inter mundi hujus otia, negotiaque cavet, ne curis ſe implicet ſæcularibus. Vigilat, qui ſuis continuò momentis ponderat diſparia, & humanis divina, terrenis cœleſtia, perituris æterna anteponit. Vigilat, qui ſolerter obſervat inſidiantium dæmonum laneos pedes, vulpinas carnis fraudulentias, doloſas præſentis orbis illecebras. Vigilat, cui prima ſollicitudo eſt, DEUM omnia potentem ſcientemq;, nullâ graviore noxâ contriſtare ad indignationem. Vigilat, cui altera cura eſt, quamprimùm à ſe offenſum Numen placare, per veram dolentis animi, ſeq; ipſum accuſantis reſipiſcentiam. Vigilat deniq;, qui neceſſarium beatitudinis lucrandæ medium, pœnitentiam dico, non remittit in craſtinum, ſenectutem, morbos, mortem; ſemper dubia, incerta, periculoſa reconciliationis tempora. Ita nos Chriſtus Dominus admonet: *Vigilate, quia neſcitis diem, neq; horam.*

S. Greg. hom. 13. in Evang.

In quo conſiſtat Vigilantia ſpiritualis?

XI. Hîc advertamus obſecro, verba Redemptoris noſtri: non enim dicit, *Vigilate, quia neſcitis dies, neq; horas*: ſed parciùs metitur, & quaſi ad libellam tempora; dum ait vigilandum, *quia neſcitis diem, neq; horam.* Nemo calculator placet DEO, qui vitæ ſuæ præfigit annos & luſtra; vult omnibus nobis, ſingulos eſſe dies incertos atque ſuſpectos; ut tandem nullo die nos imparatos mors inveniat. Præclarè meam confirmat ſententiam, Magnus Gregorius, ſingulare Pontificum decus, quando inquit: *ad hoc Conditor noſter latere nos voluit finem noſtrum, diemq; noſtræ mortis eſſe incognitam, ut dum ſemper ignoratur, ſemper proximus eſſe credatur.*

Vigilare debet Chriſtianus, propter diem, horamque mortis.

S. Greg. lib. 12. moral.

Digitized by Google

datur. & tantò quiſq́; ſit ferventior in operatione, quantò & incertum eſt de vocatione; vt dum incerti ſumus, quando moriamur, ſemper ad mortem parati debeamus venire. Adſtipulatur huic doctrinæ, aurei nominis & fluminis Orator Conſtantinopolitanus, ſic olim ad ſuos philoſophatus. *ſi ſcire vultis, quare abſconditus ſit dies mortis, & quare ſicut fur in nocte, ita & ipſe veniat; ideo hoc eſt, quia nemo virtutis vnquam curam, quod ad omnem vitam attinet, habuiſſet; ſed cognito quiſq́; conſummationis ſuæ damno, poſtquam innumera mala perpetrâſſet, tum demum baptiſmi lavacrum accepiſſet, atq́; hinc migrâſſet.* Nam ſi etiam nunc tanta peccandi libido eſt, ut ſe hodie in nefanda ſcelera immergant homines, cùm certiſſimè ignorent, an craſtinum manè ſint viſuri: quanta DEUM immortalem! temeritas creſceret, audaciaque mortalibus, ſi de productiore vitæ termino haberent ſcientiam? Latet igitur nos vltimus vitæ præſentis dies, ut obſervemus omnes, ex D. Auguſtini Regula.

S. Chryſoſt. hom. 9. in cap. 3. epiſt. 1. ad Theſ.

Quam Deus certo cõſilio, voluit eſſe incertam.

XII. De S. Henrico, inclyto Boiorum Duce, annales memorant: cùm olim Ratisbonę ad Divi Emerami ſepulchrum devotus verſaretur, conſpexiſſe ac legiſſe ſubitò, verba hæc duo parieti inſcripta: *Poſt ſex.* quæ neque antea à quoquam viſa fuerunt, nec poſtea animadverſa. Alij aiunt Divum Wolffgangum Henrico dormienti adſtitiſſe, & gemina illa verba muro inſcripſiſſe. Interim ſolicitum, anxiumque tenuit Henricum, tam recentis, tam & inſolentis ſcripturæ myſterium. Denique, ut ipſe augur ſecuriſſimum omen faceret, de vicina morte credidit ſibi DEUM eſſe locutum. ſedulus igitur ad illam ſeſe accingere, & nihil eorum omittere, quæ ad pium Chriſtiani obitum, ſpectare videbantur; ratus poſt ſex dies, è viventium ſe tabulis expunctum iri, & ambulaturum inter plures, ad rigidum jus divini tribunalis. Effluxêre jam dies ſex, & intactum Henricum pertranſijt mors, nullo etiam relicto præſentiæ alicujus veſtigio. Itaque in ſuſpicionem ei venerunt hebdomades; arbitratus poſtquam ſex elapſæ fuerint, vitam quoq; ſuam dilapſuram. quæ cauſa fuit, ut interea magis magiſq́, ſe ad pium abitum, toto conatu præpararet. ſed neq; hebdomadæ viro illi nocuêre, nam poſteaquã abiêre omnes, omnibus ſuperſtes manſit Henricus, corpore ſanus & vegetus. Vlteriùs ergo migravit prudens timor in menſes. & quia ſextum ſibi credidit fatalem, ultimumq; fore, itineri ad æternitatem ſtravit viam, per totum illud ſemeſtre, varijs vſus pietatis, virtutiſque Chriſtianæ exercitijs.

Gretſerus in Divis Bambergenſibus. Surius in Vita S. VVolffgan.

Quàm vigil fuerit S. Henricus Imperator, ad Sex dies, quos vitæ ſuæ vltimos ſuſpicabatur.

Poſtea ad ſex hebdomades.

Et vlteriùs ad Sex menſes

Feſel-

Feſellit etiam ſextus menſis Henrici opinionem, & ſive metum propinquæ mortis, ſive ſpem proximæ ſalutis eluſit. Iamque calculum ſuum ad annos promovet, nihil dubitans *poſt ſex annos*, ſe mortis futuram hoſtiam. ea propter inſiſtere omnibus cœpit viribus, vt interjecto vniverſo eo temporis ſpatio, animæ ſuæ maculas per ſpongiam pœnitentiæ abſtergeret, & ſceleris purus, ad Deum ſuum fæliciſſimè migraret. Cæterum placuit divinæ bonitati hactenus luſiſſe cum amico ſuo, & ſanctam ejus ſolicitudinem per ænigma exercuiſſe. nam neque ſextus Henrico annus lethalis fuit, aut triſtis: ſed maximè lætus & fortunatus. Siquidem eo pene evoluto, Rex Romani Imperij, deinde Cæſar eſſe juſſus fuit.

Denique ad Sex annos.

XIII. Habemus hîc, quod diſcamus à purpura & diademate, nempe vel ad vmbram mortis expalleſcere ſalubriter; & quoniam Chriſti oraculum eſt, *Vigilate, quia neſcitis diem*, vitæ ſcilicet poſtremum, ſingulos timere; imò ne vllum timeamus, ſingulis præmittere ſinceram cum Deo per noxas læſo, reconciliationem; non transferre in dubium Craſtinum incertumque; occlamante à tergo Veritate: *Vigilate, quia neſcitis diem*, quo peregre eundum erit, ad incognitum orbem. Idem de hora migrationis ſentiendum eſt; quæ cauſa fuit, vt divina Sapientia, ejus incertitudinem conjunctura cum die obitûs, de vtroque monuerit tempore particulatim: *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.* Secutus Magiſtrum diſcipulus, Divus inquam Auguſtinus, & memor incertæ nobis omnibus horæ, quacum vita mortalis terminabitur, vnumquemque ex veterno conatur erigere, hâc brevi adhortatione: *Neſcis qua hora veniet, ſemper vigila, vt quod neſcis quando veniet, paratum te inveniat cùm venerit; & ad hoc fortè neſcis, quando veniet, vt ſemper paratus ſis.*

Vigilandũ ad diem horamque vltimam, vt cum venerint, paratos nos inveniant.

S. Auguſt. de diſcipl. chriſt.

XIV. Fuit Poëta, qui ex ingenio ſuo, tale pictori dictavit horologium ad ſolis vmbram. ſupernè barbatus ſenex, & à tergo geminis inſtructus alis, volabat neſcio quò properabundus. manu alterâ falcem, alterâ clepſydram tenebat. quis ſub hoc ſchemate lateret, adſcripta epigraphe expoſuit: *fugit irreparabile Tempus.* jam autem infernè ſedebat nudum ſine carne monſtrum, oſſea Mortis imago, neque tamen planè mortua otioſave. nam ſuſpenſam ex humero pharetrâ exarmaverat, parata tot ſagittas excutere in obvios, quot horæ in arcu lunato, ſuis ſingulæ intervallis depictæ erant; quin etiam deſignatæ, non aliâ indice lineâ, quàm diverſis telis ex chorda, per larvæ mortalis dexteram amentatis, & variè quaſi in prætereuntes ruituris, cum Inſcriptione duplici ad viatorem; vnâ continebat illud

Virgil. 3. Georg.

Mors in horologio ſolari, monet ſingulas horas à tranſeuntibus obſervandas.

illud breve: *vive memor lethi.* altera iſtud: *fortè ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora.* Nempe animus Poëtæ fuit, cùm nulla ſit homini certa, atque explorata ad mortem ſemel obeundam hora, omnes jure optimo ſuſpectas eſſe poſſe; & quod conſequens eſt, ſingulos impiorum quantocyus debere pœnitentiam apprehendere, vitæq; in melius mutationem auſpicari; ne tergiverſatorem vltima horula, imparatum ſiſtat Iudici DEO.

Perſius ſat. 5. *Horat. l. 1. Epiſtolar.*

XV. Converſio ſub extremam horã, periculoſa eſt impio inveterato.

Neque dixeris, ſi fata tua non fuerint nimis accelerata, etiam extremâ te horâ paraturum tanto itineri neceſſaria; & quidquid neglectum eſt in pœnitentia, vltimis te vitæ ſpatijs compenſaturum. Nam (niſi Auguſtinum rides) *ſerò parantur remedia, cùm mortis imminent pericula.* Prototypon habes in Virginibus fatuis, quæ cùm neglectim expectarent ſponſum, & nondum concinnatis lampadibus, altùm dormirent; ſubitò vt inſonuit eum adventare, tametſi multùm ſatagerent, nihil effecerunt. antequam enim oleum ſibi compararent, & lucernam probè inſtruerent, *ſponſus, & quæ paratæ erant* (ex Sapienti gynæceo Virgines) *intraverunt cum eo ad nuptias. Et clauſa eſt janua.* Ita profectò quamplurimis clauditur Cœlum, qui modò cùm moriendum eſt, vltimis momentis volunt rectè vivere, ex lege Chriſti pœnitere, ſcelera ſua deteſtari, revocare malè commiſſa, neq; ampliùs committenda æterno decreto ſtatuere. Eſt enim aliud velle, aliud facere; & auſim dicere, non paucos ex improbis pœnitentiæ ſuæ procraſtinatoribus, quam procurare olim ſibi ſalutem volent, jam morti ſuæ proximi; re ipſa non procurabunt, abrepti & diſtracti mille alijs curis: ad evitanda tunc vndiq; repente imminentia vitæ, corpori, fortunis, mala, pericula, damna: vt illâ neceſſitate rarò fructuoſam animæ ſuæ memoriam habeant, qui eò vſque impietati, & malitiæ aſſueverunt.

S. Auguſt. de diſcip. Chriſt.

Matth. 25. 10.

Quia eo articulo, damna & pericula, fortunis, corpori & vitæ imminentia, rapiunt ferè totum hominẽ ad ſe.

XVI.

Ita eveniſſe exiſtimo *genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis*, quos olim cataclyſmus inter vndas delevit. Cùm enim hinc ſtagnantibus terræ abyſſis, inde apertis cœlorum catarractis, aquæ in immenſum creſcerent; nimirum hoc inſolens ſpectaculum, & vicini periculi metus, ingentem omnibus conſternationem incuſſit; vt jam convivæ non ampliùs inhiarent epulis & poculis, ſed profugerent trepidi, ne ipſi haurirentur à conſurgente vbiq; ſenſim vno velut oceano. Triſte & illud fuit, tremulas matres cum vagientibus inter brachia parvulis, circumcursâſſe per domos, neſcientes quo loco ſecum, chariſſima ſibi pignora à ſubmerſione conſervarent. Nec dubium eſt, hoc diluvij

Iſai. 1. 4.

Patet ex ijs, qui olim cataclyſmo sũt hauſti.

malum, non vnum nuptiale feſtum turbâſſe, & à thalamo conjugali ſponſum cum ſponſa exturbâſſe, ut alibi ſibi quærerent pro voluptate ſecuritatem. Quid de ſcortis dicam, lenis, lupis, adulteris, & mille alijs facinoroſis, atq; de Majeſtate divina graviſſimè, diutiſſimeq; reis mortalibus? vtique, quia nunquam didicerunt natare in pelago, ſalutem quæſiverunt ſcandendo, varij variè; nam & poëtâ teſte, quando

Ovid. l. 1. metam.

Jamq; mare & tellus, nullum diſcrimen habebat;
Omnia pontus erat, deerant quoq; littora ponto;
Occupat hic collem.

Alius ſummum ædificij tectum, aliqui arborum cacumina; nonnulli turrium culmina, plurimi montium juga. Omnibus idem ſtudium erat; primùm ſe, deinde ſuos eximendi periculo. Ita dum pleriq; in tam ſubita rerum omnium perturbatione, ſolliciti fuére de ſervanda corporis vita, animæ ſuæ ac ſalutis obliti ſunt: vt credibile fiat homines tum adultos, ſceleribus continuò aſſuetos ac voluptatibus, in ea præſentis neceſſitate mortis, omnis veræ pœnitentiæ, Deique ſui immemores, hinc ex aquis ad tartareum ignem, magno numero deſcendiſſe.

Quorum pars magna, etiam æternùm perijt.

XVII. Neque multùm ab hoc ſenſu abludere videntur Chriſti verba, quibus nos hortatur ad obſervantiam adventûs ſui, non tantùm illius vltimi, cùm tota mortalium gens, Iudici DEO præſentabitur examinanda; ſed verò etiam ejus, quo animam corpuſculo exituram, quamprimùm Servator arcano ſuo tribunali ſiſtet. Itaque, *ſicut in diebus Noë, ita erit & adventus filij hominis*, ait ille DEVS, qui propter nos homines, dignatus eſt fieri filius hominis; additque dicti ſui explanationem: *Sicut enim erant in diebus ante diluvium, comedentes & bibentes; nubentes & nuptui tradentes, vſq; ad eum diem, quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus filij hominis.* Quibus verbis ęterna Veritas inſinuat, & improvidis olim ac nihil opinantibus ſuperveniſſe cataclyſmum, & nunc quoq; multos velut imprudenteſ, nihilq; ſuſpicantes repente à ſupremo quaſi die ſuo obrui; ita vt ferè pari cum prioribus ſolicitudine occupati, facilè negligant futura ęternaque; anxij potiùs decorpore, vita, fortunis, liberis, hęredibus, quàm anima ſua.

Matth. 24. 37.

Sicut diluvium quondam orbi; ita nunc quoq; multis, mors repentina ſupervenit.

Et ſimul cum illa, major ſolicitudo de corpore & terrenis, quàm de anima & cæleſtibus.

Quod autem in hoc genere pluribus contingit, exemplo vnius confirmat B. Petrus Damiani, Vir & ſanctitate magnus, & gra-
XVIII. vis authoritate, cujus nunc verba allego. *Magiſtri mei, ſcilicet Ivonis*

Digitized by Google

nis ſocius fuit; qui per triginta ferme annos, ita per occiduos fines, ſapientiam perſecutus eſt, vt de regnis ad regna contenderet; & non modo Teutonum, Gallorum, ſed & Saracenorum, Hiſpanienſium quoq; vrbes, oppida ſimul atq; Provincias penetraret. Sed mox vt ſtudijs, toto (vt ita loquar) orbe corraſis, exilium habitatione mutavit; & jam velut in pace compoſitus, docere pueros cœpit: æmuli ſui, cujuſdam videlicet alterius ſapientis neceſſarij vel fautores, eum ſimpliciter gradientem, ex inſidijs occiderunt. qui confoſſus gladijs, non ſacerdotes petijt, non de tranſactis confeſſionem vel pænitudinem geſſit; ſed vſq; ad vltimum ſpiritum, hoc ſolùm inclamare non deſijt. HEV QVALE DAMNVM! HEV QVALE DAMNVM! *Si quid autem ſibi, vel de confeſſione facienda, vel aliud quid dicebatur, ille jam alienatus, hoc ſolummodo repetebat: Heu quale damnum!* B. Petrus Dam. Epiſtolar. l. 6. epiſt. 17. Quidam moriens, temporalium jacturã deflet.

XIX. Miſerum planè & miſerabilem Virum! qui jam ad æternitatis conſiſtens aditum, nihil lamentatus eſt, præter acceptum temporale damnum, vitæ ſibi tam inclementer accifæ, cum jactura ſcientiarum, ingenti labore partarum. Itaq; dum apud ſe infelix homo ſtupet, & in pręſentis mali attonitus hęret magnitudine, futurum longè majus pręterijt improvidus. Sanè nihil eorum feciſſe legitur, quę DEO placando ſerviunt, & cœlo lucrando; confeſſionis pœnitentięq; aut oblitus, aut pertæſus. Atq; hic eſt, hodieq; lacrymabilis eorum exitus, qui ad vltima vitę ſpatia, remittunt ſerias illas futuræ æternitatis curas. Cùm verò ex magni Numinis imperio, præter opinionem feſtinantior mors adeſt; tota ſolicitudo tranſit ab anima ad corpus, & quæ corpori ſunt vicina. Æternorũ malorum & bonorum oblitus.

XX. Itaq; hæc ſunt aliquorum jam morituríentium lamenta. *Heu! quale damnum!* adhuc mihi prima juventus viret, aut certè matura ſtat ætas, communi patriæ emolumento apta; & mori cogor. *heu! quale damnum!* cauſas habeo apud varia tribunalia, cum litibus nondum expeditis, pendent graviſſima mihi, meiſq; pericula: & moriendum eſt. *Heu! quale damnum!* debita aliorum apud me contracta, nondum ad calculũ omnia revocavi, quodq; ego creditoribus meis debeo, æs ſatis grande, nondum perſolvi: & mori neceſſe eſt. *Heu! quale damnum!* Accepti & expenſi rationes, quas exhibeam principi, huc vſq; non compoſui, periculum imminet famę meæ, marſupioque, niſi brevi demonſtravero probas eſſe: & hem nunc mori debeo. *Heu! quale damnum!* Nondum filios meos extra Ephebos video; nondum filias nubiles in matrimonium collocatas; nondum impuberi adoleſcentiæ tutores præpoſui; nondum Vxori cæteriſq; hære- Cum iſto plures hodieq; ſunt in eadem navi.

Digitized by Google

dibus, portiones diſtribui, & à vivis ad mortuos ire jubeor, *heu! quale damnum!* Dum his talibus impij & torquent ſe, & torquentur curis, ſæpe expirant, adhuc ſalutis ſuæ immemores; certè nondum cum DEO initis rationibus, nondum per exhomologeſin, verumq; pœnitentiæ dolorem, ſolutis peccatorum debitis; vt veriſſimè hîc exclamare debeam: *heu quale damnum!* nam iſtis cum corpore etiam anima perit; jacturâ hominibus nunquam ſatis æſtimabili.

XXI.

Procraſtinator pœnitentiæ, nõ ſemper morti propinquus, applicat ſeriò cogitationes ſuas ad æterna.

Eſt & aliud incommodum protelatæ in mortem reſipiſcentię; quia aggravatus hominis animus, per vitioſarum conſuetudinum pondus, vix vltimo etiam articulo, ſeriò ſeſe applicat ad ſeriam æternorum cogitationem; præſertim ad inſuave illud, humanæque malitiæ valde arduum pœnitentię opus. pluribus hîc contingit eſſe oſcitantes improbis, ut cùm ægri vigilant ad cætera omnia, ad ſolius confeſſionis injectam mentionem velut obdormiant; jamque pernicioſo obruti lethargo, ſalutem ſuam, cœlumque prodigunt, alia omnia ſomniantes. Hîc iterum ſiſto ex purpuratorum ſenatu Patrum, quem paulò ſuperiùs adduxi, B. Petrum Damiani: is rem ſuo tempore geſtam, ſequenti narratione facit teſtationem.

S. Petrus Dam. Epiſtolar. l. 6. epiſt. 30. ante finem.

XXII.

Exemplo vnius, qui ad mentionẽ de pœnitentia injectam, continuò obdormijt.

In Peruſino inquit, *monaſterio, ſancti videlicet Salvatoris; cui nuper & ipſe præfui; quidam Monachus paulò ante fuerat, aſtutus nimis & callidus ſecularibus argumentis, ac litigioſis contentionibus vehementer intentus. Hic itaq;, dum & in mutandis Abbatibus, & fratribus perturbandis æſtuans, non quieſceret; ad hoc vſq; pervenit, vt diaboli ad ſuperandos æmulos patrocinium quæreret, & ejus ſe ditioni, etiam corporaliter manciparet. Cui tamen ſeductor ſpiritus, exigenti ante promiſit, quòd tertio, priuſquam moreretur die, ſuum ſibi exitum nunciaret. Credidit infelix, & diu poſtmodum vivens, ita ſub hac deceptoria ſervitute permanſit. Tandem in ægritudinem lapſo, adeſt fidejuſſor iniquus, & perendianum (ſicut ſpoponderat) obitum innoteſcit. Protinus advocatis ille fratribus, exacta hæc, quæ cum nequiſſimo pepigerat, per ordinem narrat. Cumq; illi inſiſterent dicentes; citò confeſſus, age pœnitentiam; repente ille obdormiebat, & ſive pulſantibus, ſive clamantibus, evigilare non poterat, ſi non illi obticeſcerent, vel aliud quid præter pœnitentiam loqui vellent. Mox ille expergefactus, invicem loquebatur: ſed rurſus audito nomine pœnitentiæ, obrigeſcebat in ſenſibus, ſopore correptus; donec horrenda morti traditus, ad eum, cui deditionem fecerat, eſt infeliciter devolutus. Poſtmodum verò per plures noctes, nigra canum turba, non ceſſabat ſepulturæ*

Donec ex gravi ſopore, in mortis ſomnũ infeliciter lapſus eſt.

ejus

Digitized by Google

ejus aſſiſtere, & quaſi depoſitum cuſtodire, ita vt non minimo horrore videntes concuterent.

Mihi extra controverſiam eſt; ſicut malus dœmon ex Dei conniventia, certaque permiſſione, plurimum poteſt circa humani corporis diſpoſitionem; ita torporem incuſſiſſe mancipio ſuo, cujus mentionem feci; vt cùm pœnitentiam ſaluberrimam, imò & neceſſarium ſalutis impetrandę medium, præſentes ſuggererent jam morituro, obſtupefactis quaſi ſenſibus, & vtroque oculo in ſomnum clauſo, nihil aut perciperet, aut admitteret ſanioris conſilij. Neque fortaſſis hic ſolus eſt vnicuſque, cui veterator Sathan conciliavit lethalem ſomnolentiam. Credo plures impios ab eodem in ſimilem fraudem induci; vt cùm denique ſub mortem invigilare ſaluti ſuæ, quàm maximè deberent, gravi ſopore occupati, indormiant noxis ſuis; donec tandem exitiali veterno ſepulti, mortuique, transferantur ad orbem alterum, & victuri ſemper & morituri, morte vitâque æternâ; vtrâque miſerabili, quia neutra in prudentis optionem venire poteſt, ambæ in deteſtationem. XXIII.

Credibile eſt ex Dei permiſſione, pluribus impijs ſub morte, noxiam à dœmone ſomnolentiam circa ſpiritualia, conciliari.

Sed fingamus hîc cacodœmonem eſſe pium, nullâque tam periculosâ gravedine obruere clientes ſuos; diu inquam improbos mortales, cùm ad mortis imperium hinc ſunt exituri: certè ipſa ſemper, multumque vſurpata flagitia, torpedo ſunt; quæ non ratò ſic eos obſtupefaciunt, vt nihil ſub obitum moliantur futuræ beatitudini proficuum; ſed velut gravati ſomno, in turpem deſidiam collabaſcant. Atque huc refero illam Servatoris noſtri cautionem: *attendite vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina dies illa.* Quanquam enim hoc loco, Chriſtus maximè locutus fuerit de ea luce, quâ omnes ante tribunal ſuum, cauſam noſtram dicemus, accepturi ſententiam in publico hujus Vniverſi theatro, ſecundùm juſtiſſimæ æquitatis libellam; nihil tamen prohibet, hæc etiam verba intelligere de ſuperventura omnibus morte; quæ cùm pia eſſe debeat, atque ex Chriſtianæ legis inſtituto formata; magnum accipiet impedimentum, deficiente ad vltimum laborem animâ, propter malæ conſuetudinis molem, veterumque ſarcinam peccatorum. Et quoniam Dei Patris Verbum, ſpeciatim meminit tum ebrietatis, tum gulæ evitandæ; certum eſt vtriuſque vitij contractum vſum, ſceleratis in morte ſua plurimùm officere; ſive quòd rationem auferant, ſive quòd ſenſûs obtundant. XXIV.

Longa peccandi conſuetudo, impiorum in morte ſenſum ad divina, facit torpeſcere.

Luc.21.35.

Athenæus quondam, illud eorum dictum comprobavit, qui XXV.

Athenæus lib. 11. c. 2. Magnum poculum, appellârunt Puteum. Plerumque enim dum ebrioſi vinum ſorbent, abſorbentur à vino, ipſi in poculis ſuis merſi, & propriâ ebrietate. De qua S. Auguſtinus conſimili prioribus cenſurâ, hæc etiam pronunciavit. *Ebrietas quaſi inferni puteus, quoſcunq; ſuſceperit, niſi digna ſubvenerit pænitentia, & emendatio fuerit ſubſecuta, ita fortiter ſibi vendicat; vt eoſdem ipſos de inferni tenebroſo puteo, ad charitatis vel ſobrietatis lucem redire, ſine penitentia non permittat.* Væ igitur illis, qui in ſua temulentia obruuntur mortis celeritate; profectò enim quia extra rationis ſtatum poſiti, de noxis ſuis verum dolorem elicere non queunt, nunquam eluctabuntur ex ſtygis abyſſo puteoque, in quem per ebrietatem vltimam prolapſi ſunt. Sed demus ſibi compotes eſſe, & mente præſentes fatis ſuis, quos longa ſemper conſuetudo tenuit gulæ, crapulæque; ajo tamen iſtos, cùm moriendum eſt, difficulter facere omnia, ex Chriſtianarum legum præceptis; quòd plerumque ad divina obtuſos habeant animos, nec cœleſtium probè capaces. Certè Philoſophorum hæc olim fuit gnome: cibandum & potandum eſſe ventrem, vt contineat animam, non vt corrumpat. Quantò magis corpus infarcis, tantò magis ſenſum mentis obfuſcas. nimia ſaturitas, ſicut ingenium facit hebeſcere ad alias artes, ita maximè ad lucrum æternitatis beatæ faciendum.

D. Auguſt. ſerm. 231. de temp.

Præſertim verò aſſueta ebrietas & gula, obtundit hominum animos.

XXVI. Cave ebrietatem, cave gulam, quiſquis cœlum amas; ne Sapiens illud tibi aliquando occinat jam jam morituro: *& eris ſicut dormiens in medio mari; & quaſi ſopitus gubernator, amiſſo clavo, & dices: verberaverunt me, ſed non dolui; traxerunt me, & ego non ſenſi. quando evigilabo, & rurſus vina reperiam?* Depingit hîc Salomon magnum ebrietatis malum, ſcilicet rationis naufragium; & ſomnum, vel potiùs veternum, quo homines poſt crapulam corripiuntur. Quemadmodum ergo navarchus, alto ſopore oppreſſus, nec polum obſervat, nec temonem vertit, nec moderatur navim; ſed temere fluctibus ſinit abripi, & in ſcopulos illidi; ita qui vino ſunt continuò ſepulti aut conſopiti, nihil ſublime, nihil cœleſte meditantur; quin imò, gubernaculo rationis quaſi amiſſo, ſe totos inſanis tentationum ventis, ac vitæ iſtius violentis fluctibus permittunt, donec eoſdem tempeſtatis alicujus ingruens vis, ad ſyrtes impactos quaſſet, ait Salazar.

Prov. 23. 35.

Suffragio etiam ſapientiſſimi Salomonis.

Salazar hic.

XXVII. Itaque deploranda eſt calidiſſimis lacrymis, eorum conditio mortalium, qui potiſſimâ ætate inter patinas & calices conſumptâ: cùm deſerenda eſt hujus mortalitatis ſtatio, velut etiam tum ratio-

Digitized by Google

rationis clavo deſtituti, nec excitantis Dei, divinæque gratiæ tra- Qui totâ vita fuerũt heluones & bibones, ferè in morte ſtupidi fiunt ad conſciẽtiæ ſtimulos, & tractum divinæ gratiæ.
ctus ſentiunt; nec exprobrantis conſcientiæ verbera, nec monentis Angeli ſtimulos, nec ſalubria adſtantium hortamenta, amanter ſuadentium ſinceram cordis pœnitentiam; ſed æternis inſuper habitis, quàm ſolertiſſimè inveſtigant modum, vt morbo ſoluti, & periculo defuncti, Bacchum repetant, & intermiſſas gulæ delicias. Docuit proh dolor! non vna experientia, intemperantem Liberi patris ſobolem, etiam quando jam extremis labris hæſit anima, frequentiorem de vino injeciſſe mentionem, quàm cœlo. Sic ferè ebrioſis ſua mens à temulentia, longis annis aſſueta gravatur, vt quo maximè articulo in rem ſuam ſapere deberent, plurimùm deſipiant: obtuſis nimirum ſenſibus, & hebetatâ intellectûs acie ad ſacra, divina, cœleſtia, æterna; cum certo animæ periclitantis naufragio.

XXVIII. Hunc ſtuporem etiã aliorum vitiorum vſus, inijcit morientibus impijs.

Quod malum, non tantùm hominibus evenit ab ingluvie ventris crapulaque, ſed ex alijs quoque vſitatis diu vitijs, vitiorumque oblectamentis; quibus velut præſtantiſſimo vino ebrij, etiam ſub obitum ſuum, & vicinum mortis ſomnum, non parvo numero mortales verè de ſe affirmaverint illud: *verberaverunt me, & non dolui; traxerunt me, & ego non ſenſi. quando evigilabo, & rurſus vina reperiam?* Cauſam adeò ſtupidorum ſenſuum aſſignat Divus Gregorius in hæc verba. *Mens quippe à cura ſuæ ſolicitudinis dormiens verberatur, & non dolet, quia ſicut imminentia mala non proſpicit, ſic neq; quæ perpetravit, agnoſcit. Trahitur & nequaquam ſentit, quia per illecebras vitiorum ducitur, nec tamen ad ſui cuſtodiam ſuſcitatur. quæ quidem evigilare optat, vt rurſus vina reperiat: quia quamvis ſomno torporis, à ſui cuſtodia prematur, vigilare tamen ad ſæculi curas nititur, vt ſemper à voluptatibus deebrietur; & cùm ad illud dormiat, in quo ſolerter evigilare debuerat, ad illud vigilare appetit, ad quod laudabiliter dormire potuiſſet.*

S. Greg. M. cura paſtoralis 3. par. adm. 33.

XXIX. Et maximè libido, ac præpoſterus rerum terrenarũ affectus.

Quâ ſententiâ manifeſtè inſinuat Eccleſiæ Paſtor, curas quæ tum voluptatibus, tum honoribus, opibuſque, hujus mundi fungis, fumiſque impenduntur, plerumque officere plus ſaluti promovendæ, quàm prodeſſe. quòd Chriſti teſtimonio, humanum pectus aggravent, ne libero ſe itinere ad Deum, cœloſq; valeat porrigere. Idem aſſerit S. Chryſoſtomus, dicens: *nihil facit cor adeò grave, vt libido, & ad ea, quæ ad hanc vitam pertinent affectio, & terræ affixum eſſe.* Nempe quod Siſaræ olim contigit, vt dormientis caput, tranſmiſſus per tempora clavus, terræ affigeret; iterum hodie renovatur,

S. Chryſoſt. in pſal. 4.

Iudic. 4.

vatur, quando hominis animus, inani ad res fluxas ſollicitudine deprimitur in humum, & quæ inde nata ſunt. Cujuſmodi quoque eſt corpus humanum, artificis Dei manu, ex argilla formatum vaſculum, ſed heu! poſt Adami lapſum, gravis moles animæ ſuæ; quoties in hoc velut centrum, humanæ curæ merguntur. Et auſim dicere, vix vnquam eſt gravior ſarcina, quàm cùm ſub mortem hominis mens, ſe vult ergaſtulo ſuo expedire, & redire ad rerum omnium primam cauſam, Numen. Sapientis jam olim oraculum fuit:

Sapient. 9. 15. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena habitatio, ſenſum multa cogitantem.*

XXX.

Anima hominis improbi, propter ſympathiã afflicti corporis in morte, non ſemper ſuum facit officium.

Quod tunc præſertim verum arbitror, quando ad mortis viciniam, ægrum multis infirmitatibus corpuſculum, animam quoque ſternit, per vinculum ſympathiæ; vt jam nec ipſa faciat officium ſuum, legitimæ debitum pœnitentiæ exolvendo; quaſi attonita & fulgurita in tanti focij ſui malis. Difficilè eſt, cùm ſub mortem doluerit caput, ſanguis inter venas congelaverit, ſudor frigidus ex membris fluxerit, cor vicini mali timore palpitaverit, ſenſus in ſtuporem abierint: vt animus ſibi conſtet, atq; in ſola cum Deo reconciliatione ſecum occupetur, quam vitâ ſuperiore habuit ſemper negleɛtiſſimam; præſertim ſi & faces tentationum ſubjecerit cacodœmon, & Mundus ad ſui deſiderium allexerit nondum ſaturos, & vellicaverint auriculam veterum illecebrarum blanditiæ, & amabiles ſæculi curæ invitaverint ad aſſueta, vſurpatarum tam diu obleɛtationum bona.

XXXI.

Luca 21. 5. 35. & 36.

Dies vitæ vltima, ſæpe diu ſceleratis & profligatis mortalibus, laqueus eſt.

Denique non fruſtra hortatus eſt Chriſtus: *attendite vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.* Nimirum ſicut rete, ſubitò comprehendit ex inſidijs aviculam, cùm nihil ſuſpicatur captivitatis, ſed omnia ſibi credit in libertatem aperta eſſe; ita nobis mortalibus dies illa, dies vitæ vltima, laqueus eſt; & ſæpe nihil opinantes, imprudentes, imparatos, ſceleribus immerſos, trahit ad ſeverum Dei tribunal. Tanti periculi, Chriſtus probè conſcius, amabiliſſimè nos iterum monet; *vigilate itaq. omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis.*

Luca 21. 36.

Næ ille beatus fuerit, qui cum ſolertibus animæ ſuę excubijs, & precibus in piam ſocietatem junɛtis, eam à Deo gratiam impetrat, vt poſt mortem obitam, coram Chriſto Judice cum lętitia apparere poſſit, neque experiri debeat caſura ſuper impios fulmina;

mina; eos inquam, qui de peccatis, & maximè de procraſtinatione ſuæ emendationis rei, cauſâ cadent, nunquam abſolvendi ampliùs.

XXXII.

Trium ſapientiſſimorum judicio, nemo prudẽter pœnitentiam ſuam reijcit in mortem.

Atque ex iſtis, patet ſenſus trium ſapientiſsimorum in terris hominum, Siracidis, Salomonis, Chriſti; quippe ſingulorum calculo, nemo vnus ſceleratorum mortalium prudenter reſipiſcentiam ſuam, melioreſq́, animos diſtulerit ad mortis neceſſitatem. plus quàm bœotica fuerit inſania, intricatiſſimum pœnitentiæ negotium, tum modò ſuſcipi ab improbo; quando languente vtrâque eius parte, & corpuſculo & animâ, conatus omnis non poteſt non eſſe languidus. Mihi ipſiſſima eſt Veritas; quantò ampliùs in conſuetudine flagitiorum perſeverantibus, præſumptio ſalutis creſcit, tantò ampliùs eiuſdem imminuitur certitudo; vt conſultiſſimum ſit, quamprimum aſſuetæ impietatis veternum excutere, & cum præſumptione certitudinem mutare.

PARAGRAPHVS IV.

IVDICIVM SANCTORVM PATRVM,

De procraſtinata ſceleratorum hominum pœnitentia.

I.

Natura docet beſtias, ab vtero ſtatim ſuos parentes ſequi.

NAtura, morum peritiſsima Magiſtra, etiam beſtijs (cum primùm aut ovo excluſæ ſunt, aut vtero effuſæ) viam oſtendit, quâ ſit eundum; nempe poſt matris veſtigia. Ita pulli anſeres & gallinæ; ita catuli cati, canes, leones, vrſi, quo poſſunt curſu, ſequuntur parentem, creduntq́; tum ſe extra periculum eſſe, cùm ad tergum maternum hæſerint. Sed multò fortior in hominibus Natura, liberos ducit ad ſequenda parentum ſuorum, Majorumq́; veſtigia. his inſiſtere, ſemper viſum eſt eſſe pulchrum & glorioſum. neque facilè potentiùs movent ad imitationem Virtutum exempla, quàm quæ domi cuiq́; ſuæ, & ex ſuo ſanguine naſcuntur.

De Marcello Romano Conſule, qui Fabio Maximo adverſus II.

Digitized by Google

Plutarch. in Marcello.

Hannibal Marcelli filium, sui patris, & paternæ virtutis exemplum.

Hannibalem à ſenatu adjunctus fuit, vt ejus cunctationem ſuâ audaciâ temperaret, memorant annales; cùm ex inſidijs interceptus eſſet ab hoſtili milite, atque occiſus; præcepiſſe Hannibalem, vt ejus ſibi cadaver adferretur; in quo, cùm primùm curioſè formam contemplatus eſſet; tum deinde admiratus eſt animi magnitudinem. deniq; ſine vllo ſuperbiæ faſtu, aut inſolenti lætitia, eundem Marcellum ritu veteri cremari juſſit; & collectas oſſium ac cinerum reliquias, vrnæque argenteæ impoſitas, miſiſſe ad ejus filium, nempe vt inter ſiccas buſti favillas, adhuc vivam, ſpirantemque virtutem inſpiceret, diſceretq; generoſâ æmulatione, paternorum facinorum hæres fieri.

III. Quòd ſi à profanis ad ſacra eundum eſt, nihil magis ferè Iudæorum genti inculcavit DEVS, quàm majorum ſuorum religioſiſſimæ pietati inhærere. Ejus apud Iſaiam verba ſunt. *Hæc dicit Dominus: ſtate ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris.* Hortatur itaque DEVS Hebræos, vt ſpeculatores eſſe velint, & quaſi ex alto contemplari Maiorum ſuorum Patriarcharum commendatiſſimos mores, factos ad cœlum rectiſſimo itinere gradus; neque tantùm impreſſa veſtigia laudabiliſſimæ virtutis, ſed etiam ad imitandum poſteritati relicta; fidem Abrahæ, Iſaaci obedientiam, Iacobi patientiam, Ioſephi caſtitatem, Moſis manſuetudinem, Davidis ſanctitatem. aberrare neminem poſſe à ſalutis tramite, ſi preſſo pede, ſecutus fuerit hos præeuntes.

Iſa. 6. 16.

DEVS Iudæis, Majorum ſuorū imitanda proponit veſtigia.

IV. Neq; aliud nobis eveniet, qui Chriſtiano nomine cenſemur, ſi proximos Chriſto Apoſtoliſque Patres in Eccleſia orthodoxa illuminatiſſimos, velut Majores noſtros, habuerimus pro regula & amuſſi credendorum, agendorumque. Certè ſicut in ſenibus communiter dicitur eſſe conſilium, ita multò maximè ſapientiam reperis in veteribus, & ſapientiſſimis Chriſtianę Eccleſię ſive Patribus, ſive Doctoribus, vt meritò ad eorum ſenatum, & olim ſemper appellatū fuerit, & hodie provocetur: quando in rebus ad fidem, bonoſq; mores ſpectantibus, fideliū diſcrepant animi. Tum enimverò, monemur cum Hebræis ſtare ſuper vias, & videre, & interrogare de ſemitis antiquis, puta veteri SS. Patrum doctrina; eorumq; dogmatibus ac decretis acquieſcere, tanquam ex DEI oraculo acceptis.

SS. Patrum doctrina, Chriſtianis eſſe debet pro regulâ.

V. Quia igitur hodie controvertitur apud aliquos, in materia pœnitentiæ: an impij atq; inveterati peccatores, ſuam reſipiſcentiam prudenter differre poſſint in futura tempora; ſi ſtare velimus judicio

Digitized by Google

dicio Patrum antiquorum in Eccleſia, nemo vnus ſuadebit hanc procraſtinationem, nemo vnus non diſſuadebit. Sed vt in rem præſentem veniamus, ipſa eorum dabo teſtimonia, & plurium plura; vt obſtinata multorum improbitas, tot tantorumque convicta authoritatibus, det manus Veritati. Itaq; quod Salomon monet, dictum ſingulis volo: *inclina aurem tuam, & audi verba ſapientium, appone autem cor ad doctrinam.* nam ſicut fruſtra effunditur ſermo, quando aures non patent loquenti: ita cùm clauſum eſt cor docenti, neque ejus diſciplinam intra ſe altè imbibit, par eſt fruſtrati laboris vtriuſq; diſpendium.

Præſertim in accelerandal impijs pœnitentia.

Prov. 22. 17.

VI.

Exordium faciam à Leone Papa, qui in brevi ſententia, potentem rugitum edit, permovendis ad celerem pœnitentiam animis improborum, molientium ſemper ſuum reſipiſcere; ſed molientium tantùm & parturientium in ſolis deſiderijs. Hos Leo magnus ad partum maturandum ſic admonet. *Hæc ſolicitiſſima debet eſſe ſapientis meditatio, vt quoniam breves dies iſtius vitæ, & incerta ſunt ſpatia, nunquam ſit mors morituro improviſa. nec in inordinatum incidat finem, qui ſe novit eſſe mortalem.* Neq; enim (vt D. ait Proſper) *ratio eſt conquerendi de immaturitate mortis, cùm ſemel in naturam noſtram per peccatum ingreſſa mortalitas, obnoxium ſibi omnem vitæ noſtræ fecerit diem.* Quid ſentiat Hugo de S. Victore, in materia præſenti circa ſerò pœnitentes, his verbis commonſtrat. *Difficilè eſt, vt tunc vera ſit pænitentia, quando tam ſerò venit. Quando enim cruciatus membra ligat, & dolor ſenſum opprimit, vix homo aliud cogitare poteſt. Valde ſuſpecta debet eſſe pænitentia, quæ coacta videtur eſſe. facilè eſt, vt homo ſe nolle putet, quod poſſe non datur. poſſibilitas optimè voluntatem probat. ſi non facis dum potes, manifeſtè oſtendis, quod non vis.*

Quam ſuadent ſequentes Doctores ex SS. Patrũ Senatu.

S. Leo ſerm. 5. de ſejunio menſis.

S. Proſper. l. 2. de vocat. gent c. 21.

Hugo l. 2. de Sacram p. 14. cap. 5.

VII.

S. Baſilij hæc eſt Philoſophia ad ſuos: *ſuſcipiamus tandem aliquando curam animarum noſtrarum ô fratres; mæreamus ob ſtultitiam vitæ antegreſſæ, decertemus pro futuris, nec ampliùs in hac ſocordia perſtemus: nec præſens ſemper per negligentiam amittendo, in craſtinum verò & conſequens, initium actionis differendo, revocati ab eo, qui repoſcit animas noſtras, nec bonis operibus præparati, à gaudio ſponſi excludamur. fruſtra tum peſſimè actam vitam lugebimus, cùm nihil ampliùs hoc pænitentibus proderit.* Idem Divus Baſilius, filium ſpiritualem de veloci pœnitudine, morumque correctione, in hunc modum ſtimulat. *Quando te peccatis obnoxium ſenſeris, ad pænitentiam citò converti ne confundaris. qui enim hîc pænituerit, in noviſſimo non pænitebit; clementer enim Dominus ad pænitentiam confugientes ſuſcipit. Et ne miſericordiâ Dei*

S. Baſilius orat. 4. de pænit.

S. Baſilius admonit. ad filium ſpirit.

Senſus flagitioſorum hominum de motivo differendę reſipiſcentiæ deſcribitur.

fretus, peccata peccatis adijcias, ne velis dicere: donec viget ætas mea, carnis concupiſcentiam exercebo, & poſtremò in ſenectute malorum meorum pœnitentiam geram; pius namq; eſt Dominus, & multùm miſericors, nec vltra facinorum meorum memorabitur. Noli taliter fili cogitare: quia ſumma ſtultitia eſt, hoc in mente apud Dominum concipere, cùm & impium ſit talem licentiam à Deo expectare quempiam. Cauſam ſubdit tam ſtultæ impietatis. *Noli inquam ſic cogitare, cùm neſcias quâ die moriturus ſis; quis enim novit hominum, diem exitûs ſui? non enim omnes in ſenectute privabuntur hac luce, ſed in diverſis ætatibus de hoc mundo migrabunt: & in quibus actibus vocabitur homo, in ijſdem neceſſe eſt reddere rationem.*

Sed tanquã ſtolidus refutatur.

Sed nec tu cuncteris ad pœnitentiam converti. ſemper ante oculos verſetur vltimus dies; cùm enim diluculo ſurrexeris, ad veſperum te ambigas venire: & cùm in lectulum ad quieſcendum membra tua poſueris, noli confidere de lucis adventu, vt faciliùs te poſſis refrenare ab omnibus vitijs. Semper cor tuum promiſſa cœleſtia meditetur, & ipſa te ad virtutis viam provocent.

VIII.

S. Ambroſ. l. 2. de pœnit. cap 1.

Subjungo Mediolanenſium Pontificem, ab ambroſia & dictionis ſuavitate, Ambroſium olim cognominatum. judicium Viri circa tempus ſuſcipiendæ ab improbo pœnitentiæ, intelligere potes ex ſequenti ejus ratiocinatione. *Agenda* inquit, *eſt pœnitentia, non ſolùm ſolicitè, ſed etiam maturè; ne fortè Evangelicus ille paterfamilias, qui arborem ficum plantavit in vinea ſua, veniat, & quærens fructum in ea, ſi non invenerit, dicat cultori vineæ; ſuccide illam, vt quid etiam terram occupat! & niſi cultor vineæ interveniat, dicens: domine remitte illam & hoc anno, vſq; dum fodiam circa illam, & mittam cophinum ſtercoris, excidatur ficulnea.* Alibi verò idem ſanctiſſimus Antiſtes ita loquitur. *Eos qui pœnitentiam differunt, ſatis ipſe Dominus admonuit dicens: pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Neſcimus quâ horâ fur veniet; neſcimus an proximâ nocte à nobis repoſcatur anima. Adam poſt culpam ſtatim de paradiſo Deus ejecit: non diſtulit, ſed ſtatim ſeparavit à delicijs, vt ageret pœnitentiam; ſtatim tunicam veſtivit pelliceam, non ſericam. Quid enim eſt quod differas? an ut plura peccata committas? ergo quia Deus bonus eſt, ideo tu malus? & divitias bonitatis eius, & patientiæ contemnis? ſed bonitas Domini, magis ad pœnitentiam te debet adducere.*

Lucæ 13.

Math. 3.

Adamus poſt lapſum & peccatũ, ſtatim egit pœnitentiam.

IX.

Dubium eſt, ea quę attexo, ejuſdemnè ſint Ambroſij, an potiùs Victoris Cartennę Epiſcopi, vt vult Trithemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Quiſquis demum author eſt, in illam Siracidis maximè ſeriam adhortationem: *non tardes converti ad Dominum,*

num, & ne differas de die in diem: atque iterum: *fili peccaſti, ne adjicias peccatum ſuper peccatum, & dicas, miſeratio Dei magna eſt; miſericordia enim, & ira ab illo;* hæc commentatur. *Nec nos vſq. ad mortem fieri mancipia patiamur, nec demus corpora noſtra ſcelerum ditioni; ſed obediamus Apoſtolo dicenti: non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis ei, vt quia peccata deeſſe non poſſunt, certè non regnent; hoc eſt, ne ſine reſpectu evadendi, fiat abrupta licentia peccandi.* Et mox, vt fortiùs clavum infigeret ſaxeis cordibus, hoc vſus eſt malleo. *Vnde cùm nobis inopinatus ſit exitus terminalis; & vitæ noſtræ dubia ſint, ex mortis ignorantiâ, curricula: quomodo ſibi quiſq. ſupereſſe ad confitendum tempus exiſtimat, qui temporis ſui tempus ignorat, cùm vtiq. audiat dicentem ſcripturam: Vivens & ſanus fateberis, & laudabis Deum, & in partem vade ſæculi ſancti, cum vivis & dantibus confeſſionem. Dilatio enim temporis, confeſſionem creet, & non deſperationem generet; quia exaggeratur in dilato damnatio, qui divinam patientiam pertinaci animoſitate cogitat. Quod S. Noë temporibus docetur effectum, cùm per centum annos pertracta patientia, implacabilem per mundi ambitum fudit cataclyſmum, inundante cenſurâ.*

S.Ambr. l. de pœnit. cap.10.

Nemo ſcit tempus ſui temporis, quo hinc migrandū eſt.

Sed Magnum Gregorium audiamus, vniverſalis Eccleſiæ ſupremum caput; cui lucubranti Spiritus S. creditur divinæ veritatis myſteria, ſæpius ad calamum dictâſſe, ſpecie columbæ, jam olim alitis ſibi familiaris, à Chriſti baptiſmo. Is igitur ſolicitus ac vigil gregis ſui paſtor, vt periculum ſalutis exeamus, ſequens remedium præſcribit: *Semper extremum diem debemus metuere, quem nunquam poſſumus prævidere. Ecce hunc ipſum diem, de quo loquimur, ad inducias converſionis accepimus, & tamen mala quæ fecimus, flere recuſamus. non ſolùm commiſſa non plangimus, ſed etiam quæ defleantur, augemus. At ſi aliqua nos ægritudo corripiat, ſi ſigna ægritudinis vicinam mortem denuncient, inducias vivendi quærimus, vt peccata noſtra defleamus, & eas cum magno æſtu deſiderij petimus, quas acceptas modo, pro nihilo habemus.* Refert deinde lamentabilem Chriſaorij cujuſdam, opulenti ac vitioſi hominis interitum, qui morti jam proximus, magnis clamoribus DEVM oravit pro inducijs, vel vſque manè, neque tamen exoravit; violentâ divini imperij neceſſitate hinc expulſus ad vitam alteram; atque (vt ſigna dederunt) infelicem, & tartaro debitam.

X.

In Vita S. Greg. M.

Etiam teſtimonio *D. Gregorij M. hom. 12. in Evang.*

Vide ſupra l. 1. §. 9. n. 3

XI.

Quam hiſtoriam, poſtquam è pulpito S. Gregorius pro concione, ad cautelam aliorum commemorâſſet, ſic porrò auditores ſuos hortatus eſt. *Nos ergo fratres chariſſimi, ſolicitè iſta cogitemus, ne nobis*

Chriſaorius, cui Deus negavit inducias

Digitized by

vſq; manè, proponitur in terroré procraſtinare volétibus, ſuam emendationem.

nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad bene agendum vivere, cum jam compellimur de corpore exire. Mementote quid Veritas dicat: orate, ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabatho; per legis quippe mandatum, ambulare longiùs ſabatho non licet. Hyems quoque ad ambulandum, impedimentum eſt, quia greſſus ambulantium torpor frigoris adſtringit. Ait ergo, orate ne fiat fuga veſtra hyeme, vel ſabbatho; ac ſi apertè dicat: videte, ne tunc quæratis peccata veſtra fugere, quando jam non licet ambulare. Illud ergo tempus, quo fugere non licet, modò debet cogitari, dum licet. Illa hora noſtri exitûs, eſt ſemper intuenda; iſta Redemptoris noſtri admonitio, ante mentis oculos ſemper ponenda, qui ait: Vigilate itaq;, quia neſcitis diem neq; horam.

Matth. 24.

XII.

Nec tranſeundus eſt nobis in præſenti materia Conſtantinopolitanus præſul, aurei ſermonis Eccleſiaſtes, prodigium eloquentiæ, Divus ajo Chryſoſtomus; qui ſicut ex cathedra graviſſimè ſemper ſuaſit celerem improbis mortalibus pœnitentiam, ita nunquam non diſſuaſit tardam ad meliora converſionem: velut certi periculi occaſionem, & proximum ad ruinam gradum. Sed ex propria viri ſanctiſſimi penu, ejuſdem tibi verba, mentemque propino, totidem quot ſequuntur ratiocinationibus. *Virtutem arctiſſimè complectere. Sic enim, ſive juvenis hinc abſcedas, tutò abſcedes; duplicemq; lætitiam ac feſtivitatem, per omnem vitam habebis, nimirum & à vitio abſtinens, & virtutem amplexans. Cave dixeris: erit tempus cùm ad meliorem frugem revertendum erit; hæc enim verba Deum, majorem in modum ad iracundiam concitant. Quid tandem eſt, quod cùm ille infinita tibi ſæcula pollicitus ſit; tu contra in præſenti hac vita, quæ brevis ac fluxa eſt, nullum laborem ſuſcipere velis, verùm ita diſſolutus & ignavus ſis, vt etiam hanc ipſam breviorem requiras? Deo gratias age, quod te inter media peccata haud quaquam abripuit; ne alterum quoque tempus tibi ad flagitioſè vivendum, præfiniri poſtules. Multi dum alios per avaritiam circumſcriberent, hinc abrepti ſunt, atque ad perſpicuas, certaſq; pœnas abſceſſerunt. Ne idem tibi accidat, time.*

S. Chryſoſt. ad Corinth. 2. c. 18. hom. 22. in morali.

Summa improbi hominis eſt ingratitudo, nolentis Deo brevé, totamq; vitã dare in ſervitium, pro infinitis gaudiorum ſæculis ab eo promiſſis.

XIII.

Sed quoniam humana impietas, plerumque vulpium induit aſtutiam, & cùm ſolidis rationum momentis ſtringitur, malitioſa quærit effugia; hinc magnus animarum Venator Chryſoſtomus, viam obſtruit tacitæ, & ferè primariæ illorum objectioni, quorum vita omnis inter ſcelera conſeneſcit, tranſmiſſâ ad mortem pœnitentiâ; iterum tibi ejus ſententiam exhibeo. *At inquis, multis DEVS in extrema quoque ſenectute, peccata ſua confitendi ſpatium*

Solatium quorundã

con-

Digitized by Google

conceſſit. quid tum? an tibi quoque concedet? concedet fortaſſe, inquis. quid ais fortaſſe, & interdum, & ſæpe? In mentem tibi veniat, te de anima tua conſilium inire. Contrarium etiam pone, tecumq; ita reputa, ac dic; quid autem ſi non conceſſerit? Tu contra; quid autem ſi conceſſerit? Veruntamen hoc illo tutius eſt & vtilius. Etenim ſi jam probè viuere incipias, ſiue certum vitæ ſpatium acceperis, ſiue non, omnia lucratus eris. Si autem moras quotidie nectas, ob eam ipſam perſæpe cauſam, minimè accipies.

Sceleratorum, fundatur in vno FORTASSE.

XIV.

Pergit vrgere impium Sanctus Pontifex, atque idoneis ſimilitudinibus id convincit, nemini hominum prudenter licère eſſe moroſo in moribus emendandis, ſub mantelo reſipiſcentiæ, & ſeriæ pœnitudinis olim ſuſcipiendæ. *Enimverò, ait ille, cùm aut ad bellum proficiſceris, non dicis, minimè neceſſe eſt teſtamentum condere; fortaſſe revertar. Nec cùm de ineundo matrimonio conſultas, dicis; Vxorem egentem accipiam, multi enim præter opinionem ad opes ita pervenerunt. Nec cùm domum extruere paras; infirma fundamenta jaciam, permultæ enim ædes, ſic etiam conſtiterunt. At verò cùm de anima conſilium inis, imbecillioribus niteris; nimirum illud FORTASSE & INCERTVM ponens, incertiſque eventibus te ipſum committis. Non incertis inquis, eventibus, ſed DEI benignitati. benignus enim ac clemens eſt DEVS. Id quidem ipſum quóque compertum habeo; ſed tamen benignus hic, illos etiam quos dixi, de medio ſuſtulit.*

Excutitur hoc incertum FORTASSIS, cujus cauſâ, periclitari non debet anima.

XV.

Denique Sanctus Chryſoſtomus hominem impium, qui frigidè nimis ad frigidam ſenectutem, pœnitentiæ ſuæ reijcit conſilia, hoc argumento tundit, fabricato velut ex longa vitiorum conſuetudine, malleo. *Quid verò, ſi accepto longiore vitæ ſpatio, idem ipſe, tuíque ſimilis maneas? nam qui ejuſmodi eſt, in ſenectute quoque ignarus & ſocors erit. Is enim qui hæc cogitat, etiam poſt octoginta annos, nonaginta requirit; & poſt nonaginta, centum; & exactis centum annis, ſegnior adhuc erit; atque ita tota vita in caſſum abſumetur. tibíque etiam id accidet, quod de Judæis dictum eſt: defecerunt in vanitate dies eorum. Atque vtinam in vanitate duntaxat, non etiam in perniciem. Cùm enim illuc abierimus, gravem peccatorum ſarcinam geſtantes; alimentum igni, ingentemq; vermi menſam deferemus. Quamobrem rogo atque obſecro, vt tandem aliquando fortiter ſtemus, noſq; à vitio removeamus.* Hactenus Conſtantinopolitanus Patriarcha, ad emollienda ferrea peccatorum corda in celerem pœnitentiam, inſignis & malleator & diſputator.

Differentibus reſipiſcentiam ſuam, nullus placet terminus.

Pſal. 77.

Neque

XVI.

S. Hieronymus ſẽper pugno cõtra ſe ipsũ armatus, etiam procraſtinatores pœnitentiæ ſtuduit expugnare.

Neque inferior hoc Viro eſſe videtur S. Hieronymus, cujus dextera ſemper armata ſaxo pingitur; credo, ut non tam ſuum pectus everberet ad DEI obſequium, quàm gravium animos peccatorum; hos certè ſibi pro incude ſemper habuit. vſus vice mallei divinarum pondere ſcripturarum, & adhortationis ſuæ vibrantiſſimis ſententijs, ſi quid extunderet melioris denique affectûs, & reſipiſcentiæ; quodque miriſſimum eſt, etiam morti jam proximus Hieronymus, ab hoc pio labore non ceſſavit. Nam, ut Euſebius, ejus diſcipulus meminit in quadam epiſtola; cùm vir hic nonaginta ſex annos natus, intelligeret denaſci oportere, neq; mortem multis paſſibus abeſſe; voluit à circumſtantibus corpuſculum ſuum, macie confectum, abſtinentijs ſqualidum, verberibus quoque cruentatum, & horrido ſacco veſtitum, in nuda humo collocari. Inde egregius Orator, non ſtans neque ſedens, ſed jacens, cœpit apud ſuos agere de rebus magnis, hoc eſt, ſalutem concernentibus. Et quoniam certiſſimus fuit, plurimos mortalium in tardata pœnitentia, tum facere naufragium, cùm iam in littore ſunt, atq; excenſu ad æternitatem; huic malo occurſurus D. Hieronymus, impiorum noxiam perſuaſionem, & proponit, & confutat in hunc modũ. *Fortè dicet quis; benignus eſt Dominus & miſericors, qui omnem peccatorem ad ſe redeuntem recipit & indulget. Verum quidem hoc eſſe confiteor. benignior eſt enim Dominus, quàm creditur, & vnicuiq; parcit, ad ſe (vt condecet) redeunti. Nonné benigniſſimus Dominus, qui tantas tolerat injurias à peccatoribus, dans eis temporis ſpatium, vt emendentur? Sed hoc noveris, quia ſicut benignus eſt in tolerando, ita juſtus eſt in puniendo. Sed fortè quis iterum dicet. Vir qui toto tempore, quo vixit, malè fecit, in mortis articulo acceptâ pœnitentiâ, à DEO veniam obtinebit.*

Et quidem jam morti proximus.

Euſebius in Epiſt. ad Damaſ. Epiſcop. de morte Hieron. inter opera S. Hieron. Tom. 9.

Benignitas Dei nõ debet eſſe fulcrũ obſtinato peccatori.

XVII.

Ex mente S. Hieron. vix de centum millibus, quorũ ſemper vita fuit mala, vnus cõvertitur.

Hîc autem, rogo te, ſanctiſſimi Patris reſponſum, & vltimam ejus, ac velut teſtamento legatam impijs doctrinam accipe, totoque ſinu reconde. ſic enim parturientis inſtar, cum magno doloris ſenſu exclamat. *Heu! quàm vana ſuſpicio, & falſa meditatio! vix de centum millibus hominum, quorum mala ſemper fuit vita, meretur habere à DEO indulgentiam vnus. Vir totus in peccatis genitus & enutritus, qui nec DEVM vidit, nec agnovit, nec de eo audire voluit, nec ſe peccaſſe cognoſcit, nec quid pœnitentia ſit, niſi fortè dormiendo novit, totus adhuc ſæcularibus negotijs innodatus, quem anguſtia premit filiorum, quos deſerit; quem infirmitas conterit; quem dolor divitiarum, & temporalium bonorum concutit, cùm eis non poſſe frui ampliùs ſe cernit; quàm acceptam DEO accipit pœnitentiam? quam non acciperet, ſi adhuc ſe poſſe*

Capita varia, ex quibus diu

ſanari

ſanari crederet. Quæ dilectiſſimi filij, eſt pœnitentia, quam ſolùm quis accipit, quia ſe vivere non poſſe ampliùs cernit; qui ſi ex infirmitate convaleſceret, pejor quàm prius fieret? ſcio non modicos pecunioſorum acceptâ in mortis articulo pœnitentiâ, convaluiſſe corpore, & pejoràſſe vitam. Denique in propoſito argumento, ſenſum ſuum omnem, judiciumque; jam moriturus Hieronymus, huic brevi periodo incluſit. *Hoc teneo, hoc verum puto, hoc multiplici experientiâ didici, quòd ei non bonus eſt finis, cui mala ſemper fuit vita; qui peccare non timuit, ſed in mundi vanitatibus ſemper vixit.*

impiorum mortalium converſio, impeditur in morte.

Quàm verò etiam D. Auguſtinus, Africanæ Eccleſiæ jubar, in eadem materia prioribus conſentiat Patribus, multa ejus oſtendunt teſtimonia. Ego pauca ſeligam, ſed quæ moroſum in pœnitentia cunctatorem, poſſint ad curſum incitare, & calcaria tardanti ſubijcere. *Nemo ſe* (Auguſtini vox eſt) *ad illud tempus reſervet, & tum pœnitentiam tenere contendat, quando cœperit de hac luce migrare; non ſe ad hoc reſervet, quia neſcit, quid ſuperventura pariat dies. Quâ fronte ſalutem ſuam tempore ſenectutis diſſimulat, cùm vnius diei ſpatio certus eſſe non poſſit? Et ideo ſi mortem timere nolumus, ſemper parati eſſe debemus, vt cùm nos Dominus de hoc ſæculo juſſerit vocari, cum ſecura conſcientia, non cum deſperatione, ſed cum gaudio ante conſpectum Judicis veniamus, & ibi feliciter audire poſſimus: Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* XVIII.

S. Auguſt. de temp. ſerm. 44.

Non reijcienda eſt in futurum pœnitẽtia, quia neſcimus quid ſuperventura pariet dies.

Matth. 25.

Et quoniam profligatiſſimi quiq; mortalium, ſpondent ſibi & reſipiſcentiæ ſuæ, quod incertiſſimum eſt futurum Cras, & prolixioris vitæ tempus; idcirco rurſus arietem movet ſanctiſſimus Præſul, adverſus tam mendacem fiduciam, & ſoli ſubnixam inſaniæ, cùm ait. *Manſuetus Dominus, longanimis Dominus, miſericors Dominus; ſed & Juſtus Dominus, & verax Dominus largitur tibi ſpatium correctionis; ſed tu plus amas dilationem, quàm emendationem. Malus fuiſti heri, hodie bonus eſto; & hodiernum diem in malitia peregiſti, vel cras mutare. Semper expectas, & de miſericordia* DEI *tibi plurimùm polliceberis: quaſi ille, qui tibi per patientiam promiſit indulgentiam, promiſerit tibi etiam prolixiorem vitam? Vnde ſcis, quid pariat craſtinus dies? Rectè dicis in corde tuo; quando me correxero,* DEVS *mihi omnia peccata dimittet. Negare non poſſumus, quòd correctis atq; converſis indulgentiam* DEVS *promiſit. Sed in quo Propheta mihi legis, quia promiſit tibi* DEVS *longam vitam.* XIX.

D. Aug in Evang. S. Ioan. tr. 33.

Malè agunt improbi, qui plus amant dilationem, quàm emendationem.

Mox oſtendit S. Auguſtinus, quoſdam hominum peccare exceſſu, quoſdam defectu; alios perire vitio nimiæ ſpei, alios culpâ XX.

deſperationis. Sic enim philoſophatur. *Ex utroq; homines periclitantur, & ſperando & deſperando, contrarijs rebus, contrarijs affectionibus. Sperando qui decipitur? qui dicit: bonus eſt* DEVS; *faciam quod mihi placet, quod libet; laxem habenas cupiditatibus meis, impleam deſideria animæ meæ. Quare hoc? quia miſericors eſt* DEVS, *bonus eſt* DEVS, *manſuetus eſt* DEVS. *Spe iſti periclitantur. Deſperatione autem, qui cùm inciderint in gravia peccata, putantes ſibi non poſſe jam ignoſci pœnitentibus, & ſtatuentes ſe ad damnationem ſine dubio deſtinatos, dicunt apud ſemetipſos: jam damnandi ſumus. quare non quod volumus, facimus? animo gladiatorum ferro deſtinatorum. Iſtos deſperatio necat, ſpes illos: inter ſpem & deſperationem fluctuat animus. Metuendum eſt, ne te occidat ſpes, & cùm multum ſperas de miſericordia, incidas in judicium. Metuendum eſt rurſus, ne te occidat deſperatio, & cùm putas iam tibi non ignoſci, quæ gravia commiſiſti; non agas pœnitentiam, & incurras in judicem ſapientiam, quæ dicit: Et ego veſtræ perditioni ſuper ridebo. Quid ergo agit Dominus cum periclitantibus utroq; morbo? illis qui ſpe periclitantur, hoc dicit: ne tardes converti ad Dominum, neq; differas de die in diem; ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Illis qui deſperatione periclitantur, quid dicit? In quacunq; die iniquus converſus fuerit, omnes iniquitates ejus obliviſcar. Propter illos ergo, qui deſperatione periclitantur, propoſuit indulgentiæ portum. Propter illos, qui ſpe periclitantur, & dilationibus illuduntur, facit diem mortis incertum quando venerit ultimus dies, neſcis.*

Aliqui hominum ſceleratorum peccant exceſſu ſpei, aliqui defectu.

Prov. I.

Remedium utriſq; poſuit DEVS in ſcriptura.

XXI. Quàm igitur & ſtultè, & periculosè agant impij, quotquot ſuum dolere ac pœnitere ſuper gravibus peccatis, committunt in dubium futurū; porrò in hunc modum declarat ſapientiſſimus Auguſtinus. *Fortè dicis tibi: promiſit mihi* DEVS *indulgentiam, quando me correxero, ſecurus ſum; lego divinam Scripturam: iniquus in qua die converſus fuerit ab iniquitatibus ſuis, & fecerit Juſtitiam, omnes iniquitates ejus obliviſcar. Securus ſum, quando me correxero, dat mihi* DEVS *indulgentiam de malis meis. Et quid dicturus ſum? contra dominum exclamaturus? Dicturus ſum* DEO, *noli illi dare indulgentiam? dicturus ſum hoc ſcriptum non eſſe? hoc* DEVM *non promiſiſſe? Si iſta dixero, omnia falſa dico. Bene dicis, verum dicis, indulgentiam correctioni tuæ promiſit* DEVS, *negare non poſſum. Sed dic mihi, rogo te. ecce ego conſentio, & concedo, & cognoſco, quia indulgentiam* DEVS *promiſit tibi. Craſtinum autem diem, quis promiſit tibi? ubi mihi legis indulgentiam te accepturum, ſi te correxeris, lege ibi mihi, quantùm victurus ſis? Non lego inquis. neſcis ergo quantùm victurus ſis? eſto correctus, & ſemper paratus. noli timere diem ultimum*

S. Aug ſer. 16. *de Verbis Domini.*

Ezech. 18.

DEVS indulgentiā promiſit, pœnitentiā olim acturis: ſed tēpus agendi

tan-

tanquam furem, qui dormienti effodiat parietem; ſed vigila, & corrige te hodie. Quid differs in craſtinum? Longa vita erit? ipſa longa, bona ſit. Prandium longum & bonum nemo differt; & vitam malam, longam vis habere? vtiq; ſi longa erit, melius bona erit; ſi brevis erit, bene factum eſt, vt bona produceretur. pœnitentiam, non promiſit.

Deniq; quantum illuminatiſſimus Patrum Auguſtinus, dubiū ponat, in eorum ſub mortem pœnitentia, qui illuc vltimū ſuæ pietatis conatum transtulerunt, & incundam cum DEO reconciliandi animi rationem: eundem Doctorem audiant, & contremiſcant. felices omnino, ſi ad ejuſdem ipſius cenſuram, & ſeveræ ſententiæ calculū, non tantū contriſtentur, ſed contriſtentur ad celerem reſipiſcentiam, totiuſq; vitæ ſeriam emendationē. Verba ſanctiſſimi Doctoris profero; non iis abſimilia, quæ in ſimili materia apud D. Ambroſiū conſcripta reperiuntur. & ſic habent. *Agens pœnitentiam, & reconciliatus cùm ſanus eſt, & poſtea bene vivens, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Vnde ſecurus ſum dico, & do ſecuritatem; vnde non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Debeo illud planiùs exponere. Numquid dico damnabitur? non dico. ſed dico etiam liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? neſcio. non præſumo, non promitto, neſcio. Vis te dubio liberare? Vis quod incertum eſt evadere? Age pœnitentiam dum ſanus es, quando peccare potuiſti. Si vis autem agere pœnitentiam ipſam tunc, quando peccare non potes: peccata te dimiſerunt, non tu illa. Sed vnde ſcis, inquis, ne fortè DEVS dimittat mihi? Verum dicis, vnde neſcio. Illud ſcio, hoc neſcio; nam ideo do tibi pœnitentiam, quia neſcio. nam ſi ſcirem nihil tibi prodeſſe, non tibi darem. Item ſi ſcirem tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res ſunt. aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur. quid horum tibi futurum ſit neſcio. ERGO TENE CERTVM, DIMITTE INCERTVM.* XXII.

S. Aug. in l. 50. homil. hom. 41.

Pœnitētia improbi ſub mortē, dubiam facit ſalutē, non certā.

Optima res gula in præſenti materia; *tene certum, dimitte incertum.*

Habes hîc mi lector, Iudicia antiquorum Patrum; ex proprijs eorum verbis colligimus, quàm ſemper improbaverint dilationem pœnitentiæ in ſerum. quot in hac re, ſana tibi dogmata reliquerunt, tot veſtigia propoſuerunt, ſequenda ad cœlum tuto itinere. Tu ſi ex tam ſancta Patrum ſanctiſſimorum poſteritate, voles eſſe non filius degener, ſed obſervans doctrinæ à Majoribus in Eccleſia traditæ, compendio ſalutis hoc vtêris: vt cùm in graves noxas lapſus fueris, confeſtim à caſu reſurgas, per pium animi affectum, iam deteſtantis ea, quæ malè nuper admiſit. Equus generoſus, ſi in via ceſpitaverit, extemplò aſſurgit, & diſpendium XXIII.

Homo poſt lapſum in grave peccatum, citò debet reſurgere.

 tardi-

Digitized by Google

tarditatis novâ celeritate compenſat. Si turpe eſt cecidiſſe, turpiſſimum erit in caſu hærere. labi aliquando in peccatum enormius, humanam infirmitatem arguit; nolle ſe in pedes erigere poſt lapſum, & reſipiſcere pœnitendo, ſignum eſt hominis jam diabolo mancipati, in duram ſervitutem.

XXIV. Veteri lege præceptum erat, vt puer Hebræus, qui in ſervitutem devenerat, ſeptimo anno in libertatem rediret. Quam conſuetudinem Origenes ita ad mores interpretatus eſt. *Si Chriſtianus es, & in peccatum decidiſti, ſufficiat tibi ſex annorum ſervitus, in ſeptimo ne ſervias, ſed feſtina ad libertatem tuam. Septenarius numerus legem ſignificat mandatorum. Senarius mundi tenet figuram. donec ergo quæ mundi ſunt ſapis, neceſſe eſt te ſervire peccato: cùm verò ad legis ſcientiam deveneris, tunc require libertatem tuam, & redi ad nobilitatem paternam.* Sententia, menſq; Origenis hæc eſt: quamdiu extra veram Chriſti legem, fidē, Eccleſiam, homo inter hæreſes aberrat, aut gentium ſuperſtitiones; quaſi ſex annis mancipium eſt mundi & ſcelerum, ipſiuſq; ſathanæ. Cùm primùm verò, in orthodoxa Chriſti Eccleſia, Chriſtianis acceſetur fidelibus, jam velut ſeptimo anno ad libertatem mittitur filiorum DEI; vt graviſſimo ſe probro adſtringat, ſi primam, turpemq; vitiorum ſervitutem, repetere velit. Cæterùm quia hæc eſt humanæ fragilitatis infelicitas, vt etiam paſſim, qui Chriſtiano nomine ac Catholico appellantur, gratiâ tenuis lucelli, aut vmbratilis gloriæ, aut pereuntis voluptatulæ, ſe iterum peccato, & ejus parenti Lucifero, in ſervos mancipent; ideo hoc ſaltem vrgent Patres conſenſu vnanimi, vt ſtatim iterum per ſerium pœnitentiæ conatum, laborent de manumiſſione; nullius quaſi moræ interjecto ſpatio.

Origenes hom. 19. in c. 9. Ioſ. v. 9.

Servi Hebræorum, ſeptimo anno ibant ad libertatem.

Peccator ſtatim poſt flagitium, laborare debet de manu miſſione.

XXV. Sed proh dolor! hîc multi ſequimur Pharaonem Ægyptium: ex obſtinantis animi nota, & hoc orbe celebrem, & altero miſerum. Hujus vt faſtum comprimeret DEVS, ranas toto regno numeroſiſsimè diſperſit, beſtias quidem parvulas, nec armatas ad faciendum vulnus; ſed tamen deformitate ſuâ graves, aſſiduâ coaxatione moleſtas, ſanie & tabo fœdas; quin etiam ollis, lancibus, ſedibus, menſis, apothecis, pennuariis, cubiculis, lectis, domibus, hominibus quoq; infeſtas; imò (vt Pererius opinatur) noxias etiam & venenatas. Quia igitur neque populus, neque Rex ferendo erat ampliùs malo, expugnatâ jam per ranas vtriuſque partis, ſive patientiâ animi, ſive fortitudine; hæc Pharao à Moyſe & Aaron, geminis fratribus poſtulavit. *Orate Dominum,*

Exod. 8. 6. 9. & 10.

minum, vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum, vt ſacrificet Domino. Cui Moyſes: *conſtitue mihi tempus, quando deprecer pro te, & pro ſervis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à ſervis tuis, & à populo tuo, & tantùm in flumine remaneant. Qui reſpondit: Cras.* Stupidæ mentis hoc verbum fuit, præſenti atque intolerabili ranarum affligentium incommodo, non petere medicinam præſentem; differre etiam in craſtinum, quando hodie ad manus erat.

Sed aliqui ſimiles Regi Pharaoni, differũt in craſtinũ.

XXVI. Et vide, an non cum Pharaone illi quoque delirent inter Chriſtianos, qui obſepti vndique ſcelerum turpitudine, putore flagitiorum, morſicantis conſcientiæ perpetuis clamoribus; remedia tamen trahunt, neque excutiunt ſtatim ſarcinas animæ, neque ejus vulnera curant. Inculcat David celerem ad DEVM converſionem, & clamat in vtramque improbis auriculam: *Hodie, hodie, ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* loquitur etiam hodie bonus Deus, ad mala malorum hominum corda, ſermocinatione arcanâ; & liberaturus eos ab infami peccatorum ſuorum mole, ſuadet imperatque, vt *hodie* pœnitentem facinorum, dolentemque animum induant. Sed nempe Pharaones ſumus, & pro adverbio *hodie*, *cras* ſupponimus; *cras* volentes reſipiſcere, cùm *hodie* poſſemus, niſi voluntas hodie ſuſpenderet facultatem. Ita non pauci, cùm admonentur de reſipiſcendi neceſſitate, ſacra ſibi tempora præfigunt, vel Chriſti naſcentis, vel patientis, vel reſurgentis. Deinde vbi ſtati illuxerunt dies, cauſati negotia, reijciunt vlteriùs ſuſceptas pœnitentiæ curas: & quouſque ſemper aut habent, aut ſibi fingunt negotioſa impedimenta, itur ad morbos, ad ſenium, & ſenio proximam mortem.

Pſ. 94. 8.

Cùm tamẽ David Rex, HODIE præfigat converſioni impiorum.

XXVII. Denique id ſecum fieri tum experiuntur, quod de echino memorant, difficilem ſcilicet habere partum, ſi longiùs differtur; quòd in catulis creſcant aculei, matrem lancinaturi, cùm fœtum tardè effundit. Sic miſeri illi, qui cunctantur ſemper cum partu pœnitentiæ, vſque ad imminentia fata; augentibus interea continuò, atque excreſcentibus conſcientiæ ſpinis, difficillimè ſimul, & periculoſiſſimè enituntur morientes; vt cum his non raro illud verum habeat prophetæ dictum: *venerunt vſq; ad partum, & virtus non eſt pariendi*; tum quia ſæpe inveterata ſcelerum conſuetudo minuit reſiliendi promptitudinem; tum quia dolorum magnitudo ſæpe niſum impedit mentis; tum quia in ipſo ſæpe lento, languidoque conatu, ſenſus & ratio deſtituit molientem. Ita fit, vt anima impij,

Dilatores pœnitentię ſuæ, plerũque *venerũt vſq; ad partum* (ſeu bona propoſita) ſed poſtea (*non eſt virtus pariendi*) ſeu bona propoſita exequendi.

Iſai. 37. 3.

Digitized by Google

pij, ſe ipſum lactantis ſpe futuræ olim reſipiſcentiæ, & quaſi CRAS parituri ſpiritum ſalutis, etiam HODIE illud ſibi lugubre debeat occinere: *Ego ſterilis & non pariens, transmigrata & captiva.* Verè anima *ſterilis*, quæ ſemper parturivit, & nunquam ante mortem ſincerum ſuper peccatis dolorem peperit. Verè anima *transmigrata*, quæ jam extra corpuſculum ſuum poſita, mutavit alterum orbem cum iſto, ingreſſa ex tempore æternitatem. Verè anima *captiva*: quæ trahens longorum annorum concatenata flagitia, ad inferorum perpetuos carceres detruſa eſt.

Iſa. 49. 21.

Anima procraſtinantis diu emẽdationem, ſæpe fit *ſterilis, transmigrata & captiva.*

XXVIII. Evigilate igitur ô mali! dum adhuc ſomnum habetis in veſtra poteſtate; ſomnum quidem ſuavem præſentium voluptatum; ſed ſi advertatis, etiam oppidò noxium, & præſenti ſalutis periculo conjunctum. Nemo hîc mihi, aut ſibi obtrudat, verba illa lenta & ſomnolenta, qualia loquuntur expergefacti: *modò, ecce modò, ſine paululùm.* Conatus iſti frigidè expergiſci volentium, ad meliora vitæ conſilia, plerumque nihil virium habent; & quemadmodum Auguſtinus in ſe ipſo didicit, cùm adhuc carnis ſuæ mancipium eſſet: *modò & modò, non habebant modum, & ſine paululùm, in longum ibant.* Donec tandem cum violentia altum ſoporem excuſſit, animo ſuo tam feliciter expedito à Venere, quàm ab hæreſi Manichæa. Profuit illi superventuræ mortis fuiſſe memorem, ejuſque ſaluberrimo metu ad Catholicam veritatem, virtutemq; Chriſtianam, non tam aſpirâſſe, quàm acceſſiſſe. Deliberationis modum, quem ſecum tenuit, advocato toto mentis, conſiliorumque ſenatu, ipſe D. Auguſtinus ſicut ſcribit. *Quando reparamus nos ipſos, animum relaxando ab intentione curarum? pereant omnia, & dimittamus hæc vana & inania; conferamus nos ad ſolam inquiſitionem Veritatis. Vita hæc miſera eſt, mors incerta, ſi ſubitò obrepat, quomodo hinc exibimus? & vbi nobis diſcenda ſunt, quæ hîc neglexim⁹? an non potiùs hujus negligentiæ ſupplicia luenda ſunt? quid ſi mors ipſa omnem curam cum ſenſu amputabit, & finietur? Ergo & hoc quærendum.*

Verba illa volentiũ quondam pœnitere *modò, ecce modò, non habent modum; & ſine paululum, in longum it.*

S. Auguſt. lib. 8. Confeſſ. c. 11. Et l. 6. confeſſ. cap. 11.

XXIX. Eſt etiam hæc vtiliſſima hodie quæſtio, quam ſibi ipſis proponere debent ſalutis ſuæ negligentes homines, emendationis procraſtinatores, oſores pœnitentiæ. Dic mi anime, cujus deſiderijs hæc terra nimis anguſta eſt; quid ſi mors vota tua, & inanium rerum inaniſſimas curas, quo minimè putabis momento, amputaverit? quid ſi mors repente, atque incautos nos occupaverit? quomodo hinc exibimus? & vbi nobis reparanda ſunt, quæ turpi otio dilapidavimus tempora? vbi compenſanda virtutum opera, qui-

Deliberatio ſalubris, circa ac-

ra, quibus nihil adhibuimus operis, nihil ſtudij? tantæ negligentiæ nunquid pœnas dabimus? Ergo pereant omnia alia, & dimittamus vana cupiditatum humanarum; ſolliciti maximè de cœlo, & quæ illuc ducit, acceleranda converſione. ſæpe hîc obfuit, ſegnem & faſtidioſum fuiſſe cunctatorem. quiſquis moritur ante actam legitimè pœnitentiam, ſibi ipſi præcludit aditum ad Numinis clementiam; ſemper totâ ęternitate excluſiſſimus è beatitudinis domicilio.

celerandā vitę emendationem.

XXX.

Ferunt Alexandrum Macedonem, & à factis ſuis Magnum; cùm primùm hoſtilem vrbem obſidione cinxiſſet, facem accendere conſueviſſe, & publicâ præconis voce denunciare; dum fax arderet, adhuc patere gratiam civibus, ſi poteſtati Victoris ſe commiſerint. eâ extinctâ, ſpem nullam ſalutis ſupereſſe; proinde & in rem ſuam, ſuorumque maturarent conſilia opportuna. Statuit quoque DEVS miſericordiæ ſuæ terminum, vitam præſentem; quamdiu hæc fax arſerit, clementem erga impios animum gerit divina bonitas; vult parcere, vult errata ignoſcere; ſi eadem, qui peccando erravit, vult cognoſcere tanquam Numini graviter injuria; nec tantùm cognoſcere, ſed & deprecari, & confiteri, & deteſtari, & execrari denique & factis animæ ſuæ vulneribus, cataplaſma pœnitentiæ ac ſatisfactionis apponere. Cæterùm, ſi vita hæc ſemel per mortis flatum extincta fuerit, jam nullus reſtat veniæ, ac placandi Numinis locus. quidquid eò vſque diſſimulatum fuit ab impio, reſarciri nunquam poteſt ampliùs. Atque hæc vna eſt ex primis rationibus, cur judicio ſanctorum Patrum, nemo poſt patrata diu ſcelera, morum emendationem, ipſamque reſipiſcentiam protrahere debeat in longum; ne morte inopinatâ præventus, jam nullum inveniat ſpatium, redeundi cum offenſo Deo in gratiam. Vnus hîc error, facit à toto cœlo aberrare cunctantes.

Ineunda, & feriò exequenda eſt, dum licet.

PARA-

vſq; manè, proponitur in terrorē procraſtinare volētibus, ſuam emendationem.

Matth. 24.

nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad bene agendum vivere, cùm jam compellimur de corpore exire. Mementote quid Veritas dicat: orate, ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabatho; per legis quippe mandatum, ambulare longiùs ſabatho non licet. Hyems quoque ad ambulandum, impedimentum eſt, quia greſſus ambulantium torpor frigoris adſtringit. Ait ergo, orate ne fiat fuga veſtra hyeme, vel ſabbatho; ac ſi apertè dicat: videte, ne tunc quæratis peccata veſtra fugere, quando jam non licet ambulare. Illud ergo tempus, quo fugere non licet, modò debet cogitari, dum licet. Illa hora noſtri exitûs, eſt ſemper intuenda; iſta Redemptoris noſtri admonitio, ante mentis oculos ſemper ponenda, qui ait: Vigilate itaq;, quia neſcitis diem neq; horam.

XII.

S. Chryſoſt. ad Corinth. 2. c. 18. hom. 22. in morali.

Nec tranſeundus eſt nobis in præſenti materia Conſtantinopolitanus præſul, aurei ſermonis Eccleſiaſtes, prodigium eloquentiæ, Divus ajo Chryſoſtomus; qui ſicut ex cathedra graviſſimè ſemper ſuaſit celerem improbis mortalibus pœnitentiam, ita nunquam non diſſuaſit tardam ad meliora converſionem: velut certi periculi occaſionem, & proximum ad ruinam gradum. Sed ex propria viri ſanctiſſimi penu, ejuſdem tibi verba, mentemque propino, totidem quot ſequuntur ratiocinationibus. *Virtutem arctiſſimè complectere. Sic enim, ſive juvenis hinc abſcedas, tutò abſcedes; duplicemq; lætitiam ac feſtivitatem, per omnem vitam habebis, nimirum & à vitio abſtinens, & virtutem amplexans. Cave dixeris: erit tempus cùm ad meliorem frugem revertendum erit; hæc enim verba Deum, majorem in modum ad iracundiam concitant. Quid tandem eſt, quod cùm ille infinita tibi ſecula pollicitus ſit; tu contra in præſenti hac vita, quæ brevis ac fluxa eſt, nullum laborem ſuſcipere velis, verùm ita diſſolutus & ignavus ſis, vt etiam hanc ipſam breviorem requiras? Deo gratias age, quod te inter media peccata haud quaquam abripuit; ne alterum quoque tempus tibi ad flagitiosè vivendum, præfiniri poſtules. Multi dum alios per avaritiam circumſcriberent, hinc abrepti ſunt, atque ad perſpicuas, certaſq; pœnas abſceſſerunt. Ne idem tibi accidat, time.*

Summa improbi hominis eſt ingratitudo, nolentis Deo brevē, totamq; vitā dare in ſervitium, pro infinitis gaudiorum ſæculis ab eo promiſſis.

XIII.

Sed quoniam humana impietas, plerumque vulpium induit aſtutiam, & cùm ſolidis rationum momentis ſtringitur, malitioſa quærit effugia; hinc magnus animarum Venator Chryſoſtomus, viam obſtruit tacitæ, & ferè primariæ illorum objectioni, quorum vita omnis inter ſcelera conſeneſcit, tranſmiſſâ ad mortem pœnitentiâ; iterum tibi ejus ſententiam exhibeo. *At inquis, multis DEVS in extrema quoque ſenectute, peccata ſua confitendi ſpatium*

Solatium quorundā

con-

Digitized by Google

conceſſit. quid tum? an tibi quoque concedet? concedet fortaſſe, inquis. quid ais fortaſſe, & interdum, & ſæpe? In mentem tibi veniat, te de anima tua conſilium inire. Contrarium etiam pone, tecumq; ita reputa, ac dic; quid autem ſi non conceſſerit? Tu contra; quid autem ſi conceſſerit? Veruntamen hoc illo tutius eſt & vtilius. Etenim ſi jam probè vivere incipias, ſive certum vitæ ſpatium acceperis, ſive non, omnia lucratus eris. Si autem moras quotidie nectas, ob eam ipſam perſæpe cauſam, minimè accipies. ſceleratorum, fundatur in vno FORTASSE.

Pergit vrgere impium Sanctus Pontifex, atque idoneis ſimilitudinibus id convincit, nemini hominum prudenter licére eſſe moroſo in moribus emendandis, ſub mantelo reſipiſcentiæ, & ſeriç pœnitudinis olim ſuſcipiendæ. *Enimverò, ait ille, cùm aut ad bellum proficiſceris, non dicis, minimè neceſſe eſt teſtamentum condere; fortaſſe revertar. Nec cùm de ineundo matrimonio conſultas, dicis; Vxorem egentem accipiam, multi enim præter opinionem ad opes ita pervenerunt. Nec cùm domum extruere paras; infirma fundamenta jaciam, permultæ enim ædes, ſic etiam conſtiterunt. At verò cùm de anima conſilium inis, imbecillioribus niteris; nimirum illud FORTASSE & INCERTVM ponens, incertiſque eventibus te ipſum committis. Non incertis inquis, eventibus, ſed DEI benignitati. benignus enim ac clemens eſt DEVS. Id quidem ipſum quóque compertum habeo; ſed tamen benignus hic, illos etiam quos dixi, de medio ſuſtulit.* XIV. Excutitur hoc incertum FORTASSE; cujus cauſâ, periclitari non debet anima.

Denique Sanctus Chryſoſtomus hominem impium, qui frigidè nimis ad frigidam ſenectutem, pœnitentiæ ſuæ reijcit conſilia, hoc argumento tundit, fabricato velut ex longa vitiorum conſuetudine, malleo. *Quid verò, ſi accepto longiore vitæ ſpatio, idem ipſe, tuíque ſimilis maneas? nam qui ejuſmodi eſt, in ſenectute quoque ignarus & ſocors erit. Is enim qui hæc cogitat, etiam poſt octoginta annos, nonaginta requirit; & poſt nonaginta, centum; & exactis centum annis, ſegnior adhuc erit; atque ita tota vita in caſſum abſumetur. tibíque etiam id accidet, quod de Judæis dictum eſt: defecerunt in vanitate dies eorum. Atque vtinam in vanitate duntaxat, non etiam in perniciem. Cùm enim illuc abierimus, gravem peccatorum ſarcinam geſtantes; alimentum igni, ingentemq; vermi menſam deferemus. Quamobrem rogo atque obſecro, vt tandem aliquando fortiter ſtemus, noſq; à vitio removeamus.* Hactenus Conſtantinopolitanus Patriarcha, ad emollienda ferrea peccatorum corda in celerem pœnitentiam, inſignis & malleator & diſputator. XV. Differentibus reſipiſcentiam ſuam, nullùs placet terminus. Pſal. 77.

Neque

XVI.

S. Hieronymus ſẽper pugno cõtra ſe ipſũ armatus, etiam proſcraſtinatores pœnitentiæ ſtuduit expugnare.

Neque inferior hoc Viro eſſe videtur S. Hieronymus, cujus dextera ſemper armata ſaxo pingitur: credo, ut non tam ſuum pectus everberet ad DEI obſequium, quàm gravium animos peccatorum; hos certè ſibi pro incude ſemper habuit. vſus vice mallei divinarum pondere ſcripturarum, & adhortationis ſuæ vibrantiſſimis ſententijs, ſi quid extunderet melioris denique affectûs, & reſipiſcentiæ; quodque miriſſimum eſt, etiam morti jam proximus Hieronymus, ab hoc pio labore non ceſſavit. Nam, ut Euſebius, ejus diſcipulus meminit in quadam epiſtola; cùm vir hic nonaginta ſex annos natus, intelligeret denaſci oportere, neq; mortem multis paſſibus abeſſe; voluit à circumſtantibus corpuſculum ſuum, macie confectum, abſtinentijs ſqualidum, verberibus quoque cruentatum, & horrido ſacco veſtitum, in nuda humo collocari. Inde egregius Orator, non ſtans neque ſedens, ſed jacens, cœpit apud ſuos agere de rebus magnis, hoc eſt, ſalutem concernentibus. Et quoniam certiſſimus fuit, plurimos mortalium in tardata pœnitentia, tum facere naufragium, cùm iam in littore ſunt, atq; excenſu ad æternitatem; huic malo occurſurus D. Hieronymus, impiorum noxiam perſuaſionem, & proponit, & confutat in hunc modũ. *Fortè dicet quis; benignus eſt Dominus & miſericors, qui omnem peccatorem ad ſe redeuntem recipit & indulget. Verum quidem hoc eſſe confiteor. benignior eſt enim Dominus, quàm creditur, & vnicuiq; parcit, ad ſe (vt condecet) redeunti. Nonné benigniſſimus Dominus, qui tantas tolerat injurias à peccatoribus, dans eis temporis ſpatium, vt emendentur? Sed hoc noveris, quia ſicut benignus eſt in tolerando, ita juſtus eſt in puniendo. Sed fortè quis iterum dicet. Vir qui toto tempore, quo vixit, malè fecit, in mortis articulo acceptâ pœnitentiâ, à DEO veniam obtinebit.*

Et quidem jam morti proximus.

Euſebius in Epiſt. ad Damas Epiſcop. de morte Hieron. inter opera S. Hieron. Tom. 9.

Benignitas Dei nõ debet eſſe fulcrũ obſtinato peccatori.

XVII.

Ex mente S. Hieron. vix de centum millibus, quorũ ſemper vita fuit mala, vnus cõvertitur.

Hîc autem, rogo te, ſanctiſſimi Patris reſponſum, & vltimam ejus, ac velut teſtamento legatam impijs doctrinam accipe, totoque ſinu reconde. ſic enim parturientis inſtar, cum magno doloris ſenſu exclamat. *Heu! quàm vana ſuſpicio, & falſa meditatio! vix de centum millibus hominum, quorum mala ſemper fuit vita, meretur habere à DEO indulgentiam vnus. Vir totus in peccatis genitus & enutritus, qui nec DEUM vidit, nec agnovit, nec de eo audire voluit, nec ſe peccaſſe cognoſcit, nec quid pœnitentia ſit, niſi fortè dormiendo novit, totus adhuc ſæcularibus negotijs innodatus, quem anguſtia premit filiorum, quos deſerit; quem infirmitas conterit, quem dolor divitiarum, & temporalium bonorum concutit, cùm eis non poſſe frui ampliùs ſe cernit; quàm acceptam DEO accipit pœnitentiam? quam non acciperet, ſi adhuc ſe poſſe*

Capita varia, ex quibus diu

ſanari

Digitized by Google

ſanari crederet. Quæ dilectiſſimi filij, eſt pœnitentia, quam ſolùm quis accipit, quia ſe vivere non poſſe ampliùs cernit; qui ſi ex infirmitate convaleſceret, pejor quàm prius fieret? ſcio non modicos pecunioſorum acceptâ in mortis articulo pœnitentiâ, convaluiſſe corpore, & pejoràſſe vitam. Denique in propoſito argumento, ſenſum ſuum omnem, judiciumque; jam moriturus Hieronymus, huic brevi periodo incluſit. *Hoc teneo, hoc verum puto, hoc multiplici experientiâ didici, quòd ei non bonus eſt finis, cui mala ſemper fuit vita; qui peccare non timuit, ſed in mundi vanitatibus ſemper vixit.*

impiorum mortalium converſio, impeditur in morte.

Quàm verò etiam D. Auguſtinus, Africanæ Eccleſiæ jubar, in eadem materia prioribus conſentiat Patribus, multa ejus oſtendunt teſtimonia. Ego pauca ſeligam, ſed quæ moroſum in pœnitentia cunctatorem, poſſint ad curſum incitare, & calcaria tardanti ſubijcere. *Nemo ſe* (Auguſtini vox eſt) *ad illud tempus reſervet, & tum pœnitentiam tenere contendat, quando cœperit de hac luce migrare; non ſe ad hoc reſervet, quia neſcit, quid ſuperventura pariat dies. Quâ fronte ſalutem ſuam tempore ſenectutis diſſimulat, cùm vnius diei ſpatio certus eſſe non poſſit? Et ideo ſi mortem timere nolumus, ſemper parati eſſe debemus, vt cùm nos Dominus de hoc ſæculo juſſerit vocari, cum ſecura conſcientia, non cum deſperatione, ſed cum gaudio ante conſpectum Judicis veniamus, & ibi feliciter audire poſſimus: Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* XVIII.

S. Auguſt. de temp. ſerm. 44.

Non reijcienda eſt in futurum pœnitẽtia, quia neſcimus quid ſuperventura pariet dies.

Matth. 25.

Et quoniam profligatiſſimi quiq; mortalium, ſpondent ſibi & reſipiſcentiæ ſuæ, quod incertiſſimum eſt futurum Cras, & prolixioris vitæ tempus; idcirco rurſus arietem movet ſanctiſſimus Præſul, adverſus tam mendacem fiduciam, & ſoli ſubnixam inſaniæ, cùm ait. *Manſuetus Dominus, longanimis Dominus, miſericors Dominus; ſed & Juſtus Dominus, & verax Dominus largitur tibi ſpatium correctionis; ſed tu plus amas dilationem, quàm emendationem. Malus fuiſti heri, hodie bonus eſto; & hodiernum diem in malitia peregiſti, vel cras mutare. Semper expectas, & de miſericordia* DEI *tibi plurimùm polliceberis: quaſi ille, qui tibi per patientiam promiſit indulgentiam, promiſerit tibi etiam prolixiorem vitam? Vnde ſcis, quid pariat craſtinus dies? Rectè dicis in corde tuo; quando me correxero,* DEVS *mihi omnia peccata dimittet. Negare non poſſumus, quòd correctis atq; converſis indulgentiam* DEVS *promiſit. Sed in quo Propheta mihi legis, quia promiſit tibi* DEVS *longam vitam.* XIX.

D. Aug in Evang. S. Ioan. tr. 33.

Malè agunt improbi, qui plus amant dilationem, quàm emendationem.

Mox oſtendit S. Auguſtinus, quoſdam hominum peccare exceſſu, quoſdam defectu; alios perire vitio nimiæ ſpei, alios culpâ XX.

Digitized by Google

deſperationis. Sic enim philoſophatur. *Ex vtroq; homines periclitantur, & ſperando & deſperando, contrarijs rebus, contrarijs affectionibus. Sperando qui decipitur? qui dicit: bonus eſt* DEVS; *faciam quod mihi placet, quod libet; laxem habenas cupiditatibus meis, impleam deſideria animæ meæ. Quare hoc? quia miſericors eſt* DEVS, *bonus eſt* DEVS, *manſuetus eſt* DEVS. *Spe iſti periclitantur. Deſperatione autem, qui cùm inciderint in gravia peccata, putantes ſibi non poſſe jam ignoſci pœnitentibus, & ſtatuentes ſe ad damnationem ſine dubio deſtinatos, dicunt apud ſemetipſos: jam damnandi ſumus. quare non quod volumus, facimus? animo gladiatorum ferro deſtinatorum. Iſtos deſperatio necat, ſpes illos: inter ſpem & deſperationem fluctuat animus. Metuendum eſt, ne te occidat ſpes, & cùm multum ſperas de miſericordia, incidas in judicium. Metuendum eſt rurſus, ne te occidat deſperatio, & cùm putas iam tibi non ignoſci, quæ gravia commiſiſti; non agas pœnitentiam, & incurras in judicem ſapientiam, quæ dicit: Et ego veſtræ perditioni ſuper ridebo. Quid ergo agit Dominus cum periclitantibus vtroq; morbo? illis qui ſpe periclitantur, hoc dicit: ne tardes converti ad Dominum, neq; differas de die in diem; ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Illis qui deſperatione periclitantur, quid dicit? In quacunq; die iniquus converſus fuerit, omnes iniquitates ejus obliviſcar. Propter illos ergo, qui deſperatione periclitantur, propoſuit indulgentiæ portum. Propter illos, qui ſpe periclitantur, & dilationibus illuduntur, facit diem mortis incertum quando venerit vltimus dies, neſcis.*

Aliqui hominum ſceleratorum peccant exceſſu ſpei, aliqui defectu.

Prov. 1.

Remediũ vtriſq; poſuit DEVS in ſcriptura.

XXI. Quàm igitur & ſtultè, & periculosè agant impij, quotquot ſuum dolere ac pœnitere ſuper gravibus peccatis, committunt in dubium futurũ; porrò in hunc modum declarat ſapientiſſimus Auguſtinus. *Fortè dicis tibi: promiſit mihi* DEVS *indulgentiam, quando me correxero, ſecurus ſum; lego divinam Scripturam: iniquus in qua die converſus fuerit ab iniquitatibus ſuis, & fecerit Juſtitiam, omnes iniquitates ejus obliviſcar. Securus ſum, quando me correxero, dat mihi* DEVS *indulgentiam de malis meis. Et quid dicturus ſum? contra dominum exclamaturus? Dicturus ſum* DEO, *noli illi dare indulgentiam? dicturus ſum hoc ſcriptum non eſſe? hoc* DEVM *non promiſiſſe? Si iſta dixero, omnia falſa dico. Bene dicis, verum dicis, indulgentiam correctioni tuæ promiſit* DEVS, *negare non poſſum. Sed dic mihi, rogo te. ecce ego conſentio, & concedo, & cognoſco, quia indulgentiam* DEVS *promiſit tibi. Craſtinum autem diem, quis promiſit tibi? vbi mihi legis indulgentiam te accepturum, ſi te correxeris, lege ibi mihi, quantùm victurus ſis? Non lego inquis. neſcis ergo quantùm victurus ſis? eſto correctus, & ſemper paratus. noli timere diem vltimum*

S. Aug. ſer. 16. de Verbis Domini.

Ezech. 18.

DEVS indulgentiã promiſit, pœnitentiã olim acturis: ſed tẽpus agendi

tan-

tanquam furem, qui dormienti effodiat parietem; ſed vigila, & corrige te hodie. Quid differs in craſtinum? Longa vita erit? ipſa longa, bona ſit. Prandium longum & bonum nemo differt; & vitam malam, longam vis habere? vtiq; ſi longa erit, melius bona erit; ſi brevis erit, bene factum eſt, vt bona produceretur. pœnitentiam, non promiſit.

Deniq; quantum illuminatiſſimus Patrum Auguſtinus, dubiũ ponat, in eorum ſub mortem pœnitentia, qui illuc vltimũ ſuæ pietatis conatum transtulerunt, & ineundam cum DEO reconciliandi animi rationem: eundem Doctorem audiant, & contremiſcant. felices omnino, ſi ad ejuſdem ipſius cenſuram, & ſeveræ ſententiæ calculũ, non tantũ contriſtentur, ſed contriſtentur ad celerem reſipiſcentiam, totiuſq; vitæ ſeriam emendationẽ. Verba ſanctiſſimi Doctoris profero; non iis abſimilia, quæ in ſimili materia apud D. Ambroſiũ conſcripta reperiuntur. & ſic habent. *Agens pœnitentiam, & reconciliatus cùm ſanus eſt; & poſtea bene vivens, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Vnde ſecurus ſum dico, & do ſecuritatem; vnde non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Debeo illud planiùs exponere. Numquid dico damnabitur? non dico. ſed dico etiam liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? neſcio. non præſumo, non promitto, neſcio. Vis te dubio liberare? Vis quod incertum eſt evadere? Age pœnitentiam dum ſanus es, quando peccare potuiſti. Si vis autem agere pœnitentiam ipſam tunc, quando peccare non potes: peccata te dimiſerunt, non tu illa. Sed vnde ſcis, inquis, ne fortè DEVS dimittat mihi? Verum dicis, vnde neſcio. Illud ſcio, hoc neſcio; nam ideo do tibi pœnitentiam, quia neſcio. nam ſi ſcirem nihil tibi prodeſſe, non tibi darem. Item ſi ſcirem tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res ſunt. aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur. quid horum tibi futurum ſit neſcio. ERGO TENE CERTVM, DIMITTE INCERTVM.*

XXII.

S. Aug. in l. 50. homil. hom. 41.

Pœnitẽtia improbi ſub mortẽ, dubiam facit ſalutẽ, non certã.

Optima regula in præſenti materia; *tene certum, dimitte incertum.*

Habes hîc mi lector, Iudicia antiquorum Patrum; ex proprijs eorum verbis colligimus, quàm ſemper improbaverint dilationem pœnitentiæ in ſerum. quot in hac re, ſana tibi dogmata reliquerunt, tot veſtigia propoſuerunt, ſequenda ad cœlum tuto itinere. Tu ſi ex tam ſancta Patrum ſanctiſſimorum poſteritate, voles eſſe non filius degener, ſed obſervans doctrinæ à Majoribus in Eccleſia traditæ, compendio ſalutis hoc vtêris: vt cùm in graves noxas lapſus fueris, confeſtim à caſu reſurgas, per pium animi affectum, iam deteſtantis ea, quæ malè nuper admiſit. Equus generoſus, ſi in via ceſpitaverit, extemplò aſſurgit, & diſpendium

XXIII.

Homo poſt lapſum in grave peccatum, citò debet reſurgere.

 tardi-

Digitized by Google

tarditatis novâ celeritate compenſat. Si turpe eſt cecidiſſe, turpiſſimum erit in caſu hærere. labi aliquando in peccatum enormius, humanam infirmitatem arguit; nolle ſe in pedes erigere poſt lapſum, & reſipiſcere pœnitendo, ſignum eſt hominis jam diabolo mancipati, in duram ſervitutem.

XXIV. Veteri lege præceptum erat, vt puer Hebræus, qui in ſervitutem devenerat, ſeptimo anno in libertatem rediret. Quam conſuetudinem Origenes ita ad mores interpretatus eſt *Si Christianus es, & in peccatum decidiſti, ſufficiat tibi ſex annorum ſervitus, in ſeptimo ne ſervias, ſed feſtina ad libertatem tuam. Septenarius numerus legem ſignificat mandatorum. Senarius mundi tenet figuram. donec ergo quæ mundi ſunt ſapis, neceſſe eſt te ſervire peccato: cùm verò ad legis ſcientiam deveneris, tunc require libertatem tuam, & redi ad nobilitatem paternam.* Sententia, menſq; Origenis hæc eſt: quamdiu extra veram Chriſti legem, fidē, Eccleſiam, homo inter hæreſes aberrat, aut gentium ſuperſtitiones; quaſi ſex annis mancipium eſt mundi & ſcelerum, ipſiuſq; ſathanæ. Cùm primùm verò, in orthodoxa Chriſti Eccleſia, Chriſtianis accenſetur fidelibus, jam velut ſeptimo anno ad libertatem mittitur filiorum DEI; vt graviſſimo ſe probro adſtringat, ſi primam, turpemq; vitiorum ſervitutem, repetere velit. Cæterùm quia hæc eſt humanæ fragilitatis infelicitas, vt etiam paſſim, qui Chriſtiano nomine ac Catholico appellantur, gratiâ tenuis lucelli, aut vmbratilis gloriæ, aut pereuntis voluptatulæ, ſe iterum peccato, & ejus parenti Lucifero, in ſervos mancipent; ideo hoc ſaltem vrgent Patres conſenſu vnanimi, vt ſtatim iterum per ſerium pœnitentiæ conatum, laborent de manumiſſione; nullius quaſi moræ interjecto ſpatio.

Origenes hom. 19. in c. 9. Ioſ. t. 9.

Servi Hebræorum, ſeptimo anno ibant ad libertatem.

Peccator ſtatim poſt flagitium, laborare debet de manu miſſione.

XXV. Sed proh dolor! hîc multi ſequimur Pharaonem Ægyptium: ex obſtinantis animi nota, & hoc orbe celebrem, & altero miſerum. Hujus vt faſtum comprimeret DEVS, ranas toto regno numeroſiſsimè diſperſit, beſtias quidem parvulas, nec armatas ad faciendum vulnus; ſed tamen deformitate ſuâ graves, aſſiduâ coaxatione moleſtas, ſanie & tabo fœdas; quin etiam ollis, lancibus, ſedibus, menſis, apothecis, pennuarijs, cubiculis, lectis, domibus, hominibus quoq; infeſtas; imò (vt Pererius opinatur) noxias etiam & venenatas. Quia igitur neque populus, neque Rex ferendo erat ampliùs malo, expugnatâ jam per ranas vtriuſque partis, ſive patientiâ animi, ſive fortitudine; hæc Pharao à Moyſe & Aaron, geminis fratribus poſtulavit. *Orate Dominum,*

Exod. 8. 9. 9. & 10.

minum, vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum, vt ſacrificet Domino. Cui Moyſes: *conſtitue mihi tempus, quando deprecer pro te, & pro ſervis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à ſervis tuis, & à populo tuo, & tantùm in flumine remaneant. Qui reſpondit: Cras.* Stupidæ mentis hoc verbum fuit, præſenti atque intolerabili ranarum affligentium incommodo, non petere medicinam præſentem; differre etiam in craſtinum, quando hodie ad manus erat.

Sed aliqui ſimiles Regi Pharaoni, differũt in craſtinũ.

XXVI. Et vide, an non cum Pharaone illi quoque delirent inter Chriſtianos, qui obſepti vndique ſcelerum turpitudine, putore flagitiorum, morſicantis conſcientiæ perpetuis clamoribus; remedia tamen trahunt, neque excutiunt ſtatim ſarcinas animæ, neque ejus vulnera curant. Inculcat David celerem ad DEVM converſionem, & clamat in vtramque improbis auriculam: *Hodie, hodie, ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* loquitur etiam hodie bonus Deus, ad mala malorum hominum corda, ſermocinatione arcanâ; & liberaturus eos ab infami peccatorum ſuorum mole, ſuadet imperatque, vt *hodie* pœnitentem facinorum, dolentemque animum induant. Sed nempe Pharaones ſumus, & pro adverbio *hodie*, *cras* ſupponimus; *cras* volentes reſipiſcere, cùm *hodie* poſſemus, niſi voluntas hodie ſuſpenderet facultatem. Ita non pauci, cùm admonentur de reſipiſcendi neceſſitate, ſacra ſibi tempora præfigunt, vel Chriſti naſcentis, vel patientis, vel reſurgentis. Deinde vbi ſtati illuxerunt dies, cauſati negotia, reijciunt vlteriùs ſuſceptas pœnitentiæ curas: & qu[illegible]ſemper aut habent, aut ſibi fingunt negotioſa impedimenta, itu[illegible] ad morbos, ad ſenium, & ſenio proximam mortem.

Pſ. 94. 8.

Cùm tamẽ David Rex, HODIE præfigat converſioni impiorum.

XXVII. Denique id ſecum fieri tum experiuntur, quod de echino memorant, difficilem ſcilicet habere partum, ſi longiùs differtur; quòd in catulis creſcant aculei, matrem lancinaturi, cùm fœtum tardè effundit. Sic miſeri illi, qui cunctantur ſemper cum partu pœnitentiæ, vſque ad imminentia fata; augentibus interea continuò, atque excreſcentibus conſcientiæ ſpinis, difficillimè ſimul, & periculoſiſſimè enituntur morientes; vt cum his non rarò illud verum habeat prophetæ dictum: *venerunt vſq, ad partum, & virtus non eſt pariendi*; tum quia ſæpe inveterata ſcelerum conſuetudo minuit reſiliendi promptitudinem; tum quia dolorum magnitudo ſæpe niſum impedit mentis; tum quia in ipſo ſæpe lento, languidoque conatu, ſenſus & ratio deſtituit molientem. Ita fit, vt anima impij,

Dilatores pœnitentię ſuæ, plerũque *veniũt vſq, ad partum* (ſeu bona propoſita) ſed poſtea (*non eſt virtus pariendi*) ſeu bona propoſita exequendi.

Iſai. 37. 3.

pij, ſe ipſum lactantis ſpe futuræ olim reſipiſcentiæ, & quaſi CRAS pariturí ſpiritum ſalutis, etiam HODIE illud ſibi lugubre debeat occinere: *Ego ſterilis & non pariens, transmigrata & captiva.* Verè anima *ſterilis*, quæ ſemper parturivit, & nunquam ante mortem ſincerum ſuper peccatis dolorem peperit. Verè anima *transmigrata*, quæ jam extra corpuſculum ſuum poſita, mutavit alterum orbem cum iſto, ingreſſa ex tempore æternitatem. Verè anima *captiva*; quæ trahens longorum annorum concatenata flagitia, ad inferorum perpetuos carceres detruſa eſt.

Iſa. 49. 21.

Anima procraſtinantis diu emẽdationem, ſæpe fit *ſterilis, transmigrata & captiva.*

XXVIII.

Evigilate igitur ô mali! dum adhuc ſomnum habetis in veſtra poteſtate; ſomnum quidem ſuavem præſentium voluptatum; ſed ſi advertatis, etiam oppidò noxium, & præſenti ſalutis periculo conjunctum. Nemo hîc mihi, aut ſibi obtrudat, verba illa lenta & ſomnolenta, qualia loquuntur expergefacti: *modò, ecce modò, ſine paululùm.* Conatus iſti frigidè expergiſci volentium, ad meliora vitæ conſilia, plerumque nihil virium habent; & quemadmodum Auguſtinus in ſe ipſo didicit, cùm adhuc carnis ſuæ mancipium eſſet: *modò & modò, non habebant modum, & ſine paululùm, in longum ibant.* Donec tandem cum violentia altum ſoporem excuſſit, animo ſuo tam feliciter expedito à Venere, quàm ab hæreſi Manichæa. Profuit illi superventuræ mortis fuiſſe memorem, ejuſque ſaluberrimo metu ad Catholicam veritatem, virtutemq; Chriſtianam, non tam aſpirâſſe, quàm acceſſiſſe. Deliberationis modum, quem ſecum tenuit, advocato toto mentis, conſiliorumque ſenatu, ipſe D. Auguſtinus ſic ſcribit. *Quando reparamus nos ipſos, animum relaxando ab intentione curarum? pereant omnia, & dimittamus hæc vana & inania; conferamus nos ad ſolam inquiſitionem Veritatis. Vita hæc miſera eſt, mors incerta, ſi ſubitò obrepat, quomodo hinc exibimus? & vbi nobis diſcenda ſunt, quæ hîc neglemus? an non potiùs hujus negligentiæ ſupplicia luenda ſunt? quid ſi mors ipſa omnem curam cum ſenſu amputabit, & finietur? Ergo & hoc quærendum.*

Verba illa volentiũ quondam pœnitere *modò, ecce modò, non habent modum; & ſine paululum, in longum it.*

S. Auguſt. lib. 8. Confeſſ. c. 11. Et l. 6. confeſſ. cap. 11.

XXIX.

Eſt etiam hæc vtiliſſima hodie quæſtio, quam ſibi ipſis proponere debent ſalutis ſuæ negligentes homines, emendationis procraſtinatores, oſores pœnitentiæ. Dic mi anime, cujus deſiderijs hæc terra nimis anguſta eſt; quid ſi mors vota tua, & inanium rerum inaniſſimas curas, quo minimè putabis momento, amputaverit? quid ſi mors repente, atque incautos nos occupaverit? quomodo hinc exibimus? & vbi nobis reparanda ſunt, quæ turpi otio dilapidavimus tempora? vbi compenſanda virtutum opera, qui-

Deliberatio ſalubris, circa ac-

ra, quibus nihil adhibuimus operis, nihil ſtudij? tantæ negligentiæ nunquid pœnas dabimus? Ergo pereant omnia alia, & dimittamus vana cupiditatum humanarum; ſolliciti maximè de cœlo, & quæ illuc ducit, accelerandа converſione. ſæpe hîc obfuit, ſegnem & faſtidioſum fuiſſe cunctatorem. quiſquis moritur ante actam legitimè pœnitentiam, ſibi ipſi præcludit aditum ad Numinis clementiam; ſemper totâ æternitate excluſiſſimus è beatitudinis domicilio.

celerandã vitę emendationem.

XXX.

Ferunt Alexandrum Macedonem, & à factis ſuis Magnum; cùm primùm hoſtilem vrbem obſidione cinxiſſet, facem accendere conſueviſſe, & publicâ præconis voce denunciare; dum fax arderet, adhuc patere gratiam civibus, ſi poteſtati Victoris ſe commiſerint. eâ extinctâ, ſpem nullam ſalutis ſupereſſe; proinde & in rem ſuam, ſuorumque maturarent conſilia opportuna. Statuit quoque DEVS miſericordiæ ſuæ terminum, vitam præſentem; quamdiu hæc fax arſerit, clementem erga impios animum gerit divina bonitas; vult parcere, vult errata ignoſcere; ſi eadem, qui peccando erravit, vult cognoſcere tanquam Numini graviter injuria; nec tantùm cognoſcere, ſed & deprecari, & confiteri, & deteſtari, & execrari; denique & factis animæ ſuæ vulneribus, cataplaſma pœnitentiæ ac ſatisfactionis apponere. Cæterùm, ſi vita hæc ſemel per mortis flatum extincta fuerit, jam nullus reſtat veniæ, ac placandi Numinis locus. quidquid eò vſque diſſimulatum fuit ab impio, reſarciri nunquam poteſt ampliùs. Atque hæc vna eſt ex primis rationibus, cur judicio ſanctorum Patrum, nemo poſt patrata diu ſcelera, morum emendationem, ipſamque reſipiſcentiam protrahere debeat in longum; ne morte inopinatâ præventus, jam nullum inveniat ſpatium, redeundi cum offenſo Deo in gratiam. Vnus hîc error, facit à toto cœlo aberrare cunctantes.

Ineunda, & feriò exequenda eſt, dum licet.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS V.

IVDICIVM SANCTORVM QVONDAM IN TERRIS PŒNITENTIVM,

Super ijs mortalibus, Quibus nulla eſt ſeria voluntas, deſerendi lethalia peccata, ante MORTIS vicinæ ſuſpicionem.

I. *Prov. 4. v. 25. & 26.*

Quomodo palpebræ debeant hominis greſſus præcedere?

Beda hic.

S. Greg. 3. p. paſtor. admonit. 16. in fine.

SApientis monitum eſt, ad ſingulos mortalium: *oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos, dirige ſemitam pedibus.* Quæ verba tametſi ſecundùm litteram jubeant corporis oculos, viam pedibus monſtrare, necubi offendant vel errent. nihilominus eadem ſenſu analogico, paſſim accipiuntur de oculo interiori bonæ mentis, ſani conſilij, rectæ rationis. Bedam audi in hunc Salomonis locum. *palpebræ præcedant greſſus tuos, id eſt* inquit; *Iter juſtitiæ, quo ingredi debeas, diligenter ediſce; & in cunctis, quæ agere diſponis, ſolicitus ad quem ſint ventura finem, prævide.* Copioſiùs rem ita declarat S. Gregorius; *palpebræ greſſus præcedunt, cùm operationem noſtram, conſilia recta præveniunt; qui enim negligit conſiderando prævidere quod facit, greſſus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit, ſed prævidendo ſibimetipſi non antecedit: atq; idcirco citiùs corruit; quia quò pedem operis ponere debeat, per palpebram conſilij non attendit.*

II. Lumen rectæ rationis, ſequi debet Chriſtianus ad beatitudinem inveniendam.

Neque aliud dicit Sapiens, cùm addit: *dirige ſemitam pedibus tuis.* nam metaphorâ à ſtratoribus viarum ſumptâ, qui in pavimentis moliendis, rectitudinem angulorum perpendiculo explorant; ſignificat ſtructuram virtutum in animæ fabrica, optimè ſurrecturam, ſi examinetur ad perpendiculum rationis, prudentiæ, voluntatis, legiſque divinæ. His, quia olim artibus, vti aſſueverunt Sancti in terris, pulcherrimâ ſemitâ ad virtutis perfectionem graſſati ſunt,

Digitized by Google

ſunt, nobiſque vt ſequeremur, facem præluxerunt. Sic iterum Regum ſapientiſſimus fatetur: *Juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit; & creſcit vſq; ad perfectam diem.* Senſus eſt; vitam, ſanctamque converſationem piorum hominum, eſſe inſtar Luciferi vel auroræ, mundum illuminantis. Sicut enim lux auroræ, ſenſim creſcit vſq; ad perfectum diem, ſive meridiem; in qua diſcuſſis vndiq; tenebris, toto hemiſphærio ſol aureus, & ſplendidiſſimus nitet; ſic pariter Iuſtorum ſanctitas, & ſanctorum juſtitia in terris, augmentum amplius & amplius capit: donec tandem diſsipatâ omnis ignorantiæ, erroris, concupiſcentiæ, tentationum caligine, ipſa pura, plenaque refulgeat Virtutum perfectio, in cœlis.

Prov.4.18.

Fecerunt Sancti; qui etiam nobis exemplo ſuo prælucent.

III.

Interim Iuſtorum ſemita, tanquam lux ſplendens, & veluti quotidie in ſolem excreſcens aurora, nobis quoque viam oſtendit, quâ ſit ad beatitudinem eundum: quibus animæ pedibus, quibus cordis affectibus, quibus vitæ operibus. Davidis cum DEO ſuo, hæc eſt ſermocinatio. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox; in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſilvæ; catuli leonum rugientes, vt rapiant & quærant eſcam ſibi. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſq; ad Veſperum.* Nempe, quemadmodum mos habet ferarum, ut noctu maximè ſuis egreſſæ latebris, venentur in campis oberrantem prædam: cùm primùm verò auroræ radijs feriuntur, iterum ſe in ſilvas recipiant, nocturnas vigilias cum quiete diurna compenſaturæ; ita planè alio homines ſunt ingenio: & poſtquam inter amica noctis ſilentia, laſſum corpuſculum dormiendo refecerunt, ſtatim ad ſolis ortum excitati, repetunt intermiſſos labores, trahuntque ad proximam diei clauſulam, veſperum.

Horum veſtigijs inſiſtere debemus vniverſi.

Pſal.103. à V.20.

IV.

Quoniam igitur jam dudum, Sanctorum ſemita nobis facta eſt aurora; neceſſe eſt, vt quiſq; *exeat ad opus ſuum, & ad operationem ſuam, vſq; ad veſperum*; illum inquam Veſperum, qui eſt vitæ noſtræ occaſus; ad hunc uſq;, operari debemus opus noſtrum, ſalutem ajo æternam; cujus maximè gratiâ à DEO ſumus conditi, atque in hunc orbem collocati. Porrò vt ſalutem omnes conſequamur, optimum fuerit compendium, inſiſtere duobus præſertim veſtigijs Sanctorum: quorum alterum eſt, vehementiſsimus Numinis Amor; alterum, graviſsimum peccati lethalis Odium. Ita enim æſtimabant, quos olim ſanctitas ſua, divinæ gratiæ innixa, fecit DEO gratos; eum ipſum tam eximium eſſe bonum, ut nullâ vnquam ſceleris injuriâ, ab hominibus afficiendus ſit; tantum etiam, tamq; deteſtabile malū

Vnum Sanctorum veſtigium eſt, Numinis Amor.

Alterum, peccati mortalis odium.

 eſſe,

eſſe, quodvis mortiferum peccatum, vt ejus ſe reum facere; nullus omnino debeat mortaliũ; aut ſi quis fœdiſſimâ hac animam maculâ contaminâſſet, continuò per pœnitentiæ balneum, eſſe eluendam.

V.

Ribad. in Vita S. Thomæ 7. Apr.

Proprium teſtimoniũ S. Thomæ Aquinatis, de odio ſuo erga mortiferam culpam.

Surius in Vita S. Ludovici Regis 25. Auguſt.

Aliud Blancæ, Reginæ Galliarũ.

Atq; vt ſciamus penitius, quanto Sancti odio ſemper gravem noxam ſint proſecuti, pauculos in exemplum adduco. Itaque S. Thomas de Aquino, Doctor ille Angelicus, qui bene de Chriſto, ejuſdem etiam teſtimonio ſcripſerat; non ſemel mirabatur, poſſe hominem letiferi ſibi criminis conſcium, aut in hilaritatem vnquam, aut in riſum ſolvi. nempe ſicut muſica in luctu importuna eſt apud eum, qui jam vinculis & carceri adſtrictus, mortis ſententiam accepit à judice, neq; aliud expectat, quàm feralis gladij ictum; Sic D. Thomas credebat fieri non poſſe, vt in mortalem ſuis peccatis captivatum, jamq; apud Numinis tribunal reum de capite, vllus cachinnus, riſusq; caderet. hîc omnis hilaritas furor eſt, omnis ſecuritas ſuavis inſania. Blanca, Reginarum digniſſimum prototypon, plus exoſam habuit gravem culpam, quàm filij ſui vitam amaverit. Sic enim ſolita fuit dicere; malle ſe filium ſuum Ludovicum, & hunc vnum vnicum, & tantæ ſpei prolem, & tantorum hæredem regnorum, aſpicere morientem, quàm mortiferum flagitium admittentem. Neq; degener filius ad hæc regiæ matris vota fuit; nam etiam ille ex vberibus maternis, ita cum lacte imbibit deteſtationem peccati, vt inter mille illecebroſas aulæ occaſiones, vitam innocentiſſimè putetur exegiſſe.

VI.

Aliud S. Edmundi apud Anglos Epiſcopi.

Dan. c. 3.

In Vita S. Anſelmi apud Suriũ. 2. April.

Aliud apud eoſdem Epiſcopi S. Anſelmi.

Qui vnius fuit ſpiritûs, cũ Eleazaro Machabæo ſene.

Edmundus Anglorum Epiſcopus, plus vltra videtur pedem ſuum extendiſſe, ad calcandum grave ſcelus. neq; enim tantùm paratus fuit, priùs mori, quàm ejus in ſe culpam admittere; ſed etiam frequenter conteſtatus eſt, antequam in lethale crimen, potiùs ſe velle in fornacem ignibus exæſtuantem præcipitari; planè veteri incitatus exemplo, trium apud Babylonios juvenum, qui flammas præ ſuperſtitioſâ idoli adoratione elegerunt, generoſâ animoſitate. Sed auſim dicere, apud eoſdem Anglos, Edmundum Anſelmus Pontifex ſupergreſſus eſt, quando non formidavit dicere; ſi hinc patulus hianti fauce ſtaret infernus; iſthinc fœdiſſima labes, enorme crimen: & neceſſitas eſſet alterutri ſe adjungere; potiùs inſilturum ſe ad tartarum, ne vnico temporis momento, tam turpi maculâ ſuam conſpurcaret animam: quantumvis etiam de condonatione ejuſdem peccati, certus ac ſecurus eſſet. Credo tam magnos ſpiritus hauſit S. Anſelmus ab Eleazaro, fortiſſimo inter Machabæos ſene; qui cum ad porcinas ſibi præcepto DEI vetitas, & blanditijs ſuorum

Digitized by Google

rum invitaretur, & minis Antiochi vrgeretur; *reſpondit citò dicens: præmitti ſe velle in infernum*. adeo etiam huic laudatiſsimo viro, ſtyx ipſa tolerabilis videbatur, præ abominatione inobedientiæ, in legem divinam commiſſæ. 2. Machab. 6, 23.

VII.

Sed hîc ego repeto illum tenerrimum D. Anſelmi ſenſum, & plenum virili robore verbum, cùm dixit; malle ſe ad inferos detrudi, quàm collutulari magno ſcelere, tametſi ſciret illud ſibi à propitio DEO condonatum iri. O cœlum! ô ſidera! quot videtis mortales, non ſemel tantùm, ſed multoties patrare mortaliſſima (vt ſic dicam) dedecora, nominis ſui Chriſtiani probra; & nihilominus in iiſdem mordicus affixos hærere, in iiſdem & volui, & revolui, & involui, neq; certos, neq; ſecuros de venia! Nimirum ſic multi durant in turpitudine cœni, ſatis eſſe rati, ſi in ſeros annos, & futuram mortem tranſmittunt pœnitendi conſilia. Sed iſti, cùm ſic in vitijs, maliſq; voluptatibus durant, non ſe rebus ſervare ſecundis, verùm ſummo ſalutis diſcrimini obijcere, complures ex ſanctis docent; qui cùm olim etiam humanæ infirmitatis errore in peccata graviora collapſi eſſent, ſtatim tamen collectis ex gratia DEI viribus, ad frugem redierunt. Neq; illis ſatis fuit, quamprimùm reſipuiſſe ad ſerium animi dolorem, niſi quoq; commiſſas noxas longis in ſe, aſperrimiſque pœnitentijs plecterent; oſtenſuri ſuo calculo exemploq;, nimirum eos hallucinari impios, quib⁹ ſua mens abſorpta eſt in ſuauitate vanitatum; neq; vlla ampliùs deliberatio venit reſipiſcendi, quamdiu ſani ſunt & valentes. Longè alia ſanctis olim mens fuit, ſcilicet & ceſſare ocyùs ab impietate deſignata, & eam ad libellam ſatisfactionis caſtigare. credebant minimè ſufficere, gladium duntaxat è vulnere eduxiſſe; ſed neceſſarium quoque eſſe vulneribus adhibere remedium, cataplaſma operum ſatisfactoriorum, ut vocant.

Quã pauci nunc ſimili odio ferantur erga gravia peccata.

Signũ eſt, quòd multi in iis perſiſtant, rejectâ in futurũ pœnitentiâ.

Sed contra Sanctorum pœnitentiã exempla.

Qui præter celerem pœnitentiã internam, etiam poſt lapſum, addiderunt externam, aſperam, eamq; diuturnam.

VIII.

In hunc ſenſum B. Hieronymus, Suſannam quandam in Veneris præcipitia turpiſſimè lapſam, ſic hortatus eſt. *Omnis cura vita intermittenda eſt tibi, & quaſi mortuam exiſtima te, ſicut es; & quomodo poſſis reviviſcere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda eſt veſtis; & mens & membra ſingula, dignâ caſtigatione punienda. Amputentur crines, qui luxuriæ occaſionem præſtiterunt, defluant oculis lacrymæ, qui maſculum non ſimpliciter aſpexerunt. palleſcat facies; quæ quondam erubuit impudicè. Totum deniq; corpus injurijs & jejunijs maceretur; cinere aſperſum, & cilicio perhorreſcat, quia malè ſibi de pulchritudine placuit. Cor ſit liqueſcens tanquam cera; ſenſus etiam crucietur, qui in membra corporis, cum haberet dominium, malum geſſit imperium.* Neque putemus

S. Hieron. ep. 9. ad Suſan. lapſam.

Suſanna lapſa, pœnitentiæ agendæ normam, accipit à S. Hieronymo.

Digitized by Google

mus ſolam hanc, poſt fœdum carnis lapſum Suſannam, admiſiſſe pium conſilium pœnitendi; fuêre plures aliæ, hujus generis & ſceleris fœminæ, quæ reſipiſcentiam ſuam, aſperrimis vitæ exemplis, orbi teſtatam fecerunt. Earum hîc tibi dabo aliquas.

IX. Agmen autem pœnitentium ſanctè mulierum, ducat Maria; neptis Abramij ex fratre, magni Eremicolæ. Hanc ille in eadem ſecum ſolitudine, tenerâ adhuc ætate, moribus optimis, ac ſummâ pietate imbuerat. Sed ſicuti nullus ab infeſtatione dœmonis tutus eſt locus: ita Maria poſt viginti deniq; annos, apud ſanctum patruum innocentiſſimè exactos, præcipitata tandem eſt ad libidinem. per omnia deinde vitia volutata, ex eremo in mundum; hoc eſt, ex cœlo in Orcum abijt. Iamque publica vrbis infamia, & ſcopulus audiebat Caſtitatis. Cùm oſtento divinitus objecto, Abramius draconem vidit, immani rictu columbam incautam deglutire; qui tamen mox medius ruptus, aëri & libertati pavidam redderet. Hoc viſu animatus, cùm & fugam lapſæ, & reditum reſipiſcentis, non malus vates ominatus eſſet; ingenium exerit, & id ætatis ſenex, militem induit, atque vrbem petit. Hic, qui quinquaginta ipſos annos, vinum nec libaverat, convivium inſtruit, menſæ neptem adhibet; quæque ad hilaritatem faciunt, omnia facit, pius anceps. Mox tamen captatâ in tempore occaſione, quis ſit aperit, cur venerit exponit. tum verò verbis DEO plenis aggreditur; & primò mirari, deinde nutare, tum credere, demum manus dare Mariam cogit. Quid multis, eam ad columbaria Eremi reducit. Et quid ibi columba capta? nempe gemuit; ac commiſſam petulantis vitæ audaciam tam largiter planxit, vt dic noctuque prætereuntes aliunde homines, ad ſocias lacrymas, & mutua lamenta provocaret. Quinque annos hanc rationem pœnitentiæ Maria tenuit; quibus finitis, illam quoq; pia mors abſolvit, & juſſit jam candidam ad cœlos columbam evolare.

Ex Vitis PP. l. 1. in Vita S. Mariæ, neptis S. Abramij. Faſti Mariani ad 16. Martij.

Maria, neptis Abramij Eremitæ, colūba ſeducta.

Quinque annis in cauea deſerti, gemit & ſcelus ſuum planxit.

X. Mariæ vni, & peccatrici & pœnitenti, alteram ſubnecto, cui Ægyptus nomen fecit Ægyptiæ. Hæc ut voluptati litaret, pudorem non jam venalem, ſed gratis omnium expoſuit libidini. Quin feſto exaltatæ Crucis die, cùm Hieroſolymam orbis confluerct; auſa eſt, velle ibi infanda Veneris ſacra publicare. Sed molientem ter, pedem impurum templo inferre, ter repulit vis arcana. Quid tum Maria? ad *Mariam* Virginem abit, & flebiliter rogat, vt apud filiū ſuū aditum ſibi impetret. ô quid apud talem *Matrem*, alienæ non poſſunt lacrymæ! quid non lac *Matris*, apud ſanguinem poteſt *Filij*? Orat illa, exorat

Ex Vitis SS. l. 1. Vita S. Mariæ Ægyptiacæ. Faſti Mariani 9. April.

rat iſte; & mox abſolvit Iudex admiſſam, quam abſentem damnaverat. Sed audite quoque pœnitentem, qui peccantem aſpexiſtis. ſex annis ſupra quadraginta, eluit lachrymis inter feras, quidquid inter homines peccaverat; ſemper oppugnata ab orco, ſemper victrix; nulli hominum, niſi Zoſimo Eremitæ viſa. Is divino ductu ad eam venit, & vitæ ſeriem, quam dedimus audivit. Cùm ſacro dein epulo reviſit; quod ut caperet Maria, per Iordanem ſicco veſtigio advolavit. Ita, puram, cùm vndæ jam probâſſent, ſecundò redux Zoſimus, defunctam in eremo offendit. Anxio autem de ſepultura, leo ſupervenit, foſſamque vnguibus fecit, æternum non tam peccatricis, quàm pœnitentis monumentum.

Maria Ægyptia, ſupra quadraginta annos, in ſolitudine inter feras caſtigat, quidquid priùs inter homines peccavit.

XI. Sed pergo ad Afram; primò Auguſtæ Vindelicorum probrum, poſt vnicum decus. Magdalim diceres alteram, niſi quos hæc fletibus, illa ignibus etiam ignes plecteret. Dijs devota, omnem jam pudorem malè prodiga libaverat; cùm Narciſſus præſul ſimul & exul, fidem Chriſtianam circumferens, tectis ejus ſucceſſit. Hîc Afra dum prædam captat, orantis initiò ad menſam modeſtiâ, dehinc verborum de Deo, quibus cibos identidem condiebat, ſuavitate illecta, ipſa capitur; ſimul amoribus nuntium mittit, ſimul Chriſto totam ſe dat. tantum odor caſtus vnius Narciſſi potuit. Doluit hoc ſanè nequam Genio, qui propalam queſtus eſt, animam olim ſuam, Afram ſibi extorqueri. Hæc interea opes malè partas, bene inter pauperes dividens, vitamque veterem caſtiſſimis coloribus emendans, jubetur à prætore Cajo, miſſo Chriſto, ad Veneris ſacra redire; Vulcano ni pareat, ſacrificanda. Maluit illa hujus, quàm illius ignes ferre. Itaque palo alligata, cùm è pyra ardente fumos dœmonis, æſtuſque Cupidinis riſiſſet, flammas inter, cœlo ſe intulit.

Surius in Vita S. Afræ mart. ad 5. Auguſti. Faſti Mariani eadem die.

Afra venereas juventutis ſuæ flammas, ſacris martyrij pro Chriſto ignibus, expiat.

XII. Theodora, Alexandriæ quondam matrona, facilè in Gynæceo principem tenuit locum. Sed inde eam lena, eademque Venefica, turpiter dejecit; cùm impunè ſuaſit perpetrari ſcelera, quæ ſol, dieſque non ſpectâſſet; ita ergo & adulterium nocturnum fœminæ imprudenti perſuaſit; quaſi vnum ſolummodo oculum haberet cœlum, & media etiam in nocte Argus non eſſet. Vidit ipſa Theodora crimen, cùm primùm lux animo oborta eſt, & quò ruborem abſconderet, cœnobio ſe abdidit; vtque viros effugeret, inter viros virum ſe venditavit. Et jam lacrymas, quibus facinus piabat, vel crocodilus probaverat, dum dorſo innoxiam per fluctûs tulit.

Metaphr. in Vita S. Theodoræ. Faſti Mariani ad 9. Septemb.

Theodora crimen olim commiſſum,

monaſterij longâ aſperitate plectit.

tulit. pepercerunt eidem & feræ, quibus monachorum quorundam invidiâ, inter ſilvas ad prædam expoſita erat. Sed illud graviſſimum fuit, cùm Theodora ſpurij alicujus parvuli, inſimulata eſt eſſe fornicarius pater. Et poterat tum ſe ipſam abſolvere Theodora, ſexum fatendo. ſed maluit vetus illud ſuum ſcelus luere, ab alieno ſcelere. Itaque pulſa cum infante, ſeptem ipſos annos ante monaſterij fores jacuit; cœli hominumque injurijs expoſita. denique, ſub obitum ejus, eodem quaſi temporis articulo, maritus ſuperveniens, & mors ipſa, cum aſſueto lavandi corporis ritu; palam orbi fecerunt, fœminam fuiſſe Theodoram; ſed pœnitentem, & quam viri imitarentur.

XIII.

Ex Vitis PP. lib. 1. in Vita S. Pelagiæ. Faſti Mar. ad 8. Octob.

Pelagia in Pelagium mutata, prioris vitæ licentiam, variè punit.

Eadem in vrbe Alexandriæ, ſimili arte aut mundo illuſit, aut cacodœmoni Pelagia; ob formæ venuſtatem, corporiſque cultum, non jam Veneris ſerva, ſed ipſa Venus habita; pudor civitatis, & caſtitatis pernicies. Sed nempe is, qui poteſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, etiam Pelagiæ ſaxeum inflexit animum, vt ſpectante ac mirante vrbe, ad pedes Divi Nonni Antiſtitis ſe demitteret, vitæque prioris licentiam ſancto fletu, ac gemitu teſte ejuraret. Mox jejunijs & vigilijs corpus defluere; vultum non jam Gratiæ, ſed pallor, ſqualor, macieſque inſidere; nihil ampliùs in tota fronte rubere, præter præteritorum memoriam. Nempe obſtrepere hîc Veneris puer, deſertum ſe fide non bonâ quæri: formam ſe, opes, amores dediſſe: ipſam probra, contemptum, odiumque ingratam rependere. Sed virum ſcilicet invenit. nam ſparſo omni in egenos auro, laqueos amantium capillos reſcidit, fœminam cum veſte exuit, Pelagium ſe dixit; vitæque reliquum Hieroſolymæ, inter ſummas vitæ aſperitates egit in illo monte, qui ab olivetis nomen habet. ab ipſo Chriſto dudum edocta, ad cœlum illinc aſcendi.

XIV.

Ex annalibus Minorũ, & Faſtis Marianis ad 22. Februar.

Mirabiliter converſa Margarita, ſe ipſam Deo expolivit per ſcalpellum

Eſt etiam iſtud pulchrum mulieris citò pœnitentis exemplar. Margarita, hujus nominis fœmina, in Peruſino olim agro, nitorem juventæ ſuæ, turpi amore extinxerat; reſtituit deinde S. Franciſci diſciplina; hac occaſione. Nam cùm viro nobili ſervijſſet ad ſuas libidines, contigit vt is domo quandoque abiret, cane comite. Hic poſt dies non multos, laciniâ præhenſam Margaritam, ad ſtruem lignorum deduxit; oculis latratuque rogare viſus, vt ligna amoveret. Amovet; Dominum agnoſcit, ſed occiſum & mortis larvam. Enimverò exhorruit, & in alieno vultu ſuam contemplata formam, mundum, & ante omnia vitam priorem lacrymis damnat.

mnat. Et abluerunt hæ brevi, latentem in cœno Margaritam; vitæ etiam ſuſceptus rigor, velut ſcalpellum pulcherrimam reddidit, vt jam quoque prodigijs ſplenderet. Potiſſimum fuit, precibus à Deipara impetrâſſe, vt dolores, quos ſtans illa pone Crucem Filij pertulerat, etiam ipſa perſentiſceret. ſenſit, & ſub horam tertiam, inter manus multorum collapſa, inde horâ nonâ, morienti Chriſto commori, nec niſi ſub veſperam redire in vitam, viſa eſt. Aliàs Crucifixo inhærens, multa gemitibus rogabat, cùm è Cruce Chriſtus interrogat orantem: *quid vis miſera?* & illa: *nihil aliud præter te Domine.* Adeò pœnitentia familiarem Deo reddit hominem, vt ſicut alter Moyſes, cum eo loqui poſſit, *ore ad os.*

rigidæ pœnitentiæ.

Cujus auctariũ à B. V. impetravit, poſſe ejus ſentire dolores, quos ſtans pone Crucẽ Filij ſui, pertulit.

Num. 12. 8.

XV.

Concludo hunc pœnitentem muliebris ſexûs chorum, cum B. Fabiola; cujus hoc princeps crimen fuit, vivo adhuc marito, ſecundum matrimonium ſortitam eſſe; non tam petulantiæ cauſâ, quàm vitioſi conjugis faſtidio. Tamen quia res iſta plurium oculos offenderat, & metus erat, ne multorum infirmitas ad hujus exempli ſcopulum impingeret; ſublato è vivis altero marito, non tantùm Fabiola damnavit facti ſui audaciam, ſed publica etiam ſatisfactione, contractum abſterſit nævum. Qua de re admirabundus inquit S. Hieronymus. *Qui hoc crederet, vt poſt mortem ſecundi viri in ſemet reverſa, quo tempore ſolent viduæ negligentes, jugo ſervitutis excuſſo, agere ſe liberiùs, adire balneas, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis; ſaccum indueret, vt errorem publicè fateretur: & totâ vrbe ſpectante Romanâ, ante diem paſchæ, in baſilica quondam Laterani, ſtaret in ordine pœnitentium; Epiſcopo, presbyteris, & omni populo collacrymantibus; ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret? quæ peccata fletus iſte non purget? quas inveteratas maculas, hæc lamenta non abluant?* Et infra: *Aperuit cunctis vulnus ſuum, & decolorem in corpore cicatricem, flens Roma conſpexit. diſſuta habuit latera; nudum caput, clauſum os. Non eſt ingreſſa Eccleſiam Domini. ſed extra caſtra cum Maria ſorore Moyſi, ſeparata conſedit, vt quam ſacerdos ejecerat, ipſe revocaret. Faciem per quam ſecundo viro placuerat, verberabat, oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat.* Tandem diſtributis quas largas habuit poſſeſſionibus, in pauperũ neceſſitates, & monachorũ ſuſtentationẽ; ipſa ſolitudinis amans & ſanctæ quietis, magnis itineribus ad cœlũ properavit, duce ſemper ac comite pœnitentiâ.

Ex Vitis P P. lib. 1. in Vita B. Fabiolæ. S. Hieron. epiſt. 30. ad Oceanum.

Fabiola, publicum commiſſi ſcandali peccatum, publicâ Romæ pœnitentiâ eluit.

Poſtea in ſolitudine aſperam vitam agit.

XVI.

Sed ne videantur ſolæ mulieres, poſt graves lapſus excelluiſſe in pœnitendi ſtudio, etiam viros adfero; è quibus multi fortiùs & fœliciùs triumphârunt de noxis ſuis, quàm olim Furius

de

Surius in Vita S. Iacobi pœnitentis ad 28. Ianuarij. Fasti Mar. eodem die.

de Gallis, Papirius de Samnitibus, Scipio de Numantia, Pompejus de ponti gentibus. Itaque Iacobus, cui à pœnitentia datum eſt nomen pœnitentis; cùm Anachoretes quadraginta omnino annos, Deo militâſſet, miranda maxima patrâſſet, trophæa de hoſte inferò ſtatuiſſet plurima; id ætatis vir, à fœmina demum ſuperatur; & ab ea fœmina, in qua ipſum dœmonem non horruerat: imò ejecerat. Huic enim infelix primò pudorem, mox vitam extorſit. Et verò tertium ſcelus accumulaſſet deſperabundus, victumque ſe mundo dediſſet, niſi à tam turpi fuga, Deus ſanctiſſimi viri operâ, eum retraxiſſet. Tum enim verò redire ad ſe Jacobus, & ſive mortualium oſſium conditorium, ſive ſepulchrum ſubire, mortemque ſuam vivus deflere, in decimum annum vſque; cœlo interim oculos nunquam attollere, vix ſemel aut iterum in hebdomade de herbulis veſci, quæ ad oſtium conditorij creviſſent. Ipſe certè Apoſtolus, peccato mortuum dixiſſet. ſed nunquam pulchriùs ille vixit, quàm ſic mortuus. Nam ſupplicijs his ſpontaneis placatum Numen, ex Epiſcopis non nemini ſignificavit, beatum imbrem, quem tam anxiè, ſed nec quidquam poſtulabant, non niſi ad preces Jacobi concedendum. qui cùm miraculis iterum orbi innotuiſſet, cœlo illatus eſt; poſtquam diu in terris novo more, pro domicilio habuiſſet ſepulchrum.

Jacobus, Pœnitens cognomine, ſatisfacturus pro gemino ſcelere, ſepulchro poſthac vſus eſt, vice domicilij.

XVII.

In Vita S. Theophili ex Metaph. ad 4. Febr. Faſti Mar. eodem die.

Ex eremo ad vrbem venio, & Theophilum ſiſto, non tantùm peccantem, ſed & pœnitentem. Infulam hic vltro oblatam, præ modeſtia repudiârat, contentus Oeconomi munere in aula Epiſcopi. ſed cùm videret etiam hoc ſe officio deijci ab æmulis; vſque adeò indignatus eſt, vt Orcum excire in auxilium non vereretur. Ergo ad Magum; cum hoc ad juratum humani generis hoſtem curritur; Deum Deique Matrem ejurare, non titubat lingua impudens, non erubeſcit ſcripto firmare calamus impius, ſuſtinet obſignare fœdus infandum, gemma perfida. Verbo; JESV ac MARIÆ nuper libertus, dœmonis abit mancipium. Sed ſequitur, & nocentem Conſcientia flagellat; quin honori jam ſuo per malas artes reſtitutum, acriùs etiam torquet. Quid faceret? quò fugeret impius transfuga? ad magnæ Matris vbera, per quæ Filium ſauciârat? ad vulnera Filij, per quæ Matrem impetierat? & tamen ad Matrem auſus eſt confugere; memor ſemper Matrem faciliùs flecti, quàm Filium Judicem. Itaque ad Marianæ ædis limina, quadraginta ipſos dies, noctesque perſtare; ſed longè magis ipſam Cœli portam, Virginem ambire: hanc lacrymis mollire, hanc gemitibus pulſare,

Theophilus, propter negati Dei, Matriſque ejus flagitium, quadraginta dierum lacrymis, gemitibus, jejunijs, ſe excruciat.

hanc

hanc jejunijs denique frangere. Ceditítaque vim facienti, facilis aliàs ianua admittitur per Matrem, ad Filij gratiam Theophilus, extortoſq; infames hoſti codicillos, aufert. Hos deinde in ipſo templo palàm combuſſit, præmiſsâ etiam publicâ lapsûs ſui, ſceleriſque confeſſione. neq; ita multò poſt febriculâ correptus, vivere deſijt. crediderim vehementiam ſanctiſſimi doloris, excuſſiſſe pœnitenti animam.

XVIII. Ab Oeconomo ad Ducem Aquitaniæ vocor, Gulielmum, inquam, qui ingentia ſcelera pari pœnitentiâ caſtigavit. Conjugio fraternæ vxoris, Herodi aliquamdiu non impar vixit. ad duella cogebat obvios, non invitabat; neque jam Ducem ſe Aquitaniæ putabat, niſi factionis quoque, quæ contra Innocentium Pontificem pugnabat, dux eſſet. Mellea verba Bernardus ingeſſerat, fel merum retulit; minas addiderat, majores audivit. Ergo ſecundùm divina, ipſo jam Euchariſtico Numine armatus Divus, hominem ſibi protervè refractarium, non tam humi ſternit, quàm fulminat. Ita tandem pœnitens factorum Gulielmus, & victam Deo manum daturus, ab Anachoreta conſilium accipit, vt nudum corpus poſthac ferreâ loricâ, caput galeâ frigidâ tegeret, ſe ipſum, longè maximum hoſtem expugnaturus, aſperitate novæ vitæ. Talis ergo ad Innocentium pontificem, inde Hieroſolymam tendit; ibi antrum lacrymis implet & gemitibus. Tandem ſolitudines, monteſque mutat; donec vltimò in ſtabulo Rhodis obijt; fæliciùs vtique, quàm in palatijs vixerat.

Surius in Vita S. Gulielmi Ducis Aquitaniæ. 10. Februarij. Faſti Mar. eod. die.

Gulielmus Aquitaniæ Dux, anterioris vitæ culpas emendat rigore eremi.

XIX. Sed & Macarius Romanus mihi ante oculos & mentem eſt. Bellè hic illuſit Veneri, cùm thalamum, ſponſamq; in nuptijs reliquit: & Raphaële comite, in vltimam eremũ caſtitatem aſportavit. Vbi dum ſpelæum ſubijt, geminos catulos, & ponè accubantem exanimem leænam offendit. Hanc igitur tumulo infert, catulos de ſua menſa alit, educitq;. Creſcunt illi, & à nutritij ſui collo innoxij pendent, blandientem lambunt, arridenti adrugiunt blandùm. O ſemper tutior inter feras, quàm non dicam inter mulieres, ſed mulierũ etiam vmbras, Virginitas! Nam extra tugurium ſuum progreſſus aliquando Macarius, ſtrophium reperit in ſindone, è ſerico calceolos. nempe hic viſcus fuit. Audivit etiam, neſcio quam illacrymantem malis ſuis vocem: Sirenũ cantus fuit. deniq; videt mulieris formam, omni ſimulacro emendatiorem. Et hanc, ſicut rogatus erat, velut deſertam atq; errabũdam inter beſtias, ſub colore miſericordis animi tecto recepit, dœmonem ſcilicet in larva fœminæ; cujus dolor

Ex Vitis PP. l. 1. in Vita S. Macarij Romani. Faſti Mar. ad 23. Octo.

Macarius Romanus, in vindi-

Digitized by Google

ſtam cogitati ſceleris, collo tenus foſſæ inſepultus; triennio omnem cœli injuriam ſuſtinet.

cùm in Venerem conſenſum dediſſet, dœmonium in fumos abijt; in lacrymas Macarius, in fugam Leones. Sed ij paulò poſt reduces, humum pedibus ſuis egerebant, ad vnius ſtaturam hominis. Quod Macarius accepit pro ſigno divinæ voluntatis, vt ea in foſſa crimen ſuum lueret, novo pœnitentiæ genere. Atq; ita ingreſſus locum, & à binis leonibus, regeſtâ iterum terrâ, collo tenus ſepultus, tribus annis omnem cœli injuriam ſuſtinuit; vita ejus ſuſtentata non ſine miraculo, ad vindictam patrati ſceleris. Evoluto demum triennio, reconciliatum Macario DEVM oſtenderunt, primùm leones reduces: deinde multa lux cœlo allapſa; tum gratantium Angelorum voces. deniq; Chriſtus ipſe, cum aurea virga conſpicuus intra Macarij ſpeluncam, atque inde ad ſidera reverſus.

XX.

Niceph. & Surius ad 27. Novem. Faſti Mar. eâd. die.

Neque tantùm apud Romanos poſt flagitia triumphavit pœnitentia, ſed etiam inter Perſas. E quorum proceribus, Iacobus facilè princeps, Regique Iſdegerdi vnicè charus, vt huic fidem ſuam probaret, Chriſto datam abjuravit. At Mater, conjunxq; Iacobi, nobilis vtraq; & Chriſtiana Matrona, non ferendum facinus ratæ, literas dignas ſe, ad eundem ſcripſerunt. In his & ſinu mater, & thalamo conjunx proſcribebat. Neque enim Matrem agnoſcere ajebat ſe filium, præter eum, qui ſuo in vultu, patris matriſq; vultum, hoc eſt, Chriſtianum oſtenderet. Vbera ſua ſi bibiſſet, ſpiraturum quam cum lacte inſtillâſſet pietatem. Scire cœlo ſe filium genuiſſe, non terræ, qui ſuperis bellum indiceret. Abortum proinde eſſe, quem nunc Iacobum dicerent, ideoque abijcere hunc ſe ſe. At conjunx deſperare ſe de thori ſocio ſcribebat: qui ipſam Fidem adulterâſſet, mortali ſervaturum? ſanctamque caſtitatem habiturum, qui Numen coleret Venerem adulteram? Habuêre momentum literæ, amore dictante, & lacrymis ſuggerentibus atramentum, ſcriptæ. Et recepit meliorem mentem Iacobus, palamque Chriſtianum iterum ſe confeſſus, novem horarum carnificinam ſuſtinuit; manuum primò, pedumque articulis; tum brachijs, ſuriſque; vltimò capite truncatus, vnde & nomen Interciſi accepit. Ita glorioſus Martyr, ductu pœnitentiæ atrum illud factum negatæ fidei, per ſanguinem ſuum pulchrè oblitteravit.

Iacobus, cognomine Interciſus, negati Chriſti facinus, oblitteravit varijs ſupplicijs pro Chriſto fortiter toleratis.

XXI.

Lib. 6. in Vit. PP. libel. 3. num. 12.

Memorabilis eſt quoque Epiſcopi vnius, non abſimilis caſus, qui Chriſtum negaverat, metu & vehementiâ tormentorum; ſuæ poſtea perfidiæ, graviſſimus in ſe ipſo vltor. Contigit, vt eum in eremo ante tuguriolum malè materiatum, & vnam palmæ arborem,

borem, alius quidam Christi ſervus, reperiret ſtantem; nec aliâ veſte indutum, quàm canis ſuis, per totum corpus longè lateq; defluentibus. Interrogatus autem quid hominis eſſet, & cujus conditionis? Reſpondit voce lamentabili, & multis ſuſpirijs intermixtâ; Epiſcopum nuper fuiſſe. cæterùm in perſecutione adverſus Chriſtianos concitata, cùm ipſe quoque inter oves paſtor, ad defectionem à Chriſto per tormenta vrgeretur, ſupplicijs inferiorem, ſacrificâſſe idolis, gentium ritu. poſtea tamen à DEO, injecto pœnitentiæ conſilio. ad hanc ſe rigidam ſolitudinem contuliſſe, omnis humani aut ſolatij, aut commodi expertem. Iamque ſcelus ſe ſuum, quadraginta novem annis, inter varias eremi aſperitates, conatum eſſe apud Numen expiare. quin etiam ſuperiori anno ab eodem oraculum ſibi datum, de condonata perfidiæ culpa.

Idem ſcelus quidam Epiſcopus à ſe admiſſum, quadraginta novem annis, caſtigavit deſerti aſperitate.

XXII.

Ex Ferrar. & Chron. Min. item Faſti Mar. ad 16. Mart.

Gallus gallinaceus, Torelli humeris inſidens, ſuadet ei, & perſuadet longã pœnitentiam.

Recentius eſt pœnitentis Torrelli pulchrum facinus, ad exemplum Petri Apoſtoli, deflentis peccatum ſuum poſt galli cantum. Nam & hic fortè fortunâ, gallum ſibi in humeros involantem, tertioque cantantem audivit, flevit, reſipuit, & ex Veneris (cui meliorem ætatem devoverat) mancipio, cœli delicium factus, quidquid pauculis annis in vrbe peccavit, quadraginta alijs inter ſilvas damnavit. In his civium illi frequentia arbores, tectum cœlum, veſtis ſetoſum porci corium; arma quibus in ſe vtebatur, catena ferrea, deliciæ panis & fons, cubile terra, plumæ ſarmenta, cervical lapis fuêre. Sic quoq; non niſi tres horas ſomno, reliquum omne noctis, lacrymis trãſcripſit; tunc etiam credo à gallo cũ Petro expergefactus. Veneris deniq; injectas etiam ſolitario flammas, vel vepribus ſuffocavit, vel gelidâ extinxit. Ita perpetuò Victoris anima, ſoluta tandem corpuſculi ſui carcere, ad DEVM recto itinere perrexit.

XXIII.

Ex Brev. in Vitas Ambroſij ad 7. Decemb.

Theodoſius Imperator, ſecutus eſt non ſolùm Davidem Regẽ peccantem, ſed etiam pœnitentem.

Sed ex his omnibus quid inferam, Lector interrogabit. nempe eam illationem, quâ olim D. Ambroſius Imperatorem Theodoſiũ conſtrinxit, quando eundem propter civiũ innoxiorũ cędem, Theſſalonicæ patratam, ingreſſu Eccleſiæ prohibuit. Cùm enim Theodoſius in ſui criminis patrociniũ, David quoq; Regem, adulterum & homicidam fuiſſe aſſeruiſſet: reſpondit Ambroſius, *qui ſecutus es errantem, ſequere pœnitentem.* Convictus hoc argumento Imperator, ab Antiſtite injunctam publicè pænitentiã ſuſcepit; demiſſiore animo, an excelſiore? dubium eſt. Neſcio quomodo aliena ferè ſcelera, improborũ oculos perſtringant, vt hinc ad defenſionem ſuorũ probrorũ vitiorumq;, conquirere adjumenta ſoleant; quaſi ea quę prohibita ſunt divinis legibus, jam licita fiant. pluriũ peccantiũ authoritate.

Digitized by Google

Qui ſequimur Sanctos, olim ex infirmitate peccantes, ſequamur & pœnitẽtes.

Igitur hîc etiam nequitias ſuas nonnulli palliare volunt, quòd audiant & Veneris delicias, & truculentas in homicidia manus, & concitata in ſummum Pontificis caput ſchiſmata, & jurata cum Magis, Luciferoq; commercia, graviſſimas in ipſum quoq; DEVM perfidias, reperiri apud Sanctos vtriuſque ſexûs, nec defuiſſe Marias, Afras, Theodoras, Pelagias, Margaritas, Fabiolas: Iacobos, Theophilos, Macarios, Torellos. Sed & hîc ego illud Ambroſianum occlamo; *qui ſecutus es errantes, ſequere pœnitentes.* Non ſatis eſt tuam maculam in aliena contemplari; ſi ex alterius vultu jam nævus ſublatus fuerit, turpe tibi erit in tuo eum tolerare.

XXIV.

Si non in rigore ſatisfactionis ſaltem in celeritate reſipiſcentiæ.

Itaque Sancti (quos modo nominavimus) pluresque alij, tametſi pro mortalitatis noſtræ imbecillitate, nonnunquã gravioribus etiam culpis animas inquinaverint; divini tamen brachij auxilio, mox contractas ſordes emaculârunt, lacrymis, precibus, jejunijs, vigilijs, flagellis, & longis rigidiſſimæ vitæ exercitijs. Ergo ô male! qui ſecutus es Sanctos in terris peccantes, ſequere & pœnitentes; ſi non in amplectendo ſolitudinis horrore, humanæ ſocietatis fuga, ſepulchrorum ingreſſu, corporis continua maceratione, quod ſupra citati fecerunt; ſaltem in celeri reſipiſcentia, ad ſeriam vitæ emendationem. Scio; non omnium eſt ire ad illa aſpera ſatisfactionum opera, poſtquam refrixit charitas multorum. Eſt tamen omnibus omnino injecta obligatio, vt poſt peccata, citò per verum dolorem conſurgant, nolintque ampliùs plangenda committere.

XXV.

S. Auguſt. t. 10. ſerm. 5. poſt Domin. Quinquag. ſerm. 2. de pœnitent.

Ad quam hortatur S. Auguſtinus.

Ezech. 33.

Ezech. 18.

Atq; ad hanc ipſam, ſemper maturandam cum DEO reconciliationem, hortatur ſuos D. Auguſtinus, juratus procraſtinationis inimicus, cùm ait. *Rogo vos fratres chariſſimi, vt ſi fortè aliquis ex vobis (vt ſe habet humana fragilitas) calliditate diaboli ſuperatus, & capitalibus criminibus involutus, ſecundum quod Apoſtolus ait, templum DEI in ſe violando deſtruxerit, de DEI miſericordia non deſperet; ſed citò de malo iniquitatis ſuæ conſurgat; ne conſuetudine peccandi, in ipſis ſe ruinis ſuis ſepeliat. Non enim qui peccaverit, ſed qui in peccatis perſeveraverit, odibilis & abominabilis DEO erit. Nam vt de indulgentia divina nemo diffidat, Dominus per Prophetam velut pater pijſſimus, conſolatur dicens: Nolo mortem peccatoris, ſed vt convertatur & vivat. Et illud: impietas impij, non nocebit ei, in quacunq; die converſus fuerit ab impietate ſua. Sed iſta tam magna miſericordia, tunc nobis prodeſt, ſi non tardamus converti ad Dominum, nec crimina criminibus ſuperaddimus.* Et poſt pauca, ſic concludit.

dit. *Nemo ergo nec poſt centum peccata, nec poſt mille crimina, de miſericordia divina deſperet. ſic tamen non deſperet, vt ſine vlla mora, Deum ſibi repropitiari feſtinet; ne fortè ſi conſuetudinem peccandi fecerit, etiamſi velit, de diaboli laqueis liberari non poſſit.*

Refert deinde ex Scripturæ Sacræ tabulis, exempla veterum, celerem pœnitentiam agentium. *David* (inquit) *qui & Rex & Propheta, divino munere fieri meruit; poſt tantam gratiam ita prævẽtus eſt; vt non ſolùm adulterium committeret, ſed etiam homicidium perpetraret; nec tamen ad hoc ſe reſervavit, vt in ſenectute ſua ad pænitentiæ medicamenta confugeret: ſed ſtatim cilicio proſtratus, conſperſus cinere, cum ingenti rugitu & gemitu pænitentiam agens, implevit illud, quod ipſe in pſalmis dixerat: lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Et iterum: Cinerem ſicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam. Et quia pænitentiam agere mortiferâ ſecuritate non diſtulit, citò in ſe Dei miſerationem ita revocavit, vt non ſolùm regnum non amitteret, ſed etiam S. Spiritûs donum recipere mereretur.* XXVI. Exemplo Davidis Regis, qui internæ pœnitẽtiæ poſt caſũ, junxit externam. *Pſal. 6. Pſal. 101.*

Senſit quoque Achab Rex bonum pœnitentiæ; ſed non tam pleno cornu; quia bonus eſſe non perſeveravit. Auguſtini tibi verba ſubijcio. *Achab Rex ſacrilegus, de quo ſcriptura dicit, quòd non fuerit alius talis, qui venundatus ſit, vt faceret malum contra Dominum; poſteaquam depravatus ab vxore Jezabel, abominabilis Deo factus eſt, interfecto & lapidato Naboth Jezraëlita, cùm vineam ejus vellet invadere; caſtigatus à S. Helia, ſciſſis veſtibus, cilicio indutus eſt, & inclinato capite pænitentiam egit. Pro qua re, ſtatim ſermo Dei ad Heliam factus eſt, dicens: Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia inquit; humiliatus eſt mei causâ, non inducam in diebus eius malum. Conſiderate fratres, quia & ipſe quamlibet ſacrilegus, non reſervavit, vt poſt longa tempora pænitentiam ageret; ſed ſtatim ſacrificium contriti & humiliati cordis, Deo offerre non diſtulit. Qui vtique ſi poſtea in illa humilitate, quam cœperat, perdurâſſet, nunquam ab illo Dei miſericordia diſceſſiſſet.* XXVII. *3. Reg. 21.* Similiter Rex Achab.

Sed pergit Hipponenſium Antiſtes, & ex veteri teſtamento ad novum progreſſus, inſigne illud ſpeculum pœnitentium Magdalenam, totidem verbis proponit, ad ſequelam pulchræ celeritatis. *Meretrix quoque illa, quæ pedes Domini lacrymis lavit, & capillis ſuis exterſit, vbi cæleſtem Medicum veniſſe cognovit, vltro ſe ingeſſit in domum, vbi rogata non fuerat: & quia priùs frontoſa erat ad perditionem, poſtea frontoſior facta eſt ad ſalutem. & ideo audire meruit, quòd ei omnia fuerint peccata dimiſſa. Nec ipſa ſe ad hoc reſervavit, vt in fine vitæ ſuæ pænitentiam ageret, ſed dum adhuc peccare poterat, ſic Deo inſpirante voluit* XXVIII. Et Magdalena peccatrix.

peccat deſerere; vt illam de adulterijs ſuis non neceſſitas ſubtraheret, ſed voluntas.

XXIX. Denique omnium ferè Sanctorum in terris olim pœnitentium, primus poſt caſum labor fuit ac conatus, porrectam ad ſublevandum DEI manum non excutere, neq; differre in longum ac ſerum, morbos & mortem, ſuum reſipiſcere; ſed abſque tergiverſatione moroſa, citò, ſtatim, quamprimùm, à ſincero dolore, veroque emendationis propoſito, auſpicari pœnitentiam. In quem finem, interrogatus Abbas Pimenius, quid eſſet tandem, diceretúrque pœnitentia? Reſpondit, *pœnitentia peccatorum, eſt vlteriùs non peccare:* hominibus etiam vſq; ad ultimum vitæ ſpiritum, illud ſemper occlamari: *hodie convertimini, ne vobis repentina mors, tanquam fur ſuperveniat.* Fuiſſe lego alium, cui quoties ſua cogitatio ingeſſit: *dimitte hodie, & cras pœnitebis* ipſe iterum regeſſit: *Non ita, ſed hodie debemus pœnitere, & cras voluntas Dei fiet in nobis.*

In Vitis PP. l.7.cap.22.

Optima pœnitĕtia eſt, vlteriùs non peccare.

In Vitis PP. l.3.c.165.

XXX. Huc quoque ſpectat illa Barlaami Eremitæ inſtructio, quâ Ioſaphatum Indiæ Regem ſolicitè docuit, poſt baptiſmum ſuſceptum cavere graves noxas; aut ſi quid perperam geſtum eſt, ab eo ſtatim reſilire, contrario mentis ſanioris affectu. Ejus ſententiam recito. *Operæ pretium eſt itaque, vt poſteaquam veritatis cognitionem accepimus, atq; regenerationem, & filiorum adoptionem conſecuti ſumus, divinaq; myſteria percepimus, omni ſtudio ac diligentia provideamus, ne corruamus; quandoquidem multi cùm recidiſſent, ſeſe erigere minimè potuerunt. Etenim alij, cùm ianuas vitioſis affectionibus aperuiſſent, atq; arctiſſimo nexu ipſis hæſiſſent, non jam ad pœnitentiam ſeſe convertere potuerunt. Alij autem morte priùs abrepti, quàm contractas vitiorum ſordes per pœnitentiam abſterſiſſent, condemnati ſunt. Propterea periculoſum eſt, in vitium, quodcunq; illud tandem ſit, labi. Ceterùm ſi labi contigerit, STATIM enitendum eſt vt reſiliamus, rurſumq; ad præclarum certamen obeundum ſtemus. Et quoties cadere contigerit, toties etiam STATIM vſq; ad extremum vitæ diem, curandum eſt, vt reſurgamus, atq; in procinctu ſtemus. Convertimini enim ad me, & ego convertar ad vos, ait Dominus.*

Ex Vitis PP. l.1. in Vita Barlaam & Ioſaphat. c.11. ſub finem.

Quoties contingit homini in peccatum grave labi, toties eidĕ reſurgendum eſt.

Zachar.1.

XXXI. Deniq; quotquot impij cunctatores ſunt poſt lapſum gravem, ſuamque reſipiſcentiam, & plenam vitæ emendationem, trahunt longiùs longiusque, in futurum aliquod non exploratum differentibus, imò dubium incertumque; communi Sanctorum olim pœnitentium iudicio, atq; exemplis damnantur, de turpi ac periculoſa oſcitantia; præſertim quando alienis veſtigijs, non tantùm ducuntur ad celerem converſionem, ſed etiam ad rigidæ ſatisfactionis

Procraſtinantes emendationem vitæ, damnantur exemplis San-

com-

compenſationem, vt proinde non injuriâ hanc omnem materiam, cum ſeria hac D. Auguſtini adhortatione concludam. *Hac ergo cogitantes fratres chariſſimi, quantùm poſſumus cum Dei adjutorio laboremus, ne nobis aliqua crimina, vel capitalia peccata ſurrepant. ſi verò in hoc malo fuerit aliquis diabolicâ calliditate proſtratus, priuſquam crimina ipſa per conſuetudinem invaleſcant, remedium ſibi in die neceſſitatis acquirat, cum ingenti rugitu & gemitu, Deum ſibi reconciliari contendat. Nec erubeſcat pœnitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere; ſed* CITO *in ſe, bonis operibus contendat imaginem reparare, vt inter filios mereatur agnoſci à patre; ne ab illa æterna beatitudine excluſus, & à convivio nuptiali projectus, ligatis manibus & pedibus projiciatur in tenebras exteriores, vbi eſt fletus & ſtridor dentium; ſed magis medicamentis pœnitentiæ, humilitatis, vel compunctionis, ad ſanitatem priſtinam revocatus, & bonorum operum margaritis ornatus, audire mereatur: Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

ctorum in terris pœnitentium.

S. Auguſt. ſerm. 10. feriâ 5. poſt Domin. quinquag. ſerm. 2. de pœnit.

Matth. 22.

PARAGRAPHVS VI.

IVDICIVM DOCTORVM, SCHOLASTICORVM AC THEOLOGORVM, Circa eos improbos, Quibus conſuetudo eſt, longas converſionis ſuæ moras nectere.

I.

FEſtina lentè latinis proverbium, Roterodamo tantæ æſtimationis eſt, vt non putet ullũ aliud eſſe proinde dignum, quod columnis incidatur, pro templorum foribus deſcribatur, in principalium aularum valvis depingatur, inſculpatur primatium anulis, denique in regijs ſceptris exprimatur. Nam tametſi monitum illud *feſtina lentè*, nulli non mortalium maximo vſui eſt; præcipuè tamen Principibus, & qui cum poteſtate alijs præſunt. Horum enim vel vnica ceſſatio, ſemelvè præcipitatum conſilium, tempeſtates plerumque excitat, trahitque ſecum integras rerum

Eraſm. Roterod. proverbior. Chiliad. 2. cent. 1.

FESTINA LENTE.

rerum humanarum ruinas. Rurſum; ſi adſit maturitas quædam ac moderatio, ſimul ex vigilantia & lentitudine temperata, vt neque per temeritatem quicquam fiat pœnitendum, neque per ſocordiam quicquam prætereatur, neceſſarium ad Reipublicæ vtilitatem conſervandam, quæſo quid eſſe poſſit hoc imperio felicius, ſtabiliuſque?

II.

Regium Roterodamo Proverbium.

Atque hæc etiam cauſa eſt, cur Roterodamus prædictum adagium de lenta feſtinatione, appellet *Regium*, quod à Regibus ac principibus duo arceat vitia, ipſis communiter familiaria. Nam fortunæ favor, rerum affluentia, tam paratæ voluptatum illecebræ; præterea protinus licere, quidquid collubitum fuerit; denique peſtilentiſſimum aſſentatorum εὖγε, ſemperque parati (quidquid quocunque modo dictum factumúe fuerit) arriſus, applauſus, adgratulatio: hæc inquam, atque id genus alia, non mirum ſi quibuſdam ſocordiam concilient. Maximè ſi his omnibus fomentis, juventa acceſſerit, & hujus comes, rerum imperitia. At è diverſo fit nonnunquam, vt inſitus ille Principum ingenijs vigor, & impetus quidam, vt ita dixerim leoninus; adauctus amplitudine fortunæ, excitatus rerum maximarum ſucceſſibus, inflammatus vel iracundiâ, vel ambitione, vel alijs hujuſmodi cupiditatibus, extimulatus conſilijs præferocibus, transverſos rapiat aliquoties; ac tum ipſos, tum omnem imperij molem, in præcipitium auferat. Ne igitur hæc, aliaúe eveniant incommoda, peculiariter ſceptra & coronæ monentur *feſtinare lentè*, in rerum magnarum deliberatione.

Vſurpandũ Regibus ac principibus, in rerum magnarum deliberatione.

III.

Eraſmus Roterod. loco cit.

Expreſſum in numiſmate Veſpaſiãi, per ſymbolum anchoræ cum delphino.

Et credo, ne tam ſalubris documenti obliviſceretur Cæſar Veſpaſianus, ſibi ſymbolum fecit in numiſmate; cujus altera pars faciem Imperatoris, cum inſcriptione continuit; altera anchoram, & ex medio ejus ceu temone, obvolutum delphinum. Vbi ſuppono priſcis ſæculis, multum literarum hieroglyphicarum fuiſſe vſum; maximè apud Ægyptios, qui nefas eſſe ducebant ſapientiæ myſteria, communibus literis prodere vulgo profano, vt nos ſolemus; ſed cùm quid cognitu dignum judicâſſent, id animantium, rerumque variarum expreſſis figuris, ita repræſentabant, vt non ſtatim promptum eſſet conijcere. Verùm ſi cui ſingularum rerum proprietates, ſi peculiaris cujuſq; animantis vis ac natura cognita, penituſque perſpecta fuiſſet; is demum collatis eorum ſymbolorum conjecturis, ænigma ſententiæ deprehendebat. Quia igitur anchora, navim remoratur & ſiſtit, tarditatem indicat. Delphinus autem, quoniam inter piſces eſt, quod Aquila inter volucres, &

Quia alterum temperatur ab altero.

admi-

admirabili impetu fertur, celeritatem exprimit. Atque adeo Veſpaſianus, cùm in numiſmate anchoram, ac delphinum circumtulit, iſtud hieroglyphicum expreſſit; *feſtina lentè.*

IV. Sed vt proverbium hoc locum habeat alibi, nego habere poſſe, aut debere, quando in deliberationem venit negotium pœnitentiæ apud improbos, & reſipiſcentiæ. Omnis hîc lentitudo periculoſa eſt; nam ſi mors oppreſſerit cunctatorem, ſalutem perdidit & cœlum. Celeritas (ſi vlli mortalium) neceſſaria eſt cumprimìs impio, quando à delicijs ac voluptate, proſtratus fuit in præcipitia ſcelerum. inde reſurgendi, mora omnis ſuſpecta eſſe debet. Itaque vniverſis profligatæ vitæ hominibus, quos vitiorum ſuorum deguſtata millies ſuavitas, tenet ſemper captivos, illam inculco adhortationem, quâ Seneca Lucilium olim ſuum, ſapientiſſimè ita admonuit. *Propera Lucili chariſſime, & cogita quantum celeritati additurus fueris, ſi à tergo hoſtis inſtaret, ſi equitem adventare ſuſpicareris, ac fugientium premere veſtigia. Fit hoc, premeris, accelera & evade, perduc te in tutum. & ſubinde conſidera, quàm pulchra res ſit, conſummare vitam ante mortem; deinde expectare ſecurum, reliquam temporis ſui partem.*

In negotio pœnitentiæ, non habet locum iſtud verbum: FESTINA LENTE.

Seneca ad Lucil. epiſt. 32.

V. Aperite oculos mali, quibus conſuetudo eſt, longas converſioni moras inijcere. hem! Eques vobis infeſtus poſt tergum imminet; quem Ioannes Apoſtolus, cùm exul Pathmum inſulam incoleret, conſpexit, ac depinxit in ſequentem modum. *Ecce eques pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi* MORS, *&* INFERNVS *ſequebatur eum.* Væ miſero, quem adhuc cunctantem de pœnitentia, mors inter flagitia obruit; nam ab ea longè infernus abeſſe non poteſt; ſequitur proximè, vt damnatam ſibi victimam, plenis faucibus hauriat. Quoniam igitur impio quotidie mors, fatalis eques inſtat, cum tota ſtyge ad vindicias ſcelerum parata, jure merito periclitanti acclamo illud Senecæ: *Premeris, accelera & evade, perduc te in tutum.* aſylum peccatoribus omnibus eſt, vitæ ſuæ emendatio ſeria; huc ſi te ocyùs receperis poſt lethales noxas, jam ſecurus expectare potes fata & obitum. Sin moram traxeris odioſam, & diſtuleris pœnitendi conſilia ſemper PLVS VLTRA, certè caput tuum ac ſalutem, ingenti offers diſcrimini; etiam Doctorum judicio, Scholaſticorum ac Theologorum, quorum nullus in hac materia ſuadet lentum eſſe, ſed feſtinantem. Placet tamen etiam hîc ſelectu vti, & paucorũ auctoritate, noxiam multorum procraſtinationem convellere.

Apoc. 6. 8.

Mors & infernus ſequitur Impium; citò reſipiſcere debet, vt periculum evadat.

Conſpirantibus in hanc ſententiam Scholaſticis Doctoribus, ac Theologis.

VI. Itaq; Petrus Lombardus, ſive Magiſter ſententiarum, celeberrimus antiquiſſimæ Pariſienſis Academiæ Doctor, de his, qui in fine vitæ ſuæ pœnitent, ſic ratiocinatur. *Sciendum eſt, quod tempus pænitentiæ eſt vſq; ad extremum articulum vitæ. Auguſtinus tamen de differentibus ita ſcribit. ſi quis poſitus in vltima neceſſitate, voluerit accipere pænitentiam, & ſi accipit, & mox reconcilatur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus, quia bene hinc exit; ſi ſecurus hinc exit, neſcio. Sed quare hoc dixit ſanctus Auguſtinus, cùm pænitentia, quæ in fine agitur, in pſalmo appelletur ſacrificium veſpertinum, quod erat acceptabilius in lege: & cùm, in quacunq; die invocetur* D E V S, *adſit: & quâcunq; horâ ingemuerit, & converſus fuerit peccator, vitâ vivet, & non morietur? Sed illa dixit Auguſtinus propter illos, qui pænitentiam vſque ad finem vitæ protrahunt; & tunc non ex* D E I *amore videntur pænitere, ſed timore mortis, quaſi ex neceſſitate. Vnde idem quaſi aperiens, quare ſuperiora dixit, ait: nullus expectet, quando peccare non poteſt. arbitrij enim libertatem quærit* D E V S, *vt deleri poſſint commiſſa; non neceſſitatem, ſed charitatem; non tantùm timorem, quia non in ſolo timore vivit homo. Quem ergo ſeriò pænitet, oportet non ſolùm timere Iudicem, ſed diligere, quia ſine charitate nemo ſalvus eſſe poteſt. Quæ converſio, ſi contigerit alicui, etiam in fine; deſperandum non eſt de ejus remiſſione. Sed quoniam vix, vel rarò eſt tam juſta converſio, timendum eſt de pænitente ſerò. Maximè cùm filij, quos illicitè dilexit, ſint præſentes; Vxor & mundus ad ſe vocet. Multos ſolet ſerotina pænitentia decipere. Sed quoniam* D E V S *ſemper potens eſt, ſemper etiam in morte iuvare volet, quibus placet. Cùm ergo opus ſit non hominis, ſed* D E I *fructifera pænitentia, inſpirare eam poteſt, quandocunq; vult ſua miſericordia: & remunerare ex miſericordia, quos damnare poteſt ex Iuſtitia. Sed quoniam multa ſunt, quæ impediunt, & languentem retrahunt:* PERICVLOSVM EST, ET INTERITVI VICINVM, AD MORTEM PERTRAHERE POENITENTIAM.

Magiſter Sent. in 4. diſtinct. 20.

S. Aug. l. de vera & falſa pænit. c. 17.

Magiſtri Sententiarum ſententioſa ſententia: *Periculoſum eſt, & interitui vicinum, ad mortem pertrahere pænitentiā.*

Quæ ipſa etiam ſunt verba S. Auguſtini *c. 4. de vera & falſa pænit. c. 17.*

VII. Magiſtro Sententiarum accedit Scotus, qui ab acrimonia ingenij, ſubtilis Doctoris nomen ſortitus eſt. Ejus inter alias, hæc ponitur quæſtio *Vtrum pænitentia in extremis ſufficiat ad ſalutem?* Loquitur autem maximè ex occaſione eorum, qui ſub pallio reſipiſcendi ad obitum, imperterriti continuant improbitatem, ac ſine fronte. Itaque propoſitam dubitationem ſic ipſe reſolvit. *Impoſſibile non eſt in extremis habere veram pænitentiam,*

Scotus in 4. diſt. 20.

Dictū ſubtilis Scoti: in extremis diu improbum,

tiam, quâ homo ſalvari poſſit; SED EAM HABERE DIFFICILLIMVM EST, ET RARISSIMVM. Deinde ſic explicat aſſertionem poſitam. *In iſta quæſtione, tenentur communiter duæ veritates. Prima eſt, quòd poſſibile eſt habere veram pænitentiam in extremis; & ſi habeatur, ille qui habet, ſalvatur. Secunda eſt, quòd ipſam habere eſt difficillimum homini, & rariſſimum in quantum ad DEVM, ET PER CONSEQVENS, PERICVLOSISSIMVM EAM EXPECTARE.*

habere veram pænitentiam, difficillimū eſt, & rariſſimum.

Primum patet per Auguſtinum, de vera & falſa pænitentia. pænitentia vera donum DEI eſt; igitur poteſt dari à DEO, quando vult. Igitur poteſt eam dare in extremis; & ſi confert, fructuoſa eſt. Secundum patet, ſcilicet quod ſit difficillimum ex parte hominis. primò ſic. Quando imminet alicui mors, ut, per infirmitatem, vel videt gladium ultra caput, vel navem fractam; in quibus caſibus convenire non ſperatur vita; habebit quicunq; vel vehementem dolorem, propter infirmitatem; vel vehementem timorem propter illud extrinſecum; & tunc vix poteſt intellectus occupari circa aliquid aliud, quàm per ſenſitiva, propter ordinem potentiarum. quia vel totaliter impeditur actus intellectûs ab alio actu, vel non habet actum perfectum alium, cùm dolor occupet totam partem ſenſitivam. Sed nolendo peccatum, oportet quòd ſit magna conſideratio intellectûs, & deteſtatio ad hoc, quòd ſit attritio ſufficiens ex congruo ad remiſſionem peccati, ſicut fuit vehemens delectatio prior in peccato. Secundò ſic. Ad hoc, quòd ſit diſpoſitio ex congruo ad receptionem gratiæ, oportet, quòd ſit voluntaria deteſtatio, & debita circumſtantia finis; ut, quòd homo non ſolùm pæniteat propter timorem pænæ, ſed timore filiali. Sed difficile eſt tunc dolere, niſi ex timore ſolùm. & ſi non ſit cum amore, non diſponit ex congruo; ideo difficile eſt. Tertiò ſic. Ex habitu malo præcedente uſum, ad extremum eſt inclinatio vehemens ad peccata, & ad actus ſimiles prioribus. Igitur difficile eſt, tunc primò contra iſtum habitum inclinare deteſtando, quæ prius erant delectabilia. PATET IGITUR, QVOD SIT DIFFICILLIMVM EX PARTE HOMINIS. Quòd ſit RARISSIMVM EX PARTE DEI, patet; quia ſi ſine iſta diſpoſitione DEVS conferat gratiam, HOC EST MERE MIRACVLOSE. Deniq; ſic concludit Scotus. Ideo quamdiu non eſt aliquis in extremis, MONENDVS EST, NE EXPECTET PÆNITERE IN EXTREMIS TANTVM. Quando verò in extremis poſitus, conſolandus ne deſperet.

VIII.

Oſtendit Scotus, cur ex parte hominis diu ſceleratiſſit difficillimum habere verā in morte pænitentiam.

Cur etiam rariſſimum ſit ex parte DEI?

IX. Ratio Scoti de difficultate pœnitēdi modò in morte, conſiſtit in varijs ſub id tempus animi perturbationibus.

Igitur tota Scoti ratiocinatio, quâ probat ſeram in obitu converſionem, impijs admodum fore difficilem, triplex eſt. Primam ſumpſit ex perturbationibus, quæ in moriente ſunt potentiſſimæ, propter ipſam præſentiam imminentis jam mortis; tum quia hæc juxta Philoſophum, omnium terribilium eſt terribiliſſimum; tum quia in ea, velut brevi compendio, longa malorum ilias includitur: ægritudo in corpore, anxietas in anima, metus in mente, ſolicitudo in cogitatione, jactura in fortunis, amicis, liberis, conjuge, vita. Quæ omnia cùm hominem invadunt moriturum, velut in mille curas diſtrahunt, abducuntque ab eo, cujus tum vnius, præcipuum eſſe ſtudium oporteret; nempe ſalutis lucrifaciendæ. Alteram rationem accepit Scotus cum Magiſtro, ab intrinſeca libertate pœnitentiæ, quæ ex voluntatis promptitudine debet proficiſci, non ex coactione aut neceſſitate. Qualis ſemper videtur intervenire apud eos, qui cum ſceleſta vita, veram pœnitentiam prorogant ad vltima fata. Iamque vbi ad mortem, ac proximum morti Numinis tribunal, ituri ſunt; tum enim verò ad DEI provocant miſericordiam, ad Chriſti Redemptoris effuſum ſanguinem, ad Divorum in cœlis patrocinia, ad Eccleſiæ ſanctæ merita. Denique & noxas confeſſione expiant, & Euchariſtico ſe viatico ad diſceſſum muniunt; neque aliter mori ſe velle proteſtantur, quàm pios Chriſtianos deceat, & pœnitentes. Cæterùm plurimi iſtorum, quamprimùm fatorum periculo eximuntur, redeunt cum porcis ad volutabrum, cum canibus ad vomitum, repetunt damnoſas ſocietates, iterant gulas, & intemperantiam ebrietatis, recipiunt ſcorta & proſtibula; vt manifeſtum ſit, eos non ſpontaneâ voluntate, ſed neceſſitate mortis, illa priùs omnia dimiſiſſe. Tertia Scoti ratio ſumpta eſt ex peccandi conſuetudine, quæ cùm inolevit, ita hominis conſtringit affectus, vt ab ea recedere ſit perquàm difficile, etiam quando moriendum eſt. Certè frequens docuit experientia, & avaritiæ aſſuetos, eſurijſſe aurum in morte; & vindictæ deditos, ſitijſſe humanum ſanguinem; & Veneri addictos, inter amplexus meretricios voluiſſe extingui.

In quadam coactione, & velut neceſſitate pœnitentia.

In peccandi conſuetudine, altera natura.

X. Inveterati dierũ malorum, alphabetarij fiant, di-

Ex quibus omnibus non obſcurè patet, quantùm illi hallucinentur leviculi, qui dum protervè peccant, & protervius in mortem remittunt pœnitudinem culparum, emendationem affectuũ; ajunt nullo tum negotio, rem ſe ac ſalutem ſuam confecturos. facilem DEVM eſſe ad ſupplicis preces; vno ejus gemitu divinam bonitatem expugnari, vnâ lacrymulâ emolliri; nullis alijs opus

eſſe

Digitized by Google

eſſe machinis, quàm dolentis animi teſtimonio, confeſſione noxarum, deprecatione offenſæ; denique voluntatis inflexione, ſive correctione affectûs mali in bonum, vitioſi in honeſtum. nihil hîc magnæ difficultatis, aut periculi eſſe. Sed tuâ pace dixerim, infans hîc es, neque ſapis ea quæ Dei, aut Spiritûs ſunt, occupatus inter crepundia humanæ vanitatis. Vtinam alphabetarius puer fias apud ſummos Scholaſticos, diſcaſque hæc paucula Magiſtri ſententiarum verba rectè legere, atque intelligere. PERICVLOSVM EST, ET INTERITVI VICINVM, AD MORTEM PERTRAHERE POENITENTIAM. Et iſta ſubtilis Scoti: IMPOSSIBILE NON EST, IN EXTREMIS HABERE VERAM POENITENTIAM: SED EAM HABERE, DIFFICILLIMVM EST, ET RARISSIMVM. ſcantq; legere atque intelligere, ominoſam ſibi ſententiâ, apud Magiſtrû ſententiarum.

Neque multùm ab iſtis, primis in Theologia viris, abludit Bloſius, doctiſſimus ſimul ac Religioſiſſimus Lætienſis Abbas, diſputans de pulcherrima Miſericordiæ ac Juſtitiæ divinæ mixtura; quarum altera ſicut cavet deſperationem, ita altera nimiam cum præſumptione fiduciam proſcribit. Et habet hujus Doctoris ratiocinatio, eò amplius momentum, quia fundatur in Chriſto, æterni Patris Sapientia. Ita enim Bloſius orditur telam ſuam. *Chriſtus S. Gertrudi ait: Quilibet poterit reſpirare in ſpem veniæ (quamlibet etiam gravi pondere peccatorum, ſe ſenſerit depreſſum) offerendo Deo Patri meam innocentiſſimam paſſionem & mortem. Credat igitur peccator, ſe per hoc obtinere ſaluberrimum fructum indulgentiæ; quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, ſicut devota memoria meæ paſſionis, cum fide recta & vera pænitentia.* Adjungit verò poſtea nominatus Auctor ſequentia, quibus impiorum ſpes cum ſalubri metu temperari & poſſit, & debeat. XI.

Spes Impiorum de pœnitentia olim facienda, cum ſalubri metu eſt temperanda.

Bloſius in monili ſpirit. c. 1.

Ceterùm non ſolùm Miſericordia, ſed & Juſtitia Dei prudenter conſideranda eſt; de qua Chriſtus frequenter B. Brigittæ valde terribilia locutus eſt. Igitur peccator quiſque non dicat apud ſe: ſequar modò voluntates & voluptates liberè, fruar delicijs & jucunditatibus hujus mundi; poſtea corrigam me in fine vitæ meæ. magna enim & immenſa eſt Miſericordia Dei; quandocunq; me pænituerit peccatorum meorum, recipiet me pius Dominus, & ſalvus ero; interim faciam quod libet. non hæc dicat peccator, non ſic agat, non ſe ipſum in periculum conijciat; ſed ſine PROCRASTINATIONE *vitam ſuam malam corrigere ſtudeat, & peccata ſua coram ſacerdote (ſi poteſt) confiteatur, idq; purè & integrè. quamvis enim Deus promittat peccatori, verè pænitenti miſericordiam, non tamen promittit in peccatis perſeveranti veram pænitentiam, nec longam vitam. Certum verò eſt,* XII.

Ita homines improbi meminiſſe debẽt divinæ miſericordiæ, vt non obliviſcantur juſtitię.

rò eſt, quia ſi peccator, qui criminibus ſceleribuſq́; ſuis injuriam DEO *intulit, veram contritionem & pœnitentiam, antequam anima ejus ſeparetur à corpore, non habuerit, exigente divinâ Juſtitiâ, in æternum peribit. O quàm multi perſuaſionibus diabolicis ſeducti, permanent ac moriuntur in ſuis iniquitatibus!* Et ſentio planè, tam veram eſſe hanc optimi Præſulis exclamationem, condolentiæ teſtimonium; quàm multi hodie apud inferos queruntur, nimiũ ſe inter continuata ſcelera, confidiſſe de Numinis bonitate; oblitos æquitatis, toties à ſe ad vindictam provocatæ.

Multi periêrũt, quia nimis confiſi ſunt de bonitate Dei.

XIII. Quam ob cauſam Didacus Stella, ex Ordine Minorum eruditus homo, & à ſuis lucubrationibus percelebris; exploſurus vanitatem eorum, qui reſipiſcentiam poſt flagitia ſua trahunt, ſimul iiſdem periculum imminens oſtenſurus, hæc in materiam præſentem ſcribit. *Cur differs pœnitentiam in tempus, quod fortè non videbis? Ne unum quidem diem habes ſecurum, & expectas annum integrum ad faciendam pœnitentiam? Vivis in periculo, tanquam ovis in ore lupi. quid remedij, niſi ut implores opem paſtoris tui, Chriſti videlicet? niſi brevi devorari velis à morte; ne promittas tibi longam vitam. Repromiſſio nequiſſima multos perdidit, inquit Sapiens. An ignoras, quòd pater poſuerit tempora in ſua poteſtate, non in tua? dicit Pſalmiſta, tempus faciendi Domine, diſſipaverunt legem tuam. Tempore Noë, conceſſit Deus centum & viginti annos hominibus, ad faciendam pœnitentiam; ſed quia malè tempus expendebant, abſtulit ab illis viginti annos, & excitavit diluvium anno centeſimo. Si abuſus fueris tempore, eo privaberis.*

Didacus Stella lib. de contemptu mundi. parte 1. c. 38. & 39.

Eccleſ. 29. Pſal. 118. Gen. 6. 3.

Differentibus pœnitentiã, Deus aliquando in pœnam accidit vitam.

XIV. Idem Stella, monſtraturus lectori viam ad cœlum, diſſuadet longas cunctationes in vita emendanda, quòd pœnitentia dilata ad mortem, occaſione ejus articuli, ipſiuſque vitio improbi, ferè ſemper inutilis fiat. *Tempore quo ſanus es* (inquit) *converte ad Deum; quia in diluvio aquarum multarum, ubi circumdatus fueris doloribus ingentibus, contremiſces præ tremore mortis. Et profectò, niſi cum multa difficultate, appropinquabis unquam Deo, ſi totâ vitâ tuâ te elongaveris ab eo. Dicit* DEUS: *tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Dies ſalutis eſt ſtatus vitæ præſentis, quem elabi non ſinas; nam cum eo, quantumvis brevi, promereri poteris vitam æternam. Omnia tempus habent; tempus ridendi, & tempus flendi. Tempus hujus vitæ eſt tempus flendi, & tempus faciendi pœnitentiam. Cur igitur differs contritionem adeò neceſſariam ad tuam ſalutem, quam difficulter impetrabis tempore mortis? quo licet quis multum lacrymetur, credendum tamen id facere eum, potiùs timore inferni, qui non juſtificat hominem. Paſſiones ortæ ex melan-*

Qui totâ vitâ abſceſſêrũt à Deo, difficulter ei appropinquant morientes.

melancholia, fortiùs movent, quàm quæ oriuntur ex cauſa delectabili. Si itaque brevis delectatio, impedit rationis vſum, magis impediet judicium ingens triſtitia, & mortis horror; quæ res, rationem tibi ita obfuſcabunt, vt vix poſſis te convertere ad Deum, ſi in vita ſemper ſervivisti mundo. Accedit, quòd intellectus tuus non poteſt eodem tempore ſpeculari diverſa objecta perfectè. Imò in hora mortis, dolores te adeò opprimant, vt difficulter admodum poſſis cor tuum attollere ad Deum.

Sed Didacus Stella, pulchrum Familiæ Franciſcanæ ſidus, aliam monſtrat difficultatem reſipiſcendi impijs ſub obitum, ex irroborata peccandi conſuetudine naſci ſolitam, præſertim ſi eo articulo, infeſtantis Orci potentia acceſſerit. *Habitus* ait, *eſt qualitas difficulter mobilis. peccatum jam nimis aſſuetum, te ex vna parte trahet; & graves tentationes, tibi ſe opponent. Adde quòd tentationes in morte ſunt longè vehementiores, quàm quæ fuerunt in vita. ſi igitur paucis tentationibus in vita reſiſtere nequis, quomodo te defendes à maximis tempore mortis? quâ fiduciâ ſperas te victorem fore, quo tempore tu debilior es, hoſtes verò ſunt fortiores? tempore ſanitatis, non præliaris cum hoſte; & tempore infirmitatis, id audes? Nihil itaque melius eſt, quàm ſtatim facere pænitentiam, nec differre in craſtinum, quod ſemper eſt incertum.* In qua ſententia citatus Auctor, tribus motivis velut triplici funiculo, conſtringit ſolutos ad ſcelera homines, monetque in negotio pœnitentiæ, ne Fabij cunctatores eſſe velint, atque omnia remittere in Craſtinum; tum quia tempus craſtinum dubium eſt, multoſque in ſpe ſua deſtituit; ſimiles Tantalo, ſemper hianti ad poma, nihilque capienti. tum quia, ſi vel maximè expectatum Cras compareat, vitiorum tamen diuturnus vſus, difficultatem ponit ſeriò reſipiſcendi; auctus præſertim validiſſimis eo tempore, mali Genij tentamentis. tum quia fractis animæ potentijs, multumque impeditis ad grande illud opus, nunquam aſſuetæ pœnitentiæ; metus præſentis mali, & ſollicitudo futurorum, potentes ſunt remoræ, quibus ſæpe totus impiorum conatus ſuſpenditur in morte, ne appellat ad littus divinæ veniæ.

XV.

Si homo ſceleratus, dum ſanus eſt, paucis tentationibus cedit: æger & moribundus quomodo reſiſtet pluribus & maximis?

In negotio pœnitētiæ, nemo debet eſſe cunctator Fabius.

Quam in rem ſic pronunciat, ex purpuratorum collegio Patrum Eminentiſſimus Bellarminus. *Sæpe accidit, vt Sacramentum Pœnitentiæ, quo tempore magis eſt neceſſarium, illo ipſo tempore minùs accuratè ſuſcipiatur. Qui enim gravi morbo laborant, vel doloribus impediti, vel debilitate, vel deficiente judicio, vel horrore propinqua mortis, vel amore charorum, quos inviti relinquunt; ſatis imperfectam confeſſionem peccatorum faciunt. & valde ægrè contritionem veram & perfectam*

XVI.

Bellar. lib. 2. de arte moriendi, cap. 6.

Digitized by Google

perfectam in illis anguſtijs, in ſe ipſis excitare queunt. Teſtis ego eſſe poſſum huius difficultatis, quam ægroti vt plurimùm patiuntur. Nam cùm aliquando inviſerem amicum, virum divitem ac nobilem, qui ex peccato quodam gravi perpetrato, in morbum lethalem inciderat; atque ei dicerem, nihil ſalubrius eo temporis articulo eſſe poſſe, quàm veram peccatorum ſuorum pœnitentiam & contritionem, quia DEVS *cor contritum & humiliatum nunquam deſpicit. Reſpondit ille: & quid eſt* CONTRITIO? *non capio quid à me requiras. Subjeci ego, hoc requiro, vt ex vero corde diſpliceat tibi, quòd in* DEVM *peccaveris; & omnino ſtatuas, ſi diutiùs vixeris, nunquam ampliùs* DEVM *offendere; idq; totum procedat ex vero amore* DEI, *qui tibi innumerabilia beneficia præſtitit, cui tu ingratiſſimus pro beneficijs injurias reddidiſti. Reſpondit ille; non intelligo, non ſum capax rerum iſtarum. Ita obijt, ſigna damnationis ſuæ ſatis aperta nobis relinquens.*

Ægro vni & morituro rienti, olim peregrina fuit vox CONTRITIO.

XVII. Hæc tum ex doctiſſimo Bellarmino, tum ex alijs eruditiſſimis Viris, eò libentiùs in medium adduxi, vt eorum pateret judicio, quantopere ſe illi decipiant, qui cùm perſeverant in vita ſua eſſe *fratres Struthionum, ſocij draconum*, amatores beſtialium concupiſcentiarum, aucupes vetitarum oblectationum; audent tamen largis promiſſionibus, ſibi planiſſimum ad cœlos iter ſpondere; ſcilicet eam, quam ſub extrema vivendi ſpatia facturos ſe ajunt, præteritorum ſcelerum palinodiam; & quos nunc velut parturire incipiunt, ad illum articulum, bonæ mentis optimas molitiones. Sed cùm denique januam pulſat Numinis apparitor mors, & jubet ſarcinas colligere, ſuiſque vale dare vltimum; cùm ipſi amici mentionem æternitatis inijciunt; cùm ſacerdos meminiſſe jubet commiſſorum, eaque in ſacro tribunali dolenter excutere; cùm cœleſtis genius ſuggerit ſerium melioris vitæ propoſitum; cùm invitat ad ſincerum ſui amorem Chriſtus ipſe, & tot argumentis, quot vulnera oſtendit è Cruce pendulus, ſuæ charitatis luculentiſſima indicia; nimirum tum nemo illorum domi ſuæ eſt, omneſque illas piè adhortantium ſanctiſſimas linguas, habent pro peregrinis; vt ijs accommodari poſſit, quod olim de Apoſtolis conſignavit Evangeliſta, poſtquam multa à Servatore noſtro acceperant de varijs tormentorum ſupplicijs, quibus expiaturus erat humani generis noxas: *Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.*

Iob 30. 29.

Hodie pluribus in morte ſua impijs, CONTRITIO vox, & res peregrina eſt.

Luca 18. 34.

XVIII. Cauſam ſi interrogas, cur perditiſſimus quiſque non percipiat, vel admittat quæ morienti ipſi ſuggeruntur ſana conſilia, ſalutis ſuæ tum promovendæ; hanc eſſe autumo; quòd totus cum morte

ſua

ſua occupatus, re omnino ſeria & tragica, pœnitentiam tanquam planè alterius generis ac ordinis, facilè diſſimulet: ſeu potius excutiat, quòd vtrique ſimul vacare non poſſe videatur. Hîc obſervandum; eſſe limitatas hominum potentias, vt in diverſas actiones ſimul & ſemel, ſeſe dividere non queant. Ita nemo hactenus repertus eſt, qui eodem tempore ac momento, ſimul & ſtudere potuerit & nugari, equitare & ambulare, laudare & vituperare, canere & comedere, flere & ridere, ingemiſcere & cachinnari. Sic ajo, *mori & pœnitere*, actiones ſunt diverſiſſimæ, & involuunt multùm inter ſe diſcrepantia apud hominem, ad mortem vſq; ſceleratum; cui vtrumque tum agere, ſi non impoſſibile, tamen perquàm difficile ſit. Rem omnem illuſtrabo per ſimilitudinem.

Hominum potentiæ & actiones, ſunt limitatæ, neq; poſſunt ſimul & ſemel intendere in valde diverſa.

Mori & pœnitere, admodū ſunt diſcrepantia.

XIX.

Rex ſit quiſpiam, aut Princeps, qui jubeat ſingulos aulæ ſuæ famulos, eſſe ad iter paratos. ituros olim citatis equis in Galliam, Hiſpaniam, Italiam, quâ horâ ſignum acceperint & nutum; ſed non indè redituros ampliùs ad patriam; ea propter maturarent debita aliena ſolvere, lites componere, rationes facere, teſtamentum condere, & ſi quæ alia ſunt majoris momenti, negotia præmittere. Iam ſi iſtorum aliquis ſic vellet argutari. Incertus annus eſt, incertus menſis, dubia hora, quâ principis mei veniet imperium: ſicut interea hero meo, *Multa cadent inter calicem, ſupremaq́; labra*; ſic intercidere multa poterunt, quæ curas illius totas rapiant ad ſe, nec niſi ſerò tandem ſinant meminiſſe indicti itineris. Itaque dum mandatum accepero, ſomno indulgebo & luſibus, litabo voluptati, & geniales traham dies; poſteaquam hora abeundi decreta mihi fuerit, continuò ac ſimul ocreas induam cum calcaribus, & controverſas cum adverſarijs cauſas colligam, & rationes inſpiciam dandas, & creditoribus meis ſatisfaciam, & teſtamentum hæredibus ſcribam. interea placet otiari ſuaviter, & omnia iſta expedienda reſervare ad profectionis tempus. Quis prudens non diceret, hunc talem fatuum eſſe, & primæ ſtoliditatis hominem? Eſto enim Principis juſſio non ſit properata, ſed lenta & ſera; quomodo tamen vnâ illâ abitûs ſui horulâ, & ſimul ad iter ſe comparabit tam longum, & ſimul conficiet alia ſeveriora, illuc remiſſa negotia? quomodo dum veſtes aptat viæ, dum viaticum numerat, dum ocreis ſe munit & calcaribus, ſimul & contractum æs ſolvet, & litium cauſas accommodabit, & multorum annorum rationes faciet, & tabulas teſtamenti conſcribet, & firmatas idoneis te-

Qui neceſſarium, ſed incertum iter habet, ſemper neceſſe eſt, vt ſit paratus.

Gell. lib. 13.

Nec prudenter ſervabit ad ipſum abitum, quæ præmittenda erant negotia.

Digitized by Google

ſtibus ſignabit? nam illa horula, non eſt patiens tam diverſarum, & non cöeuntium actionum. Satis quod agat habet, qui longum iter habet. qui alia agenda illuc reijcit, neque hoc bene aget, neque illa.

XX. Sed progredior. Negare nemo poteſt: DEVS Rex Regum, jure abſolutiſſimi dominij, cunctos mortales ſibi habet ſervos & mancipia. Iubet etiam omnes paratos eſſe, cùm imperaverit hinc migrare, & illuc iter facere, vbi æternitas eſt hoſpitium; vnde negant redire quenquam. Sed neminem aliâ die & horâ, hinc vult abire, quàm ipſe indixerit; monet proinde vniverſos: *Vigilate, quia neſcitis diem neq; horam.* interea dum ſignum dabitur ad proficiſcendum, ſingulos debere quàm optimè, domui ſuæ diſponere. Et certè ante oculos quaſi noſtros, Curſor paſſim oberrat per regna, provincias, civitates, oppida, plateas, domos, qui ex voluntate ſupremi Numinis, jam hos, jam alios evocat ad diſceſſum. Veredarius hic, Eques eſt ille, quem ſupra deſcripſit Sanctus Ioannes Apoſtolus: *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors.* Itaq; ne imparati educantur, probi omnes Chriſtiani id maximè curant, vt continuò ſint accincti ad longiſſimum æternitatis iter, & quaſi ſemper calcaria induti; puta timorem divinum, qui eorum animos ſemper fodicando, arceat dum vivunt, à gravibus peccatis. Tum deinde contentiones, ituras de jure ad injurias, maturant componere, amantiores pacis quàm litis. Præſertim verò ſtudent & offenſas ignoſcere, & cum offenſis quamprimùm redire in gratiam. Quin etiam ad calculum vocant debita, præcipuè quæ apud DEVM per majores noxas contraxerunt. hîc rationes ponunt, acceptorum & vſurpatorum examen ineunt, librum conſcientiæ ſæpe inſpiciunt, voluunt pagellas ſingulas & evoluunt, de nulla re plus ſolliciti, quàm de reconciliatione Numinis læſi; hinc frequenter ſe reos ad tribunalia ſiſtunt, frequenter ſupplices ad Euchariſticam menſam veniunt; nunquam feliciùs epulati, quàm cum ab ara DEI, ejuſdem redeunt amici, nulli alteri præter ipſum poſthac ſervituri, victuri, morituri. Et hoc ipſum eſt teſte cœlo, & omnibus ejus incolis, quaſi ex tabulis teſtamenti, legare ſe ipſum Creatori ſuo. Nunquid igitur iſti, ſic parati ad omnem diem, horam, momentum, quo mors Veredarius cornu inflaverit, ſignumq; dederit maturandi abitûs, feliciter hunc deſerent mundum? feliciùs intrabunt alterum?

Omnibus mortalibus iter faciendum eſt ad Æternitatem.

Matth. 25. 13.

Apoc. 6. 8.

Quando ſcilicet Mors, ſuo quemque tempore evocaverit.

Quantæ igitur dementię eſt, præmittenda tanto itineri ſalutis negotia, reſervare in articulū moriendi?

XXI. Obſtupeſcenda verò eſt ſtultitia Impiorum; quibus tametſi cer-

ſi certiſſima mors ſit, incertiſſima mortis hora: ſurdi nihilominus ad Chriſti paternam admonitionem, neque vigilant, neque itineri tanto, tamque periculoſo ſe parant. Signum eſt, quòd calcaria divini timoris excutiant potiùs, quàm pedi aut cordi adſtringant; effuſi in omnem probroſæ vitæ licentiam. Volupe illis eſt ſemina diſcordiarum fovere, multiplicare contentioſas in foro actiones, trahere alias ex alijs litigandi occaſiones. quin etiam exaſperato per adverſarium animo, fomitem ſupponere, rancorem, odium, inimicitias; mala ſemper in flammas exarſura. Quid dicam de illis debitis grandium culparum, quas contra ſe patratas, in ſuam diphteram DEVS retulit? Hîc multi ſimiles ſunt illi Romano Equiti, qui oppreſſus graviſſimo ære, ſuaviter tamen dormivit; vt cùm deniq; res ejus auctioni ſubijcerentur & haſtæ, Auguſtus Imperator præceperit emi culcitram, ſupra quam inter debita ingentia, tranquillũ ſomnum ducere ſolitus eſt; ſibi quoq; profuturam ratus ad quietem tum conciliandam, cùm varia curarum moles interturbaverit ſoporem. Miratus enim verò Cæſar eſt, hominem tanto ære ligatum, non ſingulas noctes habuiſſe inſomnes.

Et intereà pulvillo vitiorum ac voluptatũ ſuaviter immergere caput?

Paulus Manut. l. 4. Apophteg.

Et imitari obæratum Equitem Romanũ?

XXII.

Sed ſi rem omnem ad veritatis ſtateram ponimus, nemo plus debet, quàm ille, qui gravibus adverſus DEVM ſe obſtrinxit ſceleribus. Noxa lethifera tam enorme debitum eſt, cui ſolvendo non fuit totum mortale genus; neceſſe erat vt ipſe DEI Filius, in humano corpore ſanguinis ſui pretium numeraret. Et tamen (quod mirantur ſuperi) ſunt in terris homines, qui flagitijs quotidianis ſecuriſſimè indormiunt, nihil ſolliciti de ſolutione & ſatisfactione exhibenda. Hinc nec conſcientiam ſuam accuratè diſpiciunt, nec calculum peccatorum ſubducunt, nec orationes ad Creditorem Deum ſupplicabundi inſtituunt, nec frequentant divina Confeſſionis & Euchariſtię myſteria, reconciliatura reum Iudici ſuo; aut ſi hęc quandoq; obeunt ſalutis media, defectu rectę intentionis enervant: vel ſolâ ducti conſuetudine, cum emendandæ vitæ propoſito frigido, languido, flaccido, marcido, nullo, corrumpunt. Ita conſultò, omnem ſeriam morum, affectuumq; mutationem, dum valent, differunt in ægritudinis moleſtias, ſenectutis miſerias, mortis ſuperventuræ vltima momenta. tum demum ſimul & calcar divini timoris admiſſuri, & conſcientiæ lites compoſituri, & DEO ſua debita perſoluturi, & cum eodem in amicitiam ituri. Verbo, itinere compendioſo tranſituri in libertatem filiorum DEI. Atque hæc fiducia olim pœnitendi, cum veredarius

Nullũ debitum, majus eſt debito peccati.

Nihilominus tamen fiducia olim per pœnitentiã ſatisfaciendi, improbis non paucis ſubſternit culcitram.

Digitized by Google

mors, ad januam ſteterit, pulvinar illud eſt & culcitra, quam homines graviſſimè noxij, capiti ſuo ſubſternunt, ad ſuavem ſomnum inter infinita debita trahendum.

XXIII.

Odiſſe in morte, quod ſemper in vita amâſti; & amare in morte, quod per omnem vitam odiſti, res eſt oppidò ardua.

Sed quis non videt iſtorum mortalium dementes animas, & ſtultitiam plus quàm brutam. Eſto enim (quod ſemper ſuſpectum eſſe debet) etiam morbo anteambulone & ſenio, moneantur impij de morte brevi ſecutura; quæſo te, quomodo jam ſenes, morbidi, & eo articulo afflictiſſimi, fractis potentijs, hebetatis ſenſibus, diſtractis viribus, turbatis affectibus, tumultuantibus curis, inſultantibus diabolis, novo vivendi genere, damnabunt ſeriò, hactenus ſemper amata? amabunt ſeriò, hactenus ſemper damnata! *dicentes malum bonum, & bonum malum! ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras? ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum?* fierinè poteſt, vt Virtutem ac ſinceram pietatem, quam huc vſque deteſtati ſunt, quaſi felleam, obſcuram, conſilijs ſuis & machinationibus adverſam, vltimis quadrantibus amplectantur, tanquam melleam, honoratam, vtilem? Et tũ mundo dabunt primum ſincerè repudium, DEOque novæ fidelitatis ſacramentum? & tum modò nugas nugarum, vanitates vanitatum, veteres amicas ſuas, à tergo muſſitantes, & auriculam vellicantes, & veſtem carneam ſuccutientes excutient, ruituri in Numinis ſui ſeros amplexus? & tum modò, ad cujus ſolam hactenus cogitationem, faſtidium conceperunt, plenam abſynthio pœnitudinem, plenis congijs haurient? & tum modò fient boni, pij, devoti, caſti, juſti, patientes, ſancti, quales antea nunquam fuerunt, neq; eſſe didicerunt? Deniq; tum primùm contendent intrare *per anguſtam portam, & arctam viam, quæ ducit ad Vitam?* aſſueti eò vſq; ſemper excurrere *ad latam portam, & ſpatioſam viam, quæ ducit ad perditionem.* Enimverò, hoc opus, eſt ſupra Herculis labores laborioſiſſimum.

Iſa. 5. 20.

Sub morte intrare per anguſtam portam, poſtquam omni vitâ ad latum exſpatiatus fuiſti, operoſum eſt.

Matth. 7. 13.

XXIV.

Nempe quod ſuprà inculcavi, aliud eſt mori, aliud pœnitere. Mors dicit profectionem in regionem longinquam, imò abitum è terris his, in orbem alium; quin etiam digreſſum è tempore, ad immutabile ævum. Pœnitere autem dicit ſolertiſſimum animæ negotium, quod conſiſtit in perperam factorum omnium, ſcelerum omnium ſinceriſſima apud Deũ revocatione, cum odio eorundem æterno. Sunt igitur duo diverſiſſima, *Mori & pœnitere*; nec facilè cõveniunt apud eos, quorum omnis vita conſumpta fuit in libertate peccandi, nihil vt reſipiſcentiæ relictum fuerit, præter pauculos ſub mortem halitus; præſertim ſi tum temporis præter

Denique duo hæc, *Mori & pœnitere*, non facilè apud eos reperies,

animæ

animæ curam, etiam accedat anxia ſollicitudo de liberis, conjuge, tabulis teſtamentarijs, debitis, rationibus, contractibus, & ſimilibus alijs temporalibus negotijs, nondum expeditis; vt hîc veriſſimum ſit illud commune ac tritum; *Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus.* Fit proinde, vt ſera talium pœnitentia, plerumque coacta, ficta, picta: non ſeria neque ſincera, cum morientibus expiret ſine fructu. Repeto maximi rurſus axioma Theologi. PERICVLOSVM EST, ET INTERITVI VICINVM, AD MORTEM PERTRAHERE PŒNITENTIAM. & iſtud alterius: IMPOSSIBILE NON EST IN EXTREMIS HABERE VERAM PŒNITENTIAM; SED EAM HABERE, DIFFICILLIMVM EST, ET RARISSIMVM.

qui profligatam vixerunt vitam.

PARAGRAPHVS VII.

IVDICIVM AVCTORIS PRIMVM.

Impijs differentibus emendationem longiùs longiuſque, timendum eſſe Ingens Malum: EXCŒCATIONEM MENTIS.

QVod apud Reges etiamnum, & ſumma capita familiare eſt, hiſtorias conſcribi, & annales adnotari: vt poſteritas Majorum ſuorum, aut fortunam ſuſpicere poſſit, aut infelicitatem deplorare; id quædam olim gens Thraciæ, imitari quadantenus ſolita eſt, cùm totiûs anni dies, ſolicitâ curioſitate ſignavit, eoque exacto inſpexit, quales duodecim ſpatio menſium fluxiſſent. Itaque quos arbitrabatur proſperè abijſſe, cretâ numerabat, vel conjecto in vrnam candido calculo: ſubinde & vnione, cùm maximè è ſententia fuiſſent. quos verò pro inauſpicatis habebat, carbo notavit, aut etiam niger lapillus in vaſculum miſſus. Cæterùm gens illa, fortunatos dies & cretâ, & albo calculo dignos æſtimabat, quibus contigit vel honores adipiſci, vel prædâ potiri,

I.

Apud veteres, dies fortunati lapillo cādido, infauſti nigro notabantur.

Perſius ſat. 5.

vel magnificis epulis ſaginari. cùm verò aut ipſi ſpoliati eſſent, aut paſſi famem, aliudúe incommodum; diem illum velut infauſtum, nigrâ triſtique notâ damnabant.

II. Si ex me interrogaveris, quis apud nos Chriſtianos judicandus ſit dies omnium tandem feliciſſimus, & cretâ, & candido lapillo, & vnione inſigniendus? Reſpondeo, illum eſſe vltimum vitæ noſtræ diem, cujus poſtrema horula fuerit felix. Certè multis conſuetudo eſt, aliorum preces flagitare, ad impetrandam à ſupremo Numine fortunatam moriendi horam; qualis ea cenſetur eſſe, cùm animæ hinc exituræ, quàm optimè proſpectum eſt de medijs ad ſalutem neceſſarijs. fortunata omnino horula illa, quæ mortalem hominem beatæ tranſmittit immortalitati, atque æternitati ſemper apud Superos perennaturæ. Sed fateor, ſicut ad fauſtam jaculationem, longa ac diligens requiritur præparatio; ſic vt ad ſupremam vitæ horam, felici velut jactu Chriſtianus cœlum attingat, præmittendum eſt diuturnum, & quaſi totâ vitâ accuratæ præparationis ſtudium; plerumque enim, qualis præceſſit vivendi ratio, talis eſt & moriendi. raró diſpares ſunt vita & mors; illius bonitatem, ſequitur hujus felicitas. hæc etiam cauſa eſt, vt qui beatam volunt poſtremæ horæ clauſulam ſortiri, poſt imbecillitatis ſuæ lapſus, tempeſtivè debeant reſurgere ad morum correctionem, ſeriamque ſcelerum pœnitudinem. Eam longiùs & longiùs trahere, eſt majus ſemper & majus ſaluti impedimentum opponere. aliquando etiam in peccatis ſuis, Excœcationem mentis, Obſurdeſcentiam, Obdurationem, Obſtinationem, Impœnitentiam, Deſperationem. Quæ ingentia mala, ex procraſtinatione impiorum naſci ſolita, ſequentibus paragraphis animus eſt proſequi, nunc de Excœcatione initium facio.

Feliciſſimus hominis dies ille eſt, cujus vltima mortis ſuæ hora eſt felix.

Sed ut poſtrema moriendi hora, ſit fortunata, non oportet temere illuc remittere pœnitentiam.

Sępe enim reſipiſcentiæ dilator, punitur mentis Excæcatione.

III. Quæſtio hîc inſtitui poteſt, quinam mortales inter omnes mundi hujus cœcos, & maximè, & miſerrimè cœci ſint. Illine, quibus cœcitas, nativitatis ſuæ tam miſera eſt appendix, vt Chriſto occaſionem dederit exercendæ charitatis, & oculi aperiendi, quem pauperculo clauſerat natura, apud Jericho mendicanti? An ij, quos mala fortuna duris caſibus excœcat? vt Tobiæ ſeniori accidiſſe Scriptura commemorat, quem ſuaviter dormientem, ſtercora hirundinum privârunt ſolis vſurâ. An potiùs illi, quibus barbara crudelitas effodit oculos, neceſſaria ad videndum inſtrumenta? quod genus inhumanæ ſævitiæ, illatum

Miſeri ſunt homines, natura, caſu, violentia cæci.

Ioan. 9.

Tob. 2.

Digitized by Google

latum fuiſſe Sedeciæ Judæorum Regi, à Nabuchodonoſore Babyloniorum Monarcha, narrant ſacri Regum faſti: Et meâ quidem ſententiâ, omnium denique mortalium, & maximè & miſerrimè cœci ſunt, qui omnem peccantis concupiſcentię impetum ſequuntur, omnem bene ſuadentis conſcientiæ ductum excutiunt; qui poſt vetitas lege delicias, non eunt, ſed currunt; qui in flagitiorum abyſſos non labuntur, ſed ruunt; nec tamen poſtea celerem è ruina pedem extrahere volunt; verbo, reſipiſcere nolunt continuò, neque cum firmo voluntatis propoſito, fixoque animi decreto, & occaſiones malorum evitare, & contractas animæ labes per Confeſſionis Sacramentum emaculare. quin potiùs malunt cœptas impietates trahere quamdiu poſſunt, futuri tum pœnitentes, cùm ætate jam vitijs laſſatâ, veteribus non poterunt inſiſtere illecebris. Hos tales, ajo eſſe per antonomaſiam *cæcos*; vt ſingulis illud Dei verbum applicari poſſit; *quis cæcus niſi ſervus meus?* Ita quondam populus Hebræus, non vno titulo obſtrictus in ſervitium Deo, ab eodem cœcus compellabatur; quia poſthabito legiſlatore ſuo, ejuſque æquiſſimis ſanctionibus, turpi ſe idololatriâ, alijſque nefandis criminibus ſceleratiſſimè inquinavit. Ita quiſquis hodie oſor eſt Virtutis, amator improbitatis, ſectatur voluptatum, mancipium carnis, Numinis ſui contemptor, divini neglector obſequij, procraſtinator vitæ emendandæ, *cæcus* eſt, & proximus illi malorum peſſimo, quod Sancti Patres, *Excæcationem mentis* vocant.

4.Reg.25.

Inter cæcos, omnium miſerrimi ſunt obſtinati peccatores, quando mente ſũt excæcati.

Iſa.42.19.

IV.

Ad hanc autem concurrit prava hominis voluntas, cùm quis non vult recipere lumen cæleſte, vel etiam impedimentum obijcit illuſtrationi divinæ, quâ Deus per ſe, aut per Concionatores, Confeſſarios, alioſque modos, res ad ſalutem neceſſarias, ſufficienter proponit. vt qui claudendo feneſtram, ſolis radios ſponte excludit; quid mirum eſt, ſi cæco ſimilis in tenebris ſedeat, voluntariâ caligine damnatus? Et quidem D. Auguſtinus, longo tempore rebellis cœleſtibus radijs, quibus ad deſerendas Veneris illecebras fruſtra illuminabatur; tandem ſpontaneam ſuam, & malè amatam cæcitatem, ſic inter amaros gemitus deploravit. *Serò te cognovi lumen verum, ſerò te cognovi. Erat autem nubes magna & tenebroſa, ante oculos vanitatis meæ, ita vt videre non poſſem ſolem juſtitiæ, & lumen veritatis. Involvebar in tenebris filius tenebrarum, tenebras meas amabam, quia lumen non cognoſcebam. cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras*

Excæcationem animi promovet hominis prava voluntas, nolentis recipere lumen cœleſte, aut objicientis impedimentum.

S. Auguſt. in ſolil. cap.33.

Cæcitatẽ mentis, quam olim

habuit in ſtatu peccati, deplorat S. Auguſtinus.

nebras per tenebras ambulabam. Quis inde me eduxit? vbi eram homo cæcus, ſedens in tenebris & vmbra mortis? quis accepit manum meam, vt inde me educeret? quis eſt ille illuminator meus? non eum quærebam, & ipſe quæſivit me; non vocabam eum, & ipſe vocavit me. Quis eſt ille? Tu es Domine Deus meus, miſericors & miſerator, pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis.

V.

Agnoſcit poſtea illuminantis ſe Dei beneficium, ac gratiam.

Et paulò infra, accepti beneficij magnitudinem penſans, cum cœcitatis ſuæ voluntaria culpa, hæc porrò ait: *Et converſus ſum, & vidi tenebras in quibus fueram, & abyſſum tenebroſam in qua jacueram; & contremui, & expavi, & dixi; Væ Væ tenebris meis, in quibus jacui! væ væ cæcitati illi, in qua videre non poteram lumen cæli! Væ Væ præterita ignorantia mea, quando non cognoſcebam te Domine! Gratias tibi ago illuminator & liberator meus, quoniam illuminâſti me, & cognovi te.* O! vt omnes, qui cum Auguſtino errante, aliquamdiu clariſſima Dei lumina, atque radios illuſtrandi intellectûs excluſerunt; cum pœnitente ac converſo Auguſtino, eoſdem radios, eadem lumina tempori admittant, facturi hodie & mutationem cum vita, & cum Numine reconciliationem: ſanè qui hîc tergiverſantur, abſtractique vitiorum brevibus delicijs, obſtaculum ponunt illuminatori Deo, præter carentiam divinæ illuſtrationis, incurrunt moralem quoque impotentiam, ad cognoſcendam veritatem; ſaltem vt ſalubria vel neceſſaria ſaluti, non apprehendant eo modo, quo ſunt apta movere affectum ac voluntatem, ad perſuadendum acceptandæ converſionis opus. Denique propria hominis malitia id facit, quod Cicero quondam de voluptate ſic enunciavit: *Nihil eſt tam deteſtabile, tamq; peſtiferum, quàm illicita voluptas; ſiquidem cùm major eſt atque longior, omne animi lumen extinguit.* Planè ad hunc modum, cùm humana nimiùm excreſcit ac producitur impietas, auctorem ſuum obcœcat, non ſine impia tyrannide.

Excœcatio mentis, propter carentiam divinę illuſtrationis, impedit opus converſionis in improbis.

Cicero lib. de ſeneƐt.

VI.

Cœcitas Phariſæorum in cognoſcendo Meſſia.

Exemplum eſt in Phariſæis, Sacerdotibus, Scribis; hi enim, poſtquam ambitione, invidiâ, avaritiâque, malis ducibus ſeducti, fidem Chriſti verbis, ſigniſque abrogârunt; tandem propriæ flagitio malitiæ, ſic excœcati ſunt, vt nihil magis crederent eſſe fabuloſum, quàm Chriſtum affirmari Meſſiam, verumque Dei Filium. Ad hoc propoſitum aptiſſimè facit, quod Salomon olim conſignavit colloquium, primorum ex gente Hebræa virorum, conſultantium ſuper exoſo ipſis capite, Servatoris inquam Chriſti. *Circumveniamus ergo juſtum* (verba peſtilentis conciliabuli adfero ex Sapiente) *quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat*

Sapient. 2. & v. 21.

perat

perat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promiſit ſe ſcientiam DEI *habere, & filium* DEI *ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. gravis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ ejus. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris, tanquam ab immunditiis, & præfert noviſſima juſtorum & gloriatur Patrem ſe habere* DEUM. *Videamus ergo, ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſint illi, & ſciemus quæ erunt noviſſima illius. ſi enim eſt verus Filius* DEI, *ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliâ & tormento interrogemus eum, vt ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſimâ condemnemus eum, erit enim reſpectus ex ſermonibus illius. Hæc cogitaverunt & erraverunt:* EXCÆCAVIT ENIM ILLOS MALITIA EORUM. Excœcavit illos malitia eorum.

VII.

Sed in hac materia ſummum illud eſt periculum, ne DEUS ad pœnam toties oblati, ſæpius autem repudiati cœleſtis luminis; tandem jubar ſuum, & copioſiores illuſtrationes ſubtrahat repudiatori, vnde immineat frequentior eidem in peccata lapſus. Et hoc alterum eſt, quod in *Excœcatione mentis* præcipuè conſiderandum venit, longæ impietatis fatale conſectarium. Ad rem S. Gregorius M. ait. *Prioris peccati merito, peccatorum ſubſequentium fovea tegitur, vt qui malum ſciens perpetrat, deinde juſtè in aliis cadat. Hoc quippe agitur, vt culpæ culpis feriantur, quatenus ſupplicia fiant peccantium, ipſa incrementa vitiorum. Nam quia omnipotens* DEUS, *ad pœnitentiam tempus indulget, quod tamen humana nequitia ad vſum ſuæ iniquitatis intorquet, nimirum juſto* DEI *judicio augeri culpa permittitur, vt ad feriendum altiùs quandoq; cumuletur. Cor quippe prioribus meritis aggravatum, juſtè permittis etiam ſubſequentibus malignorum ſpirituum perſuaſionibus falli: quod cùm dignè in culpa trahitur, reatus ejus in pœna cumulatur; vt qui* ILLUMINATI *rectè agere noluerunt, juſtè* CÆCATI *adhuc faciant, vt ampliùs puniri mereantur.*

Qui in longũ trahunt pœnitentiam, à DEO permittuntur in pœnam, ſæpius labi.

S. Greg. M. l. 25. Moral. c. 9.

Iuſtè excœcantur à Numine, qui ab eodem priùs illuminati, noluerunt rectè agere.

VIII.

Eſt quoq; S. Thomæ Aquinatis doctrina, à DEO indirectè & negativè impios excœcari, cùm ſcilicet eorum ſic exigentibus peccatis, lumen veritatis & gratiæ ſenſim aufert, rerumq; ſalutarium cogitationes parciùs, & rariùs ſubminiſtrat. poſtquam enim per gravem culpam, divinæ Majeſtatis reum ſe homo facit, illi DEUS non tenetur ſuppeditare potentiores, atq; efficaciores auxilii ſui favores; ſed ſolam illam ordinariam, ac ſufficientem gratiam, quam nulli negat; & cum qua videt improbum non rediturum ad frugem, licet ſi vellet, poſſet.

S. Thom. 1. 2. q. 79. a. 3.

Quomodo Deus quoſdã propter ſua ſcelera, excœcare ſoleat indirectè & negativè?

Digitized by Google

IX. Neque difficile eſt ex ſacris literis oſtendere, eos nonnunquam à DEO vindice, animi Excœcatione plecti, quibus ſua ſcelera in naturam tranſierunt. Iſaias Vates id clariſſimè inſinuat, quando exaſperatus protervià gentis Hebreæ, omnia ſubſannantis divina oracula, his DEVM vltorem precibus, ad vindictam provocat. *Excœca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum.* Quaſi Propheta DEVM rogaret, vt in vltionem contumacis populi, ac nihil credentis, graviſſima eum animi cœcitate percuteret; donec ſublatis vberioribus lucis ſuæ radijs, incidat in barathrum ignorantiæ, inſcitiæ labyrinthum, foveam perditionis.

Iſa. 6, 10.

Hoc modo Propheta rogavit excœcari Iudæos, in vindictam ſuæ contumaciæ.

X. Quod etiam aliquibus apud gentiles, non operantibus convenienter lumini, ipſis communicato, eveniſſe memorat Divus Paulus, hæc ad Romanos ſcribens. *Cùm cognoviſſent DEVM, non ſicut DEVM glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & OBSCVRATVM EST INSIPIENS COR EORVM.* Et infra quibuſdam interjectis: *tradidit illos DEVS in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conveniunt; repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate; ſuſurrones, detractores, DEo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſq; fœdere, ſine miſericordia.* Hic fructus fuit reprobi ſenſûs, improbæ ac perverſæ mentis, cœcitas; in quam DEVS malitiâ ſuâ jam excœcatos gentiles conjecit, vt probanda improbarent, & probarent non probanda; vt virtutem criminarentur, & ſcelera commendarent; vt Honeſto Vtile præferrent & Delectabile; vt licere omnia dicerent, quæcunq; affectui collibuiſſent; etiam naturâ, ratione, legibus contradicentibus.

Ad Rom. 1. à v. 21.

Ita & Gentiles excœcatij & in reprobum ſenſum dati ſunt.

XI. Et quis neget, Chriſtianos illos hac cœcitatis pœnâ feriri, quibus frons ſua inter pudenda conſcientiæ probra depuduit, tranſeunte vitiorum libidine, in præcepti neceſſitatem. Experientia teſtis eſt, eos qui exleges vivunt & effrenes, nec cogitationem habent reſiliendi ab improbitate, niſi ſerò admodum, atque ad mortis veſpertinum diluculum; ferè ſemper à DEO *tradi in ſenſum reprobum*; vt cùm cæteroquin ſint ingenij elegantis, judicijq; felicis ac maturi, in rebus tamen ad ſalutem ſpectantibus præpoſterè ſentiant, & veluti cœci de colore. Miranda eſt illa magnæ cladis occaſio, quâ

Contingit hodieque Chriſtianis diu impijs, ut de rebus ad ſalutem ſpectantibus judicent, ſicut cœci de colore.

Moabi-

Moabitæ ab Iſraelitis quondam graviſſimè attriti fuerunt. Cùm enim orto jam ſole matutino, aurora radios ſuos in vicinam aquam vibrâſſet arbitrati Moabitæ ab humano ſanguine erubuiſſe, & quidem mutuis hoſtium ſuorum cœdibus; velut elephantes conſpecto mori ſucco, ruebant ad prælium, confecturi reliquias Iſraëlitarũ ipſis in caſtris. Sed aliter cecidit alea, nam qui inferre voluerũt vulnera & mortem, inviti vtrumq; abſtulerunt. Certè mira hæc ſive faſcinatio, ſive obcœcatio; aliud videre, aliud credere. Itaq; velut cæci judicabant de colore. Neq; aliter faciunt inveterati peccatores; cœca inſtituunt judicia de coloribus rerum creatarum; & modò paſcantur oculi, errores ſuos, fallaciaſq; alienas non curant.

4. Reg. 3. 23.

Sicut Moabitæ de aqua.

2. Machab. 6. 34.

XII. Vitrum eſt arte ſic factum, vt à tribus angulis trigonum appelletur. In eo, quia refractæ objectorum ſpecies, repræſentant domos, palatia, arces, vrbes, campos, ſylvas, fluvios, cœlum, ſingula velut mille coloribus pulcherrimè depicta; cùm primùm ad Indos perlatum eſt, pretium habuit à ſpectaculi varietate; jamque multo auro emebatur ſplendidum mendacium, colores ſcilicet in vitro apparentes, non ad exprimendam veritatem nati, ſed ad fucum vendendum temere coëuntes. Proh DEVM optimum! quot hodie Chriſtiani in Europa magnis expenſis, laboribus, induſtrijs, ſibi comparant ſive ementitos colores, ſive colorata mendacia! illi Trigono incluſa, quod olim inſpiciendum propoſuit S. Ioannes Evangeliſta, quando vniverſa hujus mundi delectabilia, reſtrinxit ad tria humani pectoris deſideria, dicens: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* nempe hoc ternione, triplicē hominis impij affectum deſignavit: quorum vnus fertur ad Veneris libidines, alter trahitur ad lucra divitiarum, tertius rapitur ad fulgentes dignitatum eminentias. Et nunquid his ſingulis ſuus color eſt? profectò; ſed mendax, qui plus habeat apparentiæ, quàm ſinceritatis. Nam & vetita corporis voluptas, & opum multiplex vtilitas, & titulorum officiorumq; ambitioſa excellentia, primo aſpectu amplius bonum promittunt, quàm in ſe verè contineant.

Sicut Indi de Vitro trigono, varios colores mentiente.

1. Ioann. 2. 16.

Concupiſcentia triplex ab Apoſtolo deſcripta, ſimilis eſt Vitro trigono mendaciis colorato.

XIII. Et tamen emptores habent; verùm cœcos & excœcatos, qui de coloribus ſanũ non poſſint judiciũ ferre; puta de ijs bonis fluxis, evanidis, momento perituris, quæ ad æterna natis mortalibus, propinat ex anguſto vaſe concupiſcentia. Vt conſultum ſit hîc facere, quod Sapiens universè de vino ſuadet. *ne intuearis vinum, quando flaveſcit, cùm ſplenduerit in vitro color ejus; ingreditur blandè, ſed in*

Et tamen paſſim emptores habet.

Pro. 23. 31.

Digitized by Google

noviſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Nihil magis humanam fallit ſimplicitatem, quàm color rerum, & extima cutis tranſeuntis illecebræ, & fallax ingentium commodorum, bonorumque promiſſio; oculos hîc continuiſſe, multis profuit, multis nocuit aperuiſſe; fucatis enim mendacijs decepti ſunt, vt tandem cum brevi ſcelerum gaudio, biberent venenum, animæ nociturum: & conſcientiam ſuam, velut colubrum, regulumq; in propria concitarent viſcera. Qui nihil hîc periculi advertunt, nullam de fraudibus coloratæ oblectationis, & blandientis ad ſpeciem peccati, ſuſpicionem habent; perguntque ad genium ſuum vivere, aut obliti reſipiſcentiæ, aut ſecuri ejus olim admittendæ ſub mortem: conjectura eſt, illos à DEO percuſſos eſſe *mentis Excæcatione*, in pœnam continuatæ diu impietatis; vt dum nec cœcutire ſe quidem intelligunt, ad præcipitia vadant & interitum.

Color rerum terrenarum & tranſeuntium, fallit humanam ſimplicitatem.

XIV. Cujus mali vmbram aliquam præferunt Syri. hi enim, quo tempore è terra ſua indè Samariam excurrerunt, indè captivum educturi Eliſæum Prophetam, conſilijs ſuis, molitionibuſq; ſemper adverſantem; parum abfuit, quin ipſi in vincula conſtringerentur, aut ſub ferro hoſtili caderent. Nam vt ſcriptura narrat, vbi Eliſæus conſpexit ſe in Dothain civitate, à numeroſo Syrorum exercitu, vndique circumvallatum eſſe, neque effugium aliquod patere clauſo, ingenio vſus eſt, & ſtratagemate pio; ſiquidem, *oravit ad Dominum dicens: percute obſecro gentem hanc cæcitate.* Valuiſſe preces viri, oſtendit ſacer codex, cùm mox ſubjungit: *percuſſitq; eos Dominus ne viderent, juxta verbum Eliſæi.* His, poſtquam jam omnes oculorum ac lucis vſu privatos ſcivit, facilè illuſit cœcis. Itaque dux viæ factus; alibi ſe monſtraturum, quem quærerent hominem, ſpopondit. Iamque vt eos in medium Samariæ regnum induxerat, iterum ſupplex DEVM rogavit: *Domine aperi oculos iſtorum, vt videant.* Dictum factum; nam teſte divinâ paginâ: *aperuit Dominus oculos eorum, & viderunt ſe eſſe in medio Samariæ*, terra hoſtili, unde difficilem in patriam ſuam receptum haberent. Et certè Regi Iſraël, jam ad cœdes incaluerat animus, cùm trepidantes ante ſe cerneret Syros; ſed furorem regium Eliſæus temperavit, eamque impetravit gratiam Syrorum copijs, vt liceret impunè, quem illuc intulerant pedem, efferre.

4. Reg. 6. 12. & ſeq.

Syri oculis excœcati, imago ſunt hominum mente excœcatorũ.

XV. Atque hæc eſt pereundi ratio apud impios, quorum DEVS mali-

malitiam caligine mentis plectit, vt cùm ſuas cœci ſequuntur cupiditates, medios in hoſtes incurrant, jamque non tantùm à tartareis ſpiritibus cincti, vndique circumducantur, per alios alioſque flagitiorum circuitus, quodam velut mancipatûs jure; ſed etiam ab affectuum libidine, & vitiorum dulcedine, quaſi ignari, & inſcij futurorum, trahantur denique ad inferos; ſemper deploraturi amatas tenebras cœcitatis olim incuſſæ, nec emendatæ. Idęam hujus miſerabilis interitûs, qui inſpicere volet, reperiet inter proverbia Salomonis, cùm deſcribit malum exitum ejus juvenis, quem meretricula mellitis ſermonibus, ſæpius ad domum ſuam primùm, deinde ad turpem congreſſum pertraxit, repetitæque Veneris conſuetudinem. Et hunc talem, quis voluptuoſus negaverit iviſſe ad gaudia, cùm ad amores ſuos ivit, carniſque delicias, invitatus à delenifica amaſia? ſed aliud eſt Sapientis judicium; ſic enim de illo pronunciavit, condolenti ſimilis: *ſtatim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens & ignorans, quòd ad vincula trahatur; donec transfigat ſagittâ jecur eius; velut ſi avis feſtinet ad laqueum; & NESCIT, QVOD DE PERICVLO ANIMAE ILLIVS AGITVR.* Ita cœcus eſt, ut apertis etiam oculis, exitium ſuum non videat.

Improbi in circuitu vitiorum cœcè ambulãtes, eunt ad interitum animæ ſuæ.

Sicut Juvenis, captus meretriculæ lenocinijs.

Prov. 7.22.

XVI. Igitur Salomon, adoleſcentis laſcivi vecordem inſaniam oſtenſurus, comparat eum bovi ad macellum ducto, agno petulanter jocanti, cervo ſagittâ transfixo, avi laqueo captæ. Et quidem lanionibus mos eſt, cùm feroces tauros ad cultrum volunt ducere, vt vaccas præmittant; quarum illi libidine tracti, ſe ipſos ſtolidè in mortem iuvolvunt. Eſt etiam quædam agnis innata ſtultitia; nam auctore Columella, quia recens editi matrem propriam non agnoſcunt, obvias alias oves; quin ſubinde & vulpes, & lupos ſequuntur pro parente; donec ab iiſdem miſerè capti, & non tam funibus ligati, quàm dentibus conſtricti, abſtrahantur extra hominum oculos, in certam prædam. De cervis illud narrat Ariſtoteles, quo tempore maximè exæſtuant erga fœmineum ſexum, ſolere venatores inter arbuſta latentes, cervarum laſcivientium vocem imitari; mox verò cùm mares accurrunt, telis eos configere. Denique notiſſimum eſt, volucres aliarum cantu provocatas, ad eſcarum effuſas illecebras, quando minimè putant, retia induere & laqueos.

Sicut tauri quoque, agni, cervi, aves, aliaq; ad mortẽ tracta animalia.

Colum. lib. 4. de re ruſtica c. 3.

Ariſt. lib. hiſt. animal. c. 5.

XVII. Ita Sapiens ait: quoties homo delinitus muliebribus blanditijs, currit poſt meretricem adulteramque, taurum petulcum imitari, ſeque ipſum macello offerre victimam. Quoties lupas ſequitur

Digitized by Google

&amaſias, cum ſtolidis agnellis trahi & rapi ad vincula, ad compedes, ſecundùm ſpeciem quidem aureas; nempe ſervitutem ſplendidam, qualis eſt amantium: ſed vnde ſe, etiam cùm voluerit, facilè non ampliùs extricaverit. Quoties amatorijs inhiat Sirenum cantilenis, & ſectatur impuri amoris objecta illicia, cum incautis aviculis ſub vnguem aucupis venire. Sed aliud eſt incommodum turpiter ſcortantium; quòd cum cervis, dum Venerem quærunt, ſagittis configantur. plerumque enim qui hujuſmodi ſunt, poſt vnum vulnus amoris, excipiunt doloris compluria; tum ex morbis, libidinum intemperantiâ natis; tum ex paupertate, infamia, ſolicitudine, metu, periculis, inſidijs, alijſque miſerijs, ferè ſemper illud genus peccati conſequentibus; tum ex morte, quæ adulteris vel à conjuge altero infertur, vel à cognatis, vel à corrivalibus, vel ab ipſo Judice; demum ex damnationis ęternæ ſententia, quâ velut graviſſimâ ſagittâ, ſolet eos Deus figere ac configere, qui nondum Venere ſua expediti, nondum probrorum veterum pœnitentes, adhuc inhoneſtis affectibus merſi, conceſſerunt in fata.

Varia eorũ damna, qui cœco impetu, inhoneſtos mulierum amores ſequuntur.

XVIII. Sed mihi in hunc Salomonis locum placet Divus Ambroſius, qui per proſtibulum aut mœcham, aliorum pudori vafrè ac nequiter inſidiantem, myſtico ſenſu Voluptatem accipit. Hæc denique eſt illa lena, quæ mille modis trahit mortalium animos, ad ſui amorem. Sed væ illi! quiſquis hîc ſemper paratus it ad gaudia, deliciaſque ſibi non licitas. verè enim quaſi bos ducitur ad ferrum, quaſi agnellus ad dentes lupinos, quaſi avicula ad funem & vnguem. Eſt verò hoc omnium malorum peſſimum, cùm miſer ſæpe repetit meretriculæ voluptatis ædes, menſæque delicioſæ frequens conviva aſſidet, ad patinas ſcelerum, & pocula iniquitatum; cum demum miſerè excœcari, partim amaſiæ ſuæ impoſturâ, partim DEI vindictâ, punientis juſtiſſimè longam impij, ac delicatam in peccatis gulam. Certè enim, cui ſemper conſuetudo eſt, invitantium cupedias oblectationum, ſuorumque deſideriorum impetum ſequi, quoties illecebram oſtenderit; nullâ conſcientiæ, divinique timoris habitâ ratione, plerumque tandem ita cœcutit, vt veriſſimè de eo dici poſſit: NESCIT QVOD DE PERICVLO ANIMÆ ILLIVS AGITVR.

S. Ambroſ. lib. 1. de Cain, c. 5.

Voluptas hujus vitæ illicita, cõtinuò vſurpata, excœcat vſurpatorẽ.

XIX. O! vt pauci ſint tales, tam cœci & occœcati mortales. Et hos tamen etiam paucos hortor, fugere ſcortum, malam ajo Voluptatem; quemadmodum Sapiens loco ſupra citato hortatus eſt Juvenem, vt declinaret meretricis propudioſæ domum, metu extremi

damni,

damni, ſi acceſſerit. Verba ejus hæc ſunt. *Nunc ergo Fili mi, audi me, & attende verba oris mei, ne abſtrahatur in vijs illius mens tua, neq; decipiaris ſemitis ejus, multos enim vulneratos deiecit, & fortiſſimi quiq; interfecti ſunt ab ea. Via inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.* Sicut ergo homines pij atque electi, dum in hoc mundo verſantur, ſunt quaſi in atrio vitæ; cùm verò cœlum adierint, erunt velut in ipſis penetralibus vitæ, vbi veri nominis vita, eaque æterna dominabitur; ita ſcelerati atque impij, dum in hoc orbe morantur, ſunt quaſi in atrio mortis; cùm infernum intrabunt, erunt velut in ipſis penetralibus & viſceribus mortis, quia ibi pleno jure mors vera, mors æterna, damnatis imperabit luenda ſupplicia.

Prov. 1. & 6. 25.

Diſſuadet hominibus ejus familiaritatem Sapiens.

XX. In eundem modum, & ijſdem omnino argumentis, alibi ſapientiſſimus Salomon, diſſuadet adoleſcenti pudico, fœminæ procacis & luxurioſæ familiaritatem. *inclinata eſt enim* (inquit) *ad mortem domus ejus, & ad inferos ſemitæ ipſius. Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ.* Quibus verbis ſignificat, rarò ac difficulter expedire ſe eos, qui aſſueverunt infamium mulieicularum libidinoſis amoribus. Alij tamen per hanc meretriciam fœminam, cujus ædes dixit Sapiens ad mortem inclinatas eſſe, & ſemitas ad inferos tendere; accipiunt quamlibet Concupiſcentiam, rationi & legibus divinis repugnantem. Hæc enim inſtar fornicariæ & adulteræ, vaga eſt, petulca, inſtabilis, curioſa, delicioſa, cupidinibus æſtuans, omnium peccatorum & criminum mater. Malè illis, qui hoſpitium ejus rogant; nam ruinam meditatur & præcipitium ad mortem, mortemque æternam. malè etiam illis, qui ejus præeuntis veſtigia ſequuntur, quia ducunt ad ſtygem, vnde *non revertuntur.*

Prov. 2. 19.

Quia domus ipſius inclinat ad mortem, & ſemitæ ejus tendũt ad inferos.

Cornel. hic ad v. 16.

XXI. Et tamen, quàm multos eſt videre homines voluptuoſos, currentes poſt concupiſcentiam ducem, præſertim quando multos habent in comitatu ejuſdem ſtudij, & factionis. Suaviſſimum tum ipſis eſt ſatisfacere deſiderio, affectum explere, cum pluribus in eodem ſcelere participare. Sed horum ego ſingulorum animas, provoco ad breve colloquium, nihil illis dicturus aliud, quàm quod olim à Sponſo, cum felle & pipere dictum fuit Sponſæ in Canticis: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos.* O igitur anima, creaturarum in terris nobiliſſima, divinorum operum ſingulare prodigium, artificis DEI ingens miraculum! ſi neſcis nobilitatis tuæ, Patrem te habere DEUM, patriam cœlum, cognationem Angelos: ſi tibi exci-

Cant. 1. 7.

Adhortatio ad animã excœcatã,

& ſequentē Concupiſcentias ac Voluptates ſuas.

excidit illud inæſtimabile diviniſſimi ſanguinis pretium, quo te Filius Dei emit, & redemit æternitati: ſi omnium iſtorum aut oblita, aut ignara es; abi denique *poſt veſtigia gregum*, poſt cunceos ſodalium tuorum; hominum animalium, *non percipientium ea, quæ ſunt Spiritûs DEI, quorum DEUS venter eſt, qui terrena ſapiunt.* abi, & cum his ſocijs *paſce hædos tuos*; affectus beſtiales, brutos amores, fœtentes cupiditates, deſideria ſuperis mephitim exhalantia; abi inquam, & hos malè olentes hircos paſce, & ſequere gregum tuorum veſtigia; nempe ad idem ſcelus conſpirantium ſocietatum. Cæterùm ô miſera! oraculum tibi promo & vaticinium; nam ſi aut paſtura hœdos, aut ſecutura greges tuos, abibis denique poſt malam concupiſcentiam, peribis. Cauſam aſſignat Salomon, cùm ait: *inclinata eſt enim ad mortem domus ejus, & ad inferos ſemitæ ejus, omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur.*

1. ad Cor. 14.

Ad Philipp. 3. 19.

Ingreſſa ſemel inferos anima, inde non revertetur.

XXII.

Apologus veterum memorat leonem, vt prandium ſibi pararet exquiſitioris gulæ, hanc fraudem commentum eſſe. Compoſuit ſe in ſpelæo ægrotanti ſimilem, & viribus prope omnibus defectum. Iamque rugire cœpit, & triſti clamore velut ad opem ferendam, convocare ex ſilvis vndique feras. Neque illæ moratæ, vt vocem Leonis audiverunt, in obſequium advolant. Et fortè cervus primùm ingreſſus ſpecum, quid Rex ſubdito imperaret, rogat. Leo multum queſtus ſuper ægritudine ſua, mandat cervo, vt venam exploret decumbenti; ſed dum id exequitur obediens fera, ille dentes ſuos in collum obſequentis cervi inijcit, & cum ſpiritu vitam excludit. Iamque vt cadaver intra latebras & arbuſta recondidit, iterum lamentabilem edit rugitum. Et hem! aſellus ſe officiosè ſiſtit, mandata Regia præſtolaturus. Itaque æſtuanti inter febres leoni, juſſus eſt ſudorem linteo abſtergere. Sed vix initium fecit à fronte, cum leo miſerum auriculis apprehenſum, in fruſta laceravit. Quo etiam inter tenebras ſepulto, alia poſt alia ſubierunt ex ordine animalia, ſimilibus obſequij ſui receptis gratijs, truculentâ morte. Denique Vulpecula quoque ad ſpelæum prorepſit, cautè omnia circumſpiciens, ne quid fraudulentæ machinationis lateret. Cùm verò leo, quâ nutu, quâ fractiore voce ei præciperet, accedere ad ſe propinquiùs, quædam arcaniſſima ejus ſe auribus, velut fideliſſimis commiſſurum; vulpecula & capite, & caudâ abnuit, periculo ſuo in alienis veſtigijs deprehenſo. Itaque quo minùs pareret imperanti Regi, hanc aſſignavit cauſam:

Declaratur per apologum variarum beſtiarum, quarũ nulla reverſa eſt è ſpecu leonis.

Quod advertēs vulpecula, noluit intrare.

quia me veſtigia terrent,

Horat. Epiſtolarũ lib. 1. ad Mæcenat.

Omnia

Omnia te adverſùm ſpectantia, nulla retrorſum.

Nempe advertit callidiſſima beſtia, quotquot ante ipſam, animalia intrârunt ſpeluncam, nullum eorum ampliùs pedem extuliſſe; ſingulorum veſtigijs tantùm introrſum reſpicientibus; quæ res vulpeculæ movit ſuſpicionem, aut cædis, aut captivitatis, vt jam nollet ſe committere incertæ aleæ, dubiæq; fortunæ.

Vtinam hîc homines diſcamus à bruto, ſi non vulpinam aſtutiam, ſaltem cautelam laudabilem; ne ſcilicet ducti & ſeducti à Concupiſcentia, per amœna ſceleratarum voluptatum, cœci cœco impetu, in ſtygem nos præcipitemus; veriſſimè enim de hac dixero, *Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur.* adamantinis ſeris clauditur infernus, clathris ferreis hic carcer munitur; etiam regia poteſtas, quæ apud nos hoc orbe ſemper ſalva eſt & libera, cùm illuc deſcenderit, jam manet æternum captivata; qui ſemel eò ingreſſus eſt, egreſſus nunquam fuit; veſtigia intrantium omnia reſpiciunt introrſum, nulla retrorſum. Quis non terreatur? quis non circumſpiciat ſollicitè, ne ad ſtygij leonis avernale ſpelæum inducatur, blandis vetitarum oblectationum perſuaſionibus? Et nihilominus ea adhuc quorundam eſt cœcitas mortalium, vt contentiſſimo curſu, & velut tripudiantibus ſimiles, ad inferos, omnis infelicitatis receptaculum, properent. Longè aliter quàm muſtela, quando vi occultâ, cogitur intrare bufonis ventrem. Nam vt Delrio narrat, alijq; curioſi Naturæ ſcrutatores; quoties bufo intra certæ diſtantiæ ſpatium, muſtelam offendit, tergo ad ſaxum aut arborem obverſo, primiſque innixus pedibus, & faucibus latè diductis, infortunatam beſtiolam expectat in prædam. Tum igitur muſtela, latentis antipathiæ neceſſitatem ſentiens, & quaſi faſcinata maleficio, cùm imminentis ſibi exitij nullum reperiat effugium, anxiè huc illuc diſcurrit, nec ſine triſti queſtu, & lugubris planctûs multo murmure. Tandem ſui ipſius miſerata, vt citò finem inveniat malo, in hiantis bufonis os incurrit; & quo poteſt conatu, magis magiſque ſe immergit, donec tota ceſſerit in eſcam fœdi heluonis.

XXIII. Cùm interim mortales aliqui (ſine dubio cœci) currant ad ſtygij Leonis ſpelæum.

Delrius l. 1. diſquiſ. c. 3. q. 4.

Longè aliter, quàm vbi muſtela bufonis os, rictumque cogitur intrare.

XXIV. Bufonis inſtar eſt infernus, aperiens os ſuum abſq; vllo termino.

Neque dubito, multis commiſerationem movet, muſtelæ tam miſerabilis interitus. Quid ni igitur condoleamus mortalibus, ſimili genere, ſed pejùs omnino pereuntibus? Nam ſi comparationem licet inſtituere; dico Orcum ingentes rictus expandere ad glutiendum; de quo Iſaias jam olim teſtatus eſt: *dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſq; vllo termino.* En maximum

Iſa 5. 14.

Digitized by Google

buſonem, pleno ſemper gutture inhiantem prædis? Sed ubi muſtelæ ſunt, quæ intra ejus ſe fauces ſepeliunt? Iterum Iſaias: *Et deſcendent fortes ejus, & populus ejus, & ſublimes, glorioſiq; ejus ad eum.* Senſus eſt; ad barathrum infernale eos deſcenſuros homines, qui & vitijs potētes ſunt, & impietate præſtantes, & gloriabundi inter graviſſima peſſimæ conſuetudinis ſcelera. deniq; qui, ut cuticulæ ſuæ, & corpori, & concupiſcentiæ indulgere poſſent, velut in victimam ſe devoverunt ſtygi, aut quaſi in mancipia cacodæmoni; impio, & maximè ſacrilego jurejurando. En homines beſtias! en impios, infeliciſſimas muſtelas!

Muſtelæ ſunt impij & peccatores.

XXV. Eſt tamen etiam hîc diſcrimen. nam ut ſupra memini, animalculum muſtela, ex quadam naturæ impellentis coactione (cui repugnare non poteſt) debet buſonis ventrem intrare; quod quidem cum tacita lamentatione, & luctuoſo ſibilo exequitur. At verò qui ex peccantium numero inferos ingrediuntur, & liberrimâ id malitiâ faciunt, & ſæpe inter tripudia, cantus, ſaltus, cachinnos, amores, gaudia, affirmante ſcripturâ; *tenent timpanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi; ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Tum autem continuò lætitia in luctum, voluptas in dolorem, hilaritas in mœrorem, in fletum mutat riſus; neque aliud deplorant jam perditi, quam cœcitatem ſuam; quando in clariſſima fidei luce, ad multiplices divinæ gratiæ radios, turpiſſimè caligaverunt; donec in ipſas Orci tenebras, per infames gradus flagitiorum delapſi ſunt. Carmen quod ſibi cantabunt æternæ infelicitatis leſſum, continetur his Iſaię verbis. *Palpavimus ſicut cæci, & quaſi abſq; oculis attrectavimus; impegimus meridie, quaſi in tenebris, in caligineſis quaſi mortui. Rugiemus quaſi urſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus; expectavimus judicium & non eſt; ſalutem, & elongata eſt à nobis. Multiplicatæ ſunt enim iniquitates noſtræ coram te, & peccata noſtra reſponderunt nobis. quia ſcelera noſtra nobiſcum, & iniquitates noſtras cognovimus, peccare & mentiri contra Dominum; & averſi ſumus, ne iremus poſt tergum* DEI *noſtri.*

Quorum multi in bonis ducunt dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.

Iob.21.12.

Iſa.58. à v. 10.

Queſtus damnatorum apud inferos, ſuper cœcitate ſua.

XXVI. Sed quæſo te, unde iſta tam palpanda aliquorum cœcitas, materia futuræ apud inferos exprobrationis? ſanè exiſtimo tam notandæ caliginis originem, eſſe contemptum eum, qui ex conſuetudine peccandi ſubnaſci ſolet. Et habeo ſapientem cauſæ meæ Patronum, cùm dicit. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit, ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium.*

Prov.18.3.

Vbi

Vbi Salomon loquitur non de illo homine, qui ſemel iterumq; ex ignorantia, vel imbecillitate quadam, aut naturæ pręcipitantia, lapſus eſt in crimen; ſed eo, qui aſſiduè ex certa malitia graviter delinquit; vnam alteri culpam, ac majorem minori continuè accumulans, obducto jam in peccandi licentiam callo. hic tandem adeo in profundum impietatis demergitur, vt jam contemnat omnia ſcelera & probra, omnem ingenuitatem & pudorem, omnia ſacra & profana, omnia jura divina & humana, omnia lumina & radios illuſtrantis DEI, omnes minas & ſupplicia, omnia damna & pericula animæ, etiam quæ æternitatem ſecum vehunt. Ratio eſt, tum quia improbus peccati dulcedine illectus, totus in illud rapitur; tum quia ſceleribus ſuis excœcatus, non videt, neque æſtimat detrimenta ſibi ſuccreſcentia, ex hydra impietate; vt denique ſecundùm Apoſtolum ita vivat; *ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſûs ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita* DEI *per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum.*

Impius cùm in profundum venerit, contemnit, & excæcatur.

Ad Epheſ. 4.

XXVII.

Nolim autem leve putes, cùm in profundum veneris, contemnere graves noxas, neq; curare ampliùs, neq; ſuis momẽtis ponderare; conſequenter velut oculos tibi eruere, & ſpontaneę cœcitatis imponere neceſſitatem; nam vt ſapiens ait, tales contemptores, & ſui ipſorũ carnifices tyrannos, *ſequitur ignominia & opprobrium*; non ſolùm quia per ſceleratę vitę infamiam, terrę & cœlo probrum fiunt; ſed multò maximè, quòd gehennę & diabolis ludibrium evadunt; ſic vindicante DEO humanam petulantiam, vt *qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc*, & qui ſe ipſum cœcum reddidit, magis excœcetur. Illud fit, quando in pœnam diu exercitæ improbitatis, divina bonitas pias, atq; efficaces mentis illuſtrationes ſubtrahit. quibus jam privatus homo grandis peccator, per tenebras in tenebras pergit. donec tandem peccatis ſuis immortuus, ejiciatur *in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Et tum de DEO veriſſimè dici poterit: *excæcavit cor ejus, & aures ejus aggravavit, & oculos ejus clauſit; ne forte videret oculis ſuis, & auribus ſuis audiret, & corde ſuo intelligeret; & converteretur, & ſanarem eum.*

Qui in ſordibus eſt, magis ſordeſcit, & qui in cœcitate eſt mẽtis, magis magiſq; excæcatur.

Apoc. 22. 11.

Donec de tenebris hujus vitæ, cadat in tenebras exteriores vitę alterius.

Mar. 8. 18. Iſa. 6. 10.

Atq; hîc ſenſum meum, ſententiamque habent, quotquot ex impijs mortalibus emendationis ſuę propoſitum trahunt vlteriùs & vlteriùs, nuſquam conſtantiores, quàm in perſeveratione ſcelerum. timeo enim illis malum enorme, ſubtractionem puto divinorum luminum ac radiorum, facilè intellectum humanum convincen-

XXVIII.

Digitized by Google

tium ad meliora: ſeu verbo, Excœcationem, quâ ſæpius per juſtiſſimam Numinis vltionem, plurimi alij plexi ſunt flagitioſi, æterno ſuo malo; jacturâ ſcilicet beatitudinis, nunquam porrò recuperandæ. Denique mentis Cœcitatem à DEO inflictam, in diuturnę impietatis vltionem, quantùm ſemper exhorruerit D. Hieronymus, tum oſtendit cùm dixit: *Exiſtimo hoc genus tenebrarum, ſignum eſſe reprobationis.* Igitur qui ſe ſalvum cupit, expediat animum nociturâ caligine, lucemque conveniat inacceſſibilem, DEVM; ſed cum dolore ſuper peccatis, & ſincero feſtinandæ emendationis decreto.

Excœcatio animi, ſignũ eſt reprobationis.

D. Hieronymus.

PARAGRAPHVS VIII.

IVDICIVM AVCTORIS SECVNDVM.

Improbis ſuam reſipiſcentiam quotidie procraſtinantibus, imminere Alterum ingens Malum:

OBSVRDESCENTIAM ANIMI.

I. SIcut omnibus in rebus vitioſa eſt temeritas, ita maximè in certamine culpam habet, quando unus ſe pluribus opponit; contra illud veteris adagij, *Nec Hercules contra duos.* Si ergo tantus heros, & tot monſtrorum domitor, non niſi cum ſingulis hominibus in pugna congreſſus eſt; videtur temerarius eſſe, quiſquis alius ſe pluribus committit. Et tamen cavillari nemo poteſt, illud præclarum Eliæ facinus, quando ipſe vnus vnicus, & ſolus veri DEI Vates in Iſrael, auſus eſt quadringentis & quinquaginta Pſeudoprophetis, cultoribus Baal indicere bellum; quia ad latus ſuum, pugnę ſocium habuit eum, cui Iob olim conſi-

Elias pugnam indicit 450. Pſeudoprophetis.

Digitized by Google

confidentiſſimè dixerat: *pone me juxta te, & cuiuſvis manus pugnet contra me*. Et quidem hoc tam potenti auxiliatore, facilè Elias vicit idololatras ſacerdotes, evocato è cœlis igne, ſuper holocauſtum DEO paratum; cùm illi paria facturi, & crematuri ſuo Baal victimam, fruſtra ab eodem multis precibus poſtulâſſent, cœleſtes ſacrificio flammas, materiam & propriæ confuſionis, & alienæ irriſionis. Rem ipſam ſic refert ſacer hiſtoricus. *Et invocabant nomen Baal de manè uſq; ad meridiem dicentes, Baal exaudi nos. Et non erat vox, nec qui reſponderet. Cumq; eſſet jam meridies, illudebat illis Elias dicens: Clamate voce majore, DEUS enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur. Clamabant ergo voce magnâ, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum, cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine. poſtquam autem tranſiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus, quo ſacrificium offerri ſolet, nec audiebatur vox, nec aliquis reſpondebat, nec attendebat orantes.* Verbo Baal, quem pro DEO idololatræ colebant Pſeudoprophetæ, ad vocem hominum, & cultorum ſe invocantium, ſurdus fuit.

Iob. 17. 3.

Deus exaudivit orantem Eliam pro Victoria.

3. Reg. 18. à v. 26.

Baal ſurdus fuit ad preces, & clamores ſuorum ſacrificulorum.

II.

Sed illud longè admirabilius eſt, quòd multi hodie mortales, ad vocem & vocationem immortalis, ſupremique Numinis obſurdeſcant. Neſcio an aliud poſſit inſolentius ſpectaculum orbis dare, quàm DEUM homini ſupplicem; maximè ſi Creator à creatura ſua repulſam ferat. Interrogabis quid divina Majeſtas à ſingulis nobis, aut jure ſuo exigat, aut paternè roget? Hem! brevem catalogum aſſignabo, quem ex dictatu Spiritûs ſancti; conſcripſit Salomon in hanc ſententiam. *Fili mi, ne obliviſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat; longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. Miſericordia & veritas te non deſerant, circumda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui, & invenies gratiam. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, in omnibus viis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. time DEUM, & recede à malo.* Itaque hoc DEUS à nobis poſtulat, hoc rogat, hoc clamat, ut ſi filii eſſe volumus, non degeneres patris noſtri, honeſto timore ac reverentiâ ducti, ejus nutum ſuſcipiamus; & paternarum obſervantes legum, & prohibitionum memores, maximè quibus vetatur impietas. In his pauculis velut breviario, omnis DEI ad nos voluntas continetur, omnis ejus vox & clamor; eò robuſtior, quia cum magnificis promiſſionibus venit.

Deus homini ſupplex, & ab eodem repulſus, inſolentiſſimum ſpectaculū.

Prov. 3. à v. 1.

Iuſtiſſima Numinis poſtulata recenſet Sapiens.

III.

Neque tamen omnibus perſuadet tam fortis ratio, obedien-

Digitized by Google

tiam auditoribus. Cauſa eſt, quia multi eorum ſurdi ſunt, ſimiles illi, de quo olim queſtus fuit apud Iſaiam Dominus: *quis ſurdus, niſi ad quos nuncios meos miſi?* Hinc fit ut etiam hodie, ſive legati Numinis, ſive ſermo blandè vocantis, frequenter ſine fructu vacui redeant; quòd complures homines ſurdi ſint, non vitio naturæ, ſed perverſitate voluntatis. Nam cùm percipiant probè omnia Dei imperia, audiantq; vocem ad pietatem ſuaviter invitantis, nolunt quæ audierunt exequi. Itaq, velut nihil intellexiſſent, per aperta vitiorum, & obvia voluptatum liberrimè graſſantur; ſed ad proprium deniq; æternumq; exitium. Et quamquam divina bonitas à tergo nonnunquam auriculam vellicet profugis, ac quaſi digito propinquum animæ periculum oſtendat, rogetq; ſaniora acceptare conſilia; indignantur tamen monitori Deo, & utramq; velut aurem obturant; ut ad hos rectiſſimè accomodari poſſit illud Pſaltis: *furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.*

Iſa. 42. 19.

Multi nihilominus ad ea mortales, velut ſurdi ſunt.

Pſal. 57. 6. 5. & 6.

IV. O! quoties magni DEI pietas, ſive per ſe ipſam, ſive per alienum miniſterium, vult impios ſapienter quaſi excantare ad vitæ correctionem? ſed fruſtraneo euentu. quia nimirum ſic excantandi, ne ſalubria audiant, & quæ movere poſſent ſemel admiſſa, aures occludunt. Hoc ipſum tamen damno ſuo; qui enim ſpontaneâ malitiâ ita diu ſurdi ſunt, tandem omnino obſurdeſcunt, etiam quando mori oportet; quidquid ferè omnes reclament improbi: ſcilicet ſupremo neceſſitatis articulo, totos ſe aurem fore ad Numinis verba, monita, præcepta. modò interea liceat eſſe bonarum rerum, & expatiari ad ſemper amœna ſcelerum invitamenta. Miſeros vos, quibus tam periculosè illudit propria fiducia! nam ſicut facinoroſi mortales, cœcitatis amantes potiùs, quàm cœleſtis radij, animum illuſtrantis, tandem culpâ ſuâ ſæpe omnino excœcantur & pereunt, quod ſuperiore paragrapho oſtendi: Ita qui ad DEI voces continuò ſurdi ſunt, demum ſic proprio obſurdeſcunt vitio, ut frequenter neque ſub mortem, vocantem DEVM exaudiant. Et quoniam mentis cœcitati, ferè ſemper cognata eſt animi ſurditas, oſtendam hoc ingens malum, Obſurdeſcentiam ſcilicet, ijs imminere hominibus, qui ſuavitate flagitiorum ſeducti; ſuæ reſipiſcentiæ perpetui ſunt procraſtinatores.

Scelerati & procraſtinatores ſuæ pœnitentiæ, in morte volunt toti eſſe AVRES, ad divina præcepta & monita.

Sed quia in hac vita ſurdi fuerunt, etiã ibi plerũq; toti obſurdeſcunt.

V. Documento eſſe poteſt Rex Ægypti Pharao. cui cùm Moyſes

&Aaron,

Digitized by Google

& Aaron, iſtud Numinis oraculum tuliſſent: *hæc dicit Dominus* DEUS *Iſrael, dimitte populum meum, & ſacrificet mihi in deſerto;* non ſine faſtu legatis reſpondit: *quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſrael? neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* En Pharaonem ambitio ſua ſurdum fecit ad divina juſſa; ſuave illi fuit, neminem alium ſe ſuperiorem credere, omnes majeſtate ſuâ inferiores putare; neque agnoſcere ullum, qui præter ſe in regno Ægypti, cum ſumma poteſtate poſſet jus dicere. Sed intellexit denique eſſe aliud Numen, terreno Regum dominatu altius, quando in pœnam ſuæ contumaciæ, & patria & ſubditi, jam ranis obruti fuêre, jam nocentibus muſcis vexati, jam vlceribus afflicti, jam grandine percuſſi, jam tenebris ſepulti, jam in primogenitis interfecti, jam alijs malis exhauſti. Neque tamen (quod ſæpe ſcriptura meminit) etiam tam atrociter caſtigatus cum populo ſuo Rex, audire aut Moyſen voluit, aut DEUM ſupernè tonantem; inſolens faſtus, ad graviſſimas plagas eum ſurdum fecit; donec obſurdeſceret omnino, nihilq; ampliùs divinæ admonitioni reponeret, quàm lamentantis verba, & reſipiſcentis quædam inania ſigna, & illud corvinum CRAS, quaſi volentis proximè dimittere populum Iſrael: ſed tota res ſtetit inter frigida, & conficta metu propoſita. Denique miſer Pharao ad corvos, quorum imitatus erat cantum, cum ſuo exercitu ivit; quando perſecutus Hebræos ad mare rubrum, in eodem ſubmerſus perijt, factus eſca corvorum. Sic enim Lyranus, alijque illud Davidis explicant: *dediſti eum eſcam populis Æthiopum.*

Exod. 5. v. 1. & 2.

Pharao Rex Ægypti, ad divina juſſa pertinaciter ſurdus.

Etiam ſurdus mortuus eſt, & ad corvos miſſus.

Pſ. 73. 14.

VI.

A Pharaone Ægyptiorum Rege, gradior ad Amaſiam Regem Iuda; quem reperio ſemper ſurdum Deo, obſurduiſſe ſemper; unâ ejus perfidiâ in conſuetudinem ſceleris tranſeunte. Nam quo tempore victos prælio Idumæos ſpoliavit, etiã gentium idola in partem ſpoliorum accepit; quodque longè fuit turpiſſimum, deinceps quoque religioſo cultu, & thure incenſo veneratus eſt. Sed nempe exaſperatus à ſacrilego idololatra Deus, Vatem ſuum miſit, qui eidem exprobraret: *cur adoraſti Deos, qui non liberaverunt populum ſuum de manu tua?* Et ille ubi miteſcere debuit, ſuamq; & fateri, & deprecari culpam; inſolentior redditus, oculiſq; flammas jaciens, ore tonitrua multiplicans, his verbis legatum Numinis prophetam, furibundus excepit. *num conſiliarius Regis es? quieſce, ne interficiam te.* Ita miſerabilis homo ſẽper manſit ſuperſtitioſus cultor ſimulacrorum, patriæ & avitę religionis neglector. Et quamquam non ſemel, ipſi

2. *Paralip.* 25. v. 15. & 16.

Amaſias Rex Iuda, Deo ſurdus, ſurditatis ſuæ pænas dedit.

Digitized by Google

ipſi poſtea hoc facinus ſua cōſcientia(ut credibile eſt)opprobraret, quin etiam futuri præſcia mali, triſte vaticinium adderet accuſationi: tamen ſurdo locuta eſt, & improvido impendentis damni;nam Amaſias in pœnam acceptæ, & continuatæ ſuperſtitionis gentilitiæ, à ſuis interemptus eſt, teſte ſcripturâ. Obfuit ipſi ſemel fuiſſe ſurdum ad DEI vocem; hinc ſemper fuit, & magis magiſque obſurduit.

2. Paralip. 25. 28.

VII. Sed hoc loco, citra nefas præterire non poſſum filios Heli, turpes ſanctiſſimi parentis noxas. Et ille quidem, vt probra liberorum ſuorum audivit, ſacrilegas fraudes in ſacrificio, & inhoneſtæ Veneris turpitudines; quod Patres obſervant, ſæpius eos ex DEI voluntate, officij ſui admonuit, non ſine obiurgatione. quæ tamen effectum non habuit, ſurdeſcentibus ſemper filijs ad verba parentis. ſic enim in ſacris faſtorum tabulis legimus. *Heli autem erat ſenex valde, & audivit omnia, quæ faciebant filij ſui vniverſo Iſraeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi, & dixit eis. Quare facitis res hujuſmodi, quas ego audio res peſſimas, ab omni populo? nolite filij mei, non enim eſt bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini. ſi peccaverit vir in virum, placari ei poteſt DEVS; ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Et ſanè, tam lenis ſine omni acerbitate adhortatio, tam mellita ſine omni felle inſtructio, tam butyracea, tam ſaccarea paterni affectûs monita, debebant utique everberare mentem filiorum ad emendationem: niſi perverſitate jam ſuâ obſurduiſſent. Sic enim porrò divinæ literæ ajunt. *Et non audierunt vocem patris ſui,* toties ſurdi, quoties admoniti; donec tandem & vitæ ſuæ correctionem, & commiſſorum pænitudinem criminum, remitterent in ſerum & ſenectutem. Nam authore Philone ad frequentatas parentis reprehenſiones, iſtud responderunt. *Quando ſenuerimus, tunc pænitebimus.* ac ſi apertè teſtarentur, ante ſeniles annos, nequaquam ſe ſe recepturos ad frugem, moreſque emendatiores. In cujus tam vanæ confidentiæ, aut certè irriſionis protervæ ultionem, permiſſum à DEO eſt, ut antequam ad canos pervenirent, tollerentur è vivis; neque ſuavi morte, ſed violentiâ hoſtilis ferri; & quemadmodum ſuſpicio eſt, adhuc patri ſuo, Deoque ſurdi; vt ſicut culpa eorum, alia aliam excepit, ita pœna ſequeretur pœnam, temporalem æterna. Tam fœcunda malorum parens eſt Obſurdeſcentia, quando homo DEO ſuo, aut per ſe, aut per alium loquenti, monenti, objurganti, claudit aures.

1. Reg. 2. 1, v. 21.

Heli, parenti ſalubria monenti, aurem claudunt protervi filij.

Philo Hebr. in Antiquit. Biblic.

Sed morte immaturâ luunt ſcelus.

Neq;

VIII.

Neque mirum, divinæ Majeſtati grave eſſe, cùm ſalubres datura hortatus, impingit in ſurdaſtros; quando neque nos patienter ferimus, aures obſtrui ſermonibus noſtris. Certè D. Stephanus, minùs moleſtè accepit lapides, quibus petebatur à Iudæis, quàm cùm ijdem teſte S. Lucâ, *continuerunt aures ſuas*, ne exciperent verba ejus, ſalutis futuræ ſemina. Interrogatio D. Auguſtini eſt, *quando debuit Stephanus plus iraſci? quando lapidabatur, aut quando non audiebatur? Ecce mitis factus eſt, cùm lapidaretur, & ſæviebat cùm non audiebatur.* Nam inter ſaxorum imbres, orabat pro lapidantibus; quid manſuetiùs? malè auditus, *homines durâ cervice, & incircumciſis cordibus & auribus* nuncupabat; quid ſæviùs? Igitur Stephano doluerit, cùm vacuas aures non reperit apud Hebræos; & non doleat ſupremo Numini, quando benevolas ejus admonitiones averſantur Chriſtiani? quando impij cum filijs Heli, impium illud exhortatori ſuo reponunt; *cùm ſenuerimus, tunc pœnitebimus?* Et quamquam hæc talia rariſſimè audiantur verba, ipſa tamen facta ſæpiſſimè loquuntur, certiſſimi mentis ac voluntatis teſtes.

Act. 7. 57. — *S. Auguſt. in Pſ. 132.* — Quā Deo diſpliceāt, qui ad ejus hortamenta ſunt ſurdi, patet exemplo S. Stephani. — *Act. 7. 51.* — Cantilena ferè impiorum hominum: *cùm ſenuerimus, tunc pœnitebimus.*

IX.

Atque hinc naſcitur grande illud faſtidium erga conciones, quibus ſeveriores proponuntur materiæ, aptæ ad ſalubrem metum incutiendum; jamque complures hominum, excuſſis illis triſtibus, aliud argumentum concionatoribus præfigunt, cum improbis quibuſdam ex gente Hebræa poſtulantes: *loquimini nobis placentia.* puta quæ ſpem ſalutis non accîdant, non dubiam faciant beatitudinem, non difficilem olim pœnitentiam; quæ viam ſceleribus non obſtruant, conſcientiam non ſtringant, non improbent voluptates, flagitia non exprobrent, illecebras concupiſcentiæ non damnent. quiſquis aliud dixerit pro pulpito Eccleſiaſtes, & aliter, malè dicet & fruſtra; quia non audietur cum plauſu. Itaque fit etiam hodie, quod adnotavit jam dudum Siracides: *verbum ſapiens audivit luxurioſus, & diſplicebit illi, & projiciet illud poſt dorſum ſuum.* Contemnentis ſignum eſt, & vile id æſtimantis, quod vix inter manus acceptum, poſt tergum abijcit ad tenebricoſos angulos, & pulvere obſitos. Ita Eccleſiaſticus affirmat luxurioſum, ſive (vt alij explicant) vitijs ac delicijs aſſuefactum hominem, etiam pretioſiſſimas veræ doctrinæ gemmas (quibus ſi vellet, ſponſo DEO animam gratioſiſſimè exornare poſſet) inter protrimenta habiturum; vt oſtendat ex eo ſe genere pecorum eſſe, quæ margaritas & vniones pedibus calcare ſolent, & lutum præ auro diligere.

Iſa. 30. 10. — Interea faſtidiuntur ſeriæ conciones. — *Eccl. 21. 10.*

Digitized by Google

X. Deniq. hoc genus mortalium, vivis quaſi coloribus depinxit Apoſtolus Paulus, totiq; orbi ſpectandum exhibuit non ad ſequelam, ſed cautelam & deteſtationem. Ejus verba ſic habent: *Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros, prurientes auribus; & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Senſus eſt; homines deſiderijs vanis & carnalibus pleni, eò quòd pruriant auribus, amentque audire nova, curioſa, mollia, grata; quærunt ſibi concionatores, non qui verbo mordeant, & abradant animi ulcera; ſed qui vitæ aliorum vitioſæ adblandiantur, & aures ſcalpant, *& omni cubito pulvillos aſſuant*; dum mellita, & vulgo plauſibilia, ad cathedram ferunt. Vbi notandum, non malè homines voluptarios, dici laborare pruriginis morbo; nam vt Plato ratiocinatur, *ſicut jucundum & volupe eſt ſcabiem ſcabere, at poſtea tetros ciet odores & dolores; ita vitiorum voluptas, guſtu grata eſt, poſtea verò multùm habet fellis & aloës.* Quam tamen amaritudinem, vt in fundo ſcelerum non perſentiant impij, continuò eunt, redeuntque ad delicioſi mundi apiaria, & creaturarum apium alvearia, & novarum oblectationum melimela, ludicra infantiæ apud ſuperos ridendæ. Quin etiam ſolertiſſimè cavent, ne quis pro concione Orator, dictione ſuâ moveat felleum illum conſcientiæ amarorem. Aut ſi quiſpiam eſt cordatior Eccleſiaſtes, qui abſque palpo puram putam veritatem loquitur: oſtenditque ex ſacro Codice, quot, quantiſq; periculis ſe involuant ij; à quibus virtus omnis, & pietas in longum exilium miſſa eſt, non revocanda priuſquam aut morbus, aut ſenium, aut mors ſuaſerit; tum enim verò quod Apoſtolus ait, *à veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

2. ad Timoth. 4. c. 3. & 4.

Cornel. hic.

Ezech. 13. 18.

Plato in Phileb.

Exploduntur etiam Concionatores, niſi placentia dicant.

XI. Athenienſibus ſimillimi, quos cùm aliquando auditores parum attentos haberet Demoſthenes, in graviſſima patriæ cauſa declamans: interrupto tantiſper orationis curſu; Viri inquit Athenienſes, paucula habeo, ſed jucunda, quæ vobis referam. Mox illis aures, animoſq; erigentibus, ſequentem narravit fabellam. Quidam ait, Athenis Megaram profecturus, aſinum quo veheretur, conduxit. Iamq; iter ingreſſus cum Agaſone ſocio, quoniam adulta æſtas erat, & ſub meridiem maximè gravis; cùm nullum etiam toto campo, vnius vmbræ proijceret arbor refrigerium, deſcendens ex aſino, ejuſdem corpus, vmbraculum ſibi fecit. Sed enim Agaſo hominem inde pepulit, quòd aſinum ſolum locâſſet, non vmbram aſini. Alter ex adverſo contendebat, ſimul cum aſino, ejus quoq; vmbram

Plutarch. in Demoſth.

Sicut Græci magis amabant audire de umbra aſini, quam patriæ ſuæ bono ac ſalute.

eſſe conductam, vt pote individuam comitem. Ita ventum eſt ad rixam, à rixa ad verbera, indè ad jus & tribunal. Huc vſq; ſummâ auditorum attentione dixerat Demoſthenes, cùm ſe ſubito parat è concione ſubducere; ſed ab ijs rogatus, vt reliquum fabulæ abſolveret, his verbis acerbiſſimè increpitos dimiſit: *De vmbra aſini audire cupitis, de Græciæ ſalute non vultis.*

Hanc reprehenſionem in illos contorqueo, qui ex cathedra audire amant apologos, fabellas, facetias, verborum lenocinia & phaleras; ſed cùm tractantur animorum negotia, cùm explicantur vitiorum remedia, cùm proponuntur ſeria, pathetica, tragica; hominis puto noviſſima, impietatis ſufflamina; jam faſtidiunt, ſola illis ſecuturæ mortis memoria, aut imminentis judicij, & vel maximè inferorum mentio, amara eſt: maluntque hîc eſſe ſurdi, quàm tot vulnera excipere, quot verba. Sed hoc ipſum, ſignum eſt manifeſtarium animæ ægrotantis, & malè conſtitutæ: quando ſalutis verbum, aut oſcitanter præteritur, aut cum nauſea excutitur. Chriſti, æternæ Veritatis dictum eſt: *Non in ſolo pane vivit homo. ſed in omni verbo, quod procedit de ore* DEI. Et oranti quondam beato Ephrem, vox allapſa eſt: *Ephrem manduca.* Atque ille, *quid* inquit, *manducabo, aut quis mihi cibum præbebit?* Cui iterum vox; *Abi ad Baſilium, hic te docebit, & panem æternum tibi porriget.* Ergo Ephrem ab oratione conſurgens, ſolicitâ inveſtigatione Baſilium quærit; tandemque in ſacra æde, ad populum reperit dicentem. vt certò crederet, non minùs animorum cibum eſſe Verbum DEI, quàm panis ſit corporis. XII.

Sic aliqui Chriſtiani aures avertunt à ſeria veritate in concionibus, & convertunt ad fabulas, apologos, facetias.

Matth. 4.4.

Surius 1. Febr. in eius Vita.

Verbũ Dei piè auditũ, pabulum eſt animæ.

D. Chryſoſtomus, aureæ vir eloquentiæ, cùm ſuos aliquando pro concione vellet commendare, atque in certam aſſequendæ ſalutis fiduciam erigere, ſic eos animavit. *Argumentum mihi eſt, hoc veſtri in divinis profectûs, quod tantâ promptitudine quotidie huc convenitis, & ſpirituali doctrinâ expleri non poteſtis. Nam quemadmodum corporalis cibi appetitus, indicium eſt bonæ valetudinis, ita deſiderium ſpiritualis doctrinæ, manifeſtiſſimum argumentum eſt animæ bene habentis.* Ergo (quia contrariorum eadem eſt ratio) rectiſſimè infero; ſignum malè habentis animæ, eſſe faſtidium, & nauſeantis ſtomachi tædium, ad Verbum DEI; vt quando cum Athenienſibus aliqui, de vmbra Aſini, & puerilibus nugis, & anilibus fabulis, offutijs & affanijs, longos ſermones cupiunt; de ſalute autem propria, & ejuſdem medijs, nihil etiam breve ſuſti- XIII.

S. Chryſoſt. hom. 32. in Gen.

Imò ſignũ mentis bene conſtitutæ.

nent audire. Qui morbus ferè ſemper eſt eorum, quos jam in profundum merſit carnifex impietas. fruſtra illis tandem inter vitia ſua & delicias ſepultis, loquitur Eccleſiaſtes in templo, Angelus in conſcientia, DEVS in mente; ſurdi hîc ſunt, & tales plerumq; manent, partim culpâ ſuâ, partim alienæ fallaciâ deceptionis. Lubet rem planiùs exponere, fuſiuſque.

XIV. Coſmographi tradunt quoſdam Nili accolas, planè ſurdos eſſe, propter continuum fragorem, & vehementem impetum, quo fluvius ille de altiſſimis ſe montibus præcipitat. obtuſæ ſemper magno ſtrepitu aures, deniq; ſurdeſcunt. Et Mundus iſte, nunquid torrens eſt? nunquid impetuoſo Nilo ſimile flumen? nunquid & procelloſum eſt mare? Ita certè eum communi appellatione Patres nuncupant. O quanti in hoc pelago fluctus curarum! quot vndæ ſollicitudinum! quanti ſtrepitus affectuum! quanti clamores & vociferationes plorantium, cachinnantium, negotiantium, fabricantium, nubentium, bacchantium! atq; hæc cauſa eſt, cur impius ac ſceleratus quiſq;, ea quę dicuntur de altero mundo, alteraque vita, aut non audiat, aut non cum fructu percipiat; quia totus ejus abſorptus eſt animus in re familiari benè adminiſtranda, in ſanitate conſervanda, in lucro faciendo, in locupletandis liberis, & ſexcentis alijs hujus ſęculi negotijs. Demum hic mundi ſtrepitus eſt, quo multorum inter flagitia ſua, ita aures obtunduntur, vt ſurdi fiant, nec admittant ampliùs pia, & ſalubria ſuadentium conſilia.

Nonnulli hominum obſurdeſcunt ad divina, propter hujus mundi ſtrepitum; ſicut Nili accolæ ſurdeſcunt, propter aquarum fragorem.

XV. Sed ab hac terra, ad cœlorum orbes aſcendo, quos Pythagorei olim aſſeruerunt, harmoniâ quadam ſuaviſſimâ, atq; ad numerum moveri, ita vt ſi percipi poſſet, omnes in ſui admirationem raperet attonitos. cæterùm perpetuis tumultibus, ac motu vehementi hujus inferioris mundi impediri, quò minùs ad aures accidat cœleſtis muſica. Nolim hîc curioſè diſputare, an tandem ſit aliqua ſymphonia, quam edant ſidera & aſtra. Hoc tamen veriſſimè aio, nullum eſſe delicatiorem concentum eo, quem intra cœlos fieri audivit, animo proximus D. Ioannes Evangeliſta. *Et viginti quatuor ſeniores* inquit, *ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & cantabant canticum novum dicentes; dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula ejus; quoniam occiſus es, & redemiſti nos DEO in ſanguine tuo; ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos DEO noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabunt ſuper terram. Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, &*

Nec cœlorum harmonia auditur, propter eorundem vehementem motũ, ex mente Pythagoræ.

Apoc. 5. à v. 8.

Intra cœlos, cœleſtem muſicã audivit S. Ioannes Evangeliſta.

erat

erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magnâ: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Iterum verò Aquila Ioannes, alterius intra cœlos concentûs ſymphoniaci ſic meminit. *Et audivi vocem de cælo, ſicut citharædorum citharizantium in citharis ſuis. Et cantabant quaſi canticum, novum, & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt; hi ſequuntur agnum quocunq; ierit.*

Apoc. 14. à v. 2.

XVI.

Quantùm terreſtris Muſica, à cœleſti ſuperetur, oſtendit Angelus cytharædus apud S. Franciſcum.

Ars muſica, dulce laborum ſolamen; quantùm humanas afficiat mentes, illi maximè experiuntur, qui ſonos ingenioſè attemperatos, aurium delicias, norunt æſtimare. Sed auſim dicere, ſi phonaſci hìc omnes, & quotquot in terris ſcientes ſunt muſices, conferantur ad cœleſtes aulædos; ſtridulæ cicadæ raucum aliquid, & inſulſum murmurantes videbuntur Divo Franciſco, poſtquam eum à morbo olim decumbentem, maximiſque doloribus pœnè confectum, Angelus unico per chelyn ductu, non tantùm erexit, ſed quaſi etiam in meliorem Orbem tranſtulit. Et hoc ſi unus Angelus, uno chelys artificioſo contactu potuit; quid mille poterunt, & tot milleni, quos Ioannes Apoſtolus audivit, & vocum & fidium concordiâ, ſupremo Numini choros facere in cœleſti choreo. Atq; hi ipſi beati genij, jam nobis ſymphoniâ ſuâ guſtum cœli propinant, ſi aures volumus erigere, & attenti eſſe. Verùm, quod Pythagoræi dicebant, ſtrepitu hujus mundi prohibemur audire; illi præſertim, qui ejus vaniſſimam vanitatem, nunquàm ſine pompa ac ſtrepitu incedentem, ſequuntur ducem ad ſcelera.

Quò minùs audiãt mortales cœleſtem muſicam, cauſa eſt hujus mundi ſtrepitus.

XVII.

Pollio in hiſt. Auguſta Flavius Vopiſcus in Aureliano Baronius ad annum Chriſti 274.

De Zenobia Orientis Regina meminit Pollio, cùm ab Aureliano Imperatore iniquâ prælij fortunâ eſſet ſuperata, ductam ab eodem fuiſſe Romam in triumpho; ſed inter aureas compedes ac catenas. His illa mundum ſuum muliebrem adjecit, tot gemmis, unionibus, margaritis onuſta, ut ſæpius inter eundum ſubſiſtere debuerit, vireſq; reſumere, portandæ tam pretioſæ moli. Quacunq; ibat, circumſtrepens inter monilia aurum, Reginam prodidit; & mirabatur populus ſpectator, tam ſplendidam captivitatem. In hac ego Zenobia, contemplor ſæculi Vanitatem; quæ tametſi à Virtute, ſemper devicta ducitur in triumphum; nihilominus tamen regio cum ornatu circumſtrepit per orbem, trahens ſecum non tantùm auri, gemmarumque divitias, ſed etiam thia-

Zenobia Regina, imago eſt

vanitatis hoc orbe circumſtrepentis.

ras, diademata, coronas, ſceptra, amplos titulos, illuſtria nomina, clara dignitatum inſignia; totum denique magnæ ambitionis apparatum. Et quoniam largiſſimam tantorum bonorum promiſſionem facit, devotis ſibi clientibus Vanitas: ita paſſim hanc Deam ſequuntur homines, ut præ ejus pollicitatione, aureo gemmeoque ſtrepitu, nihil audiant cœleſtis, atque Angelicæ harmoniæ, quâ ad cœlos ſuaviſſimè invitantur.

XVIII.

Bombyces crepitaculis aſſuefiunt, ne moriantur ad tonitrua.

Sed ex his iterum me ad terram demitto, & terræ vermiculos, bombyces; quos ajunt, tonitrui fragoribus perterritos, facilè emori. Itaque ut ad ſonum aſſuefiant, neque uno ſtatim nubium boatu exanimentur, ſunt qui illis per nolas & crepitacula, frequenter plauſum faciunt; ita tandem neque tonitrua amplius exhorreſcunt, roboratâ per conſuetudinem ſonitûs naturâ. Et quid nos homines ſumus univerſi! nunquid viles terræ vermiculi, & nati humi, & humi repentes? nunquid etiam bombycibus ſimiles, teximus fila inanium curarum, ſollicitudinum importunarum, deſideriorum inutilium, affectuum quoque noxiorum, donec à nobis ipſis exhauſti, in terram unde prodijmus, revertamur? Interim dum in opere adhuc ſumus, & ſcelerum continuandorum textura; intonat ſuper nos DEUS ex alto, & judicij ſui, ac vindictæ juſtiſſimo timore, concutit animos ad emendationem: ut ſemper aliqui ſalubriter perterrefacti, incipiant peccatis ſuis mori, & Virtuti ac pietati vivere. ſed ne omnes tam piè moriantur improbi, damnata ſocietas cavet obtrudens vice crepitaculi & cymbali, dulciſſimam ad voluptates invitationem; quam Sapiens nobis totidem verbis proponit legendam.

Quò minùs improborum aliqui moriantur peccatis ſuis, ad Dei tonitrua, cauſa ſunt impiæ ſocietatis crepitacula.

XIX.

Sap. 2. à. v. 1.

Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis; & non eſt, qui agnitus ſit reverſus ab inferis; quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam non fuerimus; quoniam fumus afflatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum: quâ extinctâ, cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aër, & tranſibit vita noſtra, tanquam veſtigium nubis: & ſicut nebula diſſolvetur, quæ fugata eſt à radijs ſolis, & à calore illius aggravata: & nomen noſtrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum noſtrorum. Vmbra enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri, quoniam conſignata eſt, & nemo revertitur. Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, vtamur creaturâ, tanquam in iuventute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos

Sive blandæ ejuſdē invitationes ad illicita.

flos

Digitized by Google

ſlos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant. nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ; vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Iſta ſunt impiæ ſocietatis ſive verba, ſive cymbala & crepitacula, quorum blando tinnitu & ſtrepitu, ita multorum animos aſſuefaciunt ad vſum voluptatum, ut jam ſurdi ſint ad tonitrua bombyces, neque DEVM supernè judicia ſua tonantem, & pœnas ultra exhorreſcant.

XX. Verùm nunc etiam terras deſero, penetraturus ipſos inferos: vbi quotidianũ reperitur ſpectaculum, multò quàm crudeliſſimum. ſimile ei, cùm in valle Ennon aut Gehennon, Idololatræ quondam Hebræi, liberos ſuos DEO Baal, ejuſque idolo, Moloch nuncupato, inter flammas conſecrârunt. Qua de re ſic ſcribit D. Hieronymus. *Idolum Baal fuiſſe juxta Ieruſalem, ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non ſemel legimus. Hîc Vallis plena deliciꝭs erat, locuſq; in ea, idolo conſecratus. In tantam autem dementiam populus Iſrael venerat, vt deſertâ templi viciniâ, ibi hoſtias immolarent, filioſq; ſuos dæmoniꝭs incenderent, & initiarent: Et appellabatur locus iſte Gehennon, id eſt Vallis filij Hennom.* Videtur hæc S. Hieronymus accepiſſe ex clara Ieremiæ ſententia, dicentis de nefanda Iudæorum ſuperſtitione: *ædificaverunt excelſa Baal, quæ ſunt in Valle filij Ennom, vt initiarent filios ſuos, & filias Moloch.*

D. Hieron. ſuper Matt. c. 10.

Vallis Gehennon, plena delicijs, factus eſt locus dolorum; quia ibi in igne immolati ſunt filij.

Ierem. 32. 35.

XXI. Cæterùm de ritu hujus ſacrificij variant. Nam aliqui putant combuſtos eſſe parvulos ſuper aram poſt immolationem; exemplo Abrahæ, inſtituentis ſic Iſaacum filium Deo offerre. Alij volunt partim à ſacrificulis, partim à patre traductos fuiſſe inter duplicis rogi medias flammas, donec incendio conſumerentur. quò probabile eſt illam ſpectare prohibitionem in levitico: *ſi quis dederit de ſemine ſuo idolo Moloch, morte moriatur.* Hebræi docent idolum Moloch ſtatuam fuiſſe æneam, ad hominis ſimilitudinem, ſed intus inſtar fornacis cavam; atque intra hanc concavitatem, innoxios à parentibus liberos incluſos, donec in ſuccenſa ſtatua cremarentur; tormento Phalaridis ſimillimo. Lyranus verò ex alijs refert, cùm jam ſimulacrum illud æneum, concepto intus igne totum excanduiſſet; impoſitum inter brachia ſua parvulum, adſtrinxiſſe pectori, donec miſerandum in modum vſtus, combuſtuſque eſſet; ſacerdotibus interim tympana pulſantibus, ne parentes ſobolis ſuæ ejulatus perciperent, quin potius crederent animam

Varia variorum Auctorum explicatio, circa hunc modũ ſacrificij.

Barradius tom. 2. lib. 7. cap. 18.

Lyranus in c. 18. Lev.

Creduntur ſub ſacrificiô tympana pulſata, ne à parentibus

ejus

audirentur filiorum pereuntiū ciulatus.

ejus abſque dolore, corpuſculo ſolvi, inter manus idoli. Vbi ignoro utra crudelitas major fuerit, filiolum inſontem, tradere Vulcano hoſtiam? an eundem, cùm inter cruciatus, paternam opem ingemiſceret atque inclamaret, nolle exaudire, ſed ſurdis quaſi auribus præterire, ſtrepitu tympanorum intercipiente vocem ejulantis parvuli.

XXII.

Vallis Gehennon, viva eſt imago Gehennæ, ſeu inferni.

S. Hieron. in cap. 10. Math.

Nunc à Valle Gehennon, ad Gehennam deſcendo: quod vocabulum omnium primò à Salvatore uſurpatum eſſe pro tartaro & ſtyge, auctor eſt D. Hieronymus. Et credo ex ſimilitudine, quam Orcus & Gehenna habet cum Valle Gehennon. potiſſima conſiſtit in luctuoſiſſimo ſacrificio, quando animæ damnatorum velut infelices victimæ, conijciuntur inter brachia candentis Moloch, ſive veriùs igniti Luciferi, ſemper arſuræ inter lacrymas ſuas, & gemitus, & ſuſpiria, & ciulatus nihil profecturos. quos tamen ſi ſcire cupimus, cujus ſint generis, Sapiens demonſtrat ſequenti catalogo. *Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam navis quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cùm præterierit, non eſt veſtigium invenire, neq; ſemitam carinæ illius in fluctibus; aut tamquam avis, quæ tranſvolat in aëre, cuius nullum invenitur argumentum itineris; aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum; diviſus aër continuò in ſe reclaſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius; Sic & nos nati, continuò deſivimus eſſe; & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.* Sed dixerunt collacrymantibus oculis, adgemiſcente pectore, ductis ex corde ſuſpirijs, evocato ex pulmonibus lamentabili clamore, & conſimili planè ejulatione, qualem olim dives Epulo edidit, quando jam conſtrictus inter brachia Moloch, jam ardens inter tartarei ignis incendia, voce quâ potuit contentiſſimâ, flebiliter exclamavit ad Abrahamum: *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*

Sap. 5. à 6.

Senſus, gemitus, queſtus, lamẽta eorum, qui in Gehenna cruciantur, à Sapiente deſcribuntur.

Preces Epulonis evangelici, inter brachia Moloch, ſeu Luciferi, quæ?

Luc. 16. 14.

XXIII.

Eadem eſt hodie apud inferos omnium illuc condemnatorum, miſerabilis vox, ijdem gemitus, eadem ſuſpiria, clamor idem, deplorantium calamitates ſuas, & remedium fruſtra poſtulantium;

lantium; quin etiam nos caſu ſuo, quaſi adhortantium de cautela, *ne & ipſi veniamus in hunc locum tormentorum*; quod fratres ſuos Epulo monitos voluit. Sed obſecro, cur tam rari his ferventiſſimis miſerrimorum hominum admonitionibus, fiunt cautiores! cur adeo pauci tam calidis gemitibus damnatorum, tam fortibus lamentis, tam validis clamoribus emendantur ad frugem, ad pietatem moventur, abſtrahuntur à flagitijs? nempe quia hîc etiam multi ſunt ſurdi, & propriæ vitio culpæ, & pernicioſâ dæmonum aſtutiâ. Nam ſtygij popæ, quod ſacerdotes fecerunt Moloch, velut tympanis circumſtrepentes, aures obtundunt; ne qua alterius vitæ miſeria, exterritos auditu improbos, ad meliora compellat. Totum itaq; ſtudium eſt Luciferi, aures, oculos, animos hominum ſceleſtorum, à futuris convertere ad præſentia: ijſq; vice idoli Moloch, ſeu ſtatuæ apud inferos ignitæ, proponere alteram auream, hoc eſt, Vitam præſentem; eâ fere ſpecie, & cultûs obligatione, quâ olim Rex Babylonis Nabuchudonoſor, ſuis obtulit pulchram & pretioſam à metallo imaginem, cujus ſic meminit Scriptura.

Cauſa, cur multos nõ afficiat dãnatorum querimonia & lamentatio, inde eſt, quòd Sathã obtundit aures.

Item, quia à futuris transfert animos hominum ad vitam præſentẽ.

XXIV.

Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream, altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex, & ſtatuit eam in campo Dura, provinciæ Babylonis. Itaq; Nabuchodonoſor Rex miſit ad congregandos ſatrapas, magiſtratus & judices, duces & tyrannos, & præfectos, omneſq; principes regionum, vt convenirent ad dedicationem ſtatuæ, quam erexerat Nabuchodonoſor Rex. Tunc congregati ſunt ſatrapæ, magiſtratus & judices, Duces & tyranni, & optimates, qui erant in poteſtatibus conſtituti, & vniverſi principes regionum, vt convenirent ad dedicationem ſtatuæ, quam erexerat Nabuchodonoſor Rex, & præco clamabat valenter. Vobis dicitur populis, tribubus & linguis; in hora, quâ audieritis ſonitum tubæ, & fiſtulæ, & citharæ, ſambucæ, & pſalterij, & ſymphoniæ, & vniverſi generis muſicorum, cadentes adorate ſtatuam auream, quam conſtituit Nabuchodonoſor Rex. Poſt hæc igitur ſtatim, vt audiverunt omnes populi ſonitum tubæ, & fiſtulæ, & citharæ, ſambucæ, & pſalterij, & ſymphoniæ, & omnis generis muſicorum: cadentes omnes populi, tribus & linguæ, adoraverunt ſtatuam auream, quam conſtituerat Nabuchodonoſor Rex.

Daniel. 3. à. v. 1.

Quæ cum ſtatuâ Nabuchodonoſoris pulchram ſimilitudinẽ habet.

XXV.

Idem hoc conſilium eſt hoſti generis humani, Vitam præſentem, velut nobiliſſimam ſtatuam proponere; non tam argento, auroque gravem, quàm plurimis commodis,boniſque circumfluentem; puta rerum creatarum amœniſſimâ pulchritudine, potentiâ dominandi, favoribus magnatum, fortunâ ad nutum eunte, gau-

Nec pauci, venerabũ-

Digitized by Google

di adorant eam, inter tubas, fiſtulas, citharas, ſambucas, pſalteria illecebrarum, ac mundi.

dijs cum quotidiana, & multiplici voluptate augeſcentibus. Et heu! quàm multi his provocati illicijs, ante ſtatuam procidunt venerabundi; Vitam inquam præſentem, quaſi adoraturi: quando nihil cunctantur ejus gratiâ, idololatriam committere, & honorem DEO debitum, transferre ad creaturam, peccando. Itaque perſuadendis ad hoc facinus mortalibus, tot cacodæmon adhibet tubas, fiſtulas, citharas, ſambucas, pſalteria, & alia generis muſici inſtrumenta, quot encomiaſtes habet flagitiorum, quot illecebras delectationum, divinis legibus interdictarum. Et hic denique modus eſt, quo non pauci hominum ſceleratorum ſurdi fiunt, ad conſcientiæ ſuæ domeſticas exprobrationes, ad clamores Eccleſiaſtæ, ad ſevera Numinis ipſius, & frequentata monita. Ajunt quidem, & pro pallio continuandæ impietatis affirmant; cùm olim ad extrema ventum fuerit, ſe vtramq; aurem latiſſimè aperturos ſalutaria dicturis, conſcientiæ, ſacerdoti, DEO. Ego autem ajo complures, qui longo tempore, multiſq; annis inter vitia & cupiditates ſuas obſurduerunt, etiam ſub mortē, nullis ampliùs cohortationibus ad reſipiſcentiam fuiſſe permotos. Ab vnius exemplo, aliorū caſus diſce.

Donec per ejuſmodi ſtrepitus, DEO & cōſcientiæ ſurdi fiant, ſurdiq; moriantur.

XXVI. Memorat Gotſchalcus, hominem ab ægritudine in lectum proſtratum, cùm ad mentem revocâſſet prioris vitæ rationem, tantùm non obrutum eſſe mole criminum. Iamq; ſana conſilia ſuggerentibus amicis, malus augur de interitu ſuo regerebat vaticinia. Neq; tamen à Superis deſertus homo fuit. Chriſtus ipſe aſpectabili forma, vt afflicti animum erigeret ad fiduciam, obtulit clementiæ ſinum, modò eum probrorum ſuorum pœniteret feriò; eaq; ſacerdoti miniſtro Numinis, per exhomologeſin cum dolore patefaceret. Sed renuit alter, excuſſâ cum tantillo labore, Servatoris ſui gratiâ. Hic tamen nihilominus inſtare, & deductâ ad pectus veſte, Vulnus lateris, manuum quoq; ac pedum quatuor foramina oſtendere: & conteſtari, ex his fontibus ſalutem poſſe ſuam haurire, ſi pro ſiphone, applicuerit confeſſionis ac pœnitentiæ medium. Cùm verò neq; hîc acquieſceret ſaxeus homo, totoq; capite abnueret tam ſalubrem medicinam; exaſperavit nimirū contra ſe pietatem Chriſti. Nam ex lateris ſui vulnere, viſus eſt manum implere multo ſanguine, eumq; in obſtinati faciem proijcere; facturus ingratitudinis notam, quæ hominē olim ad tribunal Iudicis DEI proderet, & condemnaret. Ita diſparuit Chriſtus. Alter perijt; quia perire voluit; etiā provocatus divinis lenocinijs, cōſueta ad ſalutē adhiberet remedia.

Gotſchalcus Halen. Ord. Eremitarū D. Auguſt. ſerm. 58. part. hyem. lit. H.

Exemplo illius ſceleſti hominis, qui jā moriturus, Chriſti ſibi apparētis, ſaluberrima monita excuſſit.

XXVII. Quid ni ad hanc ego tam miſerabilem tragœdiam, exclamem

cum

Digitized by Google

cum Propheta: *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum.* diſcite ex alieno caſu veſtrum diſcrimen, & ne ſimili ruinâ involuamini, interpellanti DEO, aures date, cùm vos extracturus de volutabro ſcelerum, invitat ad virtutis, veræq; pietatis ſtudia. Non audire hîc tempori, ſed multùm tergiverſari, & ſequelam differre in longum, periculo non caret. Diverſa eſt ratio motûs violenti & naturalis; ſicut enim iſti velocitas ſemper accreſcit, ita alteri continuò magis magiſq; decreſcit, donec tandem penitus elangueat. Quid verò homini eſt violentiùs, quàm contra naturæ corruptelam tendere? Et quanquam gratia DEI, vi quadam altiore, poſſit impellere pondus humanæ infirmitatis; ſi tamen hoc ſubſidium impius, totâ quaſi vitâ excuſſit, ſuamq; ſemper inertiam roboravit, neſcio quantum apud morientem effectura ſit violentia. fortaſſis in primo molimine ſuo expirabit conatus, tardeque ac languidè pœnitentiam adibit voluntas, non aſſueta rigori; præſertim retrahente concupiſcentiâ ad veteres guſtus. Denique mirum non eſt eum, qui DEO ſalutaria ſuadenti, aures clauſit dum vixit, etiam dum moritur, obſurdeſcere ad divina monita; more illius, quem olim ipſe ſpectavi, non ſine condolentis animi ſenſu. *Iſa. 42. 18.* Plerumq; qui in vita ſunt diu ſurdi ad divinas inſpirationes, obſurdeſcunt etiã in morte.

XXVIII. Religioſus is fuit; ſed neſcio quibus de cauſis, à ſuperioribus ſuis poteſtatem obtinuit, monaſterij clauſtra mutandi cùm caſtris. Itaq; militiam ſecutus, Sacellanum egit aliquamdiu apud belli ducem in campo, tum deinde apud parochum in pago. Cùm ecce tibi, morbus hominem ad extrema devoluit. Ergo hortamur, vt ſe Chriſtiano ritu diſponat ad pium obitũ, jam jam ſalutaturus adſtantem proximè æternitatem, verbo, vt animæ labes per confeſſionem expiet. eoq; magis id vrgere cœpimus, quia non conſtabat quo tempore exhomologeſin feciſſet. Sed nimirũ, ſicut ad alia adiaphora commodè reſpondebat: ſic in materia ſacra, mutus piſcis erat. Augetur interim fatalis ægritudo; ſed & ſollicitudo ſervandi viri, & lucrandæ animæ. Iamq; periculum vicinioris mortis ſuggerente medico, triũ diverſarum religionum, diverſæ perſonæ ſucceſſimus: optione datâ, vt eligeret vnum ex præſentibus, in cujus aures vltimam confeſſionem deponeret. Fruſtra tamen fuit omnis hæc ſuaviſſima ſuaſio, perſuaſio nihil; oculis ſolùm fixis homo, obiuit circumſtantes, medicam manum ſolvendis culpis ſuis, à nullo expetijt. Igitur inſtamus fortiùs: & jam DEI irati fulmina obijcimus, tribunal Chriſti Iudicis mox adeundi monſtramus, inferni tormenta damus inſpicienda; ſi cum peccatis hinc gravibus exceſſerit, Luctuoſa hiſtoria de Religioſo, qui jam morti proximus, ſurdus ad plurĩũ adhortationes, ſine confeſſione obijt.

Digitized by Google

non reconciliatus Numini, errorem fore æternum, neque ampliùs emendabilem. Proinde apprehenderet vltimis momentis obviam ſibi DEI gratiam, ſimulq́; eijceret *dæmonium mutum* & ſurdum. Sed
Math. 9. 32. proh dolor! ad hæc omnia, tot tantaque hortamenta, ſurdus mutusq́; permanſit. & quidem ſicut oculis perpetuò intuitus eſt monitores: ſic quoq; ijſdem & aures applicare viſus erat, quaſi ſingulis cum diligentia attenderet. Interim nihil fecit; vixq́; vnum gemitum impetravimus, vt ante mortem, ſaltem ſub conditione abſolvi poſſet. ita ſtupenti ſimilis, tandem fatis ſuis conceſcit.

XXIX. Nolim hîc ego DEI judicia ſcrutari, ſed pertimeſcere; quiſq́; *Domino ſuo ſtat, aut cadit*. Quid ſi etiam homo ille, in omnibus ob-
Ad Rom. 14. 4. jectis alijs ſanus, corrupti ſolùm fuiſſet cerebri circa confeſſionem, quaſi ſibi aut non neceſſariam, aut etiam noxiam? Neque enim deſunt exempla ſapientiſſimorum pariter, & doctiſſimorum virorum, qui ſubinde circa vnum duntaxat objectū delirabant, per ſiniſtram corruptæ phantaſiæ imaginationem; cùm in alijs rebus omnibus, oculorum perſpicaciâ linces eſſent, judicio Salomones. Ita non
Peccatores diu ſurdi & malè mortui, nō audient olim: Venite benedicti. nemo, ex hominum religioſorum familia, ceterà ſapiens, pertinaciſſimè tamen credidit, ſe Cardinalem eſſe; voluitque digniùs, hoc eſt, tanquam vnus ex Purpuratorum Patrum ſenatu tractari. Hæc tamen ita dicta velim in alienum patrocinium; vt omnes ſuſpectū habeamus illorum conſuetudinem impiorum, qui velut ex induſtria, diu ſurdi ſunt ad divinas monitiones. Timendum eſt denique, ne olim cùm maximè volent, audire etiam non poſſint, illam
Math. 25. 34. vocantis DEI invitationem: *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS IX.

IVDICIVM AVCTORIS TERTIVM.

Emendationem in futurum ſemper reijcientibus Improbis, metuendum eſſe Tertium ingens malum: OBSTINATIONEM ET INDVRATIONEM CORDIS.

ETſi quidem ſingulis mortalibus noxis, debetur pœna æterna, quòd fide catholicâ certum eſt; tamen jure quodam, videtur hoc tam longum, & nunquam deſiturum ſupplicium, ſtatutum eſſe Obſtinationi, ſive Obdurationi cordis; de qua expreſſiſſimè S. Bernardus ſic definit: *inflexibilis & obſtinatæ mentis malum, licet temporaliter perpetratum, æternaliter punitur; quia quod breve fuit tempore vel opere, longum eſſe conſtat pertinaci voluntate; ita ut ſi nunquam moreretur, nunquam velle peccare deſineret; imò ſemper vivere vellet, ut ſemper peccare poſſet.* Hic enim genius eſt hominis in ſcelus indurati; ad quod malum, proximus ferè ſemper gradus antecedit, conſuetudo & frequentatus peccandi vſus; teſte iterum D. Bernardo, cujus ad illa Iobi verba: *quæ priùs volebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt*, hæc eſt myſtica expoſitio, ad propoſitam argumenti materiam: *primùm tibi importabile videbitur aliquid; proceſſu temporis ſi aſſueſcas, iudicabis non adeo grave; paulò poſt & leve ſenties; paulò poſt nec ſenties; paulò poſt etiam delectabit: ita paulatim in cordis duritiam itur.* I.

D. Bern. epiſt. 253.

Pœna æternæ maximè debetur Obdurationi cordis humani.

Iob. 6. 7.

S. Bern. lib. 1. ad ad Eugen. cap. 2.

Interrogabit non nemo, quid tandem propriè ſit cordis Obſtinatio ſeu Obduratio? Reſpondeo, eſſe improbitatem poſiti- II.

Quid ſit propriè obſtinatio & Obduratio cordis.

Seneca in Prov.

Obduratio ſequens, & vltima, ſæpe eſt pœna antecedentis, apud graves peccatores,

uam, & malitiam voluntatis, nolentis debitum DEO ſuo præſtare officium; item cum pertinacia voluptati, aut bono illicito adhærentis, & repudiantis divinas inſpirationes; donec peccata peccatis accumulando, in pejus ſemper proficiat homo atque vt Seneca ait: *tunc eſt conſummata infelicitas, vbi turpia non ſolùm delectant, ſed etiam placent: & deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerint vitia, mores fiunt.* Itaque videre eſt paucos ex ijs, qui inter perpetua ſcelera inveterârunt, ad veram redire frugem; pleroſque citra omnem reſipiſcentiam mori, & ſuæ obdurationis culpâ perire; cujus malo fit, ut quia aſſueverunt reluctari divinis ſani impulſibus, ijs neq; moribundi emolliantur ad pœnitentiam, quam eò uſque protervè remiſerunt; ut ſequens obſtinatio ſit pœna antecedentis; vindicante ſic frequenter Creatore, quas ſæpius à creatura ſua paſſus eſt repulſas.

III.

Circa Indurationē impiorum hominum, habet ſe Deus dupliciter; Negativè & Poſitivè.

3. Reg. 12. 15.
Iſa. 63. 17.
Exod. 9. 35.

Negativè dicitur ſe habere Deus ad indurādos mortales, quando ijs in pœnam priorū peccatorum, negat gratiam efficacem.

Eccl. 7. 14.
1. Reg. 3. 26.

Suppono hîc juxta Doctorum ſenſum, dupliciter ſe DEUM habere, in cauſa obdurationis apud gravem peccatorem. Primò negativè, ſubtrahendo gratiam efficacem ad reſipiſcendum, & permittendo multiplices lapſus. Atque hoc ſenſu accipiendum eſt illud ſcripturæ: *Domini ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent, & non mererentur ullam clementiam.* Et illud Iſaiæ: *quare errare nos feciſti Domine de vijs tuis? induraſti cor noſtrum, ne timeremus te?* & illud toties repetitum de Pharaone: *ingravatum eſt cor eius & induratum nimis.* Poſtquam ſcilicet DEUS ad Moyſen conteſtatus fuerat: *ego indurabo cor eius, & non dimittet populum.* Cùm igitur Numinis æquitas liberè cui vult, ſubtrahat congrua gratiæ auxilia, ruinamq; permittat; rectè dici poteſt Deus cauſa negativa illius infœliciſſimæ apud impios obſtinationis; quia negat ijdem iuſtiſſimè illud medium, ſine quo certus eſt, non redituros ad meliorem animum, quanquam propriâ ſocordiæ aut malitiæ culpâ. Ad propoſitum D. Bonaventura explicat illud Siracidis: *Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.* hoc eſt inquit, quem ille viſitare noluerit, nempe per gratiam efficacem. Is enim, cui Dominus hanc gratiam ſubtraxerit, à nemine corrigetur. Statimque affert exemplum de ſceleratiſſimis Heli filijs, quos pater corrigere non potuit, quia affirmante Scripturâ: *Deus voluit occidere eos*; ſive, noluit eos per opportuniora ſubſidia viſitare, interprete Divo Bonaventura. qui rectiſſimè monet, iſta Dei opera eſſe conſideranda ad timorem, juxta illud

Prophe-

Prophetæ dicentis : *conſideravi opera tua, & expavi.* Quis tandem non paveat homo peccator, ignarus an non fortè intuitu ſcelerum olim commiſſorum privandus ſit gratiâ illâ ad reſurgendum congruâ & efficaci: adeoque quaſi deſerendus à Deo; ut ſic deſertum, neceſſe ſit tandem perire.

Abac. 3. 2. ſecundùm verſionem 70.

IV.

Deus non deſerit hominem, niſi priùs ab ipſo deſeratur.

Sed ne hîc laqueum induat puſillaminitas, pro ſolatio hanc certiſſimam fidei regulam, ex Sancto Auguſtino inculco: *quia nunquam priùs Deus deſerit hominem, niſi priùs ab homine deſeratur*, loquendo ſcilicet in communi. ſicut enim in præveniendo ſua gratiâ hominem, primus eſt (quod paſſim ex Scriptura & Concilijs patet) ita in deſerendo eſt poſtremus. Clariſſima Tridentini verba ſunt: *Deus ſuâ gratiâ, ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.* Accedunt divina oracula, idem confirmantia. Nam Regi Roboamo, eiuſque populo, contemptoribus veri Numinis, & avitæ religionis, per Semeiam juſſit nunciari: *Vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos in manu Seſac*, Regis Ægypti. Similis fuit illa altera legatio Azariæ, ad Regem Aſa, cuius ſic meminit ſacra pagina: *Azarias, facto in ſe ſpiritu* DEI, *egreſſus eſt in occurſum Aſa, & dixit ei: Audite me Aſa, & omnis Iuda & Beniamin, Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo. ſi quæſieritis eum, invenietis; ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.*

S. Auguſt. tom. 10. ſerm. 88. de temp.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 11.

Patet ex ſcripturæ teſtimonio, & SS. Patrum.

2. Paralip. 12. 5.

2. Paralip. 15. v. 1. 2.

V.

Conſpirant in eandem doctrinam SS. Patres. Divus Fulgentius: *Iuſtè* inquit, *deſeritur à* DEO, *qui deſerit* DEUM. *Et quia homo deſerens* DEUM, *peccat; deſerens peccatorem* DEUS, *juſtitiam ſervat.* Et Sanctus Auguſtinus ajt: DEUS *non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper juſteq; vivatur.* & multò apertiùs ſic alibi ſcribit: *hoc fideliter & firmiter credat dilectio veſtra, quia nunquam priùs* DEUS *deſerit hominem, niſi priùs ab homine deſeratur.* Divus Proſper quoque ſuum adjicit calculum, dicens: DEUS *priuſquam deſeratur, neminem deſerit, & multos deſertores convertit. Multos* ait D. Proſper, ne ſcilicet deſperet quiſquis impius fuit, & ſeriò deſinit. Nec tamen etiam ajt *omnes*: ut timeat, quiſquis audet cum temeritate ſuam perſeverare improbitatem. Sicut enim divina bonitas quoſdam flagitioſos indebitâ benignitate erigit ad reſipiſcendum; ita alios adhuc criminibus merſos, juſtiſſimâ æquitate præterit. Nec licet interrogare *Cur ſic facis?* aliquos, & fortè pares in impietate, benignè aſpiciendo? alios non niſi obliquis, & indignabundis oculis tanſeundo? Hîc ô boni! ô mali! jubet non tam Plato quieſcere,

quàm

D. Fulgent. l. de dupl. prædeſt. c. 13.

S. Auguſt. l. de nat. & grat. c. 26. Idem ſerm. 88. de tēp.

D. Proſper in reſponſ. ad 7. object. Vincent.

Cur Deus, poſt peccata, gratiam conferat efficacem quibuſdā?

Digitized by Google

quàm divinorum abyſſus judiciorum, nunquam humanæ cæcitati perſcrutabilis.

VI.

Interim certum eſt, quotquot hominum cupiditates ſuas ſectati, DEUM, ejuſque ſanctiſſimas leges poſt tergum abijciunt, utriuſque protervi contemptores, turpiſſimi vtriuſque deſertores; manifeſto ſe quoque periculo exponere, ne & ipſi deſerantur à deſerto Numine; ejuſque congruâ gratiâ (cum opportuniſſima eſſet) deſtituantur ingrati, & de ſuprema Majeſtate læſa, millies rei. Et verò hoc pœnæ malum illis maximè timendum, qui inter voluptates & delicias ſcelerum, pertæſi inſuavis pœnitentiæ, tunc eam proponunt ſe comprehenſuros, quando ipſis jam morti & capulo proximis, præceps inter manus clabetur vita. Quis nolit his tam obſtinatis mortalibus, malus eſſe augur? proclive omnino eſt, eum qui in vita ſemper durum & ſaxeum Deo oppoſuit cor, etiam cùm hinc migrabit, futurum marmor ad divinas inſpirationes; ſubminiſtrante quidem DEO gratiam ſufficientem, quæ tamen vitio ipſi ſuo nihil proderit; ſed negante vberiora illa & congrua auxilia, quæ ſi conceſſa eſſent, converſionis habuiſſent effectum. Sed nempe æquitatis eſt hæc animadverſio: toties ingrato, toties inimico, toties refractario, toties reo, illud beneficium negare in vindictæ exemplum, quod conferre nulla lex præſcribit. Iterum repeto quod ſuperius dixi; obduratio ſequens, prioris eſt pœna apud impios pereuntes. Et quid denique mirum eſt, ſi DEUS non emolliat in morte, quem in vita ſibi perpetuò obſtinatè ſenſit adverſarium? ſi ſubtrahat diu ſceleſto, tum non debitam ſingularis ſuæ benevolentiæ gratiam; quando ille Deo ſuo debitam obedientiam, dum vixit, aut ſæpius, aut ſemper ferè ſubtraxit, uno, ſed longo flagitio?

Quiſquis Deum ejuſq; leges deſerit, periculo ſe exponit; ne & ipſe deſeratur ab eo, ejuſq; gratia efficaci.

Et quid mirum eſt, ſi impium in morte Deus non emolliat, quẽ in vita diu, aut ſẽper ſibi habuit obſtinatum?

VII.

Qua in re, velut maximè ſeria, iuvabit audire ratiocinationem doctiſſimi Leſſij, incuſſuram leviculis mentibus ſalubrem timorem, & frenum effreni licentiæ injecturam. Eius ipſius, hîc tibi verba adnumero, digniſſima ut ad ſani judicij ſtateram appendas. Aliud inquit, conſideratione dignum eſt, non ſolùm mortifera, ſed etiam venialia peccata, ſæpe à Deo puniri peculiarium auxiliorum ſubtractione, & variarum tentationum, afflictionum, internarum & externarum permiſſione. Qui enim negligenter Deo ſervit, nec eſt, ſolicitus vt omnes eius offenſiunculas, quantùm per fragilitatem humanam licet, caveat; meretur ut Deus viciſſim, non tantam eius curam gerat, non tantis

Leſſ. lib. 13. de perfect. div. c. 15. n. 86.

Etiam venialia peccata ſunt cauſa, cur Deus aliquando

tis

tis eum beneficijs foveat. Æquum enim eſt, ut ita ſe Deus gerat erga nos, poſtquam illius notitiam adepti ſumus, ſicut nos gerimus erga illum. Idem cernitur inter homines; multæ enim parvæ offenſiunculæ amici in principem, animum ejus ab amico alieniorem reddunt, & efficiunt vt minora beneficia, & rariùs conferat. Hinc peccatis venialibus duo tribuuntur effectus; 1. quòd charitatis fervorem minuunt, 2. quòd ad mortifera diſponunt; ſicut paſſim Theologi docent. Et fervorem quidem charitatis minuunt; tum quia abundantiora auxilia, quibus ad fervidos virtutum actus opus eſt, ſubtrahunt; tum quia difficultatem, quam mens patitur, cùm ſe ad divina erigere conatur, augent. creſcit enim hæc difficultas, partim auxiliorum imminutione, partim inordinatâ affectûs noſtri ad externa adhæſione. subtrahat peculiaria gratiæ auxilia.

VIII.

Alteram enunciationem de venialibus peccatis, ſic proſequitur Leſſius. diſponunt ait, ad mortifera triplici ratione. primò quia auxilia, per illa minuuntur; ſecundò, quia tentationes increſcere ſinuntur; tertiò, quia conſuetudo in parvis ad majora diſponit. Qui ſæpe committit furta parva, incitatur vt oblatâ occaſione, tandem furtum committat magnum. Qui voluptates illicitas ſectatur parvas, proniorem ſe reddit ad magnas. actuum enim repetitio, auget pravam inclinationem, & tollit ſenſim metum offenſionis; vnde oblato objecto gravi, in quo major ſpecies vtilitatis ac voluptatis appareat, facillimè trahitur. Magna itaque habenda eſt venialium cura, à quibus tantum mali impendet. Pulchrè S. Auguſtinus loquens de veniali peccato, ait: *non eſt beſtia ſicut leo, vt vno morſu guttur frangat; ſed beſtiæ plerumq; minutæ, ſi multæ ſunt, necant. ſi projiciatur quiſpiam in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? Quàm minuta ſunt grana arenæ? ſi arenæ ampliùs in navim mittatur, mergit illam vt pereat. Quàm minutæ ſunt guttæ pluviæ? nonnè flumina implent, & domos dejiciunt? ergo iſta nolite contemnere.* Et hæc inquit Leſſius, doctrina S. Auguſtini accipienda eſt, de ratione diſpoſitionis, modo jam explicato.

Venialia peccata, quomodo hominem diſponant ad mortalia?

S. Auguſt. lib. de 10. chordis, c. 11.

IX.

Pergit Auctor, aliudque caput haud indignum ſeriâ meditatione, his verbis ſubjungit. Non ſolùm ob peccata, ſed etiam ob torporem, & neglectum quendam divinarum inſpirationum, qui tamen per ſe non ſit peccatum, divina auxilia plerumque minuuntur. Cui enim DEVS magna auxilia offert, & res magnas inſpirat; ſi ille vel anguſtiâ animi, vel affectu commodioris vitæ negligat,

Quomodo neglectus divinarum

 gligat,

Digitized by Google

inſpirationum, minuat divinæ gratiæ auxilia?

gligat, & eo nomine, quod non ſint præcepta, nolit conſentire divinæ vocationi; meretur inpoſterum hujuſmodi deſtitui, & minoribus duntaxat juvari; meretur vt DEVS non tantâ illum curâ tueatur, non tantis præveniat excitamentis, non tantis dirigat ſucceſſibus. Hinc multæ tentationes, multæ afflictiones, corporales & ſpirituales, multaque ſalutis pericula. Vnde magni rerum ſpiritualium Magiſtri, periculoſum cenſent neglectum divinarum inſpirationum, & teporem in progreſſu ſpiritûs, eoque referunt minas illas Spiritûs ſancti: *quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Et illud: *hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Et iſtud: *quia vocavi & renuiſtis, extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret, & ego quoq; in interitu veſtro ridebo.*

Apoc. 23. 16.
Pſ. 94. 8.
Prov. 1. 24.

X.

Hîc pauſemus nonnihil, atque in iſta comparatione attenti meditemur. Si culex moleſtè pungit, crabronum aculei quantùm dolebunt? ſi vrtica dolenter vrit, flamma quantùm cruciabit? ſi catellus morſu affligit, quantùm ſtringent moloſſi, leopardi, lupi, vrſi? ſi ſcorpio caudâ ſuâ ad internecionem ferit, quantum nocebit aſpis, ſerpens, regulus, draco? Ita aio; ſi tantum homini incommodat committere peccata venialia, aut negligere etiam citra culpam divinas inſpirationes, vt eam ob cauſam juſtiſſimè à DEO puniatur, ſubtractione majoris gratiæ, & peculiarium auxiliorum; quid putamus illis futurum eſt, qui perpetuò ſine fronte, ſine rubore, graviſſimis ſceleribus nova accumulant, heſternis hodierna, hodiernis craſtina, craſtinis porrò ſecutura: cum frigido ſemper frigidiſſimi animi propoſito, olim & tandem aliquando, ſe pœnitentiam acturos, & deſituros peccare: nempe cum vivere deſinent, cùm properabunt mori, atque ad æternitatem currere. Ego verò iſtis magnum maximum timeo malum, ne ſcilicet, quemadmodum per vitam ferè omnem, ſectati illecebras voluptatum ac gaudiorum, DEVM, ejuſque legem ac gratiam repudiârunt; ita demum ab eodem, modo ſupra explicato, repudientur & deſerantur: permiſsâ illis, atque in pœnam inflictâ, obduratione fatali, quacum certiſſimò perituri ſunt; ſed nunquam niſi culpâ ſuâ. Huc videtur Hipponenſis Pontifex alludere, dicens: *Cùm ſemel, & ſecundò, & tertiò vnuſquiſq; gravia peccata commiſerit, expectat tamen illum DEVS. Cùm verò in peccatis ſuis cœperit permanere, de multitudine peccatorũ naſcitur deſperatio, ex deſperatione obduratio generatur.*

Si minutula iſta tantopere incommodant homini, quid facient delicta grandia?

Quid mirũ ſi DEVS deſerat deſerentem ſe impium?

S. Aug. ſer. 88. de temp.

Perſeverantiam in peccatis, ſequitur facilè obduratio mentis.

Sed

Digitized by Google

Sed venio ad alterum modum, quo ſe DEVS habet circa indurationem obſtinantium ſponte impiorum; nempè poſitivè: non quidem propriè, ac proximè voluntatem inclinando ad illam (quæ hæreticorum blaſphema vox eſt) ſed exercendo aliquas actiones, ex quibus occaſionem ſumunt vt obdurentur; puta vel ſuppliciorum inflictione, vel eorundem diſſimulatione. Et quidem pœnis ac ſupplicijs, nonnullos improborum lapideſcere, neque emendari, propheta teſtis eſt, ſic DEVM compellans, ſuper Iudæorum obſtinatione: *Domine percuſſiſti eos, & non doluerunt; attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam; induraverunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reverti.* Nempe quemadmodum pueri nequam, cùm obduraverunt in malitia, exuunt omnem verberum ſenſum, & quandam, velut dedolentiam induunt; pari modo Hebræi, de quibus Ieremias loquitur, præ mentis ſtupore & pertinacia, non ampliùs divinas ſentiebant plagas: eoque minùs ferè ſemper, quò graviùs plexi fuerunt; vt flagella Numinis fuerint occaſio ſecutæ indurationis; ſicut quandoque ejuſdem cauſæ eſſe ſolet indulgentia DEI, meritam diſſimulantis caſtigationem. *Quia*, ait ſapiens, *non profertur citò contra malos ſententia, abſq; timore vllo, filij hominum perpetrant mala.* Deſumptâ ſcilicet peccandi licentiâ, ex conniventia Numinis vltionem tardantis. XI.

Poſitivè dicitur Deus indurare homines improbos, occaſione ſuppliciorũ ſuorum.

Ierem. 5. 3.

Sic enim & malitioſi pueri, per caſtigationem quandoq; fiunt obſtinati.

Eccl. 8. 11.

Dicitur etiam DEVS poſitivè obdurare impiũ, occaſione conniventiæ ſuæ.

Atque hoc etiam modo, DEVS induràſſe dicitur cor Pharaonis, quando eum toleravit potiùs, quàm caſtigavit. Quod S. Auguſtinus explicat ſimilitudine dominorum, ſervos ſuos nimis indulgenter tractantium. *Hoc* inquit *de Pharaone ſine dubitatione credamus, quòd eum non tam DEI potentia, quàm DEI patientia fecerit obdurari. Quam rem etiam circa vernaculos noſtros exercere conſuevimus, quos nimis delicatè, aut ſatis remiſſè nutrimus, vel quibus frequenter peccantibus indulgemus. Cùm enim ipsâ indulgentiâ & remiſſione peiores redduntur, ſolemus exprobrantes illis dicere; Ego te feci talem; Ego tibi peccando, proterviam tuam & negligentiam tuam nutrivi. Hoc autem non dicimus; quòd ille noſtrâ voluntate in tantam fuerint ſuperbiam devoluti; ſed quod abuſi bonitate & indulgentiâ noſtrâ, fuerint obdurati. Idem profectò factum eſt in Pharaone; quia dum ab illo, pro ineffabili bonitate ſua, DEVS plagas ſuſpendit; ille obdurato corde, contra DEVM ſe ſuperbus erexit.* Vbi obſervo cum Divo Hieronymo, XII.

S. Aug. ſer. 88. de tẽp.

Sic enim & ſervi, dominorum indulgentiâ indurantur.

Ex pœnis aut patientia Numinis, alij ſe

lerati emolliũtur, alij durantur.

mo. quemadmodum ex ſupplicijs, ita quoque ex DEI conniventis patientia, quoſdam impiorum emolliri, alios obdurari; quibus rectiſſimè illud poetæ applicaveris:

Virg. Eclog. 8.

Limus vt hic dureſcit, & hæc vt cera liqueſcit,
Vno eodemq; igni?

XIII.

Dicitur iterũ Deus poſitivè indurare, nõ removẽdo illecebras, tentationes, occaſiones.

Huc etiam ſpectat illa Numinis diſſimulatio, quando in pœnam admiſſorum ſcelerum, permittit impios ſequi cupiditates ſuas, neque ab illis removet earum illecebras, occaſiones, tentationes. Quo ſenſu apud Pſalten ait Dominus: *dimiſi eos, ſecundùm deſideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus ſuis.* & alibi: *tranſierunt in affectum cordis.* ſive quod idem eſt; quidquid animo affectârunt concupieruntque, aſſecuti ſunt, eunte ſucceſſu ad eorum vota. Quæ ipſa ſolet eſſe cauſa, vt poſt tam fortunatam rerum omnium affluentiam, illud denique verbum Davidis verum habeat: *prodijt quaſi ex adipe inquitas eorum.* Sicut autem DEVS magnis peccatoribus, ſæpè largitur bonorum temporalium abundantiam, ipſiuſque fortunæ proſperum allapſum; ita non rarò ab eis juſtiſſimè aufert bonos principes, præſides, monitores, doctores, confeſſarios, Eccleſiaſtas, dicente Apoſtolo ad Iudæos, multum reluctantes divinæ veritati, ac Verbo DEI: *quoniam repellitis illud, ecce convertimur ad Gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus.* Quid verò putamus, futurum eſt præcipitantibus equis, & freno & aurigâ deſtitutis? nunquid in exitium ſuum current? aut graviter ægri, quibus nulla Medicorum manus ſubvenit, nonnè conclamati ſunt? aut diſcipulis carentibus Magiſtro, an ſupereſt ſpes ulla profectûs? aut cœci qui ductorem non habent, nunquid periculoſo ambulant greſſu?

Pſ. 80. 13.
Pſ. 72. 7.
Pſ. 27. 7.

Auferendo quoq; bonos principes, monitores, confeſſarios, concionatores, &c.

Act. 13. 46.

XIV.

Præſertim verò laxãdo habenas diabolo.

Cæterùm præter dictos jam modos, quibus DEVS ſe habet quaſi poſitivè ad obdurationem hominum ſceleſtorum, præcipuus videtur ille, cùm laxat cacodœmoni habenas, vt inſidiari & nocere ampliùs poſſit. Ita ſentit D. Ambroſius, cùm ait: *nihil graviùs eſt, quàm errantem à DEO deſeri, vt ſe revocare non poſſit; vt ſi gregem paſtor relinquat, incurſent beſtiæ; ita cùm DEVS deſerit hominem, ingruit diabolus, ſerpit malitia, vulnus augetur, fitq; irremedicabile.* Plerumque enim impij, quos DEVS in pœnam tradit exercendos ad Sathanæ arbitrium, tandem ſub eius incude, in chalybem durantur, ferreamque voluntatem induunt; ſemper ſibi ſimiles, ſemper inter crimina obſtinati.

D. Ambr. tom. 4. c. 9.

Sub incude dœmonis peccator

Quod

Digitized by Google

Quod Clarevallenſis Præſul, eleganter ſignificat, cùm pertractans de filio prodigo parabolam, ajt: *porrò iuſtum divinæ ultionis judicium eſt, vt fugitivum patris filium, alter diabolus vſurpet in ſervum. Vnde vni civium legitur adhæſiſſe; quem ego non alium, quàm vnum ex malignis ſpiritibus puto intelligendum; qui pro eo, quòd obſtinatione irreparabili peccent, & transferunt in affectum malitiæ & nequitiæ, iam non ſunt hoſpites & advenæ, ſed quaſi cives & inhabitatores peccati.* Vt mirum non ſit hos ſibi pares facere in cordis duritie, quos cacodæmon ſemel propter ſimilitudinem flagitiorum, accepit in ſervos: neque vno duntaxat medio, ſed pluribus. duratur in chalybem. *S. Bernardus.*

XV. Nam primùm, ne dicam de multiplicibus voluptatum illecebris, quibus affectum trahit mille artifex Sathan, ſolet quoque interiùs humores, & ſpiritus impijs movere, adeoque phantaſiam variè turbare; vt vis imaginatrix, res longè aliter apprehendat, quàm verè ſint. Ad eum ſcilicet modum, quo poteſt ſenſibus externis illudere, & faſcinare organa potentiarum. Sanctus Benedictus, celebris Archimandrita, cùm vellet Divis, extruere ſacram ædem: profanum Apollinis fanum, in monte Caſſino, iuſſit deijci; nimirum ut vetus ſuperſtitio cederet religioni. Cùm verò & Monachi in partem laboris venirent, idolum ex ære fuſum, ac terrâ erutum, in focum ignemq; miſerunt, non ſine acerbo ſale, & gravi opprobrio in miſerrimum Deum conjecto. Quo facinore, ita Dæmon in ſtatua ærea inter flammas excanduit, vt omnis culina ignibus plena videretur. Iamque Monachi de conflagratione ſolliciti, alij aquas advehere, alij in Vulcanum effundere, alij ſubtrahere materiam incendio, alij opem inclamare, & præſertim benedictam S. Benedicti manum. Sed ille cùm nihil ignis, nihil flammæ vidiſſet; intellexit oculis ſuorum à veteratore diabolo, illuſum fuiſſe. Certè quamprimùm ex mandato Abbatis ſui, Fratres Crucis ſignum expreſſerunt, faſcinatio ſublata eſt, cum omni metu injecti periculi. Sathan Monahis S. Benedicti turbavit phantaſiã per fictum incendiũ. *S. Greg. l. 2. dialog. c. 10.* *Surius ad 21. Martij.*

XVI. Atque hæc ratio eſt, quam ex permiſſione Dei, cum ſceleſtis hominibus ſervat, communis humanæ gentis inimicus; variè ipſis illudit, variè faſcinat, variè phantaſiam eorum turbat, ut falſa pro veris approbent. Exemplum eſt non tantùm in phreneticis, & melancholico morbo affectis, ſed etiam hæreticis; quorum imaginationem ſic imbuit malus genius, vt illis leviſſimæ conjecturæ & ſophiſmata, videantur clariſſimæ demonſtrationes, contra Catholicam atquè orthodoxam Religionem. Ex adverſo, quid- Multis hodie Hæreticis imaginationẽ invertit, circa fidei articulos & credẽda.

Digitized by Google

quid pro cauſa fidei ſuæ adferunt Catholici, apparent nullius momenti argumenta, & meri logi. Tum deinde SS. Patrum in Scripturam interpretationes, humana, velut figmenta reijciunt, ſuos verò ſenſus, ipſam veritatis medullam eſſe jactant. In hunc quoq; modum improbi, falſis ita imaginationibus à Sathana imbuuntur, vt turpia honeſtis, temporalia æternis, corpus animæ, terras præferant cœlis. Neq; credere poſſunt, tam neceſſe eſſe ad ſalutem pœnitentiam accelerare; quaſi longa dilatio, & quotidiana procraſtinatio, vicina ſit exitio. Certiſſimi ſunt humanæ imbecillitati facilem ſemper dari veniam, neq; Deum fore adeo rigoroſum pro tribunali ſuo Rhadamantum, qui breves hujus vitę delicias, & fluxas ſcelerum voluptates, velit totâ æternitate apud inferos plectere. Deniq; nihil iſti flammarum vident, nihil ignis ſtygij, vnde metuant; ſecuri potiùs futurorum, inter mille noxas degunt; illuſore dæmone id vnum agente, ut ipſis appareant benigni *Iovis, omnia plena*; donec & alienâ faſcinatione, & ſuorum dulcedine vitiorum indurati ad malum, priuſq; vivis erepti, quàm Divis recōciliati, æquiſſimi Dei, velut vindicis experiantur *omnia plena*, examina, judicia, calculum; & quod ſemel volat ſuper improbos impiè mortuos, irrevocabile verbum, condemnationis æternæ.

Maximè verò impijs circa accelerandam ſuper peccatis pœnitentiam:

Vt nunc appareant benigni Iovis omnia plena; & ſuccedāt tandem in morte, vindicis Dei omnia plena.

XVII. Secundò, conſuevit ſtygius hoſtis clientes ſuos, homines perverſos, in quos à Deo amplius accepit imperium, falſis ita opinionibus imbuere, ita politicis depravare principijs, ut jam nihil porrò aut rationis, aut religionis, aut ſcripturarum Canonicarum axiomata curent. Solas corruptorum regulas politicorum, habent pro vitæ ſuæ, actionumq; amuſſi. Cuiuſmodi ſunt; tempori ſerviendum; ſimulandam impiè pietatem; leonis ferociam cum vulpina mutandam aſtutia, ſi ſpes eſt commodi promovendi; fortunæ & caſui adſcribendam felicitatem, non virtuti; belli juſtitiam conſiſtere in ea neceſſitate, quam ſibi quisque ſtatuit; promiſſorum obſervantiam, iuſtitiæ legem, juramenti obligationem, negligenda eſſe gratiâ lucri faciendi; licere malitiam & ſcelus palliare titulo honeſtatis; licere vti medijs non tantùm ſuſpectis, ſed apertis quoque veneficijs, modò conducant ſanitati, voluptati, marſupio, gloriæ aucupandæ; rationem ſtatûs (vt vocant) etiam cum innocentium iniuria conſervari debere; poſſe ſingulos, quam quiſque velit, & quamdiu placet, Religionem ſuſcipere, & ſervare; poſſe iterum abijcere, & cum alia permutare. Denique cum multis, per omnem vtiam indul-

Dæmon etiam falſis opinionibus, & politicis principijs imbuit homines ſceleratos, præſertim

indulgendum eſſe genio ac cupiditatibus; cum paucis in morte pœnitentiam, ac ſatisfactionem Deo exhibendam. Et his quidem, ſimilibuſque alijs principijs malę politices, ita nonnulli adhærent mordicus, vt nullis inde authoritatum, argumentorumque machinis avelli poſſint.

hoc tam depravato ſæculi ſtatu.

XVIII. Narrabo hîc quod ex illuſtri, & primæ nobilitatis Viro quodam militari, verbum accepi. Nam cùm ad ſecundam ejus menſam, inter bellaria, de bellis & duellis mentio fieret; atque ego juxta communem Theologorum ſenſum, negarem ad quamvis provocationem ſuſcipi poſſe, per conſcientiæ legem, ſingularem cum adverſario congreſſum; puta, quando aut impacta injuria, alijs modis compenſari; aut periclitans honor, medijs alijs conſervari; tota quoq; controverſia, componi poteſt apud legitimum magiſtratum (quò etiam in ejuſmodi provocationum occaſionibus, recurri voluit FERDINANDVS II. glorioſæ memoriæ Imperator, ſublatâ omni ſuſpectæ infamiæ notâ apud eos, qui pugnam ſingularem detrectâſſent) liberrimè tamen homo ille contradixit; teſtatus, æſtimationis ſuæ tuendæ causâ, nullûm ſe vnquam repudiaturum duellum, tametſi certiſſimus foret, in eo ſibi moriendum eſſe, & rectè pòſt eundum ad tartarum. quod quidem communiter, eo conflictu ſolet contingere occumbentibus inter letales iras, odia immortalia, & barbaræ vindictæ flagrantia deſideria. Pulchrum nihilominus, & jucundum eſſe aiebat Vir quem dixi, per honoris vehiculum deſcendere ad interitum; nullâ viâ glorioſiùs duci nobiles animas in ſtygem, quàm cùm inter ambitioſa certamina, ſubſtraverunt ſanguinis ſui purpuram. Neque ego (quamquam multùm reluctatus) quidquam ampliùs apud hominem proficere valui; opinioni ſuæ, quam ſemel imbibit, fortiùs pice adhæſit; neglectis, vel potiùs diſſimulatis, quas in contrarium adduxi rationibus. Quarũ vna fuit; temporale malũ (incurrendę nõ tam veræ infamię; quàm ex ſtulto corrupti mundi cerebro confictæ; ſi provocatus ad duellũ negaverit congreſſum) nequaquam præponi poſſe malo æterno, æternæ inquã damnationi; niſi ordine planè inverſo, ac contrario Naturæ: quæ ex regula charitatię, quemvis mortalium docet, inter duo mala perferenda, minus eligere; adeoq; & infamiam pati temporaneam (non confictam tantùm, ſed veram etiã) potiùs quàm inferorum ſemper duraturas pœnas. Neq; tamen ſoli illi Viro Nobili, velut ſurdo cantavi; habet ſtoliditatis ſuæ hodieq; imitatores, ſanæ ac ſalubris doctrinæ contemptores.

Decreto Cæſareo Viennæ edito, Anno 1624.

Quibuſdã Nobilibus ita perſuaſa ſunt Duella, ut nihil dubitent, per vani honoris vehicula, deſcendere in tartarũ.

Contra omnem Naturæ ac Rationis dictatum.

Idem

Pſeudopoliticorum opiniones, regulæ ſũt dæmonũ.

Idem quoque mos eſt quamplurimis alijs hominibus, quibus ſi ex rationis dictatu, teſtimonijs Patrum, ſcripturæ clariſſimis ſententijs oſtenditur, nunquam vllo caſu licere evertere jus æquitatis, juramenti religionem infringere, fidei peſſundare integritatem, violare virtutis honeſtatem, nec quidem imperandi cauſâ; nullius etiam ſceleratæ voluptatis gratiâ, fas eſſe emendationem vitæ protrahere in ſerum mortis veſperum; nimirum rident ad hæc veriſſima axiomata, Politicorum innixi principijs, falſiſq; opinionibus; quas ſuaviter eis cacodæmon inſtillavit, eludendæ Veritati aptiſſima inſtrumenta: donec tandem inter errores ſuos & vita obſtinatiſſimi, infeliciter moriantur, pertinaciam ſuam damnaturi, cum damnatis impijs, & perpetuò triſte illud ingeminaturi: *Ergo erravimus à via Veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non ortus eſt nobis.*

Sap. 5. 6.

XIX.

Solet etiã diabolus improbis inijcere odium bonorum hominum, amorẽ perverſorum.

Tertiò; ſolet quoque mancipijs ſuis cacodæmon, ut lapideſcant ad Numinis inſpirationes, obtrudere vehementem odij paſſionem erga cordatos & bonos, quorum diſciplinâ ſi vti vellent, emendari poſſent. Ex adverſo, ijſdem magnum amorem inſtillare erga adulatores, perverſos conſultores, falſos Doctores, optima fovendæ pertinaciæ adiumenta. Exemplum non vnum ſuppeditat divinus codex. Moyſes ex Dei imperio, poſtulavit olim à Pharaone Ægyptio, vt populum Iſrael, quem captivum duriſſimis laboribus exercebat, dimitteret itinere tridui, ad montem Sinai, facturum religionis opus, altiſſimo Numini ſacrificium. Et ne fraudis clandeſtinæ ſuſpicio adeſſet, legationem ſuam maximis prodigijs confirmavit. Cùm ecce bini Magi, quos Pharao de ſua menſa & quadra aluit, *Iannes & Mambres, reſtiterunt Moyſi*, Apoſtolo teſte. conati præſtigijs ex orco evocatis, veriſſima Dei portenta eludere; quin etiam perniciosâ adulatione, Regi ſuo exoſum facere Moyſen. Ita tandem obduruit Pharao adversùs divina mandata, ductus in proprium, celeremq; interitum ab aſſentatoribus magis; grandi ſemper aularum malo, & ſanctis nunquam non inviſo.

Factum apud Pharaonem Ægypti Regem.

2. ad Timoth. 3. 5.

XX.

Apud Sergium in Iudæa Proconſulem.

Id damno ſuo didicit Elymas præſtigiator, quem Sergius proconſul, familiarem & domeſticum habuit. Cùm enim Paulus ſingulariſſimæ Electionis vas, nomen IESV & Crucifixi gloriam, totâ Salaminâ inſulâ vſque Paphum, conſtantiſſimus præco circumferret; nimirum quem dixi Sergium, vſſit cupido audiendi: ſed, quemadmodum Scriptura fatetur; *reſiſtebat Elymas Magus,*

quærens

Digitized by Google

quærens avertere Proconſulem à fide. Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu ſancto, intuens in eum dixit: O plene omni dolo, & omni fallaciâ, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas? Et ecce nunc manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem vſq; ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei manum daret. profuit etiam hæc cœcitatis alienæ pœna Sergio; indè enim doctus eſt videre doctrinæ veritatem, & fidem in Chriſtum amplecti.

Eſt illa etiam memorabilis ſtropha, quando malus genius, ſpiritus mendax, acceptâ à DEO poteſtate, corrupit quadringentos Pſeudo-prophetas, vt Achabo Regi impio, ituro ad bellum, proſpera vaticinarentur, & quam optabat, victoriæ palmam; cùm interim ſupremum Numen jam decreviſſet, eâ occaſione hominis tandem ſcelera vindicare; non tantùm turpis fugæ neceſſitate, ſed etiam lethali vulnere, per hoſtilem ſagittam inflicto. Quia verò Ioſaphat Rex Iuda, multum in ſacris literis commendatus de pietate in DEVM: ab Achab Rege Iſraël, in ſocietatem belli vocatus fuit, ex eodem interrogavit; an præter quadringentos illos Pſeudo-vates nullus ſupereſſet Propheta Domini, per quem DEI oraculum exquirerent, ſuper eventu conſiliorum ſuorum, & bellicarum molitionum. Tum igitur, vt refert ſacræ ſcripturæ tabula, reſpondit Achab: *Remanſit vir vnus, per quem poſſumus interrogare Dominum; ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum, Michæas filius Iemla.* Neque falſus fuit opinione ſuâ Achab; nam vt Michæas ad ſenatum Regium admiſſus eſt, veritatis amans, quam divinâ revelatione accepit, clarè ei pronunciavit cladem ſtragemque, quam cum ſocio Rege paſſurus eſſet. Quæ cauſa fuit, cur indignatus Achab, Ioſaphato quereretur: *nunquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum?* Neque ſubſtitit in querimonia Achab, ſed prorupit in hæc excandeſcentis animi verba: *tollite Micheam, & mittite virum iſtum in carcerem; & ſuſtentate eum pane tribulationis, & aquâ anguſtiæ.*

XXI. 3. Reg. 22. Apud Achabum, Regem in Iſraël. 3. Reg. 22. 8. 3. Reg. 22. v. 18. & 27.

Atque hic modus eſt, quem hodie tenet cum impijs dœmon; vt enim eorum pectus magis magiſque indureſcat in marmor inter flagitia; & pios (quibus juvari poſſunt) exoſos facit, & perverſos (quibus ſeduci ſolent) amabiles reddit. Ita plurimi ſunt paſſim Iannes, & Mambres, & Elymæ, & falſi vates, ſubmiſſi quaſi ex ſtyge, qui ſeſe opponant veritati, ſuaque mancipia largis magnatum

XXII. Hodieque ſunt Iannes, & Mãbres, & Elymæ, & falſi prophetæ.

Digitized by Google

Hodieque Michæas, verax propheta patitur.

gnarum proſperitatum promiſſionibus lactent. Michæas interim, & veriſſimus Vates ejus periculi, quod manet hominem diu improbum, amandatur ad vincula, carceres, ergaſtula; ſæpe etiam omnino tollitur è mundo, occultis machinationibus in necem ejus conſpirantibus. Quod (præter complures alios) evenit Sancto Stanislao, Cracovienſis Eccleſiæ in Polonia vigilantiſſimo Antiſtiti. Vitiorum hic ſeverus vindex ſemper fuit, inſuetus regulam flectere, ſeu pauperum tabernas, ſeu Regum palatia metiretur. Sub eo in omnem peccandi licentiam Boleſlaus Rex proruerat; quem nequicquam admonitum, Staniſlaus piorum fidelium numero, & ſacris excluſit. Non erat Boleslaus huic probro concoquendo, ſed vindictam ſpirans, Stanislaum ad aram ſtantem, ſatellitibus victimam obijcit; ijſque tertiùm divinâ virtute prohibitis vim afferre, ipſe carnificis munus occupat, & laniati à ſe Præſulis membra, in campo diſpergit; damnantibus quatuor aquilis eam crudelitatem, & Reliquias ſanctiſſimi viri tutantibus, donec à venerabundis mortalibus in vrnam ſunt compoſitæ. Hunc denique morem ſervat impietas, cùm potens eſt; optimos quoſq; infeſtiſſimè perſequi, aquâ etiam & igni interdicere, ſeu potiùs, vtroq; elemento perdere; vt ſecura eſſe poſſit & imperturbata, heroq; ſuo cacodœmoni fidelis, à quo artes iſtæ prodeunt majore damno, quàm lucro eas diſcentis. nam cùm ſemel in lapidem induruit homo, vitiorum tenax, jam magiſtro ſuo diabolo proximus fit, ejuſq; palatio & ſtygi.

Surius ad 11. Aprilis in Vita S. Stanislai. Faſti Mariani ad eund. diem.

XXIII.

Ex divina permiſſione, dœmon illudit improbis per fictas apparitiones, cùm etiam ſic tentaverit ſanctos.

Aliud ſtratagema eſt Sathanæ, præſtigijs, fictiſque apparitionibus eos decipere impios, in quos plus accepit poteſtatis. Neque adeò miror ſic ab eo illudi improbis, quando etiam ſanctiſſimis quibuſite, auſus eſt paria facere. D. Franciſca, cui Roma patria, nomen dedit, ab incunabulis Archangelum habuit, perpetuum ſibi comitem, & in ſingulis ducem; oculis ſemper ad cœlum obverſis, brachijs circa pectus in crucem decuſſatis: ita ſplendidum, vt Franciſca ſæpe ſolo ejus fulgore, noctu vteretur pro lampade ad legendum. Non potuit hoc Orcus æquanimiter ferre. Itaque commiſcendæ fraudi, quinque atratos mittit incolas; qui cum lucis Angelos mentiti eſſent, ſpecie ſupra humanam decorâ, cœperunt longum encomiorum catalogum texere, & Franciſcam velut mirum ſanctitatis ſpeculum deprædicare; quintus etiam Confeſſarij ſui habitu eam vrgere, vt propria conſignaret miracula, pul-

Andreas Villader. in paneg. de Vita S. Franciſca Rom.

Digitized by Google

chrum virtutis, pietatiſque honeſtamentum. Sub tempus aliud, ſeptem alios dœmones, ſtyx ex inferis emiſit, qui ovicularum formam induti aſſerebant, ſeptem dona Spiritus ſancti, Franciſcam docere ſe velle, ſi diſciplinam admitteret & magiſterium. Sed nihil profecit verſutia avernalis: ſuperbia, quam tumidi ſuaſerunt genij Divæ, ejuſdem humilitate eluſa fuit, eliſaque. Et credo hoc artificium didicit à veteribus eremi cultoribus, qui fraudibus diaboli, ſui diſplicentiam docti ſunt opponere.

S. Franciſca Romana præſtigias Sathanæ, humilitate eludit.

XXIV.

In Vitis Patrum l. 5. libello 15. de humanitate n. 68.

Itaque vt in Vitis patrum eſt legere, cuidam fratri ſe ſtitit vnus aliquis ex damnato grege ſpiritus; ſed ſchemate peregrino, & quod referebat cœleſtis Angeli dignitatem. Neq; moratus, Gabrielem ſe dixit, miſſum à DEO, vt ipſi velut divino in terris homini, ad obſequia paratus adſiſteret. Cui Monachus; *Vide ne ad alium miſſus ſis; ego enim non ſum dignus, vt Angelus mittatur ad me.* Hæc tanta viri demiſſio, pepulit mendacem genium. Similem victoriam reportavit ſenex Eremita. Cùm enim veterator dœmon, transformatus in Chriſti ſpeciem, ſe affirmaret mundi Servatorem; auditorem quidem habuit jam dictum ſenem, cæterùm non abſimilem cœco; nam ſponte oculos clauſit. Indignanti diabolo, cur Chriſtum nollet aſpicere, reſpondit: *Ego hic Chriſtum nolo videre, ſed in illa vita.* Ita civis tartari confuſus abijt cum fumo, quem vendere non potuit, vigilanti monacho ad ſtygias fraudes; quas alius, quia incautus non obſervavit, turpiter in laqueos implicatus fuit. Hiſtoriam dabo, auctoris fide, & verbis ſimplicem antiquitatem ſpirantibus.

Exemplo duorum Eremitarũ.

In Vitis Patrũ loc. cit. num. 70.

XXV.

In Vitis Patrum. l. 8. cap. 31.

Igitur Valens, religioſus ſolitudinis incola, *quodam die, vt narrabant, cùm operaretur in tenebris, acum dimiſit, quâ conſuebat ſportam: quam cùm ipſe non inveniſſet, dæmon ei fecit lampadem, & invenit acum. Hoc nomine inflatus, magnificam de ſe induit opinionem, & vſq; adeo elatus eſt, vt etiam contemneret ipſam Sacramentorum communionem.* Et paulò infra hæc ſubijciuntur. *Cùm ergo certò ſibi perſuaſiſſet dæmon, tum ejus deceptioni maximè fidem habuiſſe, abit & figuram Servatoris induit, & noctu accedit in phantaſmate, mille angulis lampades tenentibus, & rotam igneam, in qua viſus eſt figuram exprimere Servatoris; vnuſque eum præcedit & dicit: Chriſtus dilexit tuum inſtitutum, & venit vt te videat. Egredere ergo è cella, & nihil aliud feceris, niſi cùm procul eum videris, procumbens adora, & ingredere in tuam cellam.*

Nam tertius per ſuperbiam illuſioni diabolicæ ſuccubuit.

Egreſſus ergo, cùm vidiſſet apparatum lampadum, Antichriſtum adoravit. Alio itaque die, adeo fuit emotæ mentis, vt ingrederetur Eccleſiam, & fraternitate congregatâ diceret. Ego non habeo opus Communione, Chriſtum enim vidi hodie. Tunc Patres eum anno vno vinxerunt, & in ferreas compedes conjecerunt, & curârunt precibus, ejuſq; contemptione, vitâq; auſteriore, detrahentes ejus perſuaſionem; nam vt dicitur, ſunt contrariorum contraria medicamenta.

XXVI. Recentius eſt, quod deſcribitur in annalibus Societatis de adoleſcente paſtoritio, diaboli præſtigijs, in ſalutis periculum conjecto. Is, Virginis Mariæ ab infantia ſedulus cultor, caſtitatem ex animo complectebatur; quam tamen ſpurciſſimus hoſtis, turpibus fœdare cogitationibus inſtitit; & valeſcebant ſemper, progreſſum cum ætate capientes. Hæc perpetua reluctantis animi carnificina, virgineum juvenem crudeliter afflixit, vt jam mœrorem occultare in vultu non poſſet. Cùm ecce tibi, cacodæmon mentitus hominem, & è ſylvarum latibulis emerſus, cauſam triſtitiæ explorat è mœſto. Atque vt accepit rem, negavit mendaciorum ſator quidquam peccari, tametſi cogitationum illecebræ menti obrepant, atque in eadem diutius morentur per impreſſa delectationis veſtigia: ſatis eſſe ſi non erumpant; non cogitando, ſed perpetrando ſcelus committi. Cùm verò poſt dies pauculos acriùs tentaretur adoleſcens, propè abfuit ab aſſenſu. Tum verò, quod crederet ſe noxam admiſiſſe inexpiabilem, clauſâ quaſi omni ad conſolationem viâ, iterum ſe præſtigiator offert; ſed formâ literati pallentis, & qui corpus emaciâſſet inter ſtudia ac lucubrationes. Conſilium ergo rogatus, vt daret ægrotanti ex culpa animo; affirmavit, cogitatum duntaxat illud inhoneſtæ Veneris crimen, eſſe piaculum non piabile, niſi vnico remedio, eoque difficili, Martyrio. Itaque paſtoritius juvenis, aut ſe è celſa ſuſpenderet arbore, anathema; aut inſcenderet ſuccenſam lignorum ſtruem, grata DEO victima; aut in proximum inde lacum inſiliret, animam Numini ſuo per fluctus ad cœlum tranſmiſſurus. Hoc vbi conſuluit vafer dœmon, ex oculis ſe proripuit, relicto adoleſcente inter peccati confeſſionem & mortis atrocitatem, ambiguo pudoris & metûs. Nihilominus conſcientiæ per flammas expurgandæ, in remotiore ſilva rogum ſibi ſtruit, atque in eum ſæpius accenſum, ſemper relanguentem, cùm ſe medium injeciſſet; Mulier ſpecie humanâ illuſtrior, candenti pallâ, iterum

Annales Societ: anni 1586. & 1587. in provincia Tolet. Collegio Madridiano.

Paſtoritius juvenis, B. Virginis cultor, à dœmone lârvato perſuadetur ad uim ſibi faciendam.

Digitized by Google

ac tertiò ex igne protraxit. perſuaſus hanc Deo hoſtiam non placere in flamma, ad lacum feſtinavit, emaculaturus inter aquas contracti flagitij deformitatem. priùs tamen, memor non perſoluti eo die penſi, precumque Virgini dicendarum, roſarium humi flectens recitat; tum deinde ad martyrium properabundus, ſe in lacum injicit. cùm iterum mulier illa auguſta, ſæpius renitentem, oreq; aperto inhiantem aquis, ſuperiore comprehenſum amiculo, repoſuit in ſicco. Tandem injecta eſt homini cogitatio, ut conſilium aliud peteret morbidæ menti in proxima vrbe; reperitque apud patres Societatis IESV; quorum operâ omnis deſperatio in ſpem veniæ erecta fuit. præſertim autem clienti ſuo patrocinata eſt Deipara, quando eum à duplici interitu ſervavit, corporis & animæ.

Sed eripitur à Deipara, & igni & aquis immerſus.

XXVII. Ex quibus omnibus ſic concludo; ſi veterator cacodæmon hæc talia fecit in *viridi, in arido* quid facturus eſt? ſi inquam, innocentes adoleſcentulos, adhuc ſceleris puros; ſi devotas Numini Virgines & Matronas; ſi rigidos Eremitas, inter precationes continuas ad cœlum raptos, inter iejunia pallidos, inter flagella laceros, audet aggredi; & objectis appparitionibus inducere in fraudem, vt jam ſuum judicium, opinionemque ſanctitatis pro lege habeant, & brevi compendio pereundi: quis dubitare poterit eundem præſtigiatorem, ijs ſæpiſſimè illudere improbis, quibus, factâ a Deo poteſtate, ſolet ampliùs inſultare? Itaq; non deſunt homines inter crimina exercitatiſſimi, qui cum pio apud S. Ioannem gynœceo dicunt: *ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe*, audiviſſe quoque cum Paulo, *arcana quæ non licet homini loqui*; ſæpe ipſis Virginem Matrem adſtitiſſe inter cœleſtes choros; ſæpe Chriſtum aſpectabili formâ dignatum eſſe colloqui; non ſemel Deum Patrem liquidas conſolationes affudiſſe mœſtis; frequenter dubios rerum, & eventuum incertos, inſtructionem accepiſſe à Spiritu ſancto. Hæc omnia, quiſquis diabolorum impoſturas vocat, idem apud iſtos periculum adit, quod olim Michæas Dei Propheta, incurrit apud Sedeciam Pſeudo vatem; hujus enim vaticinia cùm falſa eſſe pronunciâſſet; præter gravem alapam, ejuſmodi verba accepit: *mené ergo dimiſit Spiritus Domini, & locutus eſt tibi?* Denique experientia certiſſimus teſtis eſt, quotquot à dæmone luduntur ſub ſchemate divinitatem ſpirante, ſui capitis homines eſſe; & neque Eccleſiaſticorum audire conſilia, neque ſequi documenta; ſed inter peccata obſtinatiſſimos, poſt

Lucæ 23. 31.

Etiam hodie præſtigiator dæmon, illudit mortalibus in pœnam commiſſorum ſcelerum.

Lucæ 24. 23.

2. Reg. 22. 24.

judicium ſuum ire, ſenſumque: atque ita demum perire.

XXVIII. Et hæc dicta ſunto de altero modo, quo ſe Deus habet quaſi poſitivè, ad fatalem impiorum mortalium obdurationem; cùm ſcilicet in vltionem exercitæ diu improbitatis, largiorem Sathanæ concedit facultatem inſidiandi, fallendi, nocendi; vt pedicas eius rarò exeant, ſemper magis ac magis in ſcelere obſtinantes. Vnde fit, ut Deo ſubtrahente ſingularem protectionis ſuæ favorem, manumq; robuſtiorem, expoſitus ſit enormis peccator toti Orco ad ludibria inferenda, & veriſſima damna. Cuius rei imago eſſe poteſt, vetus Iudæorum Synagoga; de qua Dominus velut vinea ſua queritur; poſt diligentem culturam, pro vvis tuliſſe labruſcas, ſeu labruſcis deterius aliquid, crapulam, injuſtitiam, avaritiam, aliaque vitia, divinæ majeſtati ſemper inviſos fructus. Quæ etiam cauſa fuit; cur indignabundus Synagogæ ſuæ DEVS, in eadem cum vinea ſimilitudine, minetur deſertionem, vaſtationem, direptionem, ſterilitatem, incendium, ſecutura mala ſub hoſtilibus Romanorum Aquilis; quando ipſi poſtea luxuriantem, & ſilueſcentem flagitijs Ieroſolymam obtinuerunt, ſpoliârunt, totamque vnâ ruinâ ſepelierunt inter ſuos cineres.

Comparatio ſynagogæ Iudaicæ, cum vinea ſterili.

XXIX. Verba Iſaiæ de Synagoga Hebræorum, collata cum vinea ſic habent. *Sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam dilectam & ædificavit in medio eius, & torcular extruxit in ea: & expectavit vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, judicate inter me & vineam meam. Quid eſt, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci? An quòd expectavi vt faceret vuas, & fecit labruſcas? Et nunc oſtendam, quid ego faciam vineæ meæ. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculationem. Et ponam eam deſertam; non putabitur, & non fodietur; & aſcendent vepres & ſpinæ; & nubibus mandabo ne pluant ſuper eam. Vinea enim Domini exercituum, domus Iſrael eſt, & viri Iuda, & germen eius delectabile; & expectavi vt faceret judicium, & ecce iniquitas.*

Iſa. 5. 1. v. 2.

Synagoga, quia non tulit ſperatos & expectatos fructus, à Deo derelicta eſt, & data in direptionem.

XXX. Eadem hodie iuſtiſſimi Numinis querimonia eſt, ſuper improbis Chriſtianis, quibus velut in vineam ſuam electis, & ſepem divinæ protectionis poſuit, & lapidoſum cordis ſolum doctrinâ ſuâ expurgavit, & turrim ædificavit angelicarum excubiarum

Digitized by Google

biarum, & torcular Crucis extruxit; eluendis animarum ſordibus, per Chriſti purpureum ſanguinem. neque tamen virtutum dulce vinum proferunt cultori ſuo, ſed labruſcas; uvas ſcilicet viles, immaturas, acerbas; ſive potiùs acetum violatæ in baptiſmo fidei, abſynthium inobedientiæ, fel amariſſimæ voluntatis, ſemper ad legislatoris DEI mandata refractariæ. Et nunquid Dominus vineæ, excandeſcet ſuper ejus ſterilitate? Væ! ſi iratus abſtulerit ſepimentum, & maceriam. Væ! ſi eam poſt hæc deſerat, ſi non ampliùs fodiat, ſi non vltra perpluat. Væ! ſi vepres & ſpinas, magnis incrementis ſinat exſurgere. eſt enim neceſſarium, vt ſic inculta vinea ſilveſcat, & ſic deſerta conculcetur. Et quid mirum, *ſi vulpeculæ eam demoliantur? ſi ſingularis ferus depaſcatur illam?*

Etiam peccator impius, & in pietate ſterilis vinea, pariter à Deo deſeritur.

Pſ. 95.14.

XXXI. Ita ſanè, quem DEVS improbum præterit cum vberiore gratia, & quaſi deſerit priùs deſerentem; cujus cor inter ſcelera duratum, non fodit ampliùs, non pungit, nec compungit timoris ſui ſtimulo; quem non compeſcit ampliùs, luxuriantem variè in obvias voluptates ac delicias; denique quem exponit frequentioribus, ac periculoſioribus Orci furijs, machinationibus, technis, dolis, tentationibus; an poſſibile eſt, vt hic talis non veniat in direptionem, vaſtationem, ſpolium? & fieri poteſt vt hic talis, iam extra omnem quaſi animi ſui culturam poſitus, non ſterileſcat? profectò timendum eſt, ne tum etiam infœcundus ſit, quando fructuoſus maximè deberet eſſe; puta ſub mortis tempus, quo peſſimi quique jurant, facturos ſe dignos fructus pœnitentiæ.

Pariter ab eodem datur in direptionem.

XXXII. Sed nempe: faciliùs longè dicuntur iſta, quàm executioni mandentur; difficile nimis eſt illud corrigere, quod in vitium naturæ tranſit. fœcunditas in ſenectute, quam ſemper anteceſſit ſterilitas, inter rara numeratur prodigia. paucæ ex conjugibus fœminæ, matres factæ ſunt in adulto ſenio, ſi antea ſemper laborârunt infœcunditatis malo. Ita facinoroſus homo, per omnem antea vitam ad ſcelerum lolia fœcundus, ſterilis ad virtutum flores, putas mutabit conſuetudinis neceſſitatem moriturus? & qui divinæ bonitati hactenus ſemper oppoſuit cor lapideum & ferreum, credis in morte cereum offeret, & flexibile ad omnem ejus nutum? quid ſi exaſperatus repentino inindictæ migrationis imperio, magis induréſcat in malitia voluntatis? DEoque ſuo frontem oſtendat adamantinam, neſciam cedere,

Nec facilè in morte fert fructũ dignum pœnitentiæ; ſed magis obduratur.

num accedant Orco pabulum. Hoc enim habet mentis obduratio, vt ex facili ſtabiliatur, ſuggerente criminum malitiâ, nova ſemper roborandi ſe argumenta.

Inculco proinde omnibus illud, quod olim Apoſtolus commendatiſſimum voluit, converſis ad Chriſti religionem Hebræis: *adhortamini* inquiens, *voſmetipſos per ſingulos dies, donec* HODIE *cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati.* Nempe cautum omnibus optabat; ne vllus eorum, illecebroſo temporalium bonorum amore captus, deſciſceret à Chriſtiana fide, & velut in ſaxum obrigeſceret, Voluptatis impiæ, tanquam Meduſæ aſpectu; quin potius ſub Crucis ſigno, & teſſera baptiſmi, perſeverarent omnes ſupremi Imperatoris DEI, glorioſi milites: *donec* HODIE *cognominatur.* ſive quod idem eſt ex mente S. Pauli, quamdiu hanc vitam vivunt. Nam in ſcriptura vox HODIE, frequenter ſignificat præſens hujus vitæ tempus, cuique mortali conceſſum, pro vſurpanda Numinis gratia, & pœnitentia poſt caſum agenda. Itaque ſicut Iudæos olim monuit David, ita ſæculis etiamnum vniverſis, cuilibet aliorum acclamat: HODIE *ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Totum illud ſpatium, quo hanc vitalem ſpiramus auram homines, quo licet audire, credere, converti, eſt vnicum HODIE, quotquot ante centum annos & ſupra, deſierunt vivere, ſuum HODIE jam abſolverunt; neque aliud habent tempus ſalutis procurandæ, ſi ea ſemel perdita eſt. Quæ ipſa ratio eſſe poteſt, cur quiſque noſtrum ſuum HODIE, vitamq; præſentem, quàm vigilantiſſimo oculo debeat obſervare; nimirum ad eum modum, quo S. Antonius quondam morti proximus ac tumulo, fratres ſuos ad indefeſſum virtutis ſtudium, ſic hortatus eſt: HODIE *vos religioſum inſtitutum inchoâſſe, quotidie cogitate.* Sic & Barlaam ad Ioſaphat: *cogita* inquit, HODIE *cœpiſſe te* DEO *ſervire,* HODIE *te ipſum finiturum.* Denique apud me certiſſima veritas eſt, quiſquis ſub ſpe longorum annorum, ſe in vitia effundit, periculum incurrere indurandi inter ſcelera animi; illud porrò eos evadere, qui ex regula pietate, & amuſſi prudentia, vitam ſuam omnem conſtringunt, in breve, & vnum velut HODIE. *cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt.*

XXXV.

Ad Hebr. 3. 13.

HODIE, ſive præſens vita tantû, datur homini pro pœnitêtia.

Pſal. 94. 8.

Poſt neglectû HODIE, nullum ſequitur CRAS pro reſipiſcentia.

In Vita S. Antonij.

S. Damaſc. in Vit. Barl. & Ioſaph.

Sen. l. 17. epiſt. 102.

PARAGRAPHVS X.

IVDICIVM AVCTORIS QVARTVM.

Hominibus ſceleratis, multumque tardantibus in pœnitentiæ opere, jure ſuſpectum eſſe poſſe ac debere,

Quartum ingens malum: IMPOENITENTIAM FINALEM.

I. QVàm ſit varium ſemper, & mutabile vulgus, clariſſimè docuerunt Hebræi; quando illo ipſo tempore, quo Moyſes nonnihil in monte Sinai moratus, à DEO tabulas legis accepit, ijdem Aaronem rogârunt: *Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant. Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Et quidem Aaron, victus improbâ populi vrgentis importunitate, vt pretioſius faceret idolum, poſtulavit non tantùm melioris metalli aurum, ſed ipſas quoque mundi muliebris delicias, inaures aureas. Quas vbi magno numero matres, filiæque contulerunt formando indè DEO, tandem vitulus conflatus eſt; puta ad ſimilitudinem Apis, bovis Ægyptijs ſacri. Fuerunt tamen Rabbini, qui vt Aaronem abſolverent à crimine idololatriæ, negârunt hunc vitulum ab eodem formatum aut opere malleato, aut procuſo, aut fuſili; cæterùm prodijſſe dæmonis artificio & magorum, quorum facilè aliqui ex Ægypto, Judæos in deſertum ſecuti ſunt. Atque hoc ſignificari propriâ illâ Aaronis con-

Ex. 32. 1.

Inconſtans fuit Hebræorũ populus in religione & cultu DEI.

Apud Cornel. hic.

contestatione, fatentis apud Moyſen de auro: *projeci illud in ignem, egreſſuſq́ eſt hic vitulus.* *Ex. 32. 24.*

II.

Similes monſtroſos partus, videre eſt apud eos plerumque homines, in quos, velut conſpirante vndiq; fortunâ, confluunt præter argentum & aurum, ſplendor dignitatum, magnorum tituli officiorum, imperiorum potentia, ampli nominis Majeſtas, voluptatum quotidianæ illecebræ. Plerumq; hîc Vitulus exit: ſive (quod tantundem eſt) ferè hîc naſcitur animus vitulans, & laſciviens in prolixam impietatem; vt pœnitentiæ abeundum ſit procul, & vel in longum, vel in perpetuum exilium, vnde redeat nunquam; ſubſtitutâ in ſui vicem pro vitæ occaſu, *impœnitentiâ finali,* infami apud Theologos ſpectro. Auctor eſt Clemens Romanus, ſic olim apud ſe ratiocinatum fuiſſe Amon, Manaſſis Regis filium. *Pater meus à juventute multa iniquè fecit, & in ſenectute pœnitentiam egit, Et nunc ego ambulo, prout concupiſcit anima mea, & poſtea convertar ad Dominum.* Itaque neque hodie deſunt, qui exemplo aliorum tardè reſipiſcentium, ſuam emendationem differunt in ſerum, certumq; vicini exitij periculum; nunquam facturi, ſi ſuis momentis illam Chriſti ſententiam librarent: *cuius veſtrum aſinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum?* Nam ſi tanta debetur bruto, & brutorum ſtupidiſſimo bovi, aſinoq;, aut miſeratio, aut charitas, vt quamprimùm infortunati caſûs diſcrimine, eximatur ab homine: Anima inter res creatas nobiliſſimum DEI artificium, nunquid potiore jure exiget, vt à quo per ſcelera fuit in puteum ſtygis proſtrata, ab eodem continuò ponatur extra ſuum interitum.

Pleriq; impiorũ constantes ſunt in differenda reſipiſcentia.

Clem. Rom. l. 2. conſtit. apoſt. c. 8.

Similes Amoni, Manaſſis Regis filio.

Luca 14. 5.

Sed cum periculo animæ æterno.

III.

S. Bernardus, ille plenus divini mellis fluvius, humanæ præſtantiam Animæ pretiumque, verbis his pauculis multum exaggerat: *Magna res Anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt.* Solemus homines, illud inter pretioſa numerare, cujus gratiâ multæ fiunt expenſæ; quando jam ipſum nobis argentum & aurum, vniones & gemmæ, in comparatione alterius vilia ſunt. Itaque ingens res anima ſit oportet, pro qua redimenda, vitam ſuam DEI filius expoſuit; & illum fudit ſanguinem, cujus quævis guttula, vniverſos mundi theſauros exſuperat. Dicunt nonnunquam Gemmarij, cùm volunt æſtimationem margaritæ nobilioris extollere, eam pretio ſuo ad integri vnius regni opes accedere. Et quis neget vnicam de diviniſſimo Chriſti ſanguine, ſive guttam, ſive gemmam, mille non dico regnis, ſed etiam mundis anteſtare? Verè igitur Bernardus: *Magna res Anima, quæ Chriſti ſanguine redempta*

D. Bern. epiſt. 54.

Anima hominis RES MAGNA, quia Chriſti ſanguine redempta.

Digitized by Google

Matth. 16. 26. *dempta eſt.* Atque hinc nata eſt illa Servatoris noſtri quæſtio: *quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, anima vero ſua detrimentum patiatur?* Certè æternam ſalutis jacturam, nullius rei temporalis lucrum reſarcire vnquam valet.

IV. Sed & alteram Dominus mox quæſtiunculam ſubjunxit priori; *quam dabit homo commutationem pro Anima ſua?* Vbi tacitè inſinuat, tantam humani ſpiritûs dignitatem eſſe, vt cum nulla præſentis mundi re creata, commutari aut honeſtè, aut prudenter poſſit. Et tamen aliquorum mortalium ſtultitia, non veretur cum dœmone paciſci? illique animas ſuas vendere, viliſſimi boni pretio. Ita nonnulli tranſcribunt Orco meliorem ſui portionem, animum, ſi in commutationem ab eodem recipiant aut ſpeculum, aut rotulam, aut pomum; infantium nugas, & puerorum ludicra. ſingula explicatiùs declaro.

Anima cũ nulla præſentis mũdi re creata, in commutationẽ venire debet.

V. Sunt vitra ſeu ſpecula, quæ quoniam à Magis circumferuntur venalia, magica appellantur. Et quidem huic generi hominum ita ferè convenit cum Sathana, vt quidquid emptor ſcire velit rerum abſentium, aut occultarum, in ſpeculo ſuo, quàm præſentiſſima clariſſimè intueatur. Eſt qui noſſe cupiat auctorem commiſſi furti, patratæ cædis, concitatæ tempeſtatis in damnum viciniæ. Si Magus illi vitrum ſuum objiciat, ſingulos contemplatur reos, & numerat. Alium invadit cupiditas intelligendi, quid agatur militiæ? quæ Martis ſit alea inter hoſtiles exercitus? & hem! in ſpeculum ſuum, homo magiæ artifex intendit digitum, oſtenditque ibi fieri impetus in vrbes, impreſſioneſque; ibi longas caſtellorum oppugnationes tentari; alibi poſt expugnationem, omnia in ſpolium cedere & rapinas. quin etiam monſtrat velitationes, præludia conflictûs; mox juſtorum præliorum horrificos congreſſus; deinde vnius aciei fortunam inclinantem, alterius ſurgentem, vtriuſque variantem; deniq; poſt debellatum inimicum, victorioſæ partis glorioſum triumphum. Nonnulli vt ſuam libidinem accendant, expetunt diffuſos longè lateque per orbem ſpecioſiſſimos homines, quaſi coram aſpicere. iterumque cacodœmonis diſcipulus offert in ſpeculari vitro, totius provinciæ, aut regni alicujus Helenas, Hylas, Narciſſos, Abſalones: in quibus ſpectator curioſus, & oculos perdat & animum, laſcivientibus deſiderijs ruiturus in crimen Veneris cupitæ. Sunt qui ſcire velint, vnde poſſeſſionibus ſuis, famæ, vitæ, conjugali thoro, immi-

Et tamen à quibuſdam mortalibus venditur dœmoni, pro fragili vitro, aut magico ſpeculo.

immineant inſidiæ; & rurſus in ſpeculo cernunt, ſuis quemq; coloribus depictum à Sathana machinatorem: quamquam non ſemper optimâ fide; quia pater mendaciorum facilè humanis illudit oculis, alienamque ſpeciem veræ ſupponit; materiam gravium ſuſpicionum, immortalium odiorum, vulnerum denique & cædium. Nihilominus adeo quibuſdam arrident hæc talia Magorum ſpecula, vt non dubitent pro illis animas ſuas diabolo vendere. Stulti nundinatores; quia puerorum more, rem pretioſiſſimam mutant cum vitro fragili, atque in nocituram fraudem conſtructo.

Pari nominis ignominiâ merentur flagellari, qui ex pactione cum malo Genio facta, eidem ſignatis tabulis tranſcribunt Animas ſuas, gratiâ Rotulæ vnius, quam fortunæ appellamus. Hîc aliqui, ruſticum eum imitantur, à quo aiunt, ſui corporis objectu, principem certo mortis periculo exemptum fuiſſe. cùm verò hic, ſervatori ſuo gratus eſſe vellet, atque in eum finem juberet, ut homo ruſticus liberaliter à ſe peteret, quod maximè impetratum vellet. Simpliciſſimus virorum hoc vnum, ſolumque rogavit, confractam aratri rotam, vt ſibi princeps curaret reparari; præteritis pecoribus, agris, prædijs, annuâ penſione, ſimilibuſque alijs, ſibi, familiæque profuturis bonis. quæ ſi ſciviſſet ſapienter, vtiliterque poſtulare, accepiſſet in beneficium egregij facinoris. Atque hæc ratio eſt, quam tenent aliqui cum *principe huius mundi, & tenebrarum harum*, ſummis precibus flagitant ab eo Rotam, puto fortunæ; & quoniam hæc ipſis ſæpius noverca eſt, neque ſemper quoties venit, advehitur curru integro, ſed ſubinde mutilo, & velut confractis rotulis claudo; hinc rogant, vt mille artifex dœmon, & peritiſſimus ſtropharum faber, ſic fortunam cum rotis ſuis compingat ſolidetque, vt eâ ſemper utantur ſecundâ per omnem vitam, omneſque vitæ actiones; ſive cùm mercandum eſt & nundinandum; ſive cùm itinera ſuſcipienda, mari terrâque; ſive cùm ædificia ſtruenda, aut deſtruenda; ſive cùm prælij adeunda alea, vel ſingularis certaminis periculum; ſive etiam quando gaudijs vacandum eſt, luſibus, jaculationi, venationi, ſimilibuſque exercitijs, quibus mens humana ſolvitur à curis in hilaritatem. Ita iſti ſemper & vbique cupiunt eſſe felices, atque integrâ Rotâ, fortunâque frui. Quod ut obtineant, offerunt diabolo in vicem, nobiliſſimum corporis ſui ſpiritum.

VI.

A nonnullis pro Fortunæ Rotula.

Alij cum eodem veteratore, animas commutant pro Pomo. VII.

Digitized by Google

mo. verè filij Evæ, fatuæ mercatricis, quæ pro fructu dedit arborem, pro pomo lignum, pro gula brevi paradiſum, omnis felicitatis hortum. Ita matris ſuæ, ſtrenui imitatores aliquot liberi, nimis liberalibus pactis cum antiquo ſerpente conveniunt, ſuper præſentis vitæ gaudijs, delicijs, oblectatiunculis; acceſſione quoque magnarum voluptatum, illuſtrium titulorum, plurium officiorum; nec non & ſtupendarum artium, ſcientiarumque ad miraculum prodigioſarum. Et quid hæc, aliud ſunt, quam pomi vnius, vnius gulæ illecebra, intra fauces glutientis ſtrangulanda? Neque tamen horrent pro iſto bolo, ſuas cacodæmoni animas tradere. heu! qualem ſtygij epuli portionem! indignante in cœlis Chriſto, atque interrogante, *quam commutationem dabit homo pro anima ſua?* perinde ſi dicat, nullam; quando nihil rerum terrenarum, cum hominis anima, ſecundùm naturam ſpirituali, ſecundùm conditionem immortali, ſecundùm dignitatem pretioſiſſima, in comparationem æquam venire poteſt. Sed ô Chriſte! ô DEVS! ſunt qui nolunt ad judicij tui rectiſſimos ſenſus ſtare; nempe exleges illi mortales, quibus magicum ſpeculum, fortunæ rotula, pomum vetitæ delectationis, potiora ſunt mentibus ſuis. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm ſui ipſius fieri carnificem, & præſtantiſſimum corporis ſocium animum, præcipitare in puteum inferorum; cui veriſſimè applicaveris illud, quod olim Samaritana mulier affirmavit, de puteo Patriarchæ Iacob: *Altus eſt.* altior tamen longè ille eſt, profundiorque ſtygis fons, quem ſicut objectum ſibi habuit Sanctus Ioannes, ita eundem deſcribens dicit: *& aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ; & obſcuratus eſt Sol, & aër de fumo putei.*

Ab alijs pro Pomo, ſeu puerili tranſeuntium voluptatum dulcedine.

Anima per gravia peccata, detruditur in puteum infernalē.

Ioan. 4. 11.

Apoc. 9. 2.

VIII. Quoniam igitur in hanc infernalis putei abyſſum, Animam ſuam deturbat, quiſquis ſe gravi peccato obſtringit, deceptus periturorum vanitate bonorum; quid denique facto opus? illud nempe, quod DEI Filius inculcat ſequentibus verbis: *Cuius veſtrum aſinus aut bos, in puteum cadet, & non continuò extrahet illum?* quantò magis eruenda ſtatim eſt anima, poſtquam labi cœpit in Tartarum? Sed hîc Divus Bernardus ex ſuavitate mellis ſui, converſus in amaritudinem fellis, multùm lamentatur ſuper aliquorum hominum enormi inſipientia, cùm ait: *Optimi videlicet æſtimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerunt.* Et mox ſe ipſum explicaturus, ſubijcit

Quiſquis eam illuc detruſit, inde iterũ extrahere debet.

S. Bern. lib. 4. de Conſid. cap. 6.

ſubijcit hanc dolentis animi querimoniam: *cadit aſina, & eſt qui ſublevet eam; perit anima, & nemo qui reputet.* ô nemo! qui impulſam in caſum, erigat; nemo qui collapſam in puteum inferorum, indè conetur porrectâ manu extrahere. & quæ ſumma eſt impietas, non deſunt, qui eam ſemel præcipitatam, altiùs, altiuſque detrudant in profundum. Rem illuſtrabo ex Sancto Dionyſio Areopagita, qui de Carpo Epiſcopo (Divi Pauli Apoſtoli quondam diſcipulo) hiſtoriam, quæ ſequitur, planè in paucis admirandam, ſcripto conſignavit.

Sed aſinâ ſublevatur ex puteo, anima relinquitur.

Aliqui alienas animas præcipitant in perditionem.

IX. Itaque Carpus compererat militiæ Chriſtianæ tironem, ad deſerenda Crucis ſigna, à dæmonis cultore eſſe inductum; quâ injuriâ ad DEVM Optimum Maximum pertinente, ita eſt exacerbatus; vt impia ex æquo capita, Orco devoverit, quod mediocri ſupplicio nullo vindicari poſſe, hoc vltimæ perfidiæ ſcelus, perſuaſum haberet. Iamque vt extra ſe raptus, vidit execrationi ſuæ pondus eſſe, & terram ſub vtriuſque pedibus dehiſcere, & aperiri barathrum, atque indè cum flamma extendi piceas damnatorum manus; prorepere etiam ſimul ſerpentes, vt ſtantes in præcipitio reos, & jam ſimiles ruituris, ſecum involverent, traherentque in voraginem; nempe geſtiebat tum animo Carpus, nihilque deſiderabat magis, quàm pallidos illos, & jam metu periculi exanimatos, poſſe dexterâ ſuâ impellere in ſtygis hiantem puteum. Hoc dum iſte agit, dum & illi timent, ſuperoſque implorant in auxilium; hem tibi Servator humani generis, ſe à cœlis conſpicuum offerre, hortarique Carpum, ſi ita ei videretur, miſeros præcipitet, ſeductum & ſeductorem. ſibi quidem tanto pretio aſſertos in libertatem, certum non deſerere, & porrigere manum velle perituris. quin adeo ſi neceſſe foret, non detrectaturum redire ad initium miſeriarum, quibus in Cruce moriens, finem impoſuiſſet. Pluri dici neceſſe non fuit. tam mellea verba facilè bilem abſterſerunt; quando didicit diſplicere Numini rigidam pietatem, & juſtitiam miſericordiæ oleo non temperatam.

S. Dionyſ. Areopag. epiſt. 8. ad Demophilum.

Exemplo Carpi Epiſcopi, qui voluit ſeductorē impium, & ab eo ſeductum hominem, ad inferos mergere.

X. Quantò magis credimus, illud DEO impietatis genus diſpliciturum, quo complures impiorum hominum, non alienas tantùm animas, peſſimis vitæ ſuæ exemplis corruptas, eunt perditum; ſed ſuas quoque repetito velut impetu, mittunt ad Tartarum? ſic enim ſtatuamus oportet, quoties aut intempe-

rantiâ

Digitized by Google

Aliqui proprias à ſe præcipitatas animas, relinquunt in fovea perditionis, nec ſtatim liberant.

rantiâ ventris peccatum contra leges divinas, aut libidinis æſtus vel impoſturis, proximorum fortunæ nocituris, quin etiam excandeſcentiâ, atque odijs ituris in vltionem vetitam; toties iſtorum, aliorumque ſcelerum auctorem, animam ſuam jam quaſi ad os inferni ſtantem, atque inter ſtygiorum ſerpentum complexus, manuſque damnatorum ſpirituum trepidantem, impellere ad fatalē caſum. Sed adhuc maior eſt crudelitas eorum, qui præcipitatam à ſe nobiliſſimam ſui partem, relinquunt diu in fovea perditionis, neque inde extrahunt ſtatim; ſuccenſente Chriſto & clamante: *Cuius veſtrum aſinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum?*

XI.

S. Auguſt. de tem. ſerm. 102.

Certè ſtatim poſt lapſum erigendam eſſe animam, ſtatim poſt vulnera ſanandam, præclariſſimè docet S. Auguſtinus verbis ſequentibus. *Quia calidis vulneribus ſolent medicamenta celeriùs ſubvenire, quotieſcunq; peccaverimus, non expectemus mortiferâ ſecuritate, vulnera ipſa putreſcere, nec iterum vulnera vulneribus augeamus; ſed continuò ad ſpiritualē medicū recurrentes, ſalutem recipere feſtinemus. Et ideo quomodo, quando in corpore vulnus accipimus, ſi ſtatim medicamenta requirimus, citò ſanitatem recipere poterimus; ita ſi moram fecerit, neceſſe eſt, vt tardiùs ad ſanitatem plaga ipſa redeat, aut aliqua fœda cicatrix in corpore noſtro remaneat. Si hæc in corpore facimus, quantò magis in animæ vulneribus adhibere debemus, vbi ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſumus. Si tantam curam impendimus corpori, quod velimus nolimus, in pulverem redigendum eſt; quantam ſolicitudinem & curam, erga ſalutem animæ debemus apponere, ut ſicut dicit Apoſtolus, ſine macula vel ruga, mereamur ante tribunal æterni Iudicis apparere.*

Magis ſolliciti de corpore juvando, quàm ſpiritu.

Ad Ephеſ. 5.

XII.

Sed potentiſſima ratio, iuvandæ quamprimùm Animæ poſt lapſum gravem, eſt miſeratio, eidem jure naturali debita; cujus ſic meminit Siracides, egregius improbi hominis exhortator. *Miſerere Animæ tuæ, placens Deo, & contine, congrega cor tuum in ſanctitate.* Vt ſenſus ſit; ſiquidem Numini placere velis, colligendas citò virtutum opes in vitæ ſanctimonia; abſtinendum inſuper à cæno vitiorum, & ſtandum firmiter in legis divinæ accurata obſervatione. Cæterùm ſi aut vento tentationum, aut flatu multiplicis illecebræ, aut impetu humanæ fragilitatis, proſtratus fueris, continuò iterum in pedes ſurgendum; atque hoc eſt *placere Deo, & miſereri animæ.* O! igitur quiſquis es de numero ſceleratorum mortalium, *miſerere Animæ tuæ.* Hem! ex puteo inferni ſupplices ad te manus protendit. hem! flagitat inde opem tuam, fidemque

Eccl. 30. 24.

Quomodo quiſque homo de-

Digitized by Google

que implorat cave; negaveris, præſertim quia te impellente, illuc prolapſa eſt. quoties tuas cupiditates improbè ſecutus es, toties vt caderet, & profundiùs caderet, feciſti. Igitur ſicut crudelis nuper fuiſti præcipitando, nunc erigendo pius eſto. creſcet pietas, ſi acceleraveris auxilium: ſi citò, ſi abſque cunctatione, jacenti pro fune, ſinceram demiſeris pœnitentiam; ſine vera, legitimaq; pœnitentia, nemo ſtygi eripitur. Ergo ſi Deo placere vis, tuique nobiliſſimam portionem amare, *Miſerere Animæ tuæ.*

beat miſereri animę ſuæ, oſtendit Sapiẽs.

XIII.

Ad hunc ferè modum, Stephanus V. Pontifex ſummus Aiſtulphum, qui vxorem ſuam è medio ſuſtulerat, olim commonuit dicens: *miſerere Animæ tuæ, ut non ſis tibimetipſi homicida. Quapropter relinque te rogamus, hoc ſæculum, quod te traxit ad tam immaniſſimum peccati facinus. ingrediare Monaſterium, humiliare ſub manu Abbatis, & meliorum fratrum precibus adiutus, obſerva cuncta ſimplici animo, quæ tibi fuerint imperata; ſi fortè ignoſcat infinita Dei miſericordia peccatis tuis.* Eâdem Siracidis ſententiâ D. Bernardus ſtringit Euſtachium, virum nobilem, occupatorem Valentinæ ſedis, vt jam ſenex, proximus ſarcophago & tumbæ, auctoritati matris Eccleſiæ reluctari nolit; neque in gratiam futurorum hæredum, Eccleſiaſticorum ſe bonorum cum violentia participem facere. *Quid illos* inquit, *egregios mores, actusq; tuos, tam diſſimili pergis exitu conſummare? quomodo ætas iſta, quam in miſericordia vberi requieſcere oportebat, omnium præteritorum luit pœnas dierum tuorum, nec diluit culpas? cur proh dolor! ſola veneranda canities, ſolitâ veneratione fraudatur, ſola ſine honore marceſſit, quam vel maximè decuit honorari? Miſerere animæ placens Deo. Etenim qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Devs ſprevit eos. breves dies hominis ſunt, ſeni mors in januis eſt. Modicum habes, prorſus modicum tempus cum his, qui dicunt tibi euge euge. Sit etiam pro modico tibi, judicari ab ipſis, aut ab humano die, qui angelico examini, jam jamq; es præſentandus; qui ad tribunal terrificum Chriſti, ipſo jam defectu naturæ miſerandus, vrgeris. Illi te oportet præparare judicio, illi ſæculo conformare, illius curiæ affectare favorem, formidare repulſam.*

Habetur 33. q. 2. c. 8. Admonere. §. idcirco.

Ad hanc miſericordiam hortatur Stephanus Pontifex, Aiſtulphũ.

S. Bern. Epiſt 185. ad Euſtach.

Et S. Bernardus Euſtachium, virum nobilem.

XIV.

Væ illi hominum ſceleſtiſſimo, qui aut neſcit miſereri animæ ſuæ, aut cùm poteſt, non vult; maximè quando illa, ipſum pro ſe Devm habet Oratorem. Ita enim magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus ait: *modò pro ineffabili pietate ſua, non ſolùm admonet (Devs) ſed etiam rogat, vt nos à peccatis mortiferis revocemus. Audiamus illum dum rogat, ne nos poſtea non audiat ille, dum judicat. Audiamus*

D. Aug. de temp. ſerm. 102.

Et Devs *ipſe, quem nis mortalium.*

eum per prophetam dicentem. Fili, inquit, MISERERE ANIMÆ, placens DEO. *Quid ad hæc reſpondebit humana fragilitas?* DEVS *te rogat, vt tui miſerearis, & non vis? Cauſam tuam apud te agit, & à te non poteſt impetrare? Et quomodo te audiet ille in die judicij ſupplicantem, cùm tu eum, pro te ipſo nolueris audire rogantem?* S. Bernardi vox eſt: *Magna revera malitia, tui te non miſereri, & poſt peccatum, remedium confeſſionis à te ipſo repellere, ignemq́ in ſinu tuo involuere potiùs, quàm excutere; nec præbere aurem conſilio ſapientis, qui ait: MISERERE ANIMÆ TVÆ, PLACENS* DEO. Quantò intolerabiliùs erit, ipſum DEVM, ex tenerrima charitate deprecantem apud impios, pro animabus ſuo ſanguine redemptis, non exaudiri ſtatim, ſed accipere verba moroſè cunctantium pœnitentiam?

Intolerabile eſt, ſi homo pro anima ſua, Deum orantem nō exaudiat.

XV.

Denique hæc eſt materia divinæ animadverſionis, emendationem vitæ, moramque nunquam non maturandam, differre in longum. quaſi propter humanæ curioſitatis libidines, ipſius Numinis negligenda ſint placita. Neque ſemper abeunt impunè, qui irriſâ velut DEI patientiſſimè expectantis miſericordiâ, vltimos ſibi ſoles ſtatuunt pro reſipiſcentia. Serò plectuntur non pauculi procraſtinatorum, ſed juſtiſſimâ æquiſſimi vltoris pœnâ. vindicta læſæ ſæpius juſtitiæ, quò tardior eſt, eò ſolet eſſe gravior. ad ſimilitudinem pugni aut mallei, qui cùm elevatur altiùs altiuſque, & diu ſuſpenditur in caſu, tandem vi ſufflaminati antea ponderis, & jam liberè ruentis, fortiùs tundit. Hîc meditanda ea ſubijcio, quæ allatus ſupra Sanctus Auguſtinus proponit, ab exemplo Iudæorum olim in deſerto] peregrinantium. *Fratres chariſſimi* inquit, *non tranſitoriè vel negligenter, ſed cum ingenti tremore conſiderandum eſt, quia de ſexcentis millibus, duo tantùm terram repromiſſionis ingreſſi ſunt. Hoc ergo audiant, qui ita Dominum miſericordem eſſe volunt, vt juſtum eſſe non credant. Si enim diligenter attendimus fratres, & erga illa ſexcenta millia, quæ in eremo mortua fuerunt,* DEVS *noſter miſericors fuit; & circa illos duos, qui terram repromiſſionis intraverunt, juſtus apparuit, quomodo non fuit miſericors, qui eos per quadraginta annos reſervavit, & expectavit ad pœnitentiam? & non ſolùm converti noluerunt, ſed etiam frequenti rebellione contra Dominum murmurantes, ad peccatorum ſuorum cumulum, graviorem ſemper ſarcinam addiderunt. Quomodo non eſt miſericors, qui nos tanto tempore expectat, vt corrigamur? nunquid tam prolixâ miſericordiâ, poteſt* DEO *auferre*

Quod tamen contingit apud procraſtinatores pœnitentiæ, non ſine eorundem pœna.

S. Auguſt. de temp. ſerm. 102.

Sexcenta millia Iudæorū, per quadraginta annos Devs fruſtra expectavit ad pœnitentiam.

Digitized by Google

re juſtitiam? Quantò enim diutius expectat, tantò gravius vindicat. Quando enim prolixis temporibus peccamus, & nihil mali à Domino ſuſtinemus, patientia eſt, non negligentia. Non ille potentiam perdidit, ſed nos ad pœnitentiam reſervavit. Quam ſi nimis diu protrahimus in ſerum, nempe in perniciem noſtram provocamus irati DEI furores.

Læſa Numinis patiẽtia, vindicat tardã impij reſipiſcentiã.

XVI. Id clariſſimè affirmans divinus Paulus, hoc aceto conſpergit impium, reſipiſcere ſuum continuè differentem. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam bonitas DEI ad Pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti Judicij DEI.* Igitur quo tempore Chriſtus Judex pro tribunali ſedebit, omnia ſua tela, fulmina, tonitrua in eos depluet, quos adhuc peccatis gravibus implexos, mors eripuit mundo. non pœnituiſſe de pœnitendis ante obitum flagitijs, rogum infernalem accendet ad ſupplicia æternatura. Sed obſecro quid cauſæ eſt, cur nonnunquam valde ſcelerati mortales ſe ipſos negligant, & quam ſemper ſpondent faciendam ſub mortem palinodiam, tam fœdè, tam & oſcitanter prætereant jam morituri; vt non pauci cùm *Impœnitentia finali*, ſicut vocant, hinc abeant pereantque?

Ad Rom. 2, 4.

Improbus impœnitens, theſaurizat ſibi iram pro die iræ.

XVII. Credo hîc quibuſdam evenire, quod Thaleti olim Philoſopho. Hunc cùm adhuc juvenili ætate floridum, Mater urſiſſet, vt in ſocietatem thori acciperet conjugem, ſuſcepturus indè prolem, ſenectutis venturæ baculum, familiæ ſolatium, ſpem poſteritatis, negavit ille tunc eſſe tempus; matrimonium exigere ætatem maturiorem, ferendo oneri. Sed vbi annis auctior evaſit, rogatus à parente, vt tum denique conjugium iniret; reſpondit: jam non eſſe tempus idoneum, vigorem cum juventute imminutum eſſe, neque humeros ſufficere graviſſimo jugo. Ita omnino neque aliter, ratiocinantur nonnulli Chriſtianorum. Nam qui per omnem quaſi vitam, hærent inter voluptuoſas ſcelerum delicias, exoſum non tantùm habent nomen pœnitentiæ; ſed eam quoque velut importunum hoſpitem, & quietis ſuæ turbatorem, dum vivunt, proſcriptam volunt. parati interim eandem quàm amantiſſimè complecti, quando à morte olim imperium acceperint eundi ad rigidum jus Numinis.

Plut. in Apopht.

Thales philoſophus nunquam reperit commodũ tempus matrimonio contrahendo.

XVIII. Profectò hæ omnium ſunt voces improborum, cùm migrandum hinc tandem fuerit: ſine comite ac duce pœnitentia, non ſe

 abitu-

Digitized by Google

abituros extra mundum: fore eam tunc principem curam, ne tempus præſens cum æternitate mutent, niſi priùs in DEI ſui probè reconciliati gratiam; quin etiam divinis Eccleſiæ myſterijs, quàm optimè muniti. nunc autem, atque ante illum mortis propinquæ articulum, id agendi minimè tempus eſſe; prohibente tum juvenili ardore, tum ſanitatis, libertatiſque conditione, tam triſtium rerum cogitationem. Cùm autem ſuprema accedunt fata, etiam inter piè hortantes, domeſticos, medicos, ſacerdotes; non rarò tamen impius diſſimulat vltimum ſuper criminibus ſuis dolorem, totumque illum excutit cum exhomologeſi; cauſatus tunc pœnitendi non eſſe ampliùs tempus idoneum, partim fracto per invaletudinem corpore, partim diſtracto, diviſoq; in familiam, amicos, liberos, hæredes animo. Ita docuit experientia hunc orbem deſeruiſſe non paucos, cum *finali impœnitentia*.

Ita gravis peccator, & cunctator emendationis, nullum invenit aptũ tempus converſioni.

XIX. Eſt & aliud caput, tam infelicis comitatûs in morte, quorundam hominum. Nam quia aſſueverunt blandæ conciliatriculæ voluptati, tranſeunte in neceſſitatem vſu; ita deniq; ligantur ac conſtringuntur, vt cùm maximè deberent, aut non poſſint, aut veriùs non velint, antiquis nugis valedicere. Atq; hic pernicioſiſſimus dolus, in ſcriptura ſub ſchemate propudioſæ illius adulteræ proponitur, quæ abſente marito incautum juvenem, pellectum ad meretricios amplexus, hoc inter cætera illicio provocavit. *intexui funibus lectulum meum, ſtravi tapetibus pictis ex Ægypto, aſperſi cubile meum myrrhâ & aloë, & cynnamomo.* Quæ verba de Voluptate, ſic exponit S. Ambroſius: *quid tam meretricium, quàm Voluptas? ea profectò eſt, quæ validioribus vinculis, velut cubile quoddam conſociatæ nobis communitatis intexit, vt qui reclinauerit ſe, ligetur.*

Et præſertim ligatus vitioſâ voluptatum malarum, conſuetudine.

Prov.7.v.16.& 17.

D. Ambroſ. l.1. de Cain. c.4.

XX. Magna vis ineſt peccatorum illecebris; quò ſæpius guſtantur, eò ſuaviùs afficiunt, eò fortiùs trahunt, tandem & irretiunt delicatam gulam; vt impietas melle veſtita, non rarò etiam morienti placeat, quia ſano & vegeto ſemper arriſit. Certè difficilis eſt ad extrema tranſitus, præſertim velox & feſtinatus, ſi extrema ſunt multum diſtantia. Cùm ergo virtus ac vitium, ſolum & cœlũ, dœmon & DEVS, plurimum inter ſe diſſita ſint; quis non videt operoſum fore improbo, vt qui longis annis vitiorum ſervus fuit, terræ & terrenorum amator, juratus inſuper ſtygi ſocius, ſub ipſum obitum, mille difficultatibus implicatum, totus ſtatim, ac velut breviſſimo tempore, ſeſe ad virtutem, cœlum, Numen recipiat? Gygantæo hîc opus eſt ſaltu, qui in pumilos, terræ filios, humiles

Quia difficilis ſemper eſt trãſitus, ad extrema multùm diſtantia.

Et hinc demum aliquando

Digitized by Google

les talpas, abjectos inquam in ſcelera homines & ſepultos diu inter bona peritura animos, nunquam ferè ſine miraculo cadit. Ita demum fit, *vt finalis impœnitentia* (quam appellant) ſæpius improbis non tantùm moriturientibus ad latus aſſiſtat, ſed etiam mortuos comitetur ad divinum tribunal. naſcitur finalis impœnitétia.

Denique ſi rem omnem accuratè examinare volumus, ajo: unumquemq; diu multumq; impium, qui citra ſinceram de flagitijs pœnitudinem, hinc per mortem abripitur; proprij interitûs ſui eatenus eſſe auctorem, quia ſcilicet per culpam procraſtinatæ ſemper emendationis, Deum exaſperavit. Hanc doctrinam accipio ex allatis ſupra Apoſtoli verbis, quando protervè peccanti, dilatæ pœnitentiæ oſtendit periculum, & ſuccenſentis DEI vindictam. *An divitias*, inquit, *bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas* DEI *ad pœnitentiam te adducit. Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ.* Neque hîc concipiamus tantùm triſtem illum diem, quo divina Iuſtitia pro ſolio ſedebit, Iudex ſimul & vindex improbitatis; eſt alia inſuper dies iræ, dies nimirum vitæ hujus ſuprema, quâ æquiſſimus DEVS aliquando ſolet acerbiſſimè plectere, aut contemptæ ſuæ Majeſtatis, aut neglectæ miſericordiæ reos. Cuiuſmodi ſunt illi, quibus ferè omnis vita effluit per ſcelera, rejecto ſemper in mortem reſipiſcendi propoſito. Hos igitur tales, non ſemel punit DEVS; & quia clariſſimè aſpicit per culpam ignaviæ, vitiumque peſſimæ conſuetudinis, oblatam à ſe gratiam (quam Theologi vocant ordinariam, atq; ſufficientem ad ſalutem) ab ijs repudiatum iri; etiam alteram ſubtrahit efficacem, infallibile ac certum conſequendæ beatitudinis medium. Sed ideo ſubtrahit, quia indignos ſe fecerunt, per continuatam impœnitentis diu cordis obſtinationem. fit denique, vt ſicut in graviſſimis criminibus eò uſq; vixerunt, tandem cum *finali impœnitentia* expirent; ſed ad nova æternaque, & nihil ipſis profutura inter flammas inferorum ſuſpiria. XXII.

Subtrahente Deo gratiam congruam atq; efficacem.

Vt qui diu impœnitens inter ſcelera vixit, impœnitens inter eadem moriatur.

Senſus mei animique ejuſdem mecum, ſe eſſe oſtendit Sanctus Bernardus, cùm ſuper allegata D. Pauli ſententia, cunctabundum ad pœnitentiam impium, ſic inſtruxit: *theſaurizas tibi theſauros iræ, pro prorogatis theſauris miſericordiæ, quos contemnis; & evacuas in te miſericordiam* DEI. Nempe vt non affluat tibi tam plenis canalibus, poſtquã obſtruxiſti aditum divinæ liberalitati. quiſquis enim mentem durat in adamantem per flagitia, ſemperq; ad vltima fata protrahit converſionis initium: nimirum facilè DEVM irritat, ut XXIII.

S. Bern. ſerm. de 4 driplici miſericordia.

Evacuatâ à ſe ipſo

divinâ miſericordiâ.

parcior ſit in largienda illa copioſiore, & non debita ſub mortem gratia: ſine qua pereundum eſſe videt procraſtinatori, culpâ non aliorum, ſed propriâ; quia miſericordiam divinam pleniſſimè bonis omnibus currentem, in ſe ipſo pertinaci longæ impietatis malitiâ evacuavit. Ita accidiſſe exiſtimo illi hominum miſerrimo, cujus infeliciſſimum adfero exitum, alieno malo facturus imprudentibus cautelam.

XXIV. Ballard. l. 4. c. 27.

Quod fecit quidam ſceleſtus. Cauſidicus.

Cauſidicus hic erat, legum peritiſſimus, qui ſicut omnium aliorum cauſas optimè, ita animæ ſuæ peſſimè egit, perdiditque: nam quia ex frequentibus clientelis, magnæ opes creverunt homini, indè natæ ſunt magnis quoque ſceleribus occaſiones. præſertim verò, tempore à cauſis dicendis libero, totus inter Bacchi pocula natabat in mero; atque ut fieri ſolet, ſui, recti, DEI oblitus; quorum memoriam continua temulentia ſepelivit. Interim ut divina bonitas, virum ad ſobriam, ſanamque reduceret mentem, adhibuit medicinam: inſuavem quidem, ſed oppidò ſalubrem; nempe lethalem morbum. Qui corporeâ preſſus infirmitate, ægrum noxis animum non corrigit, ſcit fortaſſis pati, ſed neſcit fortunâ ſuâ vti; vnaq; ægritudine, tollere alteram longè maiorem. Ita iſte neque in fatali morbo, factus eſt melior inter dolores; ſemper quaſi ebrius aut vino, aut voluptate aſſuetâ, excluſit quæ ſancta ſobrietas ex cœleſti penu promebat conſilia. Iamque etiam homines religioſi admovebant machinas expugnando Cauſidico; ſed ille monitoribus ſuis aſper, juſſit ut aliam quercũ excuterent. quin etiã inter plura pudendæ inſaniæ verba, auditus eſt in lecto provocare ad duplex tribunal, DEI alterũ, alterum diaboli: decernerent judices hîc diverſiſſimi, cœlo an Orco, ſua deberetur anima. Tenuit aliquamdiu ſilentium æger, quaſi attenderet perorantem vtrinque partem. Tum deinde in vociferationes prorumpens, cauſam ipſe reus adjudicavit cacodæmoni; tolleret animam ſuam, quòd dicendo viciſſet. Inter has blaſphemias, & deſperatione pleniſſimas voces, infœlix homo migravit ad eum, cui victoriam adverſùs Deum deſcripſit. ipſe victori diabolo ſive in prœmium, ſive in ſpolium ceſſit.

Hic pro anima ſua moriens, provocavit ad Dei & diaboli tribunal.

Denique eam peroranti ſathanæ, tranſcripſit.

XXVI. D. Greg. hom. 11. in Ezechiel.

Veriſſimum eſt illud Magni Gregorij verbum. *miſericors Deus tempus nobis ad pænitentiam relaxat; ſed cùm eius patientiæ gratiam, nos ad augmentum vertimus culpæ, hoc ipſum tempus, quod ad parcendum piè diſpoſuit, diſtrictiùs ad feriendum vertit; vt quia reverti quis, etiam ſpatio temporis accepto noluerit, per hoc mala ſua ad reatum augeat*

Digitized by Google

augeat, per quod ea diluere potuit, ſi converti voluiſſet. Crediderim igitur Cauſidicum (quem velut pro ſcena adduxi lamentabile ſpectaculum) præcipuè deliquiſſe, cùm longam expectantis Dei patientiam eluſit. Nam ſicut nihil magis inter mortales humanam exaſperat clementiam, quàm illâ abuti in miſerentis injuriam; ita nihil divinam bonitatem urit acerbiùs, quàm ab impio eam detorqueri ad ſcelus, cum ſumma indulgentis Numinis ignominia, & quaſi contemptu. Itaque veriſimile eſt, miſerabilem illum Cauſidicum ideò perijſſe, quia dudum conceſſo ad reſipiſcendum ſpatio, noluit emendari; tempuſq; pro pœnitentia oblatum, convertit ad culpæ incrementa. Denique vt cum Bernardo loquar, hac viâ *evacuavit miſericordiam* DEI *in ſe*; ſive quod tantundem eſt, Deo cauſam præbuit, cur manum explicatam in pugnum contraheret, & cùm poſſet morienti copioſam ſubminiſtrare gratiam, quâ certo erigeretur ad ſalutem; daret minorem, quacum ſciret nõ ſurrecturum; quamquam propria ex non ignavia. Verbo: ſemper à Cauſidico noſtro dilatum fuiſſe pœnitere, dum ſanus vixit inter prohibitas noxarum voluptates; eſt accerſiviſſe pro morte impœnitentiam finalem.

Clementiâ & bonitate Numinis, abuti in ejus injuriã, grave crimen eſt.

XXVI.

Nemo cum DEO ſuo ludat, ejus enim hæc eſt conſuetudo, vt hodieque pertinaces impios, fruſtrantes diu ſpem ſuæ expectationis, non rarò in eorundem pœnam, ſinat mori ſine vera pœnitentia: quam ſemper crepabant ſe ad ultima vitæ tempora, obvijs vlnis, plenoque pectore amplexaturos. Hic juvat perpendere Origenis ſententiam, leviculis omnibus oppidò ſalutarem, ſed velut pro ſtimulo maturandæ converſionis. *Divitias* ait, *bonitatis* DEI, *ille agnoſcere poteſt, qui conſiderat, quanta in terris mala quotidie homines gerunt; & quomodo pœnè omnes declinantes, & ſimul inutiles facti, latam & ſpatioſam perditionis ambulant viam; ſi quis conſideret, quanti in Deum quotidie blaſphemant, & in cœlum extendunt linguas ſuas. Iam quid de fraudibus, de ſacrilegijs & piaculis dicam? ſi quis ergo hanc bonitatem* DEI, *ſuſtentationem eius & patientiam contemnit, ignorat quod per hæc ad pœnitentiam provocetur. Sed nos non diſſolvat hoc, & tardos ad converſionem faciat, quia rurſus patientiæ eius & ſuſtentationis, certâ menſura eſt.* Sequitur non rarò improbos cunctatores, iuſtiſſima divinæ ſeveritatis pœna, & hæc pœnarum facilè princeps, *finalis impœnitentia*; ſic DEO hominem dimittente, per totius vitæ cupiditates, ſine temporalis interpellatione ſupplicij, ut tandẽ morientem deſtituat gratia

Orig. in epiſt. ad Rom. 2. 4.

Patientiæ & miſericordiæ divinæ, certa eſt menſura.

Quam ſi tranſgrediatur impius, facilè incurrit ſi-

nalem impœnitentiam.

gratiâ efficaci: non facturus, ſi didiciſſet ille citiùs reſipiſcere, & præterita maturiùs damnare facinora.

XXVII. *Iſa. 26.10.*

Atq. hoc illud eſt, quod per Iſaiam Vatem minatur SS. Trinitas dicens: *miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam in terra ſanctorum; iniqua neſcit, & non videbit gloriam Domini.* ô quot mortales ſtant cum Moyſe *in terra ſancta!* in Eccleſia inquam Catholica! vbi reperies & ſancta Chriſti Evangelia, & ſanctum Dei Verbum, & ſanctas Numinis leges, & ſancta Divorum exempla, & ſanctas divini Spiritûs illuminationes, & ſanctiſſima Sacramenta, è cœlis ſubmiſſa peccatornm antidota. neque tamen abſtinent à graviſſimis noxis; quia ſcilicet indulgentem ſentiunt DEVM, nec continuò vindicantem ſuæ impietatis libidines. Sed nulla alia miſeratio tam noxia eſt homini, quam iſta; nempe redundatura in peccantis interitum, & quidem æternum; ut cùm ſacroſancta Trias, de eo, qui in Eccleſia, terra ſanctorum, aſſuevit gravia patrare ſcelera, ſic pronunciat: *miſereamur impio.* diſſimulemus petulantiam, nullâ feriamus manu caput improbum; ſequatur quàm longè lateq; velit, ductum cupiditatum ſuarum; extra fulmen noſtrum ſit; nullius hîc mali triſtiore nubeculâ, offuſcemus eius dies, inter mera gaudia candidiſſimos. Quem verò tandem eventum hæc indulgentia ſortietur apud eum, cui DEVS connivet prolixiùs, jam dudum vniverſa orbis ſupplicia merito, Æternam Veritatem audi, in ſapientiſſimo Triadis ſenſu loquentem. *miſereamur impio,* ET NON DISCET IVSTITIAM: *in terra Sanctorum iniqua geſſit,* ET NON VIDEBIT GLORIAM DOMINI. Nulla certè major eſt punitio, quàm cum diſſimulante DEO, & ſuſpendente temporalium flagellorum acerbitatem, occaſionem accipit impius & continuandi ſceleris, & differendæ emendationis; donec tandem in morte à *finali impœnitentia* comprehenſus, & cœlo excludatur, & inferis mergatur.

Nunquam Deus magis iraſcitur, quàm cùm miſereri videtur, & improbos impunè ſinit peccare.

XXVIII. *S. Bern. ſerm. 42. in Cant.*

Quam in rem opportuniſſimè D. Bernardus ſic concludit. *Tunc magis iraſcitur Deus, cùm non iraſcitur; miſereamur inquit impio, & non diſcet facere iuſtitiam. Miſericordiam hanc ego nolo: ſuper omnem iram miſeratio iſta, ſepiens mihi vias iuſtitiæ. Satius profectò mihi, juxta Prophetæ conſilium, apprehendere diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & peream de via iuſta. Volo iraſcaris mihi pater miſericordiarum, ſed illâ irâ, quâ corrigis devium, non quâ de via; illud nobis tua benigna animadverſio parit, hoc formidoloſa nutrit diſſimulatio. Cùm enim ſentio te iratum, tunc maximè confido propitium; etenim cùm iratus fueris,* *miſe-*

Melior eſt iracundia Numinis impium punientis, quàm mi-

miſericordiæ recordaberis. Deinde id probat ab exemplo Hebræorum, ſæpe temporaneis pœnis attritorum ad ſalubrem reſipiſcendi neceſſitatem. *Deus,* ait David, *tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinventiones eorum. & hoc vocat propitiationem (ſubjungit Bernardus) quòd eorum non pepercit exceſſibus.* Tandem idem melliſluus Doctor de propitiatione ultionis, ſeu miſericordia Numinis ſeveriore (ut ſic loquamur) facinoroſum quemvis ita alloquitur. *I nunc tu ergo, atque hanc tibi excludito in æternum, defendendo errorem, accuſando correptionem. An non illud eſt, malum dicere bonum, & bonum malum? an non ex hac odioſa impudentia pullulabit mox IMPOENITENTIA mater deſperationis?*

ſeratio ſemper diſſimulantis.

Pſ.98.

Tandem mortalibus ſceleratis impœnitétia ſua, Mater eſt Deſperationis.

PARAGRAPHVS XI.

IVDICIVM AVCTORIS QVARTVM.

Proterviam Impiorum, diu emendationem ſuam trahentium, ſequitur non ſemel: Quintum ingens malum; Peſsima vitæ clauſula, DESPERATIO.

AJunt, cùm Imperator quidam ex gente Auſtriaca, in aliquem magni ſanguinis, ſententiam capitis dixiſſet, tanquam de perfidia reum; miſiſſet etiam qui diem ſupplicij denunciarent, ut ex morte eius documentum alij caperent, fidei non vio- I.

Singularis cuiuſdam hominis

fiducia, in clementiâ Auſtriacâ.

landæ; eum hominem noluiſſe credere, à pectore tam manſueto, hoc eſt AVSTRIACO, potuiſſe proficiſci tam grave fulmen: ſcire ſe, illud verè eſſe regium, parcere ſupplicibus; quin etiam Cæſare dignum, parcere illi ſanguini, qui ex nobiliore vena, proſapiaque fluxit; iamque paratus eſt, per mille hoſtilis gladij vulnera, in fluvium excurrere, ſervandæ Majeſtati nuper læſæ. Hæc talia vbi Imperator accepit, tam grandis confidentiæ argumenta; vt oſtenderet ſibi placuiſſe ingenium vitæ redimendæ, quem ſupra rigido jam calculo damnaverat, novo iterum manſuetudinis exemplo abſolvit.

II. Non æqualis ſemper fortuna contingit ijs mortalibus, quos nunquam deficit ſalutis obtinendæ fortiſſima ſpes, tametſi nunquam ſceleribus ſe ſuis expediant, vaniſſimi perituræ voluptatis aucupes. Denique confidentiſſimè credunt, nullatenus ſe cœlis exturbandos, etiam ſemper de divina Majeſtate reos; eam eſſe Numinis bonitatem, vt peſſimos quoſque ſalvos velit; atque vt tales evadant, prius optimos facere. Sed nimirum hæc perſuaſio, turpis eſt præſumptio, jam dudum à dæmone excogitata, in perniciem malè credulorum. Continuò hominem offendere, & ab offenſo nunquam non ſperare veniam; multum temerariæ includit fiduciæ. Quantæ igitur erit proterviæ, quotidianis graviſſimiſque ſceleribus irritare DEUM ad vindictam, atque ad ſententiam condemnationis; & credere eum omnia diſſimulaturum, neque inflicturum, quam merueris pœnam? Nimis albæ mentis ſit homo, qui his ſe ſpebus tam inanibus, tam & periculoſis lactat. Vitioſa eſt omnis in miſericordiam DEI temere concepta fiducia, ſæpe etiam conjuncta æternis auctorum ſuorum cladibus; neque enim dubitare licet multos eſſe perditos, quòd crimina ſua cumulaverint in Numinis injuriam; de cujus bonitate præpoſterè, imprudenter, impudenterque confidebant.

Similem aliqui peccatorum, ponunt in DEI bonitatem confidentiam, ſed cum vitioſa præſumptione.

III. Sed quemadmodum contra virtutem ſpei, præſumptio per exceſſum peccat; ita per defectum in alterum extremum impingit deſperatio; quando ſcilicet homo multum impius, diffidit de miſerationibus divinis, quaſi aut nolit DEUS poſt tot noxas eum ſuſcipere in gratiam, aut non poſſit, vrgente eum criminum mole ad neceſſariam vltionem. Ita ſenſiſſe Cainum poſt necem fratri illatam, ſatis apertè demonſtrat

Contra, impiorum nonnulli peccant & pereunt deſperando.

Digitized by Google

ſtrat Scriptura, etiam quando ad pœnitentiam à Deo ſuaviſſimè invitatus fuerat parricida. in quam rem Sanctus Auguſtinus ait. *Interrogat Devs Cain, quaſi neſcius, quaſi ignorans, & dicit: Vbi est Abel Frater Tvvs? quæ vox non eſt ignorantis, ſed peccatum ante oculos ſcelerati ponentis; vt inexcuſabilis ſit omnis homo, qui & admonitus, pœnitere non vult in malo. Vbi est Abel Frater Tvvs? hoc fuit dicere ei: agnoſce Cain, non me potuiſſe latere id, quod me putâſti poſſe latere. agnoſce quid feceris, de proximo age pœnitentiam, vt poſſis accipere indulgentiam.* Quid verò Cain repoſuit Deo, blandè allicienti ad dolorem commiſſi facinoris? hoc ſolùm, neque aliud: *maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.*

S. Auguſt. tract. 3. de quarta feria. c. 3.

Primũ locum in catalogo deſperantium & deſperatorum, habet Cain.

4. *Gen.* 13.

IV. Eodem deſperationis ſpiritu, ad reſtim ductum fuiſſe Iudam Chriſti proditorem, fatetur Evangeliſta, cuius verba adfero. *Manè autem facto, conſilium inierunt omnes principes Sacerdotum, Seniores populi adverſùs Iesvm, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præſidi. Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet; pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus dicens: peccavi, tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt: quid ad nos? tu videris, & projectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Itaque quod Divus Leo teſtatur, *Iudam Desperatio traxit ad laqueum*, dignam flagitio ſuo pœnam, vt ſcilicet, qui hominum Angelorumque communem Dominum funeſtæ morti dederat victimam, cœlo terræque peroſus, aëris in medio pendens interiret; & guttur, per quod proditoris vox exiverat, funis nodus conſtringeret elideretque; & viſcera, quæ primùm tam exitialem dolum, infeliciſſimo partu conceperant, effuſa ruerent in terram, excuſſâ ſimul ad inferos animâ. *Iudam* inquit Sanctus Auguſtinus, *non tam ſcelus quod commiſit* (in prodendo Dei Filio) *quàm indulgentiæ Desperatio, fecit penitus interire.*

Matth. 27. à v. 1.

Alter & proximus debetur Iudæ proditori.

D. Leo ſer. 3. de paſſ.

S. Auguſt. l. homil. 50. homil. 27.

V. Mitiſſimus Heroum David, jam dudum à Saul capitaliſſimo hoſte, inſtar feræ per avia & invia ſylvarum agitatus; cùm eum aliquando in ſpelunca ſolum reperiſſet, neque occaſio deeſſet infligendi vulneris, inſuper eum & ſervi ſui, ac milites vrgerent, vt tandem longæ perſecutionis malo finem imponeret, ſuamque vitam morte perſecutoris ſtabiliret, alle-

Digitized by Google

1.Reg.24. v.5.7.& 8. allegato etiam Numinis oraculo: *Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis;* tamen alia omnia egit, ſic proteſtatus ad vniverſos ſuorum. *propitius ſit mihi Dominus ne faciam rem hanc Domino meo, Chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt.* Addit ſacra pagina: *Et confregit David viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos, vt conſurgerent in Saul.* Potiſſima ratio, quæ impetum continuit irruere volentium in Saul, fuit, eiuſdem non violanda majeſtas tanquam Regis à DEO vncti. Quàm longè rectiùs potuit, debuitque Iudas proditor ſimilia dicere, cùm ſenſit ſtimulos avaritiæ, invitantis ad Chriſti necem pro lucro modici argenti: *propitius ſit mihi Dominus, ne faciam rem hanc Domino meo, Chriſto Domini; vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt.* Neque tamen abſtinuit; miſit homo perfidus ambas in DEI filium manus, quando amicum ſimulans oſculum, doloſos inter amplexus eum tradidit in lictorum, & furentis turbæ poteſtatem.

Grave facinus fuit Iudæ, miſiſſe manũ ſuam in CHRISTVM Domini.

VI.

Gravius fuit, Chriſti ad pœnitentiam invitantis, manum excuſſiſſe.

Sed magis auxit ſcelus ſuum, quando à peſſimo jam deſtinati conſilij propoſito, neque magnitudine beneficiorum, neque pœnarum interminatione, neque triſti commiſerantis vaticinio, neque tam ſingularibus amicitiæ officijs, potuit avocari. Divi Hieronymi verba ſunt: *Iudas de Apoſtolatûs faſtigio, in perditionis tartarum labitur, & nec familiaritate convivij nec intinctione buccellæ, nec oſculi gratiâ frangitur.* Sed neque ultimo exhortantis Chriſti ſuaviſſimo verbo: *Amice ad quid veniſti?* & profectò, niſi proditor armatum chalibe habuiſſet pectus, debebat penetrari hoc amantis velut excuſſo jaculo. Sed quia tum admiſſum non fuit, poſtea quidem animo Iudæ vulnus fecit, ſed jam quaſi immedicabile; quando ſcilicet ad reſtim cucurrit, neq; eam tantùm, quam artifex homo concinnavit, ſed multò magis, alteram illam fatalem, opus cacodæmonis, DESPERATIONE maio. Et ô; quot poſt Iudam pendent ex hoc funiculo mortales! nempe illi omnes, quibus damnati genij auctores ſunt, vt poſt graviſſima à ſe deſignata facinora, tandem ſpem ſalutis abijciant. Ad ſcopum hunc inſigniter Auguſtinus collineans: *quomodo* inquit, *qui ſibi collum ligant, inde ſe occidunt, quia non ad eos intrat ſpiritus aëris hujus: ſic illi qui deſperant de indulgentia Dei, ipsâ* DESPERATIONE *intus ſe ſuffocant, vt eos Spiritus Sanctus viſitare non poſſit.*

D.Hieron. in epiſt. ad Ruſticum.

Matth.26. 50.

Graviſſimum, cucurriſſe ad laqueum deſperationis.

S.Auguſt. lib.hom.50. hom.27.

Quia

Digitized by Google

Quia igitur proximus ad tartarum gradus eſt DESPERATIO, omnes ferè Eccleſiæ Patres laborant, graviter in peccata lapſos impios, erigere ad ſalubrem fiduciam, contra vitium puſillanimitatis. Delibemus ex multis pauculos. S. Cypriani hæc plena ſolatij doctrina eſt. *In eodem articulo temporis, cùm iam anima feſtinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerſerit, pœnitentiam clementiſſimi DEI benignitas non aſpernatur; nec ſerum eſt, quod verum; nec irremiſſibile, quod voluntarium; & quacunq; neceſſitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec hora extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia; ſed in amplitudine ſinûs ſui, mater Charitas prodigos ſuſcipit revertentes; & velit nolit Novatus hæreticus, omni tempore DEI gratia recipit pœnitentes.* VII.

S. Cyprian. ſerm. de cœna Dom.

Poſt graves in ſcelera lapſus, cavẽda eſt lapſo hõini gravior deſperatio.

Ad eundem propemodum, flagitioſum & peſſimum quemq; hominem, in ſpe ſalutis conſequendæ roborat D. Chryſoſtomus, qui inter fulmina communiter ſuper peccatores vibrata, hanc quoque gratioſam inſpergit pluviam. *Nolo dicas blaſphemus ſum; nolo dicas perſecutor ſum. Habes omnium oſtenſiones. Vis in novo? vis in veteri? In veteri David, in novo Paulus. Nolo excuſationes mihi afferas, nolo ignaviam prætendas. peccaſti? pœnitere; millies peccaſti, millies pœnitere; hæc aſſiduè infundo medicamenta. Si lapſus es poteris ſurgere, in utramvis partem habes liberum arbitrium: ſi vulneratus es, adhibe tibi curam; dum vivis, dum ſpiras; etiam in ipſo lecto poſitus, etiam ſi dici poteſt animam efflans, ut iam de hoc mundo exeas. Non impeditur temporis anguſtiâ, miſericordia DEI. Quid enim eſt peccatum ad DEI miſericordiam? tela araneæ, quæ vento flante nuſquam comparet.* VIII.

S. Chryſoſt. in Pſ. 50. hom. 2.

Conſiderationes, quibus ſe erigere poteſt in ſpẽ ſalutis, qui peccavit.

Neque ab iſtis Viris ſummis, abludit Magnus Hipponenſium Præſul Auguſtinus; cujus frequens ſtudium eſt improbis ante oculos ponere, nullâ eos vel flagitiorum ſarcinâ, vel metu impendentis deſuper iræ cœleſtis, impelli debere ad laqueum DESPERATIONIS. Ejus hîc locum duntaxat vnum in rem præſentem adfero, vbi tacitæ objectioni ſic obviat. *Fortè cogitat aliquis, tam gravia ſe admiſiſſe peccata, vt jam Dei miſericordiam promereri non poſſit. Abſit hoc à ſenſibus omnium peccatorum. O homo, quicunq; illam peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cœleſtis medici non attendis? cùm enim Deus velit miſereri, quia bonus eſt; & poſſit, quia omnipotens eſt; ipſe contra ſe divinæ bonitatis januam claudit, qui DEUM ſibi miſereri aut non velle, aut non poſſe credit; eumq; aut bonum, aut omnipotentem eſſe diffidit.* IX.

D. Auguſt. ſerm. 58. de temp.

Facilitas miſerentis Dei, motivum eſt piæ fiduciæ apud lapſos impios.

Digitized by Google

X. Et tamen his adeò luculentis Patrum authoritatibus, nihil admodum permoti aliqui, ſpem ſalutis æternæ deponunt, non tam alieno, quàm ſuo judicio depoſiti; quòd arbitrentur ingentia ſua facinora, atque extra communis impietatis limites exorbitantia, in nullam ampliùs Numinis veniam admitti poſſe. Quæ ipſa cauſa eſt, cur magis magiſque, ad omnes vitæ hujus delicias, quín etiam extrema morum probra ac dedecora, ſe provolvant, velut jam conclamati. Vbi iterum produco D. Auguſtinum, apertum hujus veritatis teſtem, cùm ait: *Sunt homines, qui cùm cogitare cœperint mala, quæ fecerunt, non ſibi putant ignoſci poſſe: & dum non putant poſſe ſibi ignoſci, deſperatione pereunt, dicentes in cogitationibus ſuis: jam nulla nobis ſpes; neque enim tanta illa, quæ commiſimus, donari nobis aut ignoſci poſſunt. Quare ergo non ſatisfacimus cupiditatibus noſtris? impleamus ſaltem præſentis temporis voluptatem, quia nullam in futuro habemus mercedem. faciamus quidquid libet, etſi non licet; vt habeamus ſuavitatem vel temporalem, quia percipere non meremur æternam. Talia dicentes deſperando pereunt.*

Et tamen deſperant ſubinde aliqui corũ.

D. Auguſt. ſerm. 59. de Verbis Dom.

XI. Quo in genere non pauci Chriſtianorum, imitantur veteres Hebræos, ſeu potius eorum Metropolim Jeroſolymam, ſæpius ad idola & gentium ſuperſtitiones euntem; quam cum DEVS invitaret ad reditum, & quaſi legitimum avitæ religionis thorum, ita apud Jeremiam reſpondit: *deſperavi, nequaquam faciam; adamavi quippe alienos, & poſt eos ambulabo.* perinde ſi dicat; jam actum eſt, non poſſum aſſuetos deſerere amores; aut ſi reſiliendi facultas eſt, eam tamen voluntas deſtituit, poſtquam ex libertate ſceleris, in quandam tranſijt velut neceſſitatem. Similis eſt, neque infrequens improborum ratiocinatio, quando à DEO revocantur ad circulum rectæ rationis, orbitamque legum divinarum; negant enim ſe valedicere poſſe rebus tam diu amatis; neque divortium facere ab ijs ſceleribus, quæ longo conſuetudinis nexu, fecerunt nodum Gordio fortiorem.

Ierem. 2. 25.

Nonnulli improbi dum vivũt, deſperant de vitæ ſuæ emendatione.

XII. Ita flagitioſorum complures, de emendatione vitæ ſuæ, morumque deſperant; neque aliter ætatem perducunt ad ſenium ac mortem, quàm inter graves, continuaſque noxas. Sed (quæ DEI ſumma eſt bonitas) tum eorum aliqui meliore radio illuſtrati, redeunt ad frugem, & quam viventes abjecerunt ſpem ſalutis, morientes recipiunt. Alij verò etiam tunc, quam ſemel tenere cœperunt, deſperationis telam abſolvunt.

Alij in morte deſperant de ſalute.

Sunt

Digitized by Google

Sunt quoque mortales, qui dum inter animæ graviſſimas culpas ſpirant, etiam per omnem vitam ſtrenuè ſperant de clementia Numinis. tandem autem, quando accedentibus fatis imminet extrema dies, quâ antea nunquam laborârunt, propriâ tum deſperatione pereunt. Cujus duplicem cauſam aſſigno. prima fundatur in imbecillitate naturæ, cui admodum difficile eſt reſurgere ad virtutem, poſt frequentiorem in vitia lapſum, ſeu (vt aſcetici vocant) poſt RECIDIVAM. Secunda conſiſtit in diaboli aſtutia, augentis omnia in majus peccata morituro, qui eò vſque ſuam diſtulit reſipiſcentiam. ſingula fuſiùs expono. *Cauſa hujus deſperationis duplex, Recidiva & Aſtutia dæmonis.*

XIII. Et quidem RECIDIVA, tam inviſum DEO malum eſt, vt jam olim ejus cauſsâ, graviſſimis vltionibus animadverterit in Judæos. Hoc planiſſimè docet Judicum liber, lectori impio profuturus, ſi noverit vera à vanis terriculamenta diſtinguere. Itaque vt ſacer textus ait: *Filij Iſraël peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conſpectu Domini, & ſervierunt Idolis Baalim & Aſtaroth, & dijs Syriæ ac Sidonis, & Moab, & filiorum Ammon. Afflictíque ſunt, & vehementer oppreſſi per annos decem & octo, omnes qui habitabant trans Jordanem in terra Amorrhæi, qui eſt in Galaad; in tantum, vt filij Ammon Jordane transmiſſo, vaſtarent Judam, & Beniamin, & Ephraim; afflictúsque eſt Iſraël nimis. Et clamantes ad Dominum dixerunt: peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum DEVM noſtrum, & ſervivimus Baalim. Quibus locutus eſt Dominus; nunquid non Ægyptij, & Amorrhæi, filiique Ammon, & Philiſthijm, Sidonij quoque & Amalec, & Chanaan, oppreſſerunt vos, & clamâſtis ad me, & erui vos de manu eorum? & tamen reliquiſtis me, & coluiſtis Deos alienos; idcirco non addam, vt vltra vos liberem. ite & invocate Deos, quos elegiſtis, ipſi vos liberent in tempore anguſtiæ. Dixeruntq́; filij Iſraël ad Dominum: peccavimus, redde tu nobis, quidquid tibi placet, tantùm nunc libera nos. Quæ dicentes, omnia de finibus ſuis alienorum Deorum idola projecerunt, & ſervierunt Domino DEO, qui doluit ſuper miſerijs eorum.* Hem! quantum Hebrææ genti obfuit, antiquis ſociâſſe peccata recentia; & toties repetito idololatriæ flagitio, contaminâſſe animas? non tantùm vicinorum inſultibus hoſtium attriti ſunt; ſed vix etiam ſummis precibus, ac certâ pœnitudinis teſtificatione, contra vim inimicam, apud DEVM opem impetrârunt; adeò ejus clementia in vindictam irritata fuit, fre-

Iudic. 10. à v. 6.

Recidiva, ſeu relapſus Iudæorum in ſcelus idololatriæ:

Quantopere Deum exaſperaverit in iram [illegible]

Impatiens eſt divina bonitas Recidivæ in peccata.

frequentato ſuperſtitionis crimine. Impatiens quaſi eſt divina bonitas RECIDIVÆ, cùm homo ſemel aut ſæpius erectus extra cœnum peccati; temere & velut de induſtria, relabitur in ſordes veteris impietatis.

XIV. De ea cavẽda, Chriſtus monuit adulteram, à ſupplicio ſervatam.

Hinc etiam illud eſt expreſſum Servatoris monitum, ad mulierem adulteram; quam cùm eripuiſſet lapidum ſupplicio, & ſubtraxiſſet furori Scribarum ac Phariſæorum, ipſe tandem ſic eam abſolvit, vt diſertiſſimè hortaretur abituram; *Vade & jam ampliùs noli peccare.* Quod Chriſti verbum, omnes cordibus ſuis penitiſſimè inſculpere deberent, quotquot confeſſionis Sacramentum obeunt, aut per viam contritionis piè redeunt ad Deum, turpiter antea deſertum. Neque ſatis eſt animo tum ſuo proponere, *ampliùs non peccare*; ſed hoc ipſum veritate operis, & laudabili perſeverantiâ complere. Quo ſenſu Petrus Bleſenſis dixit: *propoſitum perſeverantia comitetur. quid enim omnia proderunt pœnitenti, ſi ad vomitum revertatur? Verbum Sapientis eſt: vnus ædificans & vnus deſtruens, quid eſt niſi labor? Verbum Auguſtini eſt: Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat. vulnus iteratum ſanatur tardiùs, ſic lugens & peccans, veniam non meretur; nihil proſunt lamenta, ſi replicantur peccata; nec valet de malis veniam poſcere, & mala denuò iterare.*

Ioan. 8. 11.

Petrus Bleſ. de confeſſ. ſacramẽtali.

Eccli. 34. 28.

Cap. inanis diſt. 3. *de pœnit.*

XV. Hortatus eſt & paralyticum ſanatum.

Alium quoque in Evangelio admonuit Chriſtus, caveret relapſum in condonatas ſemel culpas; nempe eum paralyticum, qui triginta octo annis ante piſcinam probaticam jacuit, deſtitutus humano omni auxilio, quoties Angelus aquam movit, ſalubre tum ſtatim deſcenſuris eò infirmis balneum. Hunc igitur virum, cùm ſe homo ſolus tot annis attollere non poſſet, verbis denique pauculis in pedes erexit Dominus; juſſitque ſublato inde lectulo, quò vellet, jam ſanum abire, ſed munitum priùs hac ſeriâ adhortatione: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat.* vt nimirum intelligeret tam longæ invaletudinis malum, fuiſſe pœnam anteactorum ſcelerum; quæ ſi repetiturus ſit, ſciat multò ſe graviùs plexum iri; novis flagitijs, majorem materiam subminiſtraturis Deo pro vindicta. Et quidem id ſuo damno expertus eſt quidam Canonicus, homo diu in turpes Veneris libidines profuſus, tandem vi morbi, & potentiâ divinæ vltionis proſtratus in lectum. Huic affixum S. Franciſcus convenit, ſignoque Crucis in priſtinam reſtituit ſanitatem; ſedulò adhortans, vt deinceps à fœda illa vivendi conſuetudine abſtineret; niſi divinam pietatem, recentibus delictis, concitare vellet in graviora contra ſe ſupplicia.

Ioan. 5. 14.

S. Bonav. in Vita S. Franciſci.

Homo relapſus in libidines (contra S. Franciſci

Sed

Digitized by Google

Sed miſer, aures tantùm Divo Franciſco dedit, verbis ejus animum non adjecit. Itaque cùm redijſſet ad vetera illa turpitudinis probra, die quo conviva fuit alterius Canonici, totâ ædium ſtructurâ ſubitò fatiſcente, ſolus cæteris illæſis, obrutus eſt.

dehortatione) opprimitur à ruina.

XVI.

Ergo cum Sancto Bernardo ſentiamus, qui de ſe ipſo ajebat: *ſi dixerit mihi IESVS, dimittuntur tibi peccata tua; niſi ego peccare deſiero, quid proderit? Exui tunicam meam, ſi reinduero eam, quantum profeci? ſi rurſus pedes meos, quos laveram, inquinavero, nunquid aliquid laviſſe valebit? ſordens omni genere vitiorum, jacui diu in luto fæcis. Sed erit ſine dubio recidenti, quàm jacenti deteriùs. Denique qui me ſanum fecit, ipſum mihi dixiſſe recordor. Ecce ſanus factus es, iam ampliùs noli peccare, ne deteriùs aliquid tibi contingat.* Sed interrogemus hìc, quid illud tandem ſit DETERIVS, cujus periculo abſterritus homo, quàm diligentiſſimè cavere debeat reditum in antiquam criminum ſilvam? an hoc nomine veniant infeſtæ illæ gravium morborum acies? aut dira fames, & inviſa egeſtas, & liberorum orbitas, & peſtilentis auræ afflatus, & duriſſima bellorum, hoſtiliumque armorum neceſſitas? quibus malis certum eſt, repetitas ſæpius impietates, non ſemel ab irato Numine caſtigatas fuiſſe. Ego autem exiſtimo, id in RECIDIVA, inter deteriora deterrimum eſſe cenſendum; quòd homo improbus frequentiſſimè relapſus in ſcelera enormia, quo deſtinavit tempore ſurrecturum ſe ad pœnitentiam, nimirum ſub mortem, non ampliùs, aut vix ampliùs exſurgat; preſſus quaſi, & oppreſſus novorum ſemper pondere peccatorum, adjecto veterum cumulis.

S. Bern. in Cant. ſerm. 3.

DamnaRecidivæ, & continui in peccata relapſûs, ſunt varia.

Potiſſimũ eſt accumulatio ſcelerum & moles, cui impius in morte facilè ſuccumbit.

XVII.

Iuvat hanc rem illuſtrare ab ea ſpecie, quam ſibi olim habuit objectam Sanctus Arſenius, poſtquam deſijt magiſter eſſe Arcadij & Honorij, Theodoſij Auguſti filiorum, aulamque Imperatoriam mutavit cum eremo. ibi jam ipſe diſcipulus, Doctore Angelo didicit vaniſſima hominum quorundam ſtudia. Nam æthiopem vidit ligna ſecantem in agro, & inde faſciculos compingentem, quos domum ferre decreverat. Cumque primum faſcem impoſuiſſet humeris, eoſque tanto oneri impares deprehendiſſet, plus addidit lignorum. mox iterum vires ſuas periclitatus, ſenſit auctiorem multò faſciculum, minùs ſe quàm antea poſſe humo levare, & ſuſcipere poſt tergum. Itaque ampliùs & ampliùs molem accumulat; qùaſi tunc faciliùs humeris ſubi-

Metaph. in Vita S. Arſenij ad 19. Iulij.

Demonſtratum hoc eſt per

Angelum & Arſenio.

ſubiturus onus, cùm novis acceſſionibus ſemper magis excreviſſet. Admiratus ſubinde Arſenius, hominis iſtius dementiam, magiſtrum Angelum habuit, obſcuri ænigmatis clarum interpretem. Dicebat enim: hanc multorum eſſe inſaniam ſceleſtorum, quotidie peccata ſua augentium; quòd putent ſe morti vicinos, omnem illam ſcelerum molem facilè ad pœnitentiam laturos, ejuſque etiam beneficio abjecturos feliciter; ſic demum excuſſis animæ oneribus, libero, neque ampliùs impedito pede, ad cœlum beatamque æternitatem tranſituros.

XVIII.

Capita, ex quibus difficultas creſcit veræ pœnitētiæ morientibus, qui per vitam aſſueverunt Recidivæ in continua flagitia.

Sed nempe, hæc manifeſta dæmonis impoſtura eſt, perſuadere ſibi impium, illud ſub obitum fore facillimum, quod hactenus credebat difficillimum, ne dicam impoſſibile. Quomodo enim in gravissima merſus flagitia, poterit moriturus (etiam cùm occaſio eſt) peccata illa legitimè confiteri, quæ per omnem vitam ſummo ſtudio celavit ſacerdotem, taciturnitate mortiferâ, verecundiâ damnabili? quomodo eo articulo poterit nolle, omnia illa voluptatum blandimenta, pro quibus continuò, velut aris ſuis ac focis pugnavit? quomodo illis poterit ignoſcere, tum temporis, quibuſcum priùs ſemper fovit odia æterna, etiam ad poſteritatem tranſitura? quomodo reſtituet aliena, quæ jam dudum ſua, ſuorumque fecit, juſſitque eſſe propria? quomodo ſeriò volet, omnia illa eſſe abolita peccata, quorum neceſſitatem induxit longa conſuetudo? quomodo jam ſenio curvatus, aut viribus fractus, aut morbo languidus, dolebit animitus de commiſſis ſceleribus, formabitque propoſitum ſincerum, non ampliùs (tametſi foret copia) repetendi vetera; idque totum ex puro amoris divini motivo, vix benè cognito, rarò eò vſq;, aut nunquam vſurpato?

XIX.

Lud. Granat. in duce pecc. lib. 1. part. 3. c. 25.

Sapienter ad hanc materiam Ludovicus Granatenſis in aſcetico opere, ſic alloquitur differentem vltrà, pœnitendi, vitamque emendandi conſilium, ſub prætextu difficultatis præſentis. *Quod ſi dixeris, te vadum tranare non poſſe manè, cùm aqua adhuc exigua eſt; veſperi cùm alveus plenus eſt, & flumen inſtar maris exundat, quomodo tranare poteris? ſi tibi difficilè videatur, novellam adhuc vitiorum plantam eradicare, quid facies vbi profundiſſimas radices egerit, & terræ multò quàm ante firmiùs inhæret? ponamus caſum. pugnandum nunc tibi eſt cum centum peccatis; aliquando tibi pugnandum erit cum mille, nunc cùm vnius anni, aut duorum prava conſuetudine;*

tunc

Digitized by Google

tunc fortè cum decem. Quis itaq; tibi dixit, quod in futuro poteris onus tuum faciliùs portare, quod ne quidem nunc portare potes? cùm nihilominus illud quotidie augeatur. Profectò labor quaſi inanis eſt, cùm homo totâ ferè anteriore vitâ, immanium pondere criminum jacuit ſuppreſſus, conſurgere velle jam hinc exiturum, & pertardam reſipiſcentiam, magnis paſſibus ad aſtra contendere. Plurimi hîc in medio conatu ac motu ſubſtiterunt, ſimiles vxori Loth.

Relapſus frequens, cauſa eſt cur aliqui morituri, in medio ad pœnitẽtiam conatu ac motu ſubſiſtant.

XX. Hæc vt educta ab Angelis eſt extra Sodomam cum marito & reliqua familia; prohibitione acceptâ, ne quis eorum retrò obliquaret oculum, ad fatalem Pentapolis interitum, abſtinere tamen non potuit. Sed partim excitata ſtrepitu ignis, & pluvij ſulphuris; partim clamore pereuntium territa; partim dolore percuſſa, & Patriæ conflagrantis & civium; partim muliebri curioſitate ſtimulata, quæ facies eſſet Sodomis à tergo, contemplabatur. Sed hanc inobedientiæ culpam, etiam non admodum magnam, punivit DEVS graviter in fœmina. nam vt ſacer hiſtoricus teſtatur: *verſa eſt in ſtatuam ſalis*; puta metallici, qui pluviæ reſiſtit. Hanc ſtatuam, ſuâ ætate extitiſſe, inter Engaddi & mare mortuum Borchardus meminit, qui trecentis ab hinc annis vixit; eandemque etiamnum extare, tradit Adrichomius. Ioſephus verò affirmat, ſtaturam vlteriùs vſque ad mundi commune excidium, & vltimum fatalis judicij tempus, quo omnes terræ filij filiæque, homines vniverſi, compariturì ſunt ad Numinis pro tribunali audiendam ſententiam. Videtur etiam hæc ejus opinio, ſtabiliri ſapientis oraculo, cùm ſimpliciter affirmet de vxore Loth: *incredibilis* (ſive quod idem eſt, incredibile) *animæ monumentum ſtans, columna Salis.* Quaſi diceret, DEVM pro æterno ſpectaculo, & velut in demonſtrationem vindicatæ à ſe inobedientiæ, vxorem Loth ſecundùm corpus in ſtatuam, ſeu columnam ſalis converſam, propoſuiſſe ſecuturis poſteris.

Similes vxori Loth, quæ in media fuga, verſa in ſtatuam ſalis, multis ſæculis ſubſtitit.

Gen. 19. 16. *Cornel. à lap. hic* *Ioſephus l. 1. antiq. cap. 12.* *Sap. 10. 7.*

XXI. Vbi ſingulariter notanda eſt figura hujus ſive ſtatuæ, ſive columnæ ſalis. Nam quod docti obſervant, effigiem habuit humanam, ipſamque in ſe transmutatæ mulieris formam retinuit. Atque ut Tertullianus narrat, ſuo tempore ſtetit integra, nullumque vel à pluvijs, vel ab inclementi Iove (cui ſemper expoſita fuit) nocumentum accepit. Illud plus admi-

Cornel. à lap. hic. *Tertull. in Carm. de Sodoma.*

Effigie humanâ & muliebri formâ.

admirationis habet, cujus idem auctor meminit; ſi fortè peregrinantium & tranſeuntium illac petulantiâ, imago ſtatuæ naſo, auriculis, mento, digitis truncata fuit, mox coaluiſſe vulnus; & tantum iterum ſuccreviſſe ſalis, ut mutilati membri nulla appareret cicatrix. Quæ fortaſſis occaſio fuit, injuriæ ſæpius in eam iconem admiſſæ, ſingulis domum volentibus aliquid ferre de vxore Loth, in ſalem prodigiosè mutata; præſertim quando videbant eam nihil imminui, ſed omnem decerptionem, novo velut miraculo, redintegrati ſemper corporis reſarciri. Itaque conjunx Lothi, ſicut olim in medio motu, atque ambulatione ſubſtitit; ita ex eo tempore in ſalis ſtatuam, converſa, huc vſque ſtando perſeverat; & quamvis membris omnibus appareat perfecta, adeoque & oculis, & ore, & manibus ac pedibus inſtructa, nullam tamen exercet actionem.

Nec non membris ad ſpeciem integris.

XXII. Veriſſima, hominum graviter, diuque impiorum effigies; quibus illud Davidis applicaveris: *Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt; manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt.* Cùm enim nos mortales conveniat ſæpiſſimè loqui cœleſtia, contemplari æterna, audire ſpiritualia, ſapere divina, contrectare vaniſſimam hujus mundi vanitatem; denique vtroque pede contendere ad futuram alterius vitæ beatitatem; omnia alia faciunt pertinaciter ſcelerati, totis ſenſibus immerſi ſunt in hujus terræ non duratura bona. Tum autem infeliciſſimè imitantur vxorem Lothi, quando jam & morti, & ſtygi proximi euadere quidem volunt per pœnitentiam, non tam Sodomorum, quàm inferorum incendia; ſed eodem tempore reſpiciunt retrò ad priora gaudia, veteres illecebras, antiqua ſcelerum oblectamenta; ibique & nova excitant deſideria, & figunt mentem. Vnde fit, vt juſtiſſimo DEI judicio, in medio pœnitentiæ motu, ipſoque reſipiſcendi vltimo conatu ſubſiſtant; quin etiam in ſtatuam, non tam ſalis, quàm lapidis tranſeant; nullum ampliùs de peccatis ſuis, aut ſerium dolorem, aut odium admiſſuri. Atque hoc malum omnes illi habent metuere, qui ſæpius imprudentiſſimè relabuntur in mortiferas, eaſdemque noxas; nam extremo quoq; vitæ articulo, quando ſe ad Deum pœnitendo recipere volunt, à cœpto nonnunquam opere deſiſtunt, aut abſter-

Pſ. 113. 5.

Improbi fere omnes iam morti propinqui, conantur per pœnitentiam evadere inferos.

Sed quia reſpiciunt ad vetera peccatorũ oblectamẽta, multi ibi figunt mentem, & ſubſiſtunt in medio pœnitẽtiæ conatu.

Hinc juſto Dei judicio, ſi non in ſtatuã ſalis (ſicut Vxor Lothi) tamen in

abſterriti difficultate præſentis negotij, aut vi naturæ retracti, ad complacentiam aſſuetorum eò vſque flagitiorum. Atque hoc conſectarium eſſe ſolet frequentati lapsûs; ea ſcilicet impedimenta objicere impijs, ſub mortem tandem aliquando volentibus emendari, quæ illorum non omnes perrumpunt, & culpâ ſuâ & damno.

ſtatuam obdurati lapidis tranſeunt.

Quod igitur Judæos olim monuit CHRISTVS in Evangelio: *memores eſtote vxoris Loth.* hoc idem ego inculco Chriſtianis non Chriſtianam, ſed impiam degentibus vitam. *memores eſtote vxoris Loth.* nam illa (ſaltem juxta myſterium) oſtendit quale ſupplicium à DEO ſit decretum in eos, qui ſine freno rationis, ſine metu Numinis, continuâ quaſi, nec interruptâ malitiâ, recurrunt ad illicitas cupiditates, & prohibitas vitiorum oblectationes. Denique in extremo pœnitendi conatu, non ſemel ſubſiſtunt, ideo permiſſi à Deo in marmor lapideſcere, quia ejus ſe copioſâ, efficaci, congruâque gratiâ per longam improbitatem indignos fecerunt. Itaque ô mali, *memores eſtote vxoris Loth.* quam conſiderans D. Proſper, ſic ait: *Vxor Loth, ſalis ſtatua effecta, ſuo exemplo fatuos condivit; in propoſito ſancto, quò tendunt proficientes, noxiâ curioſitate non debere reſpicere.* XXIII.

Luc. 17. 32.

Chriſtus Impijs refricat illud in Evangelio: *memores eſtote Vxoris Loth.*

S. Proſper lib. 1. de præd. & promiſſ. c. 16.

Quiſquis ad commiſſa, vel etiam dimiſſa ſemel ſcelera revertitur, quantò frequentiùs id agit, tantò ſibi medicinam reddit difficiliorem; more ejus qui relabitur in ægritudinem, vnde paulò antea ſurrexit. Ita planè Cyrillus Alexandrinus ſentit, dicens: *in caſſum ſumitur medicina, ſi poſt inſtauratam ſanitatem, per vitæ incontinentiam, qui convaluit, in priſtinum incidit morbum. Quin imò relapſus in ægritudinem, perículoſior eſſe ſolet, & exitio propior, quàm prior ille languor; & quos prima valetudo adverſa non extinxit, ſæpius iterata, poſt redditam incolumitatem ægrotatio, ſuſtulit è vita. Haud ſecus fruſtra pœnitentiæ medicamentum ſumitur, ſi poſt eam peractam, ad præterita vitæ ſordes reditur. Hæc enim ſecunda, admodum periculoſa eſt animæ febricitatio.* Certè ex RECIDIVA peccati, non ſemel apud morientes impios nata eſt DESPERATIO, difficultate pœnitentiæ, imbecillitatem naturæ aſſuefactæ ad contraria, obruente molis ſuæ, & molitionis magnitudine. XXIV.

D. Cyrillus Alex. lib. 5. in Ioã. c. 17

Sicut relapſus in morbũ, ita Recidiva in peccatũ, periculoſior eſt.

Hinc aliquando naſcitur Deſperatio.

Sed accedamus ad alteram occaſionem, quâ nonnunquam illi in DESPERATIONEM trahuntur qui reſipiſcentiam ſuam, vitæque correctionem, inter continuas graveſque culpas, continuò traxerunt in mortem. Et quidem ea conſiſtit in dœmonis verſutiſſimi XXV.

Quam etiã verſutus dœmon

conatur promovere.

tiſſimi odio; cujus maximè ſtudium eſt, quos longo tempore mancipia, ſervoſque ſcelerum fecit, præcipitare in barathrum puſillanimitatis; vt denique hinc exeant, ſpe ſalutis ſuæ abjectâ. Senex Ægyptiæ ſolitudinis cultor, quondam ita enunciavit: *dæmonum opus eſt, vt cùm animam in peccatum dejecerint, tunc nos in* DESPERATIONEM *præcipitent, vt perfectè nos perdant.* Quod ſummo cum ſuo periculo, olim expertus fuit homo, non aliunde celebrior notiorque, quàm ex profligatiſſimis moribus. Hic diu peccatis ſuis immortuus, tandem reviviſcere cœpit; imò redivivus iterum mori; nam poſteaquam duce pœnitentiâ extra ſuorum flagitiorum ſepulchrum proceſſit, alteri ſe tumulo ſpontaneus incluſit, ibidem verè moriturus vitijs, mundo, ſibi. Iamque octo ipſis diebus, humi proſtratus in faciem, nolebat oculos irato ſibi cœlo attollere, neque Nomen DEI offenſi compellare; ſolis rem lacrymis & gemitibus agebat: illis, vt labes mentis, toties & tam fœdè contractas elueret; iſtis, vt Numen proterviæ ſuæ excandeſcens, redderet propitium. Cùm ecce tibi jam pœnitens ſepultus, interpellatur à dœmonibus, omnia illi contraria ſuadentibus; præſertim verò, vt ſpe conſequendæ beatitudinis depoſitâ, pergeret eſſe qui nuper fuit; quando præterita eum peccata, dudum mortis æternæ reum feciſſent.

In prato ſpirit. cap. 110.

In Vitis PP. lib. 2. Pallad. c. 45.

Quemadmodum olim fecit cum pœnitente quopiam.

XXVI. Adhortationem ſtygij conciliabuli, ſiquis audire cupit, totidem verbis refertur in vitis Patrum. *Quid eſt quod agis ô impuriſſime & flagitioſiſſime? poſtquam omni ſpurcitiâ, omniq; impuritate ſatiatus es, nunc vis caſtus & religioſus procedere; & poſteaquam conſenuiſti in ſceleribus, nec jam ſufficiunt vires ad facinora delenda, nunc Chriſtianus videri vis & pudicus, & pænitens. Quaſi verò alius tibi jam vllus poſſit dari locus, ſatiato in malis, niſi ille qui tibi nobiſcum debetur? Vnus ex nobis es, alius jam eſſe non poteris. Redi ergo magis, redi ad nos, & quod ſupereſt tibi tempus in perfruenda voluptate non perdas; præparamus affluentes delicias, præparamus ſcorta nobiliſſima, & cuncta talia, quæ florem tibi poſſent reparare gratiſſimæ juventutis. Quid temetipſum vanis & inanibus conficis cruciatibus? quid temetipſum ante tempus ſupplicijs tradis? Quid enim aliud es paſſurus in inferno, niſi hoc, quod nunc tibi ipſi conquiris? ſi te pæna delectat, expecta paululùm, & invenies paratam. Nunc interim fruere muneribus noſtris, quæ dulcia ſemper & grata duxiſti.* Tamen inter has ſæpius repetitas corvorum ex Orco cantilenas, infractus homo perſeveravit in ſepulchro pœnitentiæ; neque verberibus etiam ſuaſorum, ad con-

Cui tamẽ, ſicut ſuaſit, ita nõ perſuaſit ad priora ſcelera reditum.

Alio modo Sathan, ſub mortem ad

conſenſum deſperationis fuit everberatus: bis victor, & ſui, & ſtygis. Sed nulla vicinius periculum habet pugna, quàm cùm ſub mortem inſtant dœmones, impijs illuc vſque mortalibus; quando quæ ſemper crimina auctoribus ſuis voluptas extenuavit, illi in immenſum exaggerant, & omni ex parte oſtendunt graviſſima. desperatio- nem vrget improbi, peccata ejus præterita exaggerando.

Inter alia, quæ humanum ingenium reperit artificia, Vitrum eſt convexum (quod alij lentem appellant vitream, ob ſimilitudinem figuræ) ſic conſtructum, vt quæ intra illud clauduntur, centies facilè majora appareant. Ita vidi aliquando pulicem in ejuſmodi vitreo tubo, excreſcentem corporis ſui mole, ad crabronis vel locuſtæ majoris, aut etiam minoris cancri magnitudinem. plurima, quæ in eo animalculo hominis effugiunt oculos, tunc diſtinctiſſimè conſpexi, & quaſi adhærentia oſſibus oſſa, nervos nervis, venis venas, articulis articulos, membranas membranis. gerebat beſtia acuminatum ad vulnera roſtrum; pedes erant villoſi, & quibuſdam velut vncis hamati, ad tenendum quod comprehendiſſent. venter ſuis coſtis armatus, cataphracti aut loricæ ſimilitudinem referebat. Ita enim toto corpore longè auctior pulex ex vitro, ſibique multum diſſimilis, videbatur tranſijſſe in aliam ſpeciem & monſtrum. Mihi credite ſcelerati, nunquam veſtra peccata apparebunt majora & monſtroſiora, quàm vbi ea morituris jam vobis ante oculos ſiſtet cacodœmon, ex propria ſingulorum, quavis cryſtallo pellucidiore conſcientia. O quoties hic pulex in camelum, muſca in elephantem exſurget! O quoties, quæ credebatis minutiora eſſe delicta, excreſcent in colles & montes! nempe quando omnes circumſtantias particularium actionum eventilabit Sathan, impietatem exaggeraturus. cùm oſtendet ex loco, tempore, modo, cauſa, intentione, ſcandalo, relapſu, malitiam operum veſtrorum ſumpſiſſe amplius ſemper, & amplius augmentum. præſertim verò, cùm demonſtraverit ſummum illud pertinaciæ ſcelus, noluiſſe ante mortem vos pœnitentiam amplecti; maluiſſe perſeverare in damnandis voluptatibus, non ſine maxima ingratitudinis nota, continuò itura in DEI velut contempti injuriam. Vt mirum nihil fuerit, ſi tum etiam Rex infērorum Lucifer, totum aperiat Orcum, & tormenta tanto ſcelere digna, velut digito ſignet; impulſurus tam triſti ſpecie, animam ſibi peſſimè conſciam ad DESPERATIONEM.

XXVII. In vitro convexo (quod lentem vocāt, ob ſimilitudinē figuræ) incluſus pulex multùm magnitudine creſcit.

Morienti ſcelerato diu homini, diabolus ſcelera ſua in immenſum auget.

Vt ſcilicet in deſperationem conijciat.

Ita veriſimile eſt ei contigiſſe homini, cujus miſerabilem exitum deſcribit Venerabilis Beda, in hiſtoria Eccleſiaſtica gentis ſuæ. XXVIII.

Ait

Digitized by Google

Beda in hiſt. Eccleſ. Anglorum.

Ait enim ſe noviſſe cujuſdam monaſterij fratrem, opificio fabrum, oſorem divini verbi, & orationis; cæterà amatorem non tantùm incudis ſuæ, verùm etiam torcularis, & multò maximè Bacchi. His ſe negotijs cùm totum impendiſſet, virtutis religioſæ negligentiſſimus homo, tandem ſub extremam fatorum horulam, convocatis ad lectulum fratribus, jam condemnato ſimilis, narrare cœpit, non tantùm inferos ſe apertos cernere; ſed Caipham quoque cum ijs, qui Chriſto mortem non meritam, & acerbiſſimos cruciatus intulerunt, luculentis ignibus ardere. quin etiam in eorundem vicinia, locum ſibi, ſuiſque tormentis deſtinatum ſe conſpicere. Igitur qui adſtabant religioſi, morti & tartaro proximum, conati ſunt erigere ad ſpem, atque ad magnum ſpei fulcrum, pœnitentiam hortari. Sed deſperabundus ille, ſana excuſſit conſilia, quaſi nihil profutura deinceps; poſtquam ſuum nomen, jam numero damnatorum vidiſſet adſcriptum, atro carbone. Ita exceſſit miſer, nec pœnitudine inſtructus, nec viatico munitus, plenus deſperatione. Quę cauſa fuit, vt nemo pro illo aut preces exſolverit, aut pſalmos cantaverit, aut ſacrificium fecerit: quia ſe ipſo judice perijt. Vbi advertenda eſt concluſio, quam præſenti hiſtoriæ Beda ſic apponit.

Ita creditur vni factum, qui ante mortem dixit, ſibi ſuum apud inferos locum eſſe monſtratũ, neq; hinc pœnitens diſceſſit.

Hujus occaſione multi ad celerẽ frugem redierunt.

Factum hoc eſt in provincia Berniciorum, ac longè lateq; diffamatum; multos ad agendam, & non differendam ſcelerum ſuorum pœnitentiam provocavit.

XXIX.

Licet hîc conjecturam facere; ſi dœmon vni monacho tam infeſtus fuit jam morituro, eumque conatus eſt de fiducia ſalutis acquirendæ deijcere, objectâ triſtiſſimâ viſione; hominem cæteroquin non extremè improbum, ſed tantùm profeſſionis ſuæ immemorem, & ſocordem in divinis, vinoque & ventri plus æquo indulgentem: quid putamus illis ſub mortem futurum eſt, quibus omnis excidit memoria profeſſionis Chriſtianæ; totaque vita inter capitales malevolentias, odia, vindictas, fœnora, fraudes, gulam, Veneres, veneficia, & mille alia execranda crimina effluit; protracto ſemper emendationis propoſito ad vltimum, quem expiraverint halitum? O! vt vereor, ſi non iſtorum vniverſos, ſi non multos, aliquos tamen propriâ DESPERATIONE interituros; ludificatore diabolo, omnia tunc eorum peccata in majus exaggerante, & perſuadente cœlum ipſis clauſum eſſe, ſolamque hiare ſtygem, excipiendæ impietati exercitæ. Neque aliunde malus genius tantæ deceptionis occaſionem arripiet, quam ex ipſorum ſocordia impiorum; quibus (dum hic vixerunt) ſolenne fuit, oblatam Numinis auxilia-

Qui non ſequuntur exemplũ, periculo ſe exponunt diabolicarum tentationum.

Digitized by Google

auxiliatricem dexteram ignavè tranſire: gratiamque amicitiæ divinæ reſtauratricem, nunquam ferè non diſſimulare.

Ad morem Hebræi populi, quem in metropoli ſua, Chriſtus quondam dolenter hunc in modum allocutus fuit: *Ieruſalem Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Quo loco S. Bernardus: *Videamus* inquit, *quid ſibi hoc velit, quòd Dominus ſe gallinæ magis, quàm alteri animali voluit comparare?* Et mox ita reſpondet interrogationi: *quia vt à Sanctis Patribus tenetur, ideo factum eſt, vt exprimatur incomparabilis affectus charitatis. Nullum enim animal circa pullos ſuos tantâ compaſſione movetur, ſicut gallina. fit enim toto corpore hiſpida, voce rauca, toto fervens animo, & omnibus membris infirma, & vſq; ad ſupremum defectum perveniens.* nempe cùm ab accipitre imminere periculum ſuis videt; cui exeundo, alas expandit, magniſque clamoribus invitat ad aſylum. Neque aliter DEVS egit cum Iudæis & Ieroſolyma; gallina eſſe voluit, & ſuo eos præſidio tutari, quando Aſſyrij, Chaldæi, Romani, crudeles milivi, vngues explicabant ad prædam: modò illi boni eſſe pulli vellent, & ſub piæ matris alas currere, non tam pedibus corporis, quàm affectibus pœnitentis animi, revocaturi in deteſtantis animi ſerium dolorem, patrata ſcelera, cauſam hoſtilis irruptionis; ſed nimirum cum pœnitentia, ſimul oblatam excuſſerunt DEI benevolentiam. Quod indigniſſimum facinus genti ſuæ exprobrat CHRISTVS, cùm ait: *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & NOLVISTI?* an verò impunè? nequaquam. ſtatim enim ſubjungit Dominus: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* puta templum Ieroſolymitanum, vel ipſa Ieroſolyma; nam vterq; locus à DEO, ejuſq; protectione, in pœnam deſertus fuit; quando poſtea vtrumque evertit Titus ac Veſpaſianus, ambo Imperatores Romani. XXX.

Matth. 23. à v. 37.

S. Bern. de paß. Domini ſuper illo. Ego ſum Vitis. c. 5.

Magnus amor gallinæ erga pullos ſuos.

Maior fuit DEI amor erga Iudæos.

Sed ſtulti noluerunt ſub alis ejus congregari.

Quis non horreat iſtam Numinis ſeveritatem ulciſcentis tam rigidè ſuam repulſam! Neque hodie ſemper connivet Deus, quando improbos homines, ſtygio vulturi erepturus, & charitatis ſuæ pennis defenſurus, cum moroſo quaſi ſupercilio repudiatur. Væ ei, cui nunc CHRISTVS poteſt exprobrare; adjutum te VOLVI, atque ſub alas præſidij mei, ſicut pullum includere, & NOLVISTI. quoties tibi graviter in peccatũ lapſo, manum porrigere VOLVI, toties acceptare NOLVISTI. & ſæpe VOLVI te cæno eri- XXXI.

Hodieque Hebræam gentem, imitantur Chriſtianorum aliqui protervè

vè flagitioſi. pere improbitatis, & ſæpe NOLVISTI. Imò ſemper hæc VOLVI, ut auxiliante gratiæ meæ beneficio; reſtitueres te primo, quem in baptiſmo accepiſti nitori; & ſemper NOLVISTI; ſaltem diſtuliſti facere. Quia ergo differre pœnitentiam tantundem eſt, atq; nolle facere; & invitantem me DEVM, totieſq; & tam ſeriò meliora

Sed in pœnam, relinquitur domus eorum deſerta. ſuadentem reſpuere, eſt velut per ludibrium amandare: *ecce relinquetur domus tua deſerta*: ſeu potiùs, anima tua privabitur deinceps meo ampliori favore, frequentioribus auxilijs. Certè non paucis idcirco pereundũ eſt, quia vt deſtituerentur gratiâ illâ Dei ditiore, quam appellant docti efficacem, ipſi culpâ dilatæ ſemper

Seu potiùs Anima, deſtituta congruâ Dei, & efficaci gratiâ. emendationis, juſtiſſimam divinæ æquitati cauſam ſubminiſtrârunt. diſpendium ſalutis ſuæ, non alijs, ſed ſibi impingere debent; ipſi ſe indignos cœlo fecerunt; quia frequenter benevolentiam ultrò oblatam, noluerunt cum oſculo reverenter excipere. quid mirum eſt, ſi DEVS deniq; toties repulſam paſſus, beneficia ſua, & liberalitatem contraxit, vt morientibus negaret gratiam efficacem, quam dare non tenebatur; concederet interim ſufficientem, quam videbat vitio eorundem, nihil illis profuturam? Hæc ſæpius repeto, quia dici & inculcari ſatis nunquam poſſunt.

XXXII. Ejus majeſtatis eſt Deus, vt nolit ſuam authoritatem proſtitui, ſuos favores negligi, excuti liberalitatem; ſimiles illi Evangelico Regi, humaniſſimè & invitantis, & invitatos vocantis ad filij ſui

Matth. 22. à v. 3. regias nuptias, ſic Chriſtus apud Matthæum meminit: *& miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum miſit alios ſervos dicens: dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt; & abierunt alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem*

Chriſtus invitat vniverſos ad nuptias cœleſtes. *ſuam. reliqui vero tenuerunt ſervos ejus, & contumelijs affectos occiderunt. Rex verò cùm audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit. Tunc ait ſervis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati erant, non fuerunt digni.* Apud Lucam verò, hæc inſuper à Convivatore Rege adjecta eſt comminatio: *dico vobis; quod nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.*

XXXIII. Atque hæc ipſa eſt ratio, quam tenet Magnus DEVS, cùm ad cœleſtes beatorum epulas, ad divinorum favos gaudiorum, ad torrentes æternantium voluptatum, ſuaviter invitat homines, &

Qui hæc repudiant, illud dulciſſimum Oris ſui verbum millies repetit, VENITE, nam ſi moroſi tunc cunctatores differunt, ſi negligunt, ſi faſtidiunt

illa

Illa Divorum convivia, præ terrenis hujus vitæ illecebris; ſi etiam injuriâ afficiunt invitantem, & quotidianis laceſſunt criminibus; nempe iraſcitur Numen, jamq; hoſtilia parat, & (quod graviſſimum eſt) cœleſti menſâ prohibet invitatos; poſthac cœnaturos apud ſtygem & inferos. Quò vt faciliùs deſcendant, ſcalas applicat dæmon; non iſtas materiales, quas olim idem ſeductor ſpiritus, obtulit novitio, vt clauſtri muros ſupergreſſus; reverteretur ad Ægyptium ſæculum. Sed alteras, quarum ſinguli gradus, ſunt ſingula deſperationum capita. Ita etiam evenire ſolet, vt nonnulli eorum, qui diu noluerunt DEO morem gerere, nec vnquam propoſuerunt reſipiſcere, extra mortis periculum; articulumque; tandem & multitudine peccatorum territi, & futuri judicij gravitate perculſi, & velut jam ſententiâ damnationis fulminati, per DESPERATIONEM in tartarum priùs deſcendant ſecundùm animam, quàm ſecundùm corpus veniant in fauces ſepulchri.

cœnatori ſunt apud inferos.

Dionyſ. Carthuſ. in opuſculis, parte 1.

Quò ut pervenire poſſint, dæmon applicat ſcalas, in quibus, ultimus gradus, eſt Deſperatio.

PARAGRAPHUS XII.

IUDICIUM AUCTORIS SEXTUM.

Accelerandam eſſe impio pœnitentiam, ad declinandum omne ſalutis periculum.

COmmunis multorum ſcopulus eſt, differe non differenda; ſed nuſquam vicinioris naufragij imminet diſcrimen, quàm cum in craſtinum, in perendinum, in futuram ætatem, ipſamq; adeo mortem extrahitur pœnitentia. Certè ſubtilis Scotus tenet eum hominē lethale ſcelus admittere, qui ex animo deliberato propoſuit non reſipiſcere, neq; ad Deum reverti, neq; commiſſa damnare peccata, atq; odio proſequi velle, niſi cum morien- I.

Scot. in 4. ſent.

Peccatum mortale eſt deliberato a-

 dum

nimo differre pœnitentiam in mortem, ex ſententia Scoti.

dum eſt. Quod quidem nihil aliud eſt, quàm ſummam animæ inferre injuriam, quando tota ejus ſalus magno exponitur periculo. non ſolùm, quia incertæ ſunt mortalium providentiæ, & dubij eventus rerum olim agendarum; temporis iniquitate, ſuccidentis frequenter conſiliorum ordinem; ſed verò etiam, quia tametſi concedatur ſpatium tandem pœnitendi, nunquam tamen difficilior eſt ſeria ac ſincera converſio, quàm vbi in malitia conſenuit homo, totumque cor flagitijs opplevit.

II.

Ierem. 17. 1.

Vnum idololatriæ ſcelus, inſcriptũ eſt ſuper latitudinẽ cordis Iuda ſtylo ferreo & vngue adamãtino.

Quid fiet cum multis multorum hominum, ſemper accreſcentibus ſceleribus.

Idololatriam (ſemper abominabile DEO crimen) cùm Ieremias Vates exprobrare Iudæis vellet, tanquam familiare ipſis malum: *peccatum* inquit *Iuda, ſcriptum eſt ſtylo ferreo, in vngue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum.* Vbi notandum venit, ſuperſtitionis illius idololatricæ turpiſſimum ſcelus, dici, non calamo deſcriptum, aut communi graphio, ſed ſtylo ferreo, & adamante duriſſimo; nec in charta exaratum, ſed inciſum in corde; neque in aliqua ejus parte, ſed ſuper totam latitudinem inſculptum, quaſi nihil cordis ſupereſſet immune, à tam fœdi piaculi ſtigmate. Idem fit, quando homo aſſueſcit vitijs, eaque novis ſemper incrementis auget velut in immenſum; tandem animo ejus omnia inſcribuntur dedecora; neque ampliùs ſtylo ferrato, ſed dente Vermiculi, conſcientiam rodentis; neque vlteriùs adamantis cuſpide, ſed cacodæmonis vngue; vt denique totum impij cor, divinæ majeſtatis oculis appareat ſtigmaticum, propriarumq; noxarum maculis, notiſq; deforme. Et quis non videt, abluendis illis animæ turpitudinibus, quamprimùm eſſe currendum ad fontes lacrymarum, ad balneum pœnitentiæ? ſed illius ſeriæ, quæ nuncium remittit aſſuetæ hactenus impietati; veteresque amaſias, malas voluptatum illecebras, generoſâ conſtantiâ repudiat.

III.

In Vitis PP. l. 6. libello 4. n. 13.

Apologus de meretricia fœmina, quæ tandem repudiatis amaſijs, fidem con-

Hujus tam ſinceræ pænitudinis ac reſipiſcentiæ, exactam velut ideam proponit Abbas Ioannes, vſus ſequenti apologo apud ſuos. Ajebat meretriciam fœminam, cum in vrbe quapiam venalem proſtituiſſet pudorem; multos (vt fit) habuiſſe emptores formæ ſuæ, & corporis; certantes inter ſe non tantùm pretio, ſed ferro etiam pro uſurpatione ſcorti. Supervenit aliquando tam fœdæ nundinationi, quin etiam infami pugnæ, Vir quidam ex Principum ſanguine; atque vt mulierculam eriperet vagæ Veneri, pactus eſt eam ſe conjugem habiturum, ſi parata eſſet alios omnes dimittere procos. Accepit illa conditionem, fidemque thori promiſit. Ita in aulam introducta eſt, non ampliùs commune

proſti-

proſtibulum, ſed Duci collocata vxor. Neque multò poſt occaſionem pulchram invenit, fidelitatis ſuæ demonſtrandæ erga maritum principem. Nam cùm veteres amaſij, inter nocturnas fortè latebras palatio ſubijſſent, & conſuetis ſibilis provocâſſent ad congreſſum, veterem meretriculam; nova jam nupta, non tantùm aures tunc ambas obſtruxit ſirenum blanditijs; ſed inſuper etiam domeſticas fores arctiùs clauſit, aditum prohibitura antiquis, non tamen honeſtis amatoribus. Neque in cortice duntaxat ſtetit Abbas Joannes, ſed nucleum propinavit, cùm hanc apologo explicationem adjecit. Vniverſas mortalium animas, jam quidem inde à baptiſmi lavacro, Chriſto terræ, cœliq́ue ſummo Principi, deſponſatas fuiſſe; ſed nonnunquam dividere amorem, affectuſq́ue ad alienos amaſios, datæque fidei oblviſci; cùm ſcilicet breves ſcelerum delicias ſequuntur, velut procante atq; invitante illecebroſâ voluptate. Si verò tandem humana mens, & vetita contemnat oblectamenta, & execretur admiſſa malè gaudia, & doleat quaſi de violata thori fidelitate, & cor impoſterum, ſenſuſq́ue occludat adverſus illicitos creaturarum nictus, nutus, ſibilos, invitationes; hoc denique ſignum eſſe factæ cum Deo reconciliationis, & veræ teſtimonium pœnitentiæ; quam vt improbi omnes maturent, præter ſanctiſſimam Numinis voluntatem, ipſa etiam ratio ſuadet, à congruis ſcripturæ exemplis ducta.

jugi principi ſervavit.

Declarat Animę, per vitia & peccata adulteratæ, redeundum eſſe ad fidem, Chriſto ſponſo in baptiſmo juratam.

Et quidem medio celeris pœnitentiæ.

IV.

Sunamitis illa, pia Eliſæi Prophetæ hoſpita, cùm exercitæ liberalitatis ſuæ præmium accepiſſet, hæredem maſculum; non diu fruita eſt tam inexpectato gaudio; mors enim filiolum adhuc in primo flore ſuccidit, & ſimul ingens vulnus matri fecit. Quæ vt malo vtrique medicum inveniret, Eliſæum in monte Carmeli ſupplex acceſſit. Neque moratus Vir Dei, ſervum Giezi accelerare jubet iter, & defuncto parvulo baculum ſuum, vitæ revocandæ inſtrumentum ſuperimponere. Atque vt ſciamus, quàm properari voluerit Eliſæus hoc reſuſcitationis opus, famulum Giezi totidem verbis admonuit. *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. ſi occurrerit tibi homo, non ſalutes eum; & ſi ſalutaverit te quiſpiam, non reſpondeas illi; & pones baculum meum ſuper faciem pueri.* Ergo Vates Eliſæus, tanta cum feſtinatione voluit corpoream vitam reddere mortuo adoleſcentulo, vt vetuerit curſum ſervi ſui, per ſalutationis prolixius verbum tardari; & æquum ſit animam inter gravia ſcelera exanimem relinquere? & nectere moras in ea reſuſcitanda ad vitam gratiæ? & non ſtatim prodigioſo Cru-

4. Reg. 4.

Eliſæus Propheta, vult ſubitò ad vitam reſuſcitari mortuum filium alienæ matris.

Et Impius, animam ſuam inter crimina examinem,

Digitized by Google

cunctatur revocare ad vitam gratiæ?

cis baculo, cadaveroſum velle ſpiritum contingere, omniaque ei Chriſti patientis merita applicare, per veram celeremque pœnitentiam? nimis ſibi infidus eſt, nimis crudelis, qui hîc cunctatur; præſertim cùm animæ ſpiritualis vita, longè potior ſit corporali.

V. Quâ nocte ſevera illa Numinis denunciatio, circa necem primogenitorum habuit effectum in Ægypto; magna acceleratio fuit, non tantùm Iſraëlitarum inde egredientium, ſed etiam egredientes vrgentium Ægyptiorum. Hiſtoriam ſic commemorat divina pagina. *Factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in ſolio ejus ſedebat, vſque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum jumentorum. Surrexitq; Pharao nocte, & omnes ſervi ejus, cunctaq; Ægyptus; & ortus eſt clamor magnus in Ægypto, neq; enim erat domus, in qua non jaceret mortuus. Vocatiſq; Pharao Moyſe & Aaron nocte, ait: ſurgite & egredimini à populo meo, vos & filij Iſraël.* Neque Rex ſolus celerem Judæis egreſſum imperavit, ſed ipſi quoque conſternati tanto malo ſubditi, caput ſuum ſecuti ſunt, affirmante vlterius ſacro codice; *vrgebant Ægyptij populum de terra exire velociter, dicentes, omnes moriemur.* Sed auget circumſtantiam quo Philo ſcribit, ſingulos Ægyptiorum laboráſſe pro feſtinando gentis Hebrææ abitu. *per ſe quiſque* ait, *certatim hortantur, vt propere è tota regione decederent, vel vnum diem horamúe differre, longum rati.* Itaque Ægyptij Iſraëlitas terrâ ſuâ continuò, properanter, celeriter expulerunt; quia eorundem præſentia ipſis fatalis fuit, nocuitque primogenitis. Et erit Chriſtianus, qui multis annis non dico ſerpentem, ſed quod omni ſerpente periculoſius eſt, lethale peccatum fovebit in ſinu ſuo, nec ſtatim excutiet per velocem animi deteſtantis pœnitudinem? certus inde timendam & animæ, & vitæ æternæ jacturam? O vtinam in hoc negotio, omnibus quoque impijs ad exemplum Ægyptiorum, vniùs diei, vniùs horulæ mora, longa videretur, & quamprimùm abrumpenda.

Exod. 12. à v. 29.

Ægyptij vrgent è terra ſua feſtinanter exire Iudæos, inviſum, noxiumq; ſibi populum.

Philo lib. 1. de vita Moyſis.

Et Chriſtianus in ſinu ſuo fovebit mortiferas culpas, nec excutiet per velocem pœnitudinem?

VI. Neque hîc prætereunda eſt Rahab fœmina, cui profuit in exploratores Joſue beneficam, piamque fuiſſe; non enim eos ſolùm liberali hoſpitio excepit, ſed etiam periculo vitæ exemit; detectis nempe illis inſidijs, quas Rex Jericho peregrinis ſtruxerat exitiabiles. Nec defuit ſervatis gratus animus; nam cùm ab ijs Rahab par beneficium peteret, nempe incolumitatem

Ioſue 2.21.

tem

tem ſibi ſuiſque, quando Joſue vrbem eſſet expugnaturus; ſpoponderunt fidem, nihilque domum ejus paſſuram hoſtilis violentiæ; ſi coccineum funem ex feneſtra ſuſpenderit, ſignum icti fœderis. Ita vix abierunt illi, & ſcripturâ teſte, Rahab *appendit funiculum coccineum in feneſtra.* non abſque ſingularis prudentiæ argumento, quòd nollet tunc modò, per purpuream reſtem ſignare domum ſuam, cùm jam Victor Joſue ingreſſurus eſſet Jericho. Sic enim ſapientiſſimè ratiocinata fuit. Ignoro quando hoſtium exercitus civitate potiturus ſit, poſtridiè an cras? ad ortum ſolis redeuntis, an hodie? fortaſſis ipsâ concubiâ noctis, quæ imminet. Quia igitur tunc cùm fiet irruptio, rebus vndique turbatis, aut oblivisci poſſum pactionis initæ cumexploratoribus, aut fortè ne ſuſpendere ampliùs funiculum queam, impedimenta intercurrent: ſatiûs eſt ſtatim id facere. nocere hæc celeritas non poteſt; dilatio & meæ, & meorum ſaluti obeſſe poteſt. quis autem non atrum condemnationis calculum in vrnam contra me mittat, ſi ſolâ ignaviâ me, meoſque perdidero?

Rahab prudenter ſtatim poſt ictû fœdus cum exploratoribus Ioſue, ſuſpendit è feneſtra funiculû purpureum, ſignum ſuæ, ſuorumque vitæ ſervandæ.

VII.

Atque hæc debet eſſe Philoſophia omnium graviter peccantium hominum, cùm neſciant quando vitæ ſuæ hoſtis mors, superventura ſit, quo anno, menſe, die, horâ, momento; ſtatim ſcilicet feſtinare poſt ſcelus ad pœnitentiam, eamque velut in Chriſti merita tinctum, atque de ejuſdem ſanguine purpuratum funem, proponere Deo ad clementiam flectendo. Summa ſapientia eſt, ſtatim ſe irato Numini reconciliare, & incertæ mortis evadere periculoſam aleam, velociter pœnitendo. Doctiſſimè Seneca ad Lucilium ait. *Stat quidem terminus nobis, vbi illum inexorabilis fatorum neceſſitas fixit. Sed nemo ſcit noſtrum, quàm prope verſetur terminus. Sic itaque formemus animum, tanquam ad extrema ventum ſit: nihil differamus, quotidie cum vita paria faciamus. Maximum vitæ vitium eſt, quòd imperfecta ſemper eſt, quòd in aliud ex alio differtur. Qui quotidie vitæ ſuæ ſummam manum impoſuit, non indiget tempore.* Et paululùm infra ſic thema ſuum proſequitur Seneca: *Ideo mi Lucili, propera vivere, & ſingulos dies, ſingulas vitas puta. Qui hoc modo ſe aptabit, cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt. In ſpe viventibus, proximum quodque tempus elabitur, ſubitq́; aviditas temporis, & miſerrimus, atque miſerrima omnia efficiens, metus mortis.* Sed nihil triſtiùs, diriùs graviuſque accidere poteſt homini, quàm cùm eum ſemper formidata mors, repentino impetu occupat inter ſcelera, & imparatum atque imprudentem, jubet mutare ſtationem mortalem cum immor-

Qui ſervandæ Animæ, differt pœnitentiam, imprudens eſt.

Seneca l. 17 epiſt. 102.

Singuli dies, ſingulæ vitæ hominum putandæ ſunt.

Præſertim cùm mors incerta veniat, ad quam

tamen omnes collineamus.

mortali. Certè rari admodum ſunt prodromi, qui morituris adproperantia fata prænuncient.

VIII.

Deſcribitur nobile ingenioſæ jaculationis certamen, Pragæ inſtitutum anno 1585.

Deſcribam hîc ingenioſum jaculationis certamen, quod inſtitutum fuit Pragæ, anno à Virginis partu, milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo quinto; quando ibidem Rudolphus II. Imperator, cum Archiduce Erneſto, & Carolo Marchione, Vellus aureum accepit ab Archiduce Ferdinando. Igitur eques ex ligno affabre ſculptus, omniq́ue armorum apparatu bellè inſtructus, pro ſcopo ſtetit. hac lege, vt qui criſtatum ejus pileum tetigiſſet, qui cataphractam, ſeu militarem thoracem, qui gladium, qui ephippium, qui ſclopos ei appendulos; ſimilia equeſtris dignitatis ornamenta inſtrumentaq́ue, ab arte & pretio ſpectabilia, in præmium auferret. Altera lex erat, vt quiſque jaculator, cùm expeditus fuit ad jactum, ſignum ipſe daret per æs campanum, ex funiculo attractum, ſtatimq́ue artificioſa Equitis machina, velut ad annulum in haſtiludio iret, cœpit velociter procurrere. Indonati abierunt, qui tum incurſu tranſeuntem non læſerunt. Reliquis illud muneris loco, laudiſq́ue datum fuit, quod felicibus globis aſſecuti ſunt in fictitio apparatu. Et quidem Rudolpho Cæſari, gladius cum pugione aureus ceſſit; Marchioni Carolo cataphracta artificioſo opere elaborata; Domino cuidam à Stubenberg, prædicti Marchionis Camerario, Equus generoſo ſeſſore digniſſimus; Chriſtophoro Silenzky nobili Bohemo, Ephippium rubro holoſerico inſtratum; denique par ſcloporum ei, qui totius jaculationis ſeriem, ipſamq́ue collati Velleris aurei, feſtivam ſolennitatem curavit æri incidi. ſolus pileus, plumarum ſtructurâ dives inter præmia non venit; quia ligneus Eques intactum caput ſervavit.

Paulus Zehentner à Zehētgrub.

IX.

Quiſquis ſupremum diem bene claudit, vltimo velut jactu punctum ferit, & corollã aufert.

Et quid aliud nos mortales hoc Orbe agimus, quàm ad vnam, eandemq́ue æternæ beatitudinis metam collineare? eam vt conſequamur, nimirum ſtare oportet vigiles; & dum in curſu ſuo humana prætervolat vita, omni equite celeriùs, ſemper ad ſcopum, eſſe intentos; præſertim verò, quando jam illa ad finem incipit decurrere. Quiſquis piè diem clauſerit extremum, vltimo velut jactu punctum ferit, & corollam aufert. Nemo tamen hîc impius, ſonum æris campani expectet, quo moneatur ad præmittendam morti pœnitentiam; pauculis conceduntur ſimilia appropinquantium fatorum indicia. Memorat Vairus, *in Celtiberia oppido Vililla, campanam eſſe, quam vocant incolæ CAMPANAM MIRACVLORVM. hanc per aliquot menſes, priuſquam Reſpub: Chriſtiana aliquid adverſi patiatur, ex*

Vairus l. 2. de faſcino cap. 14.

Campana miraculo-

ſe ipſa,

ſe ipſa, nemine pulſante ſonare ſolitam; cuius rei (ſic ipſe fatetur) *teſtimonium per publicos tabelliones, hiſce oculis egomet legi; præter fidem, quam de eadem re, illius Regni Proreges faciebant ſuis literis.*

ſa, & futuri infortunij præſaga.

X.

Vicinius propoſito eſt illud, quod Gobelinus narrat, in monaſterio Bodkenſi, extructo à B. Meinulpho, miraculo olim quaſi ordinario contigiſſe. *Tintinabulum* inquit, *quoddam magnum æneum, bene ſonorum, in eodem monaſterio reverenter aſſervatur. nam quoties aliqua ex eius monaſterij ſororibus, brevi erat abitura è vita, abſq. vllo humano miniſterio, per ſe, fortem reddebat ſonum.* Atque vt vetera recentioribus illuſtrem; novi ego Imperij Principem, qui cum lenta diu teneretur ægritudine; tandem horologiolum (quale ad collum ſuſpendi ſolet) fortiùs audijt inſonare, & repetitis identidem vicibus, neſcio quid loqui velle. Igitur, quia moleſtiam creavit ægro frequentior pulſus, juſſit Princeps ſilentiũ imponi garrulo inſtrumento, ratus errore rotularum, aut ponderis malè librati vitio, hunc ſtrepitum crebriùs excitari. Et quanquam qui à cubiculis erant, diligentiſſimè per omnes angulos horologium quærerent, nullum tamen uſquam toto muſæo repererunt. Vnde conjecturam fecit Princeps, aliud myſterium ſub illa ſæpius continuata pulſatione latere; nempe horulam vitæ ſuæ vltimam, in proximo ſibi effluxuram. Itaque cùm diſpoſuiſſet domui ſuæ & animæ, paulò poſt expertus eſt, ſe verum fuiſſe mortis ſuæ vatem, ex indicio horologij. Sed quemadmodum ſupra dixi, hæc non omnibus contingunt hominibus, prænuncia futuri obitûs ſigna; non omnibus campanæ ſonant aut horologia, proditura ſupremum imminentium jam fatorum diem; pauciſſimis conceduntur hæc ſingulariſſimi favoris à DEO privilegia. vt ſecuriſſimè faciant improbi, accelerando potiùs reſipiſcentiam, quàm prorogando; ne cunctantes, & nihil adhuc pro ſalute ſua agentes, obruantur inprovidi à morte.

Gobelinus in Vita B. Meinulphi 5. Oct. Delrio diſq. l. 4. c. 3. q. 2.

Campana altera, mortis prænuncia.

Horologiũ nuſquam repertum, & tamen ſonans, Principi ægroto diẽ dicit.

Etiam tacentibus campanis & horologijs, debet ſe impius ad piam mortẽ parare, per velocẽ pœnitentiam.

XI.

Et tamen non omnes capiunt hoc verbum; hodieq; ſuper aliquo impiorum numero illud DEVS queritur, non ſine quodam amaritudinis velut ſenſu: *Attendi & auſcultavi; nemo quod bonum eſt loquitur; nullus eſt qui agat pænitentiam ſuper peccato ſuo, dicens? quid feci? omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Vt enim hic ad belli ſignum, tubas & claſſicum geſtit, exilit, procurrit, totoque impetu in pugnam exardeſcit, contemptis omnibus vitæ periculis. Sic quibus in animo altè inſedit propoſitum peccandi, vt votorum ſuorum

Quod verbum non omnes capiunt.

Ierem. 8. 6.

Secuti veterum cõſuetudinẽ

voluptatum.

compotes fiant, etiam animæ diſcrimina negligunt, ſecuti plerumque veterum conſuetudinem voluptatum. atque vt S. Ambroſius ait de quibuſdam, *luxuriem corporis nec albenti erubuêre canitie, vſque ad ſenectutis ætatem, viam produxêre maculoſam.*

S. Ambroſ. ſuper Pſ. 1.

XXII.

Quin etiam nonnulli hîc gloriam aucupantur, ſi poſſint poſt delicioſa flagitia, tandem pati acerba ſupplicia; imitati quoſdam Gentiles, notatos à Tertulliano, quod propter immoderatam conciliandi nominis ac laudis appetentiam, dura, & aſpera, & gravia perpeti amaverint. *Omnia* inquit Tertullianus, *ſævitia & cruciatûs certamina, jam apud homines affectatio quoque, & morbus quidam animi conculcavit. Quot otioſos affectatio armorum ad gladium locat? certè ad feras ipſas affectione deſcendunt, & de morſibus, & de cicatricibus formoſiores ſibi videntur. Iam & ad ignes ſe auctoraverunt, vt certum ſpatium in tunica ardente conficerent.* Eò vſque nimirum crevit inſanientium libido, vt certarent tormentorum atrocitate; quis ſine gemitu aut generoſiùs dentem ferret beſtiæ; aut ferrum adverſarij profundiùs, fortiùſque in amphitheatro reciperet, aut diutius patientiùſque ſtaret vſtulatus inter lentas piceatarum veſtium flammas. Sed longè præ iſtis furunt ij hodie ex Chriſtianis profligatiſſimi mortales, quibus jocus eſt voluptaſque deſcendere ad tartari cruciamenta, & nunquam extinguenda inferorum incendia. Sic enim nonnulli auditi ſunt dicere; modò nunc liceat genio indulgere, ſervire ventri ac cuticulæ, vacare Baccho & Veneri: denique implere cupiditates & vota ſua, poſtea libentiſſimè ituros ad Orcum, quaſi voluntarias ſtygi victimas.

Tertullianus.

Et ſicut aliqui propter gloriam, adeunt ſupplicia & tormenta.

Sic alij propter illecebras peccatorũ, non detrectant inferorum incendia.

XIII.

Cæterùm multò plures ſunt improborum, quibus ad ſolum inferni nomen, & cor ſaliat præ metu, & artus contremiſcant, & facies expalleſcat, & pili in horrorem conſurgant, & per omnia corporis membra gelidus ſudor fluat. Neque tamen, ut æterna illa exeant mala, aut peccata cavent mortifera; aut lethales voluptates; imò etiam culpas ſuas ampliùs augent; quia pœnitentiæ remedium, ſemper magis magiſque differunt in longum, continuis procraſtinationibus pium Numen contra ſe ipſos irritaturi. Itaq; non rarò expugnatus alienâ impietate DEVS, ibi plectit hominem, vbi maximè peccavit; negando illi vel craſtinum, vel ſenium, longæque ætatis terminos, quos pœnitentiæ ſuæ præfixit, cùm jam aut ſatur fuerit voluptatum, aut veteres delicias impotens

Pœnitentiæ improbus procraſtinator, ſæpe ibi à Deo plectitur, vbi peccavit.

natura.

Digitized by Google

natura. Ejus rei imaginem aliquam poſſum conſiderare in Abner, fortiſſimo atque exercitatiſſimo milite; quem cum fugitivum in prælio perſequeretur Aſael, quidam *velociſſimus curſor*, vt Scriptura ait, *& quaſi vnus de capreis, quæ morantur in ſilvis*; neque deſiſteret vrgere, etiam bis amicè monitus, rogatuſque ab Abner, *recede, noli me ſequi, ne compellar confodere te in terram.* tandem aversâ Abneri haſtâ, in medio curſu percuſſus, confoſſuſque eſt. Hoc denique præmij tulit pertinaciæ ſuæ, nocuit contempſiſſe monentem, precantem, minantem. Sicut Aſael de pertinacia reus. 2. Reg. 2. 9.

XIV. Et nunquid cùm perverſus homuncio, vilis terræ filius & vermiculus, hoſtili velut animo perſequitur DEVM, idem ex cœlo dehortatur, ne faciat nefanda? minatur ſi accedere perrexerit, rogat, vt à propoſito deſiſtat? vitia ſua, velut inimica deponat arma? iterumque ſecum redeat in gratiam? Quod ſi perſeverat eſſe impius, & quotidianis ſcelerum injurijs, ſupremum impetere Numen; ab eodem nonnunquam mortis lancea contorquetur in protervum; vt præter opinionem, ſubitò hinc neceſſe ſit efferri à Libitina. multis obfuit iteratis vicibus laceſſiviſſe divinam bonitatem, neque ad emendationem admiſiſſe pias eius preces, ſerias comminationes, ſevera monita, ſæpius cordi illapſa. multi tarditatem reſipiſcendi, accelerata morte luerunt, ut nondum collectis bene vaſis, & compoſitis domi rebus; nondum expiatâ mente per ſacramentorum myſteria, toti adhuc immundi, toti in ſordibus, toti in criminibus, divino ſe tribunali cogerentur ſiſtere, ad ſententiam condemnationis ſuæ audiendam. diſtuliſſe his pœnitentiam, perijſſe fuit; conſequente juſtâ DEI pœnâ ad antecedentem voluntariæ malitiæ culpam. qui præſens tempus pœnitendi excludit, futurum non meretur; ut ſi iſtud cunctanti ſubtrahatur, nullam jure habeat conquerendi materiam, niſi de propria ſocordia. Qui præſens tempus pœnitentiæ excludit, futurũ non meretur.

XV. Si verò etiam (vt frequens eſt optimi Numinis liberalitas) concedatur impio, quam faciendæ olim pœnitentiæ deſtinavit, longa ætas, lentaque mors; non tamen protinus confectum habet ſalutis negotium. Nullum periculoſius eſt certamen, atq; illud, quod fit pro ſumma rei ab imperato, & inexercitato milite; præſertim cùm hoſtis & viribus pollet, & ſtratagemata novit. Sanè Alexander Macedo (quem virtus ſua & fœlicitas Magnum fecit) cùm vidiſſet quendã in exercitu, arma eo tempore præparantẽ, quo jam prælium inſtabat; heus inquit, recede à legionibus meis. Si tamen etiam immerenti, Deus tandẽ concedit ſpatium reſipiſcendi, non ideo confectum eſt ſtatim ſalutis negotium. Imparatus mi-

let, qui periculosè confligit.

non enim bonus poteſt eſſe miles, qui non paratus ad pugnam venit: qui tunc modò vult gladio ferrugineum detergere, acuere haſtam, ferrum ſagittæ præfigere, nervo inducere arcum, quando jam confligendum eſt, atque omni ex parte hoſtis feriendus. Et quid nos aliud ſumus Chriſtiani, quàm milites ſuccenturiati ſub imperatore Chriſto, cùm in ſacro baptiſmatis fonte Crucem, ſalutis teſſeram accepimus? præcipuus omnibus ſupereſt conflictus ille, quo ſub mortem pro cœlo pugnandum erit, adversùs omnem Orci potentiam, verſutiamq;. Væ illi, qui ad hunc congreſſum nec exercitatus venerit, nec paratus; hoc eſt, qui ſuperiori vitâ, ſemper victas manus dedit tentationibus, neque virtutis aliquando exercitium admiſit, neq; flagitia vnquam excluſit, per conſtantis animi fortitudinem. Velle autem ſeriò ad frugem redire, ſibique Deum placare, per ſincerum de peccatis dolorem, tum modò, quando jam proxima mors inſtat; eſt arma parare, cùm jam prælium vrget; vt facillimum ſit cacodæmoni, mille artibus, mille ſtratagematis inſtructo, talem ſemper antea inertem, ac turpiter otioſum, vltimâ pugnâ debellare, totâq; ſpoliare beatorum æternitate. Tantùm nocet improbis mortalibus, accelerandam pœnitentiam continuò procraſtinare, vt eam ſupremo quoque moriendi tempore, vel aliquando penitus negligant, vel perficiant vitiosè; non ſine totius ſtygis effuſo riſu, & ſuperventura pereuntium confuſione.

Chriſtianus totâ vitâ perverſus, quomodo iam moriturus pugnabit pro cœlo?

Impœnitẽtes impios olim confuſio ſequetur.

XVI.

Matth. 12. 41.

Nam iſtiuſmodi maximè homines ignavos ferit illa Chriſti in Evangelio pronunciatio: *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio, cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* Nempe quando hic ex mandato DEI, vlciſci volentis publicam gentis impietatem, ingreſſus Niniven civitatem magnam, vaticinari ejus cœpit interitum, magniſq; vociferationibus iſtud lugubre intonare carmen: *adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.* Tunc igitur (quod divina cõmemorat ſcriptura) *crediderunt viri Ninivitæ in DEUM, & prædicaverunt iejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſq; ad minorem. Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.* Quin etiam præco miſſus eſt, qui voce ſtentoreâ, hæc pro foro clamaret, velut ex ore Regis ac Principum ejus: *Homines, & iumenta, & boves, & pecora, non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant. Et operiantur ſaccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir a via ſua*

Etiam occaſione Ninivitarum, pœnitentiã in prædicatione Ionę.

Iona 3. à v. 4.

non

ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit ſi convertatur, & ignoſcat DEVS, & revertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus?

XVII. Rarum igitur fuerit, eodem tempore, ejuſdem pœnitentiæ neceſſitate, vidiſſe conſtringi homines & pecora, ſontes atque inſontes, adultos & lactentes. Rarum etiam fuerit ſimul audiſſe, diverſorum confuſas voces, quas aut fames ſitiſque extorſit; aut metus futuri mali; mugitus boum, latratus canum, vagitus infantium, vlulatus mulierum, virorum clamores. Rarum quoque fuerit, divites cum egenis, nobiles cum plebeis, ſapientes cum ignorantibus, maximos cum minimis, ſummos cum imis, ſenatum cum civibus, principes Regemque cum ſubditis, ſpectâſſe proſtratos ſuper pavimentum; & ſupplici prece à Deo flagitantes miſericordiam. Omnibus tum lacrymæ erant præ balſamo, cinis præ ſaccaro, ſaccus præ oſtro, funis ſparteus præ zona aurea. pulvinaria quoque gauſapina, & molles lectuli, migrabant in duram humum; cytharæ, lyræque tranſibant in lamenta ac ſuſpiria; cibi & epulæ in longa jejunia. Itaque per hanc tam ſeriam, tam & plenam ſeveritate pœnitentiam, quod Divus Hieronymus affirmat: *Verè Ninive ſubverſa fuit, & alia recens ædificata; flagitioſa Ninive deleta eſt, & honeſtà conſtructa.* Atque hinc naſcetur ijs Chriſtianis ingentis pudoris occaſio, quibus dum vixerunt, nulla fuit pœnitendi cura, ſuper maximè pœnitendis ſceleribus. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio, cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ*; cùm iſti nec nomen quidem ejus, æquis auribus accipere voluerint, nedum pondus ſuſtinere.

Singularis & rara, admodum fuit Ninivitarum pœnitentia.

S. Hieron. ad cit. loc. Jonæ.

XVIII. Eſt verò etiam in pœnitentibus Ninivitis, præcipuè obſervandum feſtinandæ converſionis exemplum. Nam poſtquam Jonas, triſtiſſimus Numinis Vates, magna cum vocis contentione proclamâſſet, *adhuc quadraginta dies* ſupereſſe ruituræ vrbi; nemo vnus auditus eſt ſic concludere: Ergo poſſumus interea ipſis diebus triginta novẽ conſuetis vacare cupiditatibus, & vivere genialiter, & abſq; curis lætos extrahere ſoles; tum denique ituri ad DEVM propitiandum, cùm lux fatorum ſuprema in vicino fuerit. Nimirum in re tanti ponderis, & poſt denunciationem tam gravem, noluit aut populus, aut Rex ipſe moram interponere; ſed ſtatim per ſinceræ converſionis manifeſtiſſima teſtimonia, iratum placare Numen, atque ad clementiam flectere ſupplicibus votis, affirmante Scripturâ: *pervenit verbum ad Regem Ninive, & ſurrexit de ſolio ſuo, & ab-*

Quin & prudentiſſimè feſtinata.

Ad Regis exemplũ,

ſeriamque adhortationem. *& abjecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.* Quin etiam per præcones publicos, ad paria pœnitentiæ ſtudia, invitavit cujuſcunque fuiſſent conditionis, ſubditos ſuos, illud quaſi Joelis Prophetæ vſurpans; *Canite tubâ, ſanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate eccleſiam, coadunate ſenes, congregate parvulos, & ſugentes vbera, egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo. Inter veſtibulum & altare, plorabunt ſacerdotes, miniſtri Domini, & dicent: parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium.* Sanè omnis ſexûs, ſtatûs, ætatis homines, cum brutis pecoribus, quamprimùm commune exitium vrbi Ninive denunciatum fuit, prodierunt armati fame, ſiti, inediâ, ſqualore, ſacco, fletu, ſuſpirijs, clamore, denique pœnitentiâ; pulcherrimis, potentiſſimiſque machinis ad everberandum DEI iratí pectus.

Ioel. 2. 15.

XIX. Neq; hodie fere aliud ex pulpitis inculcatur Improbis, quàm pœnitentia.

Atque hinc nova iterum emerget pudendi cauſa, apud eos impios, quibus ſæpius ſuaſa fuit, & nunquam perſuaſa pœnitentia. Nam Deum immortalem! quid crebriùs ex omnibus auditur pulpitis, quid à Chriſtianis Oratoribus frequentiùs repetitur, quid fortiùs declamatur pro roſtris, atque illud: *pœnitentiam agite: facite fructus dignos pœnitentiæ. ſi pœnitentiam non egeritis, ſimul omnes peribitis?* Auſim dicere, tot Baptiſtæ hodie inculcant perverſiſſimis mortalibus, maturandam vitæ, morumque emendationem; tot Jonæ minantur obſtinatis atque impœnitentibus divinas vltiones; quot in Eccleſia orthodoxa cathedras terunt, Numine pleni, & ſanctiſſimo zelo Eccleſiaſtæ. Nolle autem poſt tot calcaria incitari ad virtutis pietatiſq; curſum; nolle poſt tot ſtimulos, accelerare ſeriū dolorem ac deteſtationem de commiſſis flagitijs; imò velle etiam recalcitrare, & velut ex deſtinata induſtria, vlteriùs ſemper, longiùſque reſipiſcentiam differre, ignominioſiſſimam illam meretur confuſionem, de qua Chriſtus enunciavit: *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in pædicatione Ionæ.* Et quidem velocem, feſtinatam; & quidem Gentiles nuper, Idolorum hactenus ſervi, veri Numinis ignorantes, inter mille falſarum ſuperſtitionum errores educati. Igitur juſtiſſimè condemnabunt eos ante Dei tribunal, qui Chriſtianâ fide, ſacriſque imbuti, cùm frequentiſſimas audijſſent adhortationes, de properanda neque proroganda pœnitentia, ignaviſſimè diſſimularunt; donec inter ſcelera ſua impœnitentes elati ſunt, atque tumulati.

Math. 3. 2. Luc. 3. 8. & c. 13. 6.

Quotquot eam excutiunt, condemnabūtur à Ninivitis.

Sed

Sed non omnis iſtorum punitio, ſtabit in ſolo turpis erubeſcentiæ probro; creſcet malum ex tormentis inferorum; qualia demum experta eſt infamis illa mulier, de qua ſub nomine Jezabel, conteſtatus eſt Deus: *Et dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua. Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint.* Vbi notant Doctores, hanc Jezabelem fuiſſe nobilem aliquam, & potentem fœminam, quæ ſub ſchemate Vatis & Propheteiſſæ, ſectam Nicolaitarum propagavit; docendo licere fornicari, neque peccatum incurrere eum hominem, qui vagum admiſerit concubitum, cùm adhuc matrimonio ſolutus eſt. habetque etiam hodie iſta hæreſis ſubinde apud quoſdam ſuum plauſum, tametſi damnata jam olim divino fuerit calculo; vt cùm loco citato DEVS ait; tempus ſe conceſſiſſe impiæ illi Jezabeli ad pœnitendum. nolle autem turpiſſimum ſcortum reſilire à turpitudine Veneris, quam non tantùm docuit alios, ſed exercuit quoque: ideo luituram eo loco, vbi voluptatibus malis indulſit, nempe in lecto paſſuram graviſſimas corporis ægritudines. inde ituram ad ſtratum aliud, in quo ſcilicet damnati cubant, puta Gehennam. ſic enim aliqui interpretantur verba illa: *ecce mittam eam in lectum.* Et ne ſola involvatur tam acerbâ fortunâ, etiam in ſocietatem pœnarum venturos, ſceleris ſocios; niſi fœdus amoris impuri abruperint, & cum vero mentis propoſito, correxerint fornicarios congreſſus.

XX.

Apoc. 2. 21. & 22.

Jezabel impura mulier, tempus ſibi à Deo conceſſum ad pœnitentiam, non applicavit.

Ideo miſſa eſt in lectū doloris æterni.

Apud Cornel. hic.

Quoties optimus DEVS, inter bonos genios medius in cœlis conſidens, velut intento digito ſignat impium aliquem, & condolenti ſimilis affirmat: *dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua!* neque ab adulterijs, inceſtu, libidine præpoſtera, & ipſi naturæ abominabili Venere; neque à furtis, rapinis, vſura, malis fraudibus; neq; à gulæ intemperantia, linguæ blaſphemia, animi malevolentia, vindictæ affectu; neque à veneficiorum vſu, vetitis magiæ artibus, ipſiuſque dœmonis nocentiſſima familiaritate. Et quid aliud ſupereſt homini ejuſmodi, ſi hinc exceſſerit non emendatus, non reconciliatus Deo ſuo, non pœnitens facti, quàm lectus ille fatalis, lectus ferreus, lectus ſtygio ſucceenſus igne, ſtratum miſerabile, porrectum in dolorum æternitatem; vnde nemo vnquam conſurget, illuc condemnatus? vbi nemo aliud cantabit præter duo ſuſpiria, Ah! & O! vnum idemque continuò ſuæ infelicitatis argumentum?

XXI.

In eundem lectum paſſim ij conjiciuntur, qui tempus pro pœnitentia datum, malitiosè diſſimulant.

De

Digitized by Google

XXII. De fœmina illa Jezabele, quam ſupra diximus, infame proſtibulum fuiſſe, & proſtibulorum ſiue matrem, ſive propagatricem: tanquam ad inferos miſſa, propter impœnitentiam, D. Ambroſius ſic loquitur: *Hæc mulier cùm eſſet in peccatis, & deberet flere, gaudebat; & veſte purpureâ atque coccineâ operiebatur, & auro ſe multo, & pretioſis lapidibus ornabat, nunc æterni fletûs luget ærumnam.* Credo etiam, ſi Deus illi nunc concederet aliquid ejus temporis, quod olim peſſimè contrivit, aut parando muliebris mundi apparatu, pigmentis, ſtybio, ceruſsâ; aut comparandis voluptatum illecebris, illicijſque non caſti amoris; jam longè meliùs collocatura eſſet horas ſingulas, imò & momenta; mutatura quoque togam byſſinam cum veſte cilicina, calamiſtrum cum capiſtro, lectum cum humo, gulam cum inedia, riſum cum fletu, muſicam cum luctu, forum cum ſolitudine; nempe vt his medijs modiſque expiaret, nondum hactenus expiata ſua probra. Sed fruſtra eſt, neque illi, neque alijs improbis, ex hoc orbe ſine vera pœnitudine egreſſis, datur ſecundùm communem Dei legem, vel vniûs horulæ particula; aut ſi quid minus eſt, punctulum; pro compenſanda ſuperiori ignavia: expirante cum vita hominis, etiam miſericordiâ Numinis, & tranſeunte in juſtitiæ rigorem.

D. Ambroſ. l. 2. de pænit. c. 10.

Amplexuri obvijs eam brachijs alterâ vitâ, ſi poſſent.

Sed in morte hominis, trãſit miſericordia Dei in rigorem juſtitiæ.

XXIII. Ejus me ſubmonet aſpectus ille, qui Ioanni Apoſtolo Pathmum incolenti, atque extra ſe abeunti, oblatus eſt hac, quâ ipſe deſcribit ſpecie. *Fui in ſpiritu, & ecce, ſedes poſita erat in cœlis, & ſupra ſedem ſedens, & iris erat in circuitu ſedis.* Igitur divina Majeſtas ita ſe ſpectandam dedit oculo ſervi, vt tamen ejus regale ſolium vndique ambiret cœleſtis arcus, & mille coloribus pulcherrimè diſtinctus. Neque ſine myſterio; cùm enim Iris jam olim fuerit Noëmo, ejuſque poſteris, in ſignum pacis ac miſericordiæ, ex nube ſuſpenſa à Deo humanæ genti reconciliato: Iris in circuitu ejus ſedentis rectiſſimè ſignificat, etiam hodie ſupremi Numinis clementiam extendi ad mortales, quantumvis ſceleſtos; ſed duntaxat, dum hanc vitam vivunt; nam alteram illam ingreſſuros Juſtitia excipiet, omnia ad libellam rigidiſſimæ æquitatis examinatura. Itaque ſicut Iris non eſt circulus integer & perfectus, totam in ſe complectens terram; ſed tantùm ſemicirculus, qui in noſtro horizonte ac hemiſpherio terminatur; talis eſt conditio divinæ miſericordiæ erga impios. Nam tametſi Deus, quamdiu peccator vivit, paratus ſemper eſt delinquentis miſereri; tamen hæc illius miſeratio, ſe non protendit ad orbem alterum, in quo ſuccedet jus ſeverum,

Apoc. 4. 1.

Significatur hoc per Iridẽ, quæ Ioanni viſa eſt in ſolio ſedentem Deum ambire.

Sicut Iris tantùm ſemicirculũ facit:

Sic miſericordia divina, cujus ſymbolum eſt Iris, ſe potiſſimũ ad hãc extẽdit vitã.

rum, antecedenti indulgentiæ; eo ordine, quem David inſinuavit, cùm dixit: *miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* *Pſal. 100. 1.*

XXIV.

Vbi D. Auguſtinus prudenter animadvertit iſtud: *ſi temporibus diſtinguamus hæc duo, Miſericordiam ſcilicet & Judicium; fortè non ſine cauſa tali ordine poſita ſunt, vt non diceret, Iudicium & Miſericordiam, ſed Miſericordiam & Iudicium. Si ergo per tempora diſtinguamus hæc duo, fortè inveniemus nunc tempus eſſe miſericordiæ; futurum autem tempus judicij. Eſt ergo miſericordiæ tempus, quando patientia Dei ad pœnitentiam adducit peccantes.* Deniq; hunc ſtimulum ſubjungit Auguſtinus. *Ergo fratres quoniam habemus tempus miſericordiæ, non nobis blandiamur, non nos dimittamus, non dicamus: ſemper parcit* DEVS. *Ecce peccavi heri, & pepercit* DEVS. *Pecco & hodie, & parcit Deus. Peccabo & cras, quia parcit* DEVS. *attendis ad miſericordiam, & non times judicium.* DEVS *ideo parcit, ut te corrigas, non vt permaneas in peccato.* Neque ſufficit velle pœnitere de commiſſis criminibus, & promittere frugem; ſed aliquando, ſed olim, ſed tandem; nam de his lentis atque emedullatis deſiderijs, verè dicere poſſum cum ſapiente: *deſideria occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus eius operari; totâ die concupiſcit & deſiderat.*

S. Auguſt. ſuper Pſal. 100.

Ordo eſt inter clementiam & ſeveritatem Dei, in hoc alteroq; mũdo.

Peccator non ſolùm attendere debet ad miſericordiã Numinis, ſed etiam judicium & juſtitiam.

Prov. 21. 25. & 26.

XXV.

Quæ verba ſic commodiſſimè explicari poſſunt, vt homo piger, qui per ſummum inertiæ ſcelus, divinas inſpirationes, ſanctaque virtutum ac reſipiſcentiæ injecta deſideria non exequitur, juſto DEI judicio permittatur labi in graves noxas, animæque interitum. Ita aliquando fit, cùm tota quaſi vita impius aliquis, non tantùm ſperat, ſed etiam deſiderat piam ac fœlicem mortem; quia nunquam manus admovet operi, etiam deniq; moriens concupiſcat; neque tamen vltra deſiderium ſe porrigat voluntas, ad ipſam mediorum applicationem, præſertim celeris pœnitentiæ compendium. Tum autem, quid adeo mirum fuerit, ſi perpetuus cunctator, & moroſus quotidianæ emendationis procraſtinator, quando extra hunc mundum poſt obitum fuerit collocatus, novis, ſed fatuis, & inanibus deſiderijs plectatur? ſimilis Tantalo, cujus concupiſcentia ad imminentia poma hiantis, nunquam exſatiatur.

Cornel. hic

Non ſatis eſt, ſi ſtat pœnitentia intra ſolũ impij deſiderium.

XXVI.

Fœneratorem ajunt fuiſſe, hominem magis pecuniæ alienæ, quàm ſalutis ſuæ cupidum. Hujus, vt ſplendidè prodigus appareret, duplici viâ effecit, & perſeverando impietatem, & differendo melioris vitæ initia. Nam quoties ſanum, valentemq; adhortatus eſt ſacerdos, vt ad certum ac ſecurum ſe pœnitentiæ reciperet aſylum ſemper cum faſtidientis quadam ſtomachi nauſea regeſſit;

Ioannes Algrinus Epiſcp. & Card. in

Digitized by Google

ſpec. Exēpl. 5. pœnit. exemp.

huic negotio ſuum adhuc ſupereſſe tempus, nondum ſupremum ſibi diem illuxiſſe, neque ſolem in proximo minari occaſum vltimum. Paulatim tamen (ut fit apud mortales, quibus nulla eſt ſemper conſtans ſanitas) adrepſit non ſuſpecta, & lethalis ægritudo, aditumq; ſtravit ſecuturæ morti. Iamque iterum monetur à Sacerdote æger, periculum ne contemnere velit, hoc ſaltem comprehenſus rerum articulo, pœniteret ſcelerum, perque vſurpata Eccleſiæ ſacramenta, laboraret pro impetranda Numinis gratia. Sed & ille rurſus cantilenam ſuam cantare, & conſuetum illud repetere cœpit, nondum omnes effluxiſſe horas dieſque; amplexaturum ſe pœnitentiam, quo tempore opportuniſſimum videbitur; jam moleſtus eſſe deſineret malè habenti, neque augeret morbum difficillimi operis memoriâ. Tandem cùm ſenſim & invaletudo accreſceret, & fata propiùs accederent, & fortiùs inſtaret ſacerdos, ſubitò ille magnis vocibus lamentabiliter inclamavit: *ô pœnitentia vbi es? de cætero pœnitere non valeo; hoc judicante juſto Iudice; quia dum facere pœnitentiam potui, non volui.* Ita infeliciſſimus ſine reſipiſcentia, & teſtimonio dolentis animi ſuper peccatis, ivit ad plures ſibi ſimiles, apud inferos impœnitentes. Non quod ei verè DEVS negaverit, omnē pœnitendi gratiam; ſed quia Ludificator dæmon ita ei perſuaſit, vſus mendacio ad fallendum. neque enim curat quomodo pereat homo, modo pereat; aperta, tectaque fraus, apud eum ſunt vniuſmodi.

Pœnitentia à fœneratore ſæpius neglecta, & dilata, fruſtra ab eodem inclamatur ſub mortē.

XXVII.

Prov. 26. 13.

Adeſte hîc mali qui cum pigro vultis & non vultis, quando monemini de exacta cōſcientiæ cultura; quibus *Leo eſt in via, & leæna in itineribus*, cùm adeunda ſuadetur pœnitentia; quorum tota voluntas ad reſipiſcendum eſt marcida, enervis, elumbis: neque egreditur frigidum illud deſiderium aliquando, & ſub mortem ſaltem deſerendi antiqua dedecora; vt eò vſque diſtuliſſe melioris vitæ propoſitum, ſit ſæpe adijſſe præcipitia damnationis. Mihi credite, naſcentur denique nova vobis deſideria, vtinam non & fatua, quibus prior ſegnities veſtra plectatur. Clamabitis olim & vos; *ô pœnitentia vbi es?* prodi Domina, toties à nobis malitioſè neglecta, toties excuſſa leviter, præterita contemptim. prodi, in amplexus obvios jam matris noſtræ ibimus, hactenus degeneres filij. quas nuper delicatuli ſpinas tuas horruimus, nunc vt roſas & lilia, forti lætoq; pede calcabimus; pietatis illa tua exercitia, quæ nauſeavimus quondam ſupra fellis & abſynthij amarorem, jam hauriemus plenis congijs; nullum ampliùs creabit faſtidium proli-

Improborum in hac vita inane futuræ pœnitentiæ deſiderium.

prolixior oratio, abſtinentia ſeverior, peregrinatio moleſtior, frequentior templorum viſitatio, noxarum omnium accuratior confeſſio. Prodi ô Domina *pœnitentia*, atque vt DEO nos iterum, cœloque reſtituas, impera; habebis ad magiſterium tuum & clientulos obſequentes, & diſcipulos. Sed fortaſſis omnis fruſtra hæc fiet invitatio, fortè nullo vos ampliùs oculô dignabitur *pœnitentia*; fructuoſa inquam illa, & quæ ſolet reum hominem offenſo Numini reconciliare. In hac vita aut ſemper eam, aut vltimò repudiâſſe, eſt ab eadem longum, æternumque vale accepiſſe.

punietur in altera vita, ſimili deſiderio inani.

XXVIII.

Atq; hîc finio SANA illa plurium IUDICIA, oppoſita eorum INSANIÆ improborum, quibus certum eſt emendationem ſui, morumque correctionem differre in longum, atque ad ipſum moriendi tempus, non ſine manifeſto beatitudinis diſcrimine. Verè in hac materia (quod etiam ſuprà memini) Divus Chryſoſtomus affirmat; *ex dilatione periculum ac metus naſcitur.* Ego clariùs aſſero & liberè; quamdiu ſcelerati mortales inter flagitia trahunt pœnitentiam, tamdiu habent ſuæ REPROBATIONIS SIGNUM, ſpiritualis naufragij periculum, adeoq; & PROMONTORIUM MALÆ SPEI. Pergit Chryſoſtomus; *ex eo autem, quod quis moram omnem ac cunctationem fugiat, perſpicua & certa ſalus.* Ergo quos ſingulorum lapſuum citò, ſerióque pœnitet; qui inſuper ſanctiſſima iterum propoſita concipiunt, adversùs novos dœmonis inſultus, toties quoties proſtrati ſunt; ajo hos ſignum habere ſuæ PRÆDESTINATIONIS; adeoque & PROMONTORIUM BONÆ SPEI.

S. Chryſ. 2. ad Corinth. c. 10. hom. 22. in morali.

Signum Reprobationis eſt cunctari reſipiſcentiam & vitæ emendationem; maturare verò, ſignum prædeſtinationis.

Digitized by Google

EPILOGVS
ET
PROTESTATIO
AUTHORIS.

I.

QVod in capite hujus diſputationis feci, iterum repeto in calce; & PROTESTOR, nullos me hac ſcriptione laqueos voluiſſe ponere mentibus pijs & timidis, quaſi in puſillanimitatem, & quandam de bonitate Numinis diffidentiam trahendis, aut labyrintho involvendis, vndique ſcrupuloſi pectoris erroribus perplexo atque intricato. Tot illa ſalutis pericula, dilatam procul reſipiſcentiam comitantia, eò fine adduxi; vt bonos, & optimos quoſque confirmarem in virtutis amore; ad ejuſdem ſtudium excitarem homines impios, atque in omne ſcelus projectos; qui & vivâ in DEVM fide, & ſincerâ charitate deſtituti, inter vitæ ſuæ, actionumque propudia, nihil habent reliquum præter ſolam ſpem conſequendæ beatitudinis; oppidò dubiam apud moroſos pœnitentiæ, & converſionis ſuæ procraſtinatores.

Promontorium hoc malæ ſpei, ſcriptũ eſt bonis in bono confirmandis, malis ad pœnitentiam excitandis.

II.

Statuo igitur hîc tres in humano genere claſſes. prima eſt eorum mortalium, qui magis magiſque proficiunt in ſanctitate, ac velut quotidiana capiunt novæ pietatis incrementa. Atque hos ſignâſſe videtur Sapiens cùm dicit; *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſq. ad perfectam diem.* Vbi Salomon per ſemitam juſtorum, intelligit vitam eorundem; vt quemadmodum auroræ ſplendor ſenſim invaleſcit, donec in clarum evadat meridiem; ſic pariter juſtitia piorum & ſanctitas, continuis ſemper augmentis fit illuſtrior; ipſo ſole in ortu ſuo, quaſi facem præferente hominibus probis: vt ad ejus exemplum, in lucem ampliùs & ampliùs excreſcentis, conentur pulcherrimæ virtutis honeſtatem, quotidie in ſe magis accendere, noviſque ſemper acceſſionibus facere auctiorem. Ad hoc opus ſanè operoſum, credibile eſt animatum fuiſſe S. Furſeum, quando in extatico raptu, Ange-

Triplex hominum claſſis.

Prov.4.18.

Prima eorum, qui cavent lethalia peccata, & proficiunt ad maiorẽ ſanctitatẽ

Angelos ſibi melos iſtud audivit occinentes, Davidis cytharâ, fidibuſque attemperatum: *beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit; etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur* DEVS *Deorum in Sion.* Atque hinc eſt, quòd perfectionis ſtudioſi mortales, quàm diligentiſſimè abſtineant à noxis mortiferis, etſi à peccatis venialibus eximij non ſint; tanquam nævulis & rugis, facilè humanæ infirmitati, & corruptæ naturæ adhærentibus.

Beda lib. 3. hiſt. Angl. c. 19.

Pſal. 83. 9. 6. 7. 8.

III.

In ſecunda Claſſe eos pono homines, quibus ſi contingit cadere in lethiferas culpas, non tam perverſitas voluntatis cauſam dat, quam malæ occaſio illecebræ, imbecillitate noſtrâ ſuperior; ſic tamen, vt proſtratus illicitâ voluptate animus, brevi ſe recolligat, fortior atque conſtantior futurus poſt caſum, ad proſequendum iter Chriſtianæ pietatis. Optimè hîc Ambroſius: *Sancti* ait, *qui conſummare pium certamen geſtiunt, & currere curſum ſalutis; ſicubi fortè vt homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine; acrius ad currendum reſurgunt, pudoris ſtimulo majora reparantes certamina; vt non ſolùm nullum attuliſſe æſtimetur lapſus impedimentum, ſed etiam velocitatis incentiva cumulâſſe.* Confirmat ſanctiſſimus Præſul Davidis exemplo propoſitionem ſuam, his verbis: *Peccavit David, quod ſolent Reges; ſed pænitentiam geſſit, flevit, ingemuit; quod non ſolent Reges. Confeſſus eſt culpam, obſecravit indulgentiam, humi ſtratus deploravit ærumnam, jejunavit, oravit, confeſſionis ſuæ teſtimonium in perpetua ſæcula, vulgato dolore tranſmiſit. Quod erubeſcunt facere privati, Rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent ſuum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat, qui nullis tenebatur legibus humanis. Quòd peccavit, conditionis eſt; quòd ſupplicavit, correctionis. Lapſus communis, ſed ſpecialis confeſſio. Culpam itaque incidiſſe, naturæ eſt; diluiſſe, virtutis.* Et habet David hodieque complures, ex omni ſtatu Chriſtianos, non tantùm ſibi in caſu pares, ſed æmulos quoque in veloci reſipiſcentia; & (quod caput eſt) perſeverantia conſtanti; ſupponente Deo infirmitati eorum, atque optimæ voluntati, fulcrum ſuæ gratiæ; ne facilè, aut ſæpius relabantur in foveam peccati, vnde ſurrexerunt celeriter pœnitendo.

S. Ambroſ. in Apologiâ 1. pro David c. 2.

Secunda eorum, qui labuntur ſæpius in culpas mortiferas, ſed ex fragilitate naturæ.

Atque iterum citò reſurgunt ex lapſu.

IV.

Tertia Claſſis eos comprehendit mortales, quibus ſolenne eſt, ex irroborata diu conſuetudine, & velut affectata petulanter malitia, toties prorucre in crimina, quoties perituræ voluptatis allicit ſuavitas; ambita vbique, prenſata vndique, ab obvijs etiam

Tertia Claſſis eſt eorum, qui ex malitia,

 quibuſ-

& deſtinata voluntate, quoties occaſio eſt, proruũt in ſcelera.

quibuſvis emendicata creaturis. Ita denique cum venerint in profundum malorum, præter ſalutis ſuæ periculum, etiam Deum contemnunt. Quam in rem præclariſſimè diſputat S. Auguſtinus; *Videte* inquit, *fratres, quale profundum ſit vbi contemnitur* DEVS. *Cùm quiſq; viderit ſe quotidianis peccatis obrutum, aceruis quibuſdam, & molibus iniquitatum premi; ſi dictum illi fuerit, vt Deum roget, irridet. Quibus modis? Primò dicit: ſi* DEO *diſplicerent facinora, ego viuerem? ſi curaret* DEVS *res humanas, ad tanta ſcelera quæ feci, non ſolùm viuerem, ſed & benè mihi eſſet? ſolet enim hoc illis evenire, qui multum in profundo ſunt, & proſperantur in iniquitatibus ſuis. Et tantò magis in profundum merguntur, quantò magis videntur eſſe felices. falſa enim felicitas, ipſa eſt major infelicitas.*

S. Auguſt. In Pſ. 129. initio.

Sub ſpecioſo nequitiæ ſuæ mantelo.

V.

Promõtorium malæ ſpei deſcriptum, non petit primam, aut ſecundam hominum claſſem.

Itaque nulla mihi pugna fuit, cum primo illo hominum ordine, nulla cum altero. bonos animos, quibus præcipuum eſt ſtudium, quotidianos in virtute progreſſus facere, ſolerter etiam vitare graviores Numinis offenſas, aut ſtatim emendare admiſſas, non ferit, quod ſcripſi, MALÆ SPEI PROMONTORIVM; quin potius eoſdem erigit ad ſpem bonam, quamdiu vident illa ſibi non impendere ſalutis pericula, quæ plurimos involvunt in negotio pœnitentiæ CVNCTATORES. Et hi denique ſunt ex tertia Claſſe, contra quos (ſed ſanandos) calamum ſtrinxi; homines ex profeſſo impij, ex induſtria malitioſi, ex protervia obſtinati, neglectores ſacramentorum, aut eorum ſacrilegi vſurpatores; non inſtructi vero ſuper culpis dolore, neque ſerio emendationis propoſito. Quin etiam oſores divini verbi, ſanctarum inſpirationum contemptores, amatores ſuarum cupiditatum, in fide joculatores; præſertim verò circa DEI aut providentiam aut vindictam ludibundi nugatores; denique in profundum peccatorum demerſi. Cujuſmodi ferè ſunt, qui in continuis hærent ſcortationibus, adulterijs, aliaque multiplici Venere; in quotidiana etiam conſuetudine ebrietatis, iniqua alienorum bonorum poſſeſſione, odijs Vatinianis, & non placabilibus inimicitijs; vſu magicarum artium, damnabili veneficiorum exercitio, cæteriſque indignis Chriſtiano nomine flagitijs; neque interim vllum impietati ſuæ terminum ſtatuunt, præter vagum aliquod Craſtinum; aut ægritudinis, ſenectæ, ipſiuſque mortis neceſſitatem. confiſi nimirum tum, vnicâ contritione, aut confeſſione, quàm celerrimè compendioſiſſimèque, totam ſibi ſalutem ſuam confecturos. *repoſita eſt hæc ſpes in ſinu eorum.* Sed ſpes plerumque vana & inanis, certè

Sed tertiã eorum Impiorum, quorum hîc catalogus texitur.

Iob. 19. 27.

ſem-

ſemper vitioſa, quoties hominem inducit ad impios auſis, vel ad perſeverandum in commiſſis ſemel delictis; neque tum ampliùs meretur ſpei nomen, ſed præſumptionis; eſtque intrinſecè mala, cùm ſit cauſa peccati.

Et quoniam ſuperioribus dudum ſeculis, non pauci præpoſterâ nixi fiduciâ, ideo liberiùs Deum ſuis ſceleribus provocârunt ad iram, quòd ſperarent, continuò paratam ejus veniam adfore, quamprimum ſupplices procubuiſſent in genua deprecatores; hinc Eccleſiæ Patres ſæpius invecti ſunt in homines tam malè confidentes, non abſque Numinis quâdam injuria. Et quidem Tertullianus acturus de pœnitentia, oſtendit ſe ægrè hanc materiam ſuſcepiſſe diſputandam: ne *retractantes* inquit, *de reſiduo auxilio pœnitendi, ſpatium adhuc delinquendi, demonſtrare videamur.* Et ſtatim ſeriò inculcat, nullum inde ad peccandum fieri debere effrenem, vnde maximè refrenari oportebat. *Abſit* (verba ejus recito) *vt ita aliquis interpretetur, quaſi eò ſibi etiam nunc occaſio pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum: & ex redundantia clementiæ cæleſtis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur.* VI.

Tertull. lib. de pœnit. c. 7.

Occaſio olim pœnitendi, non debet eſſe ratio diutiùs delinquendi.

Quam rem pulchrâ ſimilitudine illuſtrat Sanctus Ambroſius, contra eoſdem exceſſũ fiduciæ peccantes invectus: *propoſitâ* inquit, *ſpe agendæ pœnitentiæ; licentiam ſibi delinquendi propagatam putant, cùm pœnitentia remedium peccati ſit, non peccandi incentivum. Vulneri enim medicamentum neceſſarium eſt, non vulnus medicamento: quia propter vulnus medicamentum quæritur, non propter medicamentum vulnus deſideratur.* Sanè nemo communiter ad explorandam balſami virtutem luculentam ſuo capiti plagam infligit; neque venenum haurit, ad ſumendam de antidoti efficacia conjecturam. Ita amenti ſimilis eſt, qui idcirco Dei ſe hoſtem facit, vt ad ejus miſericordiam poſſit confugere; ſeu, qui ex divinæ clementiæ indulgentia, ad producenda ſcelera inducitur. Non minùs eleganter propoſitum argumentum alio ſimili explicat Sanctus Hieronymus, ſic ſcribens ad Salvinam. *Nec ſtatim nobis pœnitentiæ ſubſidia blandiantur, quæ ſunt infelicium remedia. Aliud eſt integrâ nave, & ſalvis mercibus portum ſalutis intrare; aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum recurſibus, ad aſperrima ſaxa collidi.* Perinde ſi dicat; eum inſaniæ ſuæ dare ſpecimen, qui cùm videt in navi tabulam aptam ad enatandum, vrgente naufragij neceſſitate; navim eandem perforat, vt pe- VII.

S. Ambroſ. lib. 2. de pœnit. c. 9.

Confirmatur auctoritate & doctrinâ Patrum.

S. Hieron. in epiſt. 9. ad Salvinam, de viduitate ſervanda.

vt periculum facere poſſit, & experiri, quàm commodus tum ejus auſus ſit. Sic ſtolidiſſimus eſt, quiſquis conſiderans miſerationes Numinis, & apertum quotidie bonitatis divinæ ſinum, inde provocatur ad continuanda ſemper flagitia.

VIII. Et hæc ratio maximè locum habet apud illos homines, quorum omnes anni conſumuntur in gravi impietate; quia nimirum confidunt ex ſingulari Dei ſui beneficentia, ante mortẽ adhuc, totiûs vitæ anteactæ ſe palinodiam cantaturos; & brevi pœnitentiâ, longa præteritæ ætatis crimina abſterſuros. Qua in re præter nimiæ temeritatem fiduciæ, novâ quoque ignaviâ peccant, dum à Deo oblatam interea converſionis vocationem, nauſeabundi excutiunt. Vult enim ſuprema Numinis Majeſtas, vt quoties liberali manu gratiam ſuam diſpenſat, ſceleſtos homines incitando ad reſipiſcendum, quod frequentiſſimè accidit; non eorum vitio, & ſolâ ceſſatione excidat inanis, ſed potiùs cooperatione humanæ voluntatis effectum ſortiatur. Huc appoſitè S. Chryſoſtomus ita affirmat: *Ne deſides & ſupini ſimus, vult DEVS etiam nos aliquid conferre, vt non totum ſit superni auxilij. Neque à nobis iterum exigit totum, ſciens infirmitatem noſtram; ſed ſuam ſervans miſericordiam, & volens occaſionem aliquam accipere, vt ſuam declaret liberalitatem, expectat vt offeramus quæ à nobis ſunt.*

Temeritate fiduciæ, & ignaviâ peccãt, qui converſionem ſuam morantur.

S. Chryſoſt. hom. 53. in Geneſ.

Homo ſimul cum Deo, ejuſq; gratiâ, debet ſalutẽ ſuam operari.

IX. Rebecca divino Oraculo edocta, ſine vlla dubitatione credebat, fore vt filius ſuus (quem teneṙrimè amabat) benedictionem, & jus primogenituræ à patre Iſaac olim impetraret. Neque tamen interea otioſa conſedit mater, ſed multa cum diligentia laboravit, vt eſcas ad guſtum mariti condiret, vt Jacobi manus hirſutâ pelle contegeret, vt eundem variè inſtrueret, quid & quomodo patri ſuo cœcutienti loqueretur. Quorſum hæc omnia, ſi certum fuit oraculum? Nempè etiam Rebecca certa fuit, illud abſque ſua cooperatione in opus non deducendum. Quo prælio Madianitas fuderunt Iſraëlitæ, totis caſtris ab ijſdem exclamatum eſt: *Gladius Domini & Gedeonis.* quaſi neceſſe fuiſſet, ad eandem vniùs populi comparandam victoriam, gladium Dei, hominiſque convenire, ſocietate amicabili, & coiturâ ad plectendos idolorum cultores. Aſa Rex Juda, cum trecentis millibus ſuorum, moturus bellum adverſùs decies centena millia Æthiopum; præmiſit humiles ad DEVM preces, quibus poſtulavit auxilium imbecillitati ſuæ, contemptæ ab hoſtili potentia. Igitur quemadmodum Scriptura commemorat. *exterruit Dominus Æthiopas coram Aſa & Juda, fugeruntq; Æthiopes.*

Sicut Rebecca cum Iacobo filio laborare debuit, pro ejuſdẽ benedictione impetranda. *Geneſ. 27.*

Nec gladius Gedeonis, ſine gladio Domini, Madianitas vicit. *Iudic. 7. 20.*

2. Paralip. 14. Sub Aſa quoq; Rege Iuda, Æthiopes.

Digitized by Google

pes. Et paulò poſt ſubjungit: *ruerunt Æthiopes vſq; ad internecionem, quia Domino cadente contriti ſunt, & exercitu illius præliante.* Vt ſciamus divinam virtutem, non omnia ſemper ſolam facere, ſed aliquando humani laboris induſtriam requirere; quod maximè fit in rebus ac medijs ad ſalutem ſpectantibus, quàm ſine noſtra adultorum cooperatione, ſolius DEI gratia non confert.

contriti ſunt Dño cadente.

Gratia Dei non debet in homine eſſe otioſa.

X.

Atque hoc eſt, quod tantopere Corinthijs ſuis inculcat Paulus: *exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* In vacuum autem gratiam DEI, interprete S. Anſelmo recipit, qui cum ea non laborat, ſed per deſidiam facit, vt velut otioſa nihil fructûs adferat, quia ſcilicet eam bonis explere operibus non ſatagit. Cujus ignaviæ culpam, ne incurreret idem Apoſtolus, de ſe ingenuè fatetur. *Gratiâ DEI ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Apparet in prima illa ſuæ converſionis vocatione, quando occaſione itineris Damaſcum verſus, juſſus eſt aliam, & Chriſtianam mentem induere; ſtatim enim acquievit DEO dicenti: *Saule, Saule, quid me perſequeris? Ego ſum IESVS, quem tu perſequeris.* cui Saulus: *Domine quid me vis facere?* & ille, *ſurge & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oportet facere.*

2. ad Corinth. 6. 1.

Sed negotioſa, per cooperationem humanæ voluntatis.

1. ad Cor. 15. 10.

Quod factū in Saulo, poſtea Paulo.

Act. 9. à v. 4.

XI.

Mirantur ex Philoſophis Ariſtoteles & Plinius, ex ſanctis Patribus Baſilius & Ambroſius, quanta illa vis eſſe debeat Remoræ, exigui piſciculi, ſiſtentis in medio curſu onerariam navim, ventis remiſque impulſam. Sed ego non minùs admiror, ſubitam illam cum Saulo olim mutationem; de qua Apoſtolorum geſta ſic pronunciant. *Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad principem Sacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas; vt ſi quos inveniſſet huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem.* Hem! grandi & prætoriæ navi ſimilis Saulus, irâ & furore concitatus, graviſſimis ac nocentiſſimis ventorum turbinibus; properabat expaſſis quaſi, plenisq; velis Damaſcum, in damnum recentium Chriſtianorum. Sed ecce hanc ingentem navigij molem, ſummo cuntem impetu, modicus piſcis ſtitit, Remora vna; ſeu potiùs verba Chriſti paucula quæ Saulum in Paulum, lupum in agnum, perſecutorem in Apoſtolum mutârunt.

Act. 9. v. 1.

Prætoriæ navi ſimilis Saulus, in medio perſecutionis curſu ſiſtitur à Remora, Vocatione DEI.

XII.

Vbi iterum obſtupeſcenda eſt celeritas illa Paulinæ metamorphoſeos. Nam cùm mandatum accepiſſet, vt Damaſcum intraret, poſiturus ibi rudimenta Chriſtianæ religionis, non petijt alio aut loco, aut tempore inſtrui in fide, præmiſſâ tam ſeriæ rei,

Digitized by Google

Aggredetur converſionem ſuam ſine illius moræ cunctatione.

longiore deliberatione. Neque poſtulavit priùs ad Principem Sacerdotum redire, ei redditurus quas communicavit literas, teſtes poteſtatis ſuæ contra Neophytos; aut rationem daturus mutandæ religionis avitæ, cum nova Chriſtianorum; nihil etiam aliud faciendæ moræ cauſatus, continuò poſt Chriſti vocem, Damaſci ab Anania doctrinam fidei, deinde baptiſmum ſuſcepit; vtriuſque tamdiu ſtrenuus propugnator & prædicator, donec tyranni gladius ei guttur ſecuit, & facultatem loquendi ademit. Ita veriſſimè dixit Paulus; *Gratia* DEI *in me vacua non fuit*; quia eidem, cùm primùm affulſit, conſenſu voluntario obſequiosè, atque ad DEI invitantis nutum, cooperatus eſt.

XIII.

Vtinam hunc Apoſtolum multi hodie ſequerentur, & quoties è cœlo offertur Numinis gratia, venerabundi ſtatim cum oſculo amplecterentur, nec permitterent otioſâ ceſſatione, ſibi inanem elabi. Nunc quia paſſim divinos repudiant favores, ſaltem oblatis ad maturandam converſionem auxilijs non vtuntur, nec cooperari ſtudent; ſolius pigritiæ culpâ fit, vt magno numero ſuas ipſi animas perdant, non ampliùs ſaluti reſtituendas. Nam (quæ eſt Divi Chryſoſtomi ratiocinatio) cùm homo habeat duos pedes, geminas manus, duplicatas aures oculoſque; ut vnius membri jacturam, alterius poſſit vſus compenſare; tamen non habet niſi vnicam animam, quæ ſemel perdita, ſemper eſt perdita. *Nec naſci bis poſſe datur*; vt quod priore vitâ peccatum fuit damnandis animabus, ſequenti liceat corrigere, ijſdem damatione ſuâ eximendis.

Vitio ignaviæ fit, ut impœnitentes perdant vnicam quam habent Animam.

Virg. l. 10. Aeneid.

XIV.

Sed iterum homines ad delicias ſcelerum aſſueti, inſueti ad virtutis ſeveritatem; contendent, non neceſſariò confeſtim ab impio arripiendam eſſe pœnitentiam; ſufficere ſi olim, ſi tandem aliquando ſuſcipiant, & DEO vocanti ad hoc ſalutis negotium, ante mortem reſpondeant; quando ex mente D. Auguſtini, de nemine hîc cunctante, ejuſq; beatitudine deſperandum eſt. Sic loquitur Vir ſanctus. *De nullo deſperandum eſt, quamdiu patientia* DEI *ad pœnitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium; qui non mortem vult impij, tantùm vt revertatur & vivat. Paganus eſt hodie; vnde ſcis, vtrum ſit futurus craſtino Chriſtianus? Iudæus, infidelis eſt hodie; quid ſi cras credat in Chriſtum? Hæreticus eſt hodie; quid ſi cras Catholicam ſequatur veritatem? Schiſmaticus eſt hodie; quid ſi cras amplectatur Catholicam pacem? quid ſi iſti, quos in quotunq; genere erroris notos, & tanquam deſperatiſſimos damnas, antequam finiant iſtam vitam agant*

S. Auguſt. ſerm. 11. de Verb. Dom. c. 13.

Ad Rom. 5.

Sicut de nullius, etiã improbiſſimi ho-

gant

Digitized by Google

gant pœnitentiam, & inveniant veram vitam in futuro? Cæterùm Auguſtinus, hoc loco id ſolùm vult cautum, ne quis de alterius, etiam improbiſſimi ſalute, ſpem omnem abijciat; cùm certus non ſit, erga eum eſſe abbreviatam manum Domini. Interim nequaquam nominatus Eccleſiæ Doctor, roborat fiduciam, ſeu potiùs præſumptionem impiorum, de proprij capitis incolumitate, ac conſequendæ ſuæ ipſorum beatitudinis ſecuritate. Quin imò frequenter alijs occaſionibus demonſtrat, futurum illud tempus, in quod multi emendationem ſuam remittunt, & verè reſipiſcendi conatum, denique omnem neceſſarium ſinceræ pœnitentiæ apparatum; ſemper eſſe periculoſum, & naufragijs infame littus, nec aliud quàm PROMONTORIVM MALÆ SPEI.

minis aliena ſalute deſperandum eſt.

Ita de propria, nemo ſceleratus præſumere debet.

XV.

Et ferè par ratio eſt cum Pœnitentia, atque Baptiſmo: quem olim complures Catechumeni, tempore S. Chryſoſtomi diſtulerunt ad vicina, ſeu proxima morti ſpatia; perſuaſi tum ſe omnibus præteritæ vitæ noxis, earumque pœnis (beneficio ſacri fontis) abſolutos, recto itinere, & fœlici navigatione ad cœlum appulſuros. Sed quanto damnationis periculo, ſpes iſta, ſeu veriùs præſumptio, involverit cunctabundos baptiſmi procraſtinatores, in hæc verba teſtatur Conſtantinopolitanus Præſul. *Quando quiſpiam ideo peccat, vt ſanctum baptiſma accipiat in extrema reſpiratione, ſæpe non aſſequetur. Mihi credite, non vos terrens dico, quod ſum dicturus. Novi multos, quibus hoc accidit; qui propter illuminationis quidem expectationem, multa peccabant, in fine autem deceſſûs, exceſſerant inanes. DEVS enim propterea dedit baptiſma, vt ſolveret peccata, non vt peccata augeret. Si quis autem eo vtatur, vt ſecurè magis peccet, hæc eſt cauſa ſocordiæ & negligentiæ. Nam ſi non eſſet lavacrum, tutiùs viveret, vt qui non haberent remiſſionem. Vides id quod dicitur, faciamus mala vt veniant bona, nos ſumus qui facimus, vt dicatur. Quamobrem rogo vos, qui non eſtis myſterijs initiati, expergiſcimini.* Hæc omnia, quæ ſalubriter hactenus monuit D. Chryſoſtomus, de non differendo adultorum baptiſmate, ad vltimam vitæ lineam; dicta quoque velim ſecundùm proportionem, de pœnitentia non reijcienda in ſerum, ſenium, morbos, mortem. Nemo ſimilis ei velit eſſe, qui cum

S. Chryſoſt. in Epiſt. ad Hebr. hom. 14. in Morali.

Nec Baptiſmus in mortem differri debet à Catechumeno.

Nec pœnitentia à gravi peccatore.

Eſt bene non potuit dicere, dixit ERIT.

Probè ſciunt aliqui, cum anima ſua rem malè agi, quando proterviter accumulant rationes apud DEVM, per quotidiana ſcelerum debita; quando etiam inſcribunt, non in plumbi lamina, aut

Digitized by Google

ſilice, ſed tabulis conſcientiæ, ipſiuſque Numinis diphtera; & quidem vngue adamantino, ſtyloque ferreo, alia atque alia, repetitis continuò vicibus crimina; intelligunt tum enimverò, contra ſe, Judicem iratum; exinde quaſi parare aſcenſum ad tribunal; & colligere paulatim fatalis ſententiæ, ſive verba, ſive fulmina. Nihilominus ex eorum numero, nonnunquam vnus aliquis, in illo ipſo ſalutis ſuæ diſcrimine, quando

Quia aliquando avolat cum Occaſione, non ampliùs revocanda.

Eſt bene non audet dicere, dicet ERIT.

Quia ſcilicet ſe ipſum palpando, fortunam ſpondet meliorem, hoc eſt, ſubſecuturam tandem aliquando pœnitentiam: quæ tamen dum differtur, & non apprehenditur tempori, multis inter manus evaneſcit, tam parum revocanda, cùm vltimò elapſa eſt; quàm parum occaſio, occipite calva reducitur, poſtquam ſemel avolavit.

XVI. Repeto igitur, quod ſupra monui, & ajo. Quiſquis Chriſtianorum verè fidelium, fragilitate ſolâ naturæ, ſive deſtinatâ voluntatis malitiâ, dejectus in ſordes criminum, medicinam peccatis facit celerem; toties ſollicitâ mente reſurgit, quoties proſtratus eſt; paratus maiore ſemper conatu redintegrare cum vitijs ac ſtyge prælium; profectò de ſalute ſua poteſt quàm optimè confidere. quia induſtriæ eius favet PROMONTORIUM BONÆ SPEI, & beatus ad æternitatem appulſus. Hoc doceo ab exemplo Caroli militis, Sanctæ Brigitæ filij, quocum olim mater ex Suecia in Palæſtinam, pietatis cauſâ religioſam ſuſcepit peregrinationem. Sed nempe in ipſa via, comitem dulciſſimum, & moleſti itineris ſuave vehiculum, Carolum ſuum Brigitæ, mors abſtulit, & Neapoli vitâ defunctum reliquit. Ita Brigita dupliciter viduata, & marito & filio, Ieroſolymam tamen ſingulari cum devotione perrexit. Et quoniam poſtea frequens Caroli ſui memoria recurrebat mæſtæ parenti, magnis tenebatur deſiderijs, cognoſcendi ſtatum ejus jam mortui. Neq; defuit bonus DEUS ardentibus votis; totumq; illud, quod circa filium ſuum in arcano poſt mortem judicio geſtum fuit, vigilanti & precanti objecit ſpecie ſequenti, ad captum humanæ cognitionis accommodatâ.

Poſt caſum in peccata gravia, reſurgere ad pœnitentiã toties quoties, facit bene de ſalute ſperare.

Exemplo Caroli, S. Brigitæ filij.

Revel. S. Brigitæ l. 9. cap. 13.

XVII. Itaque Brigita ſibi viſa fuit videre Chriſtum pro tribunali ſedentem, & cœleſti exercitu vndique ſtipatum; in quo Regina Angelorum eminebat formâ auguſtâ, & velut patrocinaturæ ſimilis. Ante Judicem anima Caroli ſupplex aderat, decretoriam ſententiam cum ingenti metu expectans. Dextrum ejus

latus

latus cingebat genius tutelaris, ſiniſtrum dœmon accuſator; hic relata in tabulas peccata exhibuit Chriſto, reumque eſſe Carolum, ac ſibi deberi in ſocium damnationis, oſtendit ex quàm plurimis ſceleribus; præſertim ob ſextum decalogi præceptum, & cogitationibus obſcœnis, & operibus inhoneſtis, frequenter violatum; mille teſtium inſtar eſſe propriam ipſiûs conſcientiam. Sed Angelus mox omnem diaboli accuſationem ſic diluit. Caroli Matrem iteratis ad Deum precibus, & lacrymis jugiter manantibus, & multiplici in egentes miſericordiâ, eam impetraſſe filio ſuo gratiam, vt etiamnum puer cereus in vitium flecti, ſupremam Numinis Majeſtatem cœperit revereri; quam quoties offendiſſet, toties ſtatim ingemuiſſe poſtea, propoſitum emendationis renovâſſe, delicta expiâſſe. Illud verò maximè cauſam juvare Caroli, quòd is demum ante vltima fata ſecum ſtatuerit, *ſincerè in omnibus* (ſunt verba formalia apud S. Brigitam) *Dei voluntatem exequi, divinæ voluntati voluntariè ſe conformando.* Auditis itaque partibus, Judex ſententiam pro Carolo pronunciavit. Angelus verò S. Brigitam docuit, filio ſuo militi tam mitem, tam & felicem non dandum fuiſſe calculum, niſi à puero & bonæ fuiſſet voluntatis, & nævos ſuos ſolerter emendare ſtuduiſſet; ſemper poſt vulnus peccati, ſtatim vſus medicinâ pœnitentiæ.

Quem dœmon corã Deo accuſavit, propter frequentes ejus lapſus.

Angelus tutelaris defendit propter frequentẽ ejus pœnitentiam.

Judex abſolvit.

XVIII.

Dico igitur, quotquot etiam hodie poſt lapſum gravem citò ſe recipiunt ad frugem, radium cœleſtis gratiæ ſecuti, quoties illuſtrat, monetque animum ad meliora; profectò ſalutis ſuæ magnam concipere poſſunt fiduciam; in eorum numero collocandi, de quibus ſapiens Deo locutus fatetur; *BONÆ SPEI feciſti filios tuos*; ſcilicet quibus, cùm appellent ad æternitatem, futurum ſit pro littore, PROMONTORIVM BONÆ SPEI. Quoniam autem contrariorum par ratio eſt: certiſſimè concluditur, deplorandam eſſe illorum mortalium conditionem, qui poſt caſum nolunt veloci converſione mentem ſuam cœlo attollere, errores ſtatim, moreſque emendare, damnare quamprimùm patrata flagitia; ſed ob breves illecebras, & mox interitura voluptatum oblectamenta, humi ſerpere malunt; atque cum vermiculis putidis, ventrem terræ agglutinatum, per ſordes impietatum trahere; denique reſipiſcentiam omnem, omne pœnitendi negotium, in futurum aliquod incertum reijcere, aut morbidos annos, frigidam ſenectutem, ipſumque morti propinquum articulum; quaſi tunc compendioſâ viâ ſatisfacturi offenſo Deo, ſimulque hujus vitæ impetuoſum mare feliciter

FILII BONÆ SPEI ſunt peccatores citò reſipiſcentes.

Sap. 12.19.

FILII MALÆ SPEI ſunt, Impij diu cunctãtes pœnitentiam.

Digitized by Google

trajecturi. Hæc enimverò quorundam mortalium fiducia, illi ac-
Sap. 5. 15. cenſenda eſt ſpei, de qua Sapiens ait: *Spes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur; & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur; & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt.* Verbo dico, emendationis dilatio & pœnitentiæ adeundæ procraſtinatio, frequenter improbo cunctanti, & pro Naufragio ſcopulus eſt, & pro portu PROMONTORIUM MALÆ SPEI.

Omnia ad Majorem DEI Gloriam, Virginis Matris honorem, incrementum Triumphantis Eccleſiæ, Militantis emolumentum: cujus judicio & cenſuræ, hanc omnem meam ſcriptionem humillimè ſubmitto.

IN-

Digitized by Google

INDEX MATERIARVM ET

Locorum Moralium, bono Concionatorum digeſtus in ordinem alphabeti.

A.

AMOR.

LVculentum *ſtulti amoris prototypon, homo Gallus. Lib.* 8. §. 3. *ad num* 7. *vſq; ad num.* 14. *Habet paſsim imitatores ſui, amatores vanos & profanos. Vide ſequentes Numeros, libro & §. citato.*

ANHELVS.

Angelorum tutela, præſidium, beneficia, benevolentia erga homines, ſicut communiter magna ſunt, ita aliquando elangueſcunt, per continuatam clientum improbitatem. Lib. 3. §. 13.

ASTROLOGIA JVDICIARIA.

Falſum eſt poſſe ex aſtris, hominum complexiones, propenſiones, ſtudia futura, certò prædici. multò incertiùs poſſunt inde enunciari, quæ contingenter, aut liberè fiunt; ita vt Aſtrologia illa judiciaria, quæ aſſerit talia certò prædici poſſe, ſit prohibita jure divino, & eccleſiaſtico; pœnis quoque olim in Aſtrologos Judiciarios, ab Imperatoribus & jure civili decretis. Lib. 2. §. 13.

Et

Digitized by Google

Et quanquam Aſtrologus in communi, prædicere poſsit homini probabiliter eventura circa fortunam, valetudinem, longam aut brevem vitam; tamen in individuo caſus ſpeciales, aut actiones pendentes ab humana libertate, vel libera plurium voluntate, aut pluribus cauſis per accidens convenientibus, nec quidem probabiliter prædicere poteſt. Lib. 2. §. 15. *à num.* 9. *vſque ad numer.* 18.

Aſtrologi Judiciarij, vera ex ſideribus prænunciant, aliquando merè fortuito caſu; aliquando permittente DEO *triſtium vaticiniorum eventum, in pœnam vanæ credulitatis; aliquando ignoranter acti à Numine, ſicut Balaam & Caiphas; aliquando etiam docti & inſtructi à diabolo. Lib.* 2. §. 14. *ab initio vſq; ad num.* 11.

Dediti Judiciariæ Aſtrologiæ, periclitantur de ſalute ſua. Lib. 2. §. 14. *à num.* 14. *vſq; ad finem. Item* §. 15. *à num.* 22. *& deinceps.*

ATHEISMVS.

Fatalis hic ex Machiavelli doctrina ſurculus, homines ad omnia flagitia, deniq; ad damnationem trahit. Lib. 2. §. 11.

B.

BEATITVDO AETERNA.

In hac (tanquam vna neceſſaria) lucrifacienda, omnium Chriſtianorũ ſtudia jure ſunt collocanda; cùm interim multi more gentilium, multùm ſolliciti ſint, erga plurima hujus mundi aucupanda vana, falſa, ludicra bona, gaudia, voluptates, delicias, ſcientias. Lib. 4. *in proœmio.*

C.

CHRISTVS.

Infinita Chriſti merita, & ſanguinis ab eo fuſi pretium, erigantne ad ſpem, an potiùs deijciant ad juſtum timorem illos mortales, qui per continuata vitæ flagitia, Chriſtum quaſi iterum quotidie ad flagella, crucem, tormenta trahunt? Lib. 3. §. 5.

CON-

Digitized by Google

CONFESSIO.

Eorum hominum improborum Confeſsio, qui ſuam pœnitentiam & converſionem diſtulerunt vſq; ad mortem, facile vitioſa eſt, & nulla coram Deo; defectu propoſiti neceſſarij, & doloris, qui plerumq; apud ejuſmodi, ex ſolo metu ſervili procedit, non ex charitate Dei. Lib. 3. §. 6.

CONSVETVDO.

Conſuetudo vere altera dicitur Natura, potens apud homines, in materia vitiorum. Lib. 2. in Proœmio. & §. 1.

CONVERSIO.

Qui Converſionem ſuam protrahunt in longum, ſimiles illudentibus, Deum naſo ſuſpendunt, in ſuam perniciem. Lib. 1. §. 4.

Converſio eorum, qui ex ſingulari DEI gratia, poſt longam impietatem tandem ad frugem redierunt, neminem ſceleratum debet animare ad protrahendam pœnitentiam. Lib. 3. §. 3.

D.

DOEMON.

In pœnam & vindictam ſcelerum præteritorum, permittit aliquando DEVS in auctorem eorum, ampliorem Dæmoni poteſtatem. Lib. 3. §. 2. à num. 17. vſq; ad finem.

DESPERATIO.

Proterviam Impiorum, diu emendationem ſuam trahentium, ſequitur non ſemel peſsima vitæ clauſula, Deſperatio. Lib. 4. §. 11.

DVELLVM.

Duella, ſeu hoſtiles duorum, ex mutua provocatione congreſſus, Nobiles hodie cum pertinaci inſania proſequuntur, non ſine periculo Animæ, & ſempiterni interitûs. Lib. 4. §. 9. num. 18.

E.

EBRIETAS.

Ebrietatis conſuetudo, conjicit Ebrioſos in magnum maximum periculum, moriendi infeliciter & pereundi. Lib. 2. §. 4.

ECCLESIA.

Poteſt quidem in precibus Eccleſiæ triumphantis, Divorumq́ meritis, poni aliqua confidentia ab improbis mortalibus; ſed non ſine formidine. præſertim quibus mos eſt, meliorem vitam ſemper differre, & procraſtinare emendationem. Lib. 3. §. 10.

EXCOECATIO MENTIS.

Impijs differentibus reſipiſcentiam in longum, timendum eſt ingens malum, Excæcatio mentis. Lib. 4. §. 7.

EXEMPLVM.

Exempla illorum hominum, quos propter pia quædam opera, etiam in ſtatu peccati, atq; inimicitiæ facta, Numinis pietas inferno eripuit, & cælis inſeruit, nulli impio debent eſſe fulcrum, ſtabiliendæ impietati ſuæ. Lib. 3. §. 4.

F.

FIDES CATHOLICA.

Veræ Fidei, Eccleſiæ, & Religionis Notæ, nec Calvinianæ, nec Lutheranæ, ſed ſoli Catholicæ Fidei, Eccleſiæ & Religioni conveniunt. Lib. 2. §. 11. à num. 11. & *ſequentibus.*

Falſum eſt Pſeudopoliticorum dogma, quemvis mortalium in ſua, qualiquali fide ac religione, ſalvari. Lib. 2. §. 11. *ab initio vſque ad num.* 11.

G.

GRATIA DEI.

Etſi quidem divina bonitas, omnibus mortalibus, conferat gratiam, ad ſalutem neceſſariam & ſufficientem; non tamen omnibus dat gratiam congruam & efficacem, ſeu illam, quam videt effectum habituram. Et ſæpe cur hæc gratia negetur homini, ipſe Deo cauſam dat, per certam ſcelerum ſuorum menſuram. Lib. 3. §. 2. *vſq; ad num.* 17.

H.

HABITVS.

Habitus vitioſi, commiſſorum peccatorum reliquiæ, quò diuturnior eſt conſuetudo peccandi, ad majorem quaſi neceſ-

Digitized by Google

ſitatem inducunt repetendi præterita. Lib. 2. in Proœmio.

HORA MORTIS.

Sub extremam vitæ horam, periculoſa eſt impio, dierum malorum inveterato, ſua converſio, & quidem ex varijs capitibus. Lib. 4. §. 3. à num. 15. vſq; ad finem.

I.

IMPOENITENTIA FINALIS.

Hominibus flagitioſis, & multum tardantibus in opere pœnitentiæ, jure ſuſpecta eſſe poteſt ac debet graviſſima Dei pœna, Impœnitentia finalis. Lib. 4. §. 10.

INDVRATIO CORDIS.

Emendationem in futurum reijcientibus ſemper Improbis, metuendum eſt prægrande malum, Induratio & Obſtinatio cordis. Lib. 4. §. 9.

IVDICIVM DEI.

Iudicij & tribunalis divini timor, flagitioſos diu mortales, in morte ſua exercet. Lib. 1. §. 13.

Judicis Chriſti ſpecies, ſicut pertinaciter improbis, in ipſa morte terroris eſt occaſio, ita pijs hominibus eo tempore, non raro ſolatium affundit. Lib. 1. §. 16.

L.

LVXVRIA.

Difficulter omnino in morte excutiunt Venerem, qui per omnem ei vitam adhæſerunt; recurrentibus etiam poſt ſuſcepta Sacramenta, veterum libidinum oblectationibus, & retrahentibus quaſi ad aſſenſum. Lib. 2. §. 5.

M.

MACHIAVELLVS.

Hic cum Pſeudopolitica ſua examinatur; & hæc cum auctore ac parente ſuo, graviter vapulat. Lib. 2. §. 8.

MAGIA.

Magi, ſeu veneficijs & magicis artibus, eorumq; magiſtro cacodæmoni, aſſueti homines, raro pie ac bene, plerumq; impie ac miſere moriuntur. Lib. 2. §. 16.

MARIA.

Tametſi Deiparæ patrocinium erga ſibi devotos clientes, eximium ac magnum ſit; non tamen promittit ſecuritatem ſalutis, aut certitudinem pœnitentiæ ſub mortem agendæ, perſeverantibus interea in longa improbitate, vitaq; ſceleſta. Lib. 3. §. 12.

MISSA.

Miſſæ ſacrificium, ſicut omnibus antiquæ legis ſacrificiis antecellit, ita protervis & obſtinatis peccatoribus, communiter non tantum prodeſt, quantum ipſi ſibi imaginantur. Lib. 3. §. 7.

MORBVS.

Difficilem Impiis in morte pœnitentiam, multò difficiliorem reddunt Morborum dolores, moleſtiæ, faſtidia. Lib. 1. §. 7.

MORS.

Terribilium omnium terribiliſſimum Mors, ſceleſtos homines, & reſipiſcentiæ ſuæ procraſtinatores, aliquando in obitu, graviter ac periculosè turbat. Lib. 1. §. 10.

Mortem difficilem, præſertim Improbis, reddit divortium corporis & animæ, nec non amiſſio rerum ſuaviſſimarum. Lib. 1. §. 11.

Mortales protervè & diu impios, ſub mortem tentationes dæmonis, ſæpius cum periculo infeſtant. Lib. 1. §. 14.

Quin etiam iiſdem tunc ferè obverſantur ad terrorem, horrificæ larvarum ſpecies; contra quàm probis hominibus fiat; quibus non rarò Chriſtus & Sancti, pro ſolatio apparent jam jam morituris. Lib. 1. §. 15.

N.

NOBILITAS.

Sicut devota Nobilitas ſuam laudem habet; ita Nobilitas indevota, diligentiùs vana & profana tractans, quàm ſacra diebus præſcriptis in templo, meretur vituperium. Lib. 2. §. 2.

OBLI-

O.

OBLIVIO.

Plures Impiorum, quis credat? obliviſcuntur ſui, & pœnitentiæ eo articulo, quo meminiſſe vtriuſq; vel maximè deberent. Lib. 1. §. 9.

OBSVRDESCENTIA ANIMI.

Peccatoribus reſipiſcentiam ſuam quotidie procraſtinantibus, imminet magnum & ingens malum, Obſurdeſcentia animi. Lib. 4. §. 8.

ODIVM.

Odijs longis, & capitalibus inimicitijs aſſueti homines, ægrè admittunt reconciliationem, ex hac vita ad alteram conceſſuri. Lib. 2. §. 7.

OPERA BONA.

Etſi plurimum proſit operum bonorum, meritorumq; alienorum communicatio inter fideles; neminem tamen debet facere, aut ſalutis ſuæ negligentem, aut temere & cum præſumptione peccantem. Lib. 3. § 9.

ORATIO.

Militantis in terra Eccleſiæ Oratio, piorumq; hominum pro impijs ad Deum interceſſio, non poteſt eorum jure malitiam roborare, aut protrahere in longum & ſerum. Lib. 3. §. 8.

P.

POENITENTIA.

Aſperam, gravem, & diuturnam olim complures Sancti egerunt pœnitentiam, poſt lapſum in peccata. Lib. 4. §. 5.

Non eſſe magnis peccatoribus differendam vitæ correctionem, aut converſionem trahendam in futurum tempus; Judicium eſt Jeſu Siracidis. Lib. 4. §. 1. SS. Patrum. Lib. 4. §. 4. Doctorum inſuper Scholaſticorum & Theologorum. Lib. 4. §. 6.

Acceleranda eſt Impio pœnitentia, ad declinandum omne ſalutis periculum. Lib. 4. §. 11. Vide etiam Epilogum totum.

Digitized by Google

PRÆDESTINATIO.

Non tantùm major eſt numerus reproborum, ſi univerſim loquamur de humano genere, diſtributo in claſſes Gentilium, Judæorum, Turcarum, Hæreticorum, Schiſmaticorum, & Catholicorum; ſed etiam ſi Orthodoxi inter ſe comparentur, veriſimile ſit ex Patribus & ratione, minorem eſſe numerum Electorum. Lib. 1. §. 1.

PROCRASTINATIO POENITENTIÆ.

Oſtenditur hæc eſſe mali dæmonis, peſſimum conſilium: Lib. 1. §. 2.

Procraſtinare volentes pœnitentiam, quàm incertum habeant CRAS, *&* CRASTINUM? *Lib.* 1. §. 3.

PSEUDO-POLITICI.

Sunt pernicioſa Pſeudo politicorum principia circa hæreſin, hypocriſin, dominatum, invaſionem bonorum eccleſiaſticorum, licentiam vitæ, voluptatum illicitarum affluentiam. Lib. 2. §. 9.

R.

RESTITUTIO.

Reſtitutionis neceſſitas, nata ex conſvetis per vitam omnem fraudibus, rapinis, uſura, facit morientibus magnam difficultatem. Lib. 2. §. 6.

ROSARIUM.

Recitatio frequens Roſarij, Coronæ, Pſalterij, in obſequium Beatæ Virginis, ſicut neminem fulcire debet in malitia, ſic neque facere cunctatorem in negotio pœnitentiæ. Lib. 3. §. 14.

S.

SCAPULARE B. VIRGINIS.

Scapulare D. Virginis de monte Carmelo, & annexa ei promiſſio, nec certitudinem dat ſalutis, nec juſtam occaſionem pœnitentiæ cum ſceleribus ſemper prolongandæ. Lib. 3. §. 13.

SENECTUS.

Seniles & fracti ætate anni, plerumq; plus impediunt, quàm promovent dilatam vitæ emendationem. Lib. 1. §. 5. & 6.

SEPVLCHRVM.

Sepulchrum & ſepulturæ imminentis horror, magis impios terret morientes, quàm pios. Lib. 1. §. 12.

STATVS.

Ratio Statûs conſervandi, præcipuum dogma politicorum, multis Eccleſiam malis affligit, nec paucis auctores ſuos involvit periculis, male moriendi. Lib. 2. §. 10.

T.

TEMPVS MORTIS.

Quia certiſſimæ mortis, incertiſſimum tempus eſt, ideo vigili oculo obſervandi ſunt omnes dies & horæ, conſilio atq; adhortatione Chriſti Salvatoris. Lib. 4. §. 3. vſq; ad num. 15.

TIMOR SERVILIS.

Poſt lapſum Adami, plerią; homines ſolo timore ſervili, ſeu metu inferni, abſtinent à peccatis. quod ſi etiam pertinaciter diu Impij, & tandem morituri, de peccatis ſuis dolent ex hoc ſolùm motivo, actum agunt. Lib. 4. §. 2. à num. 18. vſq; ad 22.

V.

VENEFICI ET VENEFICÆ.

Veneficijs conſueti, & diabolo familiares homines, difficillimè in morte ad Deum redeunt, veramq; pœnitentiam. Lib. 2. §. 17.

VERBVM DEI.

Negligenter audire Verbum Dei, & res ſacras inſuper habere diebus feſtis ac Dominicis, & quidem ex conſuetudine, tam DEO diſplicet, quàm auctoribus ſuis incommodat. Lib 2. §. 2.

VOCATIO DEI.

Nec vocantem DEVM, nec manus extendentem, aut brachia offerentem ad amplexum, excutere debet impius, niſi lege talionis à DEO puniri velit. Lib. 4. §. 2. à num. 3. vſq; ad 15. & à num. 25. vſq; ad finem.

VOLVNTAS.

Longâ peccatorum aſſuetudine, ſic enervatur humana volun-

Digitized by Google

voluntas, vt plerumq́ in ſolo deſiderio pœnitendi ſubſiſtat, neq́ opus aggrediatur difficile & arduum. Lib 3. §. 1.

Z.

ZELOTTYPIA.

Sicut ex Aſtrologia judiciaria, multa alia naſcuntur incommoda, ita ex eo quoque fonte, Zelotypia fluxit inter duos conjuges, cum turpi eventu. Lib. 2. §. 15. à num. 6. vſq́ ad 9.

Menda ſic emenda.

Pag. 5. verſu 2. traxerit pro *traxerint*. p. 50. Num. 15. v. 8. qui pro *quia* p. 60. N. 13. in margine, emeruantur pro *enervantur*. p. 64. N. 9. v 4. minimos pro *minimum*. p. 83. N. 9. v. 2. quid optáris, pro *quod optáris*. p. 95 v. vlt. virtuti pro *virtutis*. p. 96. v. penult. majorem pro *minorem*. p. 105. N. 12. v. 6. ſanctiſſimi Epiſcopi, pro *ſanctiſſimo Epiſcopo*. p. 108 N. 4. v. 12. in terra, pro *interea*. p. 112. v. 9. ante N. 12. poſt iſta: aut dedecora, ſubjunge, *aut decora*. p. 260. v. 6. ante finem, ipſa pro *ipſam*. p. 183. N. 19. v. 2. digniſſimæ reginæ, pro *digniſſima regina*. p. 184. v. 1. actus pro *aſtus*. p. 210. N. 7. v. 5. vindicta, pro *vindicta*. p. 240. N. 14. v. 9. quidem pro *quidam*. p. 249. v. 1. negare pro *regnare*. p. 343. ad finem de Fauſto in margine, hæc ſuppleri debent: *Fauſti Praſtigiatoris & Magi, infauſtus exitus, atq; interitus*. p. 362. N. 6. v. 15. peccatori pro *peccatoris*. p. 374. N. 12. v. 10. cujuſvis pro *cuivis*. p. 398 v. 15. cum pro *tum*. p. 404. v. 9. accidere pro *occidere*. p. 413. N. 9. v. 3. perfidiæ pro *perfidia*. p. 430. v. 2. vitiantur pro *vitiatur*. p. 436. N. 4. v. 11. domas pro *domos*. p. 526. N. 20. v. 6. ſingulos pro *ſingulas*. p. 555. v. 1. mulieribris pro *muliebris*. & N. 13. v. 1. terrarum pro *terrenarum*. p. 619. v. vlt dolor pro *dolo*. p. 625. N. 1. v. 5. primatium pro *primatum*. p. 646. N. 14. v. 2. inde Samariam, pro *in Samariam*. p. 668. v. 8. Encomiaſtes pro *Encomiaſtas*. p. 670. N. 29. v. 13. ſuſpectum pro *ſuſpectam*. p. 681. N. 18. v. 15. recte pro *rectâ*. p. 688. N. 29. v. 9. conculationem pro *conculcationem*. p. 706. N. 27. v. 3. neſcit pro *geſſit*. p. 711. N. 9. v. 2. ſtudium pro *ſtudium*. p. 723. N. 30. v. 16. milivi pro *milvi*.

Reliquos typi errores, prudens & benevolus Lector facilè corriget.

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1

Digitized by Google

Digitized by Google